



ANALECTA FRANCISCANA

SIVE

CHRONICA ALIAQUE VARIA DOCUMENTA

AD

HISTORIAM FRATRUM MINORUM

SPECTANTIA

EDITA

A PATRIBUS COLLEGII S. BONAVENTURAE

Tomus V.



AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)

PROPE FLORENTIAM

EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE

MCMXII.

DE CONFORMITATE
VITAE BEATI FRANCISCI
AD
VITAM DOMINI IESU

AUCTORE

FR. BARTHOLOMAEO DE PISA

LIBER II.

Fructus I-XVI. (XIII-XXVIII).

LIBER III.

Fructus I-XII. (XXIX-XL).

Ex parte Ordinis nihil obstat, quominus imprimatur.
Romae, ad S. Antonii, 20 Augusti 1912.

Fr. Placidus-Angelus R. Lemos
Proc. et Deleg. Generalis O. F. M.

Nihil obstat
Can. Fridericus Rapini, *Cens.*

IMPRIMATUR.

Datum ex Curia Archiepiscopali Florentiae,
26 Augusti 1912.

A. Can. Cassulo, *Vic. Gen.*

PRAEFATIO

In exordio praefationis huius secundi voluminis, quod operis *De Conformitate vitae B. Francisci ad Vitam Domini Iesu,* auctore fr. Bartholomaeo de Rinonico de Pisis, O. F. M., complectitur libros secundum et tertium, illum quidem sexdecim Conformitatum, hunc vero (non secus ac liber primus) duodecim, praeprimis quaedam de eius indole in genere praemonenda ducimus.

Qui enim librum primum[1] Conformitatum perlegit attente, facillime perspexit eiusdem longe maximam partem agere, uti res ipsa titulusque expostulabant, de S. P. Francisco Assisiensi. Excipienda tantummodo venit altera pars Conformitatis VIII (p. 175-364): " *Franciscus fecundatur* „ in qua enumerantur Fratres sancti et celebres Primi Ordinis, iuxta ordinem Provinciarum et Locorum in quibus iacent, (178-351), pauciora vero de Secundo Ordine sive S. Clarae (351-360) atque de Tertio Ordine (360-362) notantur; itemque pars altera Conformitatis XI: " *Franciscus destinator* „ in qua paucis de S. Francisco praemissis (493-503), Catalogus texitur Conventuum singularum Provinciarum et Vicariarum Primi Ordinis (503-558), breviterque denuo subnotantur Fratrum sanctorum etc. in eis

[1] Volumen primum (1906) recensuerunt v. gr. P. Conr. Eubel, O. M. Conv., ap. *Literarische Rundschau für das katholische Deutschland,* XXXIII, Freiburg i. Br. 1907, 558-60; Gisbert Menge, O. F. M., ap. *Theologische Revue,* VII, Münster 1908, 14; Ubald d'Alençon, O. M. Cap., ap. *Etudes Franciscaines,* XVII, Paris 1907, 555-8; A. Fierens, ap. *Revue d'histoire ecclésiastique,* VIII, Louvain 1907, 352-6; Van Ortroy, S. J., ap. *Analecta Boll.,* XXVI, Bruxellis 1907, 362-5; Holder-Egger, ap. *Neues Archiv der Gesellschaft für ält. deutsche Geschichtskunde,* XXXIII, Hannover und Leipzig 1908, 566; Paulus, Nik., ap. *Historisches Jahrbuch der Goerres-Gesellschaft,* XXVIII, München 1907, 409-10; Faloci, ap. *Miscell. Francisc.,* X, 1907, 126-7. Cf. *Archivum franciscanum historicum* (AFH), II, 1909, 689.

quiescentium nomina, et postea (559-64) quaedam de excellentiis Ordinis S. Francisci in genere subnectuntur. Expresse hic notandum censemus in altera parte Conformitatis IX: " *Franciscus regulator* „ (369-457), praeberi *Expositionem Regulae* IIae Primi Ordinis (373-425), et deinde plura exempla circa eius observantiam etc. enarrari (428-457).

His ergo tribus Conformitatibus seu Fructibus exceptis, alii Fructus de S. P. Francisco directe et expresse tractant.

Eodem quoque modo totus liber II et III operis Conformitatum circa ipsum et solum S. P. Franciscum versantur, ipsius solius virtutes et miracula, modo strictim tangentes, modo latius enarrantes, ita ut, quae praeterea tanguntur de paucis Sociis S. P. Francisci, nexu directo cum ipso sancto Patriarcha, qui caput et summa operis est, colligentur. Duas vero exceptiones, si tales nominari queunt, notes velim. Libri enim II Fructus II: " *Franciscus animatur* „ (28-57): de S. Patris zelo erga animas agit, sed in principio (28-31) tantum et in fine (54-57), dum in maxima parte de concessione Indulgentiae Portiunculae sermo fit (31-36) et de miraculis circa ipsam factis (36-53). Altera vero exceptio, quanquam ita loqui minore etiam iure hic liceat, est Fructus ultimus, scil. XII, libri III: " *Francisco cuncta dantur* „ (478-504). In hac enim Conformitate narrantur plurima miracula, quae intercedente S. Francisco, post ipsius obitum facta sunt, et plurima occurrunt nomina propria oppidorum et hominum, quibus beneficia seu miracula illa profuere.

Quae ergo cum ita sint, scilicet, cum per totum volumen alterum operis Conformitatum nonnisi sermo fiat de S. Francisco, omissis penitus tot nominibus et Conventuum et Fratrum Sanctorum primo in volumine laudatorum, inutile plane duximus, cum minime ad rem fuisset, iuxta desideria quorumdam, qui libri Conformitatum indolem non clare perspexerunt, totum indicem materiarum et nominum voluminis prioris denuo in fine voluminus istius secundi refundere atque repetere. Pauca vero illa nomina Sociorum S. P. Francisci, quae in voluminis huius decursu commemorantur, non solum recensentur in *Indice novo,* sed ipsa

illic etiam ceteris notitiis locupletantur, quae circa eadem volumen prius retulit, ita ut omnia de eis in Conformitatum libro contenta hic in unum congesta commode habeas.

Maxima igitur pars *Indicis* huius voluminis circa S. P. Franciscum versatur, natura sua et data opera, cum S. P. Franciscus, consulto, ex *Indice tomi prioris exsulaverit.* Hic igitur omnia de eo a Pisano relata, tacta, saepiusque repetita insimul collecta habeat amicus studiosusque lector.

Praeter indicem maiorem de quo nunc diximus, *alterum* quoque digessimus *Indicem,* rerum scilicet principaliorum, quae in singularum *Conformitatum partibus prioribus* continentur, quaeque ad *theologiam* maxime, partim etiam ad *philosophiam* pertinent[1].

Confecimus insuper *tabulam triplicem Concordantiae Editionum* trium priorum cum *nostra,* quae in tabulis illis, infra p. 511-519, pro basi sumitur, hac quidem ratione: ut indicaverimus trinis illis in tabulis editionis huius nostrae *paginam lineamque* in qua foliorum priorum editionum, et rectum et versum, sumunt initium. Cuius *Concordantiae Editionum* ope facile erit editionem nostram adhibentibus invenire locos quamplurimos, qui ex Pisani antiquis editionibus allegati fuerunt in creberrimis de S. Francisco eiusque Ordine, ultima per decennia, institutis commentationibus, dissertationibusque.

Quoad *methodum Editionis* in hoc altero volumine adhibitam, nihil immutavimus, nisi quod erga *codicem Alvernae* (cf. AF[2] IV, p. XXV, XXIX, XXXIV) maiore libertate usi sumus, non iam uncis includendo verba sive phrasium membra, quae scriba codicis Alvernae[3] omiserat. Mox enim apparuit in hoc altero volumine librarium istum negligentiorem paulatim evasisse, saepiusque oscitatum esse, acedia victum. Eiusmodi ergo omissiones[4] librarii languidi in ipso textu insignire parenthesibus, lectores interdum non parum

[1] Quae res in priorum editionum indicibus fusius digerebantur quam res historicae.

[2] Id est: *Analecta Franciscana,* quo siglo brevitatis ergo usi sumus, praesertim ob allegationes creberrimas voluminis IV, in notis ubique occurrentes.

[3] Signatur siglo Al; cod. Assisiensis = As; cf. AF IV, p. XXVII; Ed. = Editio; alia cf. l. c. p. XXXIV.

[4] Cf. quasdam, infra p. 19 nota *g;* 23 n. *b;* 24 n. *a;* 43 n. *m;* 93 n. *a;* 95 n. *b.*

turbantibus, nefas duximus; easdem, ubi ex codice Assisiensi, Editionibus et Fontibus[1] indubie omissiones breves aliquorum vocabulorum vel etiam homoioteleumata apparebant, nec in notis quidem attulimus. Omissiones vero longiores seu graviores adnotavimus semper et ubique, ne inde fides Editioni nostrae detractaretur ullo modo.

Non quidem hanc ob causam, sed ut legentium commodo quam maxime fieri posset satis, in notis huius alterius voluminis indicavimus accurate omissiones tum primarum editionum anni 1510 et 1513 tum, easque maiores, editionis anni 1590[2]. Huius maxima omissio accidit in Fructu XII libri III, ubi miraculorum S. Francisci intercessione, post ipsius obitum, dissitis quoque in regionibus factorum, praetermittitur longa series (p. 479 l. 30-502 l. 15). Aliae omissiones in genere[3] non occurrunt, nisi circa miracula quaedam, quae iam alibi Pisanus narraverat, quaeque ideo nulla repetivit editio prior, ad narrationes illas praevias lectorem remittendo; cf. plura exempla v. gr. infra p. 256.

Cuiusmodi editionis tertiae omissiones, cum in volumine priore minime notatae sint, — quia reapse ad opus e codicibus rite edendum necessarium hoc non fuit — longiores saltem recensuimus tum in triplici Tabula concordantiae editionis totius nostrae cum editionibus I, II et III (infra p. 516-519), breviores quoque adnotavimus in accurata editionis tertiae descriptione, quam infra p. LXIX sq. damus.

Non obstantibus innumeris paene animadversionibus criticis, fontes a Pisano adhibitos propalantibus, ubi et quoad fieri potuit, quas notas 1°) plures longe ad paginarum calcem adiecimus quam in libro I°, quaeque notae 2°) factum vel miraculum aliquod in libro, Indicis nostri ope, quaerentis oculos statim ferient, colligendum duximus Indicem specialem, qui enumeret fontes et theologicos[4] et historicos[5], quibus Pisanus usus est, illis quidem in parte priore, his vero in parte altera

[1] Fontium lectiones variantes in adnotationibus saepius subnotavimus: cf. p. 30, 33 sqq., 77 sqq., 104 sqq. etc. [2] Cf. v. gr. infra p. 43 nota *e*.

[3] Cf. infra p. 260-1 ubi v. gr. *Canticum Solis* in Ed. III omissum esse notatur.

[4] Cf. p. XXXIV sq. [5] Cf. p. XL-XLIV.

cuiuslibet Conformitatis. Neque in Indice isto praetermisimus auctores alios, Pisano item antiquiores[1], in adnotationibus a nobis allegatos ad res in locis illis a Pisano narratas debite illustrandas, quanquam constiterit scripta illa Pisano tanquam fontes minime inserviisse. Velimus enim, lectores animadvertant, nequaquam ubique clare patere, quo fonte reapse Pisanus usus sit, et quidem duplici ex causa. Saepissime enim a se narrata Pisanus paucis verbis ita constringit, facta adumbrando, ut minime appareat quo auctore usus sit. Neque fontes omnes qui Pisano scribenti suppetebant, sed ab ipso saepius non citantur, nobis hucusque explorati sunt.

De *Fontibus anno 1385 antiquioribus,* quos Pisanus adhibuit, quoad eorum intimam naturam, deque eorum ab invicem dependentia mutua: quae quaestiones intricatissimae sunt atque maxime salebrosae, circa quas ideo magnam partem adhuc sub iudice lis est, nil novi hic subiungendum est, quoniam pauca ea quae inde ab anno 1906 de his quaestionibus acta vel discussa sunt[2], nil protulerunt quod ibi sive dicta sive probata[3], aut immutet aut evertat. Insuper qui in opere Conformitatum ex eis afferuntur loci, licet sint plurimi, non sufficiunt quaestionibus illis certo modo dirimendis.

Neque adhuc suppetit materia hic loci disserendi longius de illis ipsis collectionibus miraculorum, quae Pisano ad manus erant, sed ad nos non pervenisse videntur, neque de aliis collectionibus similibus, de quibus tamen alibi

[1] A primo enim editionis initio Editorum intentum minime fuit, cf. AF IV, p. XXXV, recensere in adnotationibus ad paginarum calces, auctores Pisano posteriores, qui de illis materiis tractavere.

[2] Haec edita vel saltem bibliographice notata necnon et critice recensita habes ap. AFH quod ab an. 1908 prodit Ad Claras Aquas. — Ibi S. Franciscum et res a Pisano expositas tangentia habes v. gr. *Dissertiones:* De difficultatibus et quaestionibus chronologicis in S. Francisci vita, I, 23-30; II, 181-96; alias de S. Francisci legendis, documentis etc. I, 45-49; 62-7, 68-84, 85-7, 175, 209-16, 248-66, 267-77, 368-9; II (1909) 17-31; III (1910) 47-54, 167-69, 169-70; IV (1911) 62-73, 544-58, 619-21. De indulgentia Portiunculae, I, 31-44; II, 407-11; de *Speculo Perfectionis* et *Actibus B. Francisci*, I, 177, 301-412. — Inibi in Bibliographia biographias recentes S. Francisci notatas invenis, I, 131, 137, 197, 486; II, 147 525, 529 sqq., 683, 685; III, 179, 590, 791; V, 417. Alia plura de S. Francisco enumerantur in Bibliographia et in Chronica cuiuslibet fasciculi; de B. Aegidio Assis., I, 128, 447; II, 526; de Indulgentia Portiunculae, I, 489; IV, 601-3; de *Speculo Perfectionis*, etc. dissertationes cl. A. Fierens, III, 341-4; cl. P. Sabatier, IV, 630-1; etc. etc. — Editiones notantur infra, p. XXXVI sqq.

[3] AF IV, p. XIII-XXIV.

disserendi intentum est nostrum, qua occasione etiam vulgabuntur miracula illa quae in Codice Collegii S. Antonii de Urbe [1] continentur, aliaque ad rem hanc facientia disserentur. Hunc codicem in utroque volumine saepius allegavimus.

Haec quae modo diximus, collata cum iis, quae in praefatione tomi prioris disputata sunt, sufficere possunt abunde ad Editorum officii summam, qualem volumen alterum expostulat, et praesertim ad eam quae rei criticae in huius operis editione administranda ratio fuerit, explicandam. Attamen opportunum duximus alia quoque hic colligere et disserere ad legentium omnimodam, quantam attingi potest, utilitatem.

Quibus sic generatim praemissis, ad singula, quae vel necessaria vel opportuna duximus ad editionem istam operis Conformitatum magis illustrandam, iam descendamus. Agemus autem in ista introductione, ordinem praefationis tomi prioris secuti, 1° de *auctore,* scil. fr. Bartholomaeo de Rinonico de Pisis, colligentes ea omnia quae de ipsius vita cognoscuntur, tangentes quoque vitam homonymi fr. Bartholomaei Domini Albisi, cui auctori communiter ante annum 1906 perperam tribuebatur opus istud *De Conformitate vitae b. Francisci ad vitam Domini Iesu;* 2° agemus de *auctoritatibus* et *fontibus* quibus usus sit fr. Bartholomaeus in compilando opere isto Conformitatum; 3° de *aliis codicibus* et de *editionibus* prioribus huius operis Conformitatum, necnon de *opusculis* inde extractis; 4° de *fortuna* huius operis, de eius *versionibus* [2] et *imitationibus,* de illum saeve nec iuste *aggredientibus* atque de ipsum *defendentibus*; 5° agemus de *aliis scriptis* fr. Bartholomaei de Rinonico, de eorum codicibus et editionibus, si quae evulgatae sint.

I.

De vita Auctoris et ipsius homonymi.

Ut de auctore libri Conformitatum, saepissime cum aliis confuso, deque eius operibus, perperam aliis scriptoribus

[1] L. c. p. XXII. In hoc vol. V saepius allegavimus *Speculum Vitae B. Francisci et Sociorum eius,* Parisiis, s. a.; Venetiis 1504; Metis 1509; de quo cf. praesertim P. Sabatier, ap. *Opuscules de critique historique,* I, Paris 1903, 299-365. Cf. infra p. XLII. [2] P. LXXX sqq., et CXXV.

tributis — dum e contra et aliorum opera ipsi falso adscriberentur — maiore claritate et amplitudine disseramus, paucis primum ea repetimus quae in initio voluminis prioris [1], ope documentorum in tabulariis Pisanis de eius atque homonymi ipsius vita stabilita sunt.

Quorum haec summa est notitiarum chronologicarum certarum, primo quoad *fr. Bartholomaeum domini Albisi de Vico* (scil. *Pisano*) [2], vulgo apud auctores *Albitium* vocatum.

Anno ergo D. I. 1349, Indictione I, die 16 aprilis [3] Mingus quidam exsecutorem testamenti sui, dicto die conditi, nominavit "*fr. Bartholomeum domini Albisi de ordine S. Francisci*". Anno D. I. 1360 Ind. XII [4], die 5 sept. Gratiolus de Gargareto, syndicus conventus S. Francisci Pisis, testatur se recepisse certam summam a D. Pera testamento relictam "*fr. Bartholomeo domini Albisi de Vico*". Anno item D. I. 1360 Ind. XIII [5], die 16 decembris idem Gratiolus testatur se habuisse ab exsecutore quodam testamentorum pauperum archiepiscopalis curiae, solidum unum, relictum a quadam testatrice D. Bonuccia, pro figura cerea b. Gerardi de Valentia, et solidos XIX denariosque 8, ab eadem testatrice relictos "*fratri Bartholomeo domini Albisi, fratri dicti conventus de Pisis*".

Cultum b. Gerardi de Valentia, laici Ord. fr. Minorum, qui Panormi 29 decembris 1342 obierat [6], fr. iste Bartholomaeus Albisi magnopere Pisis promovit, eiusque vitam scripsit an. 1347 [7]. Guardianus conventus Pisani fuerat an. 1342 [8]. Ipse vero fr. Bartholomaeus iuxta aram olim beato Gerardo, nunc autem Assumptioni beate Mariae Virginis [9] dicatam, sepultus fuit Pisis in ecclesia sancti Francisci. Lapis simplex et absque ullis ornamentis, sepulchrum eius in ecclesiae pavimento claudens, hoc fert in margine trium laterum

[1] AF IV, p. VIII-XI. [2] Conventus ibi erat ffr. Min.; cf. AF IV, 517: ubi minime autem, contra Sbaraleam, *Suppl.*, 109; I, 114 [cf. p. XVI, n. 25], hunc locum plus quam ceteros celebrat Pisanus.

[3] Id est iuxta calculum Pisanum, secundum quem annus incipiebat die 25 martii, ante annum nostrum. Currebat ergo tunc annus 1348. Quod etiam apparet ex Indictione.

[4] Nobis ergo anno 1359. Indictio XIII pro die 5 sept., relata ad tertiam notam chronologicam: « A. D. I. 1360, 16 dec. Ind. XIII », prodit hic adhibitam esse non indictionem Romanam (incipientem a 25 dec. vel 1 ian.) sed aliam: scil. Graecam, Pisis ordinarie vigentem, ordientem a 1 septembri.

[5] Item nobis an. 1359. [6] Cf. infra, p. CII, n. 5. [7] Cf. p. CI sq. [8] Cf. p. XIX l. 25.

[9] Non vero Nativitati B. M. V. Sepulchrum est in cornu Evangelii.

epitaphium[1]: "*Hic iacet venerabilis frat||er Bartholomeus domini Albisi ordinis Minorum, qui obiit A. D. M.||CCCLI die X Decembris*".

Consideratis notis chronologicis supra relatis e documentis, in quibus, visa eorum indole, vix "quondam" nomini fr. Bartholomaei Albisi, Pisis admodum noti et celebris, si revera tunc iam 1351 obiisset, additum non fuisset, patet in epitaphium errorem quemdam irrepsisse[2]. Satis erit corrigere MCCCLX, supposito quod annus exprimatur stilo communi (seu curiae Romanae) non vero iuxta calculum Pisanum qui ob tertiam notam temporis (16 decembr. 1360, nobis 1359) excluditur; hac enim in hypothesi deveniremus in 10 dec. 1359, quo die iste adhuc inter vivos erat: nisi forsan MCCCLI corrigendum sit in MCCCLXI. Videtur ergo fr. Bartholomaeus domini Albisi anno 1360 (vel 1361) obiisse.

De fr. *Bartholomaeo de Rinonico de Pisis*[3] qui solus magister vocatur in documentis et MSS., auctore operis *Conformitatum*. — Anno 1352 die 15 octobris[4] "*fr. Bartholomeus de Rinonico*" librum quemdam conventus fratrum Minorum bibliothecae Pisis restituit. A. D. 1368 die 1 iunii "*fr. Bartholomeus de Rinonico*" item Pisis erat. A. D. 1397 Ind. IV[5] die 19 iunii Pisis, praesente "*magistro Bartholomeo de Rinonichi, ordinis Minorum, sacre theologie magistro*" contractus quidam confectus est. Item A. D. 1397 Ind. IV die 4 augusti Pisis contractus alius stabilitus est, cui interfuit "*fr. Bartholomeus de Rinonichi, sacre theologie magister*"; itemque an. 1397 die 28 oct.[6] alius contractus praesente "*fr. Bartholomeo*

[1] Cf. p. XXVIII, nota 9 et XIX, nota 4. — Characteribus capitalibus partim romanis, partim gothicis, qui saltem aliquando postmodum retractati videntur a scalptore non perito, cum attriti essent praetereuntium pedibus; nisi mavis primum lapicidam sat imperitum censere. Litterae inter se dissimiles sunt; prima vox revera sonat: hIE. In millesimo autem inter CCC et L spatium adest maius quam iuxta reliquam dispositionem liceret.

[2] Quod, pace Papinii, cf. p. XX, l. 12 sqq., haud adeo mirum nec inauditum est, praesertim si lapicida aliquot temporis post mortem fratris Bartholomaei epitaphium cuius epocha ignoratur, marmori insculpserit. E forma litterarum promiscua nihil certi deduci iam potest.

[3] Cf. AF IV, p. VIII-IX.

[4] Dici nequit, utrum iuxta calculum Pisanum praedicta nota temporis computata sint, necne.

[5] Quae indictio denuo prodit calculum Pisanum, scil. annum 1396.

[6] Videtur item fuisse an. 1396, quanquam Indictio non apparet; AF IV, p. IX nota 3.

de Rinonichi ordinis fr. Minorum S. Francisci, sacre theologie magistro „. Haec documenta Pisana.

Fr. ergo Bartholomaeus ex his apparet fuisse *Pisanus*, et quidem ex familia *de Rinonichis* [1], vel *Rinonico* oriundus. Idem nomen in codice etiam *Vitae b. Mariae Virginis*, eiusdem auctoris occurrit quam complevit an. 1382 [2]. In Prologo primo libri Conformitatum auctor se vocat: “ *sacrae theologiae magister indignus, frater Bartholomaeus de Pisis* „ [3]; itemque in epistola ad Capitulum generale an. 1399 data [4]. Occurrit quoque in bulla Gregorii. XI, vi cuius an. 1375 magisterium in theologia recepit iste fr. Bartholomaeus [5]. Quae bulla [6] data est Avinione 27 aprilis 1375 Thomae Patriarchae Gradensi, i. e. fr. Thomae de Farignano, antea (1367-72) Ministro Gli Ordinis Minorum [7], cui in ipsa Gregorius mandavit:

« Ut *Bartholomaeo de Rinonicho de Pisis Ord. Min.*, qui Pisis in generali studio in theologia bacallarius et in pluribus aliis studiis generalibus sui ordinis lector extitit et in generali capitulo proxime celebrato [8] per eundem ordinem ad legendum Sententias in studio Cantabrigiae pro magisterio obtinendo deputatus est, sed propter guerrarum discrimina illuc accedere commode nequit [9], si eum in aliquo studio generali per suam et aliorum saltem quatuor magistrorum in theologica facultate ibidem existentium sufficientem et idoneum repererit, magisterii honorem et docendi licentiam largiatur, eique concedat, ut sic magistratus omnibus privilegiis fratribus Minoribus Parisiis magistratis concessis frui possit, ita tamen, quod ordo ipse ad praestandum aliquid pro expensis et aliis necessariis eius, ratione illius magisterii ultra quam antea minime teneatur ».

Pisanus ipse narrat factum quoddam quod accidit “ Bononiae dum, ait, essem studens „ (AF IV, 449), item aliud

---

[1] Cf. et Papini, infra p. XX sqq.

[2] Cf. infra p. CX l. 52-5.

[3] AF IV, p. 2.

[4] Ibid. XXIV; infra, 503 l. 9 et 28.

[5] Eiusmodi facultates tunc aevi et antea saepe dabantur. Eidem Thomae concessae fuerant v. gr. an. 1372; cf. Eubel, *Bullarium franciscanum*, (BF) VI, Romae 1902, n. 1229, p. 491, et an. 1376, l. c. n. 1441 p. 574. Waddingus hanc bullam cognovit, cuius summarium dedit, fratrem hunc, de quo nil addit, ibi appellans: *Annales Ordinis Minorum*, ad an. 1376 n. VIII (VIII², Romae 1733, 332): « Barthol. de Rinovecho ». P. Eubel autem l. c. nota, recte coniecturavit hunc fratrem esse auctorem libri Conformitatum.

[6] Eubel, l. c. VI, n. 1379, p. 551.

[7] Patriarcha Gradensis nominatus fuerat 1372, 19 iulii; Eubel, *Hierarchia cath. med. aevi*, I, 1898, 277; creatus est cardinalis 1378, 28 sept ; Eubel, l. c. I, 22; obiit 1381. Generalis Minister Ordinis Minorum fuerat 1367-1372. Cf. de eo: Pisanus, AF IV, 523, 346; Waddingus, an. 1367 n. VI sqq., 1370 n. XVIII sqq.; Marianus Florentinus *Compendium chronicarum Ordinis FF. Minorum*, ap. AFH III, 305 sq., 308, 700. Sbaralea, *Supplem. ad Scriptores*, Romae, 1806, 675.

[8] Scil. in Capitulo generali Tolosano anni 1373; cf. Wadding, an. 1373 n. 9 sqq.; BF VI, 503; Marianus Florentinus, AFH III, 307.

[9] Unde recte eius nomen deest in catalogo magistrorum FF. Min. Cantabrigensium, ap. *Monumenta Franciscana*, ed. S. J. Brewer, London 1858, 555-7; et inde ap. AF I, 1885, 271-3.

" Paduae dum essem lector „ (ibid. 273), alia vidit " Paduae dum, ait, essem lector „ (ibid. 359)[1]. Eum fuisse magnum praedicatorem, uti fr. Marianus Florentinus[2] dicit, et ideo eum pluribus in locis praedicasse, uti fr. Marcus Ulyssiponensis[3] addit, in dubium vocari non potest, visis praesertim eius Quadragesimalibus[4], quorum unum Florentiae praedicavit[5].

Quod porro idem fr. Marcus dixit, fr. Bartholomaeum lectorem egisse Bononiae, Pisis, Senis et Florentiae, eamdem prorsus fidem non meretur, quia aliunde, praeter lectoratum Paduanum (supra l. 3) et Florentinum[6] de his nihil constat. Dictum vero istud confirmatur quodammodo ex bulla allegata Gregorii XI, affirmante, quod fr. Bartholomaeus " Pisis in generali studio in theologia bacallarius et in pluribus aliis studiis generalibus sui ordinis lector extitit „. Quae bulla clare loquens de fr. Bartholomaei lectoratu Pisis *" et in pluribus aliis studiis generalibus sui ordinis „*, excludit quoque fr. Bartholomaeum, an. 1375 adhuc bacalarium, in studiis *publicis generalibus* tunc temporis praelectiones habuisse. Neque tale eius munus pro annis posterioribus ullo modo probari potest, licet, omissa tali annorum distinctione, hoc asseruerint plures auctores, quorum primus fuisse videtur fr. Marcus Ulyssiponensis[7], quem postea secutus est Waddingus[8], ex quo alii plurimi hoc repetebant. Quamquam vero nec Marcus nec Waddingus de fr. Bartholomaei publico professoratu quidquam loquantur, alii auctores ad augendum splendorem sui instituti, propriae scilicet universitatis, hoc asseruerunt, nullis allatis documentis.

Universitatis Pisanae fastos scribentes hoc recte vel in dubium vocaverunt uti Fabbroni[9], vel negaverunt uti

---

[1] AF IV, p. XIII, XXII. [2] Cf. AF IV, p. XIII; infra p. XXIV. [3] Hic nota 7.

[4] Infra p. CXIIIsqq. [5] Infra p. CXVII, l. 25sq. [6] Infra p. CXVII, l. 30sq.; hic nota 7.

[7] *Chroniche degli ordini instituiti dal P. S. Francesco... trad. dal Sig. Orazio Diola... corrett. . dal P. Leonardo da Napoli*, Napoli 1680, p. III, l. I, c. 8; vol. III, p. 14 «lesse in Bologna, in Padoua, in Pisa, in Siena et in Firenza».

[8] *Annales Ord. Min.* ad an. 1399, IX (IX², 159).

[9] *Historia Academiae Pisanae*, Pisis 1791, I, 56: « Non satis constare videtur, num inter Pisanos theologiae magistros numerandus sit Fr. Bartholomaeus Albitius, ex ordine Minorum. Is quidem clarus fuit Pisis, obiitque anno 1351 ». De falso hic dictis cf. p. XII; XXVII sqq.

Fabbrucci[1]; Cerrachini[2] autem professoratum ipsi tribuit in universitate Florentina, sed absque probationibus[3]. Nec nomen fr. Bartholomaei tanquam publici professoris legitur in fastis universitatis Senensis[4] nec Patavinae[5] nec Bononiensis[6].

Cum auctores modo allegati, aliique quamplurimi perperam duos fratres Minores homonymos, utrumque Bartholomaeum de Pisa nominatum, continue confundant, opus est denuo quaedam de hac controversia, caeterum iam ap. AF IV, p. VIII-XI clare decisam, subnectere, maioris claritatis gratia. Cuius confusionis historiam litterariam hic adumbramus, nonnisi praecipuos quosdam nominantes. In genere autem auctores isti a se invicem in rebus relatis dependent. Confusionis obnoxii fuerunt e nostratibus: Fr. Marianus Florentinus[7], Marcus Ulyssiponensis[8], Ro-

---

[1] Fabbrucci, Steph. M., *Excursio historica per subsequens vicennium ab eo primo tempore quo certior Pisanae Universitatis epocha constituta est,* ap. Calogerà, *Raccolta d'opuscoli,* XXIII, Venezia 1741, 1-66. P. 65: non agi de Barth. Albisio recte dicit, sed de Barth. de Rinonico, qui tamen (p. 66) potius apud suos docuisset.

[2] *Fasti teologali ovvero notizie istoriche del Collegio de' Teologi della sacra università Fiorentina,* Firenze 1738, p. 80-2. «*Bartolomeo Albizzi* (an. 1373).... *si ascrisse e s'incorporò all'università nostra nel 1373, essendo stato creato già maestro dal suo generale Tommaso da Frignano... come cavo da sicurissimo riscontro. Fu egli lettore nella insigne università di Pisa...*». Citat Franchinium (de quo p. XVI n. 4) et Terrincam (de quo XVI n. 3). Amandat etiam lectores ad suiipsius: *Catalogo generale de' teologi dell'excelsa università Fiorentina dalla sua fondazione,* Firenze 1725, p. 21, ubi eadem dicit, allegans quoque Rodulphium, (de quo XVI n. 1) qui tamen hac de re nil refert. Male certe arguit ex supposita illa «certissima notitia» Fr. Bartholomaeum anno 1373 fuisse creatum magistrum, cum hoc an. 1375 acciderit. Minus ergo certe valet aliud dictum de eiusdem professoratu Florentino pro quo nil allegat.

[3] Prezziner Giov., *Storia dell'Università di Firenze,* p. 40, idem repetit; exscribens Cerrachinium, Waddingum et Haroldum; eum citamus ex Follini, *Discorso,* [cf. op. cit. infra p. XVIII n. 11] 247 (19).

[4] Follini, l. c.

[5] Follini, 249 (21). Papadopolus, Nic. Com., *Historia gymnasii Patavini,* Venetiis 1726, (2 voll.); cf. I, 35 sqq.

[6] Follini, 248-9 (20-1). Minime nominatur ap. *Chartularium Studii Bononiensis,* I, Bologna 1909; Mazzetti, *Repertorio di tutti i professori di Bologna,* ibid. 1847; Sarti-Fattorini, *De claris archigymnasii Bononiensis professoribus* (saec. IX-XIV), ibid. 1769-71; etc.

[7] Cf. eius textum infra, p. XXIV et ap. AF IV, p. XII-XIII. Totum vero eiusdem *Compendium Chronicarum Fratrum Minorum* editum fuit ap. AFH I-IV, (et inde separatim Ad Claras Aquas 1911); cf. AFH III, 703.

[8] *Croniche* cit. l. III, c. 8, ed. cit. vol. III, 14-5. Ioannes a S. Antonio, O. M., *Bibliotheca universa Franciscana,* I, Matriti 1732, 181, 190 sq. male intelligens Franchinium ex Coronellio, [p. XVI n. 4; XVII n. 4] auctorem *De laud. B. M. V.* diversum facit ab auctore libri Conformitatum.

dulphius Tossinianensis[1], Gonzaga[2], Waddingus[3], Franchini[4], partim Sbaralea[5]. Inter scriptores Ordini extraneos, antiqui omnes bibliographi, (qui partim fr. Bartholomaeum Pisanum nostrum scil. de Rinonico, et fr. Barth. Pisanum Albisium, etiam cum fr. Bartholomaeo Pisano de S. Concordio, Ord. Fr. Praed.[6] confuderunt; Gesnerus (auctus a Simlero et Frisio)[7], Bellarminus[8], Possevinus[9], Fa-

[1] *Historiarum Seraphicae religionis libri III,* Venetiis 1586, fol. 311, qui de eo haec tantum habet: « B. Barth. Albisii Pisanus, scripsit 30 volumina ingentia et eo amplius, inter quae extat *opus* pulcherrimum *Conformitatum, super 4 Sententiarum, de laudibus Sanctorum, de casibus conscientiae de laudibus B. Virginis, de verbis Domini, librum Conformitatum B. Virginis cum Christo* et *Quadragesimale;* floruit anno 1380 ».

[2] *De origine Seraphicae Religionis Franciscanae,* Romae 1587, in-fol., p. 81; ed. II, Venetiis 1603, p. 78. Eius locus verbotenus cum Rodulphio concordat omittit tantum (forsan) simplici homoioteleuto: *de verbis — B. Virg.;* scil. voces: « de verbis Domini *et* libr. Conf. B. Virg. ».

[3] *Annales Ordinis Minorum,* an. 1399 n. VIII-IX; cf. infra, p. XXII sq. (IX², Romae 1734, 158-9); an. 1343 n. XXXIII (VII², 304-5); *Scriptores Ordinis Minorum,* Romae 1650, 48-9; ibid. 1806, 34; ib. 1906, 36-7. Haroldus, *Epitome Annalium Ordinis Minorum,* 2 voll. in-fol., Romae 1662, uti reipsa patet, Waddingi dicta ad an. 1399 n. VIII-IX compendiat: II, 1083 (an. 1399 n. 7). Etiam fr. Antonius Tognocchi a Terrinca, O. M. Obs., *Theatrum Etrusco-Minoriticum,* Florentiae 1682, 190-1, nonnisi Waddingum, Tossinianensem et Gonzagam exscribit nil novi addens vel de penu proprio. Item et Arturus de Monasterio, O. M., *Martyrologium Franciscanum,* Paris 1653, ed. II, p. 539-40; sub 4 novembr.; Hueber, Fort., O. M., *Menologium... Sanctorum... ex triplici Ordine... S. Francisci,* Monachii 1698, 2082, item sub 4 nov., et Bened. Mazzara, O. M., *Leggendario Francescano,* ed. III, Venezia 1722, XI, 27-8, ad 4 nov. De Ioh. de S. Antonio cf. XV not. 8.

[4] *Bibliosofia e memorie letterarie di Scrittori Francescani Conventuali che hanno scritto dopo l'anno 1585,* Modena 1698, 79-80, s. v. Bartol. Albicci da Pisa; paucis dictis de eius virtutibus, iuxta intentum suum eiusdem commemorat solummodo editionem Venetam 1596 libri *De laudibus B. M. V.* De qua infra p. CII sqq. Item et Benoffi, Fr. Ant., O. M. Conv., *Compendio di Storia Minoritica,* Pesaro 1829, 157. — De August. Superbo, cf. p. CXXIV.

[5] *Supplementum ad Scriptores Ordinis Minorum,* Romae 1806; IIª edit. ibid. vol. I (A-H) 1908; s. v. Barthol. Albisius: 109-111; 725; I², 114-117; s. v. Barth. de Rononico, 725; (Append.); I², 125. Alios auctores minores nostrates omittimus.

[6] De eo, cf. Quetif-Echard, *Scriptores ord. Praedicatorum,* I, Paris. 1721, 623-5; obiisse videtur 1347. Scripsit praesertim *Summam de casibus conscientiae,* quae *Summa Pisana* vel *Magistrucia* vel *Bartholina* dicitur, et fuit absoluta Pisis 1338 mense decembri. Inc. « *Quoniam ut ait Gregorius super Ezechielem* ». Saepe edita est; eiusque *Supplementum* scripsit Nicolaus Auximanus, O. Min., an. 1444 (l. c. 624; Sbaralea, 551). Scripsit praeterea: *De documentis Antiquorum,* vulgariter appell. *Ammaestramenti degli Antichi,* saepe edit.; *De Virtutibus et vitiis,* uti videtur, etc.

[7] *Bibliotheca instituta et collecta primum a C. Gesnero, deinde in Epitomen redacta.... et aucta per* Iosiam Simlerum *iam vero.... amplificata per* Ioh. Iac. Frisium, Tiguri 1583, p. 105.

[8] *De Scriptoribus ecclesiasticis, accessit dissertatio....* Ph. Labbe.... *insuper Supplementum,* Venetiis 1728, p. 483, an. 1335 s. v. Barthol. Pisanus, scil. de S. Concordio; ubi monetur lector, ne isti « Summam Pisanam » tribuat. Tunc in Supplemento, l. c. (cf. et p. 501) de Barth. Albisio tamquam auctore libri Conformitatum etc. breviter agitur, iuxta Waddingum, *Script.*, 48 (et Possevinum). Nil novi vel correctius additur.

[9] *Apparatus sacer,* I, Venetiis 1706, 182, s. v. Albici sive Albicij, ubi tantummodo Tossinianensem exscribit.

bricius[1], Oudinus[2], Nicéron[3], Marchand[4]; Encyclopaediae antiquiores in genere[5] ac moderniores[6] quoque, necnon et libri eruditi[7] et Scriptores[8] ad nostra usque tempora fratrem Bartholomaeum alium cum alio confundebant.

Sed neque scriptores patriae sive urbis sive regionis olim utrumque Bartholomaeum distinxere; immo confusionem auctam ex homonymo Ordinis Praedicatorum, Barth. Pisano seu de S. Concordio, magis auxerunt et ipsi. Ioh. Cinelli[9] modo suo tres illos auctores divisit univitque, Ant. M. Bi-

---

[1] *Bibliotheca latina medii et infimae aetatis,* Hamburgi 1734, 131-3; 149; ed I. D. Mansi, I, Patavii 1754, 50-1, 176. [2] *Commentarius de Scriptoribus ecclesiae antiquis,* III, Lipsiae 1722, 1175-80. [3] *Mémoires pour servir à l'histoire des hommes illustres dans la république des lettres,* XXXVI, Paris 1736, 139-150, s. v. Barthelemi Albizzi.

[4] *Dictionnaire historique ou mémoires critiques et littéraires concernant la vie et les ouvrages de divers personnages distingués,* I, à la Haye 1758, 3-10. Iudiciis a Marchand prolatis abreptus fuit etiam Tiraboschi, Gir., *Storia della Letteratura italiana,* V, Roma 1783, 158. In aliis editionibus, v. gr. Venezia 1823, t. V, part. I, 244, adiecta fuit nota confusionem utriusque Bartholomaei clare pandens, et promittens de Pisano mox publicatum iri *Elogium* auctore P. Ant. Fel. Mattei, O. M. Conv., Quod elogium in lucem prodiisse nequaquam videtur (cf. infra p. XXVIII n. 6) quamquam plura alia Elogia vulgavit P. Mattei; cf. Moreni, Dom., *Bibliografia storico-ragionata della Toscana,* II, Firenze 1805, 56-7. Cf. et Follini, *Discorso,* 234 (4). — Ob operis naturam hic commemoramus etiam Vinc. Coronelli, O. M. Conv., *Biblioteca universale sacro-profana antico-moderna,* V, Venezia 1704, 462-3; cf. ibid. II, 1702, 633.

[5] Cf. v. gr. Moréri, *Le grand dictionnaire historique,* II, Paris 1743, 69. *Biographie générale,* Paris 1811, s. v.; versio ital. *Biografia universale,* I, Venezia 1822, 447-8, s. v. Albizzi. *Nouvelle Biographie générale,* I, Paris 1854, 640-1; dissertatio plus ceteris scatens mendis, s. v.

[6] V. gr. *Kirchenlexikon,* ed. II, I, Freiburg i. Br. 1880, 441-2, s. v. Albizzi, Barth. auct. Fr. Stanonik; immo et ap. Vacant, *Dictionnaire de Théologie Catholique,* I, Paris 1903, 687, s. v. Albizzi, Barthél. (auct. B. Heurtebize, O. S. B.) et ap. *Kirchliches Handlexikon,* I, München 1907, 117 et 982. Sub vero nomine de eo tractatur ap. *The Catholic Encyclopedia,* I, New-York 1907, 316, auct. Fr. Paschali Robinson, O. F. M., qui usus est praefatione nostra in AF IV. De *Actis SS.* nov. II, 214, cf. infra, p. XXIX n. 2.

[7] V. gr. Chevalier, *Répertoire des sources hist. moyen âge: Bio-Bibliographie,* tom. II, ed., I, Paris 1905, 119-20; H. Hurter, *Nomenclator literarius Theologiae Catholicae,* ed. III, tom. II, Oeniponte 1906, 760-2; cf. 612; ed. II, ibid. 1899, IV, 632-3 etc. etc.

[8] V. gr. Faloci-Pulignani, Mich., *Il liber Conformitatum del P. Bartolomeo da Pisa,* ap. *Miscellanea Francescana* (MF), VIII, Foligno 1901, 136-148. Huius dissertationis, iisdem cum mendis etc., maxima pars gallice prodiit: *Le Liber Conformitatum de Barthélémy de Pise,* ap. *Etudes Franciscaines,* X, Paris 1903, 612-9; cf. AF IV, XXIV nota 2. — Accurate de opere Pisani disseruit Sabatier P., *Vie de S. François,* Paris 1894, [saepius reimpressum, ibid.], CXIV-CXX. Item et Golubovich, Hier., O. F. M., *Biblioteca bio-bibliografica della Terra Santa e dell' Oriente francescano,* I, Quaracchi 1906, 71-6. Minime expedit omnium scriptorum de opere vel auctore isto iudicia, modo iusta, modo et quidem in genere severiora hic accumulare, quoniam longe saepius opus istud iudicatum quam lectum est.

[9] *La Toscana letterata ovvero istoria degli scrittori toscani,* MS. Bibl. Magliabecchianae (modo in Bibl. Nat.) Florentiae, sign. IX, 68, p. 219-20: allegat Labbe (v. p. XVI nota 8) et

scioni[1] Cinellium partim (non bene tamen) correxit, fr. Barth. Pisanum nostrum confundens cum quarto quodam homonymo, medico scilicet Bartholomaeo Pisano[2]. Utrumque fratrem Minorem permutaverunt etiam Cardosi[3], Fabbroni[4], Fabbrucci[5], Cerracchini[6] aliique.

Attamen Tronchi[7], iam ante hos auctores, monuerat duos istos, Bartholomaeum videlicet Albisium alterumque de Rinonico, esse *distinguendos*, quod clarius et melius postulaverant quoque Tempesti[8], et Nicol. Papini, O. M. Conv., uno in loco[9] breviter quidem, altero vero fusius[10] rem exponens. Quaestionem ample, licet nova documenta etc. non afferret, pertractaverat prior atque primus Vinc. Follini[11] qui tamen a posterioribus nimis neglectus fuit.

Tossinianum (p. XVI n. 1). Pag. 232 Bartholomaeum Ordini Min. Observ. adscribens, « detto l'Illuminato » eum nominat, ei tribuens *De documentis antiquorum* (p. XVI n. 6) et Librum Conformitatum. [1] *Giunte alla Toscana letterata del Cinelli,* MS. ibid., sign. IX, 71, tom. III, B., pag. 519, 521, 529-30.

[2] MS. cit. III, B, 519. Erat medicus Senis, saeculo XV; scripsit *Epitoma Medicinae,* s. l., a. et typ. n. Cf. Hain, *Repert. bibliogr.*, n. 2531; Copinger, *A supplem. to Hain,* n. 2531. etc.

[3] *Memorie sacre delle glorie di Pisa, con un breve compendio delle vite dei Santi e Beati della città e suo distretto raccolte da Pietro Cardosi* (1675); MS. ibid. sign. II, III, 170, [Cl. XXXVIII, Pl. 4 cod. 20] pag. 417-9; cf. II, III, 171, pag. 596, 597, 598. — Alia copia, cf. XXIX n. 4.

[4] *Historia Academiae Pisanae,* I, Pisis 1791, 56. [5] *Excursio historica,* l. c. [supra XV n. 1] 66; Follini, (infra nota 11 cit.) 240 (12). [6] *Fasti Teologali* cit. [supra XV n. 2], p. 50.

[7] *Memorie istoriche di Pisa,* Livorno 1682, p. 490s., ubi nostrum nominat « Bartol. de Rinonicchi », citat etiam Waddingum, ad an. 1399. Pro altero, scil. Barth. Albisio remittit lectorem ad an. 1355 operis sui, ubi tamen de ipso nihil in ed. cit., ñeque in alia editione: *Annali Pisani di P. Tronchi rifusi, arrichiti di molti passi e seguitati fino all'anno 1839 da* E. Valtancoli Montarino, etc., Pisa 1868. — MS. Philippi Senesi quondam causidici Fulginatis, in *Biblioth. Angelica* Romae, n. 1838: « *Illustrazione dei codici contenenti il Liber Conformitatum del P. Bart. da Pisa ed appunti bibliografici sulla stampa* », nequaquam continet quae titulus promittit, quia tantum de *Codice nostro Assisiensi* (AF IV, p. XXVII) agit, obiter commemorans codicem P. *Irenaei Affo* (infra, p. LIX l. 20-3). Cf. *Misc. Franc.*, VII, 129. — De *MS. Divionensi* cf. p. CXXIV.

[8] Cf. AF IV, p. VII not. 1. Tempesti, *Discorso accademico sull'istoria letteraria Pisana,* Pisa 1787, 38-9: agit de Barth. Albisio; p. 40-1: de Barth. de Rinonico.

[9] In editione (posthuma) *Supplementi* P. Sbaraleae, Romae 1806, p. 725 (I², 116); cf. ipsius Papinii *Notizie sicure della morte, sepultura e canonizazione e traslazione di S. Francesco d'Assisi*, Firenze 1824, num. XVIII, p. 168-72; ed. II, Fuligno 1824, 167-72, ubi tamen de auctore non disputat. *La storia di S. Francesco d'Assisi,* II, Fuligno 1827, 247-8.

[10] *Index onomasticus Scriptorum Universae Familiae Franciscanae* (an. 1828 absolutus); MS. In-fol. absque pag. numeratione, in Bibl. Nat. Florentinae, II II, 181, s. v.: « Bartholomaeus Rinonicus Pisanus », per 6 paginas, quas (pro commodo) numeramus p. 300-5; et s. v.: « Barthol. Domini Albizi de Vico » 4 pagg., quas 250-3 item numeramus. Notatur hoc MS. AF IV, p. VII, n. 1; p. XXIII, n. 2.

[11] *Discorso sull'opera delle conformità di S. Francesco con Gesù Cristo di Fra Bartolomeo da Pisa, letto nella Società Colombaria da Vincenzo Follini, nella detta Società l'Ingemmato, la*

En summa expositionis Vin. Follinii, praesertim auctores Pisanos etc. supra iam a nobis citatos, allegantis. Fr. Barth. Albizius obiit 1351, teste eius epitaphio, 234 (6): quod Waddingus male corrigendum censuit in 1401 [1], quia, ait Waddingus, secus iste Fr. Albitius, qui tamen 1399 adhuc vivebat, ultra annos 130 vixisset, 235 (7). Haec vero longaevitas eodem iure obsistit ipsi vivo adhuc anno 1399; unde Albitius, qui iam 1347 praedicator celeber fuit, distinguendus est ab alio Barth. Pisano, qui revera auctor libri Conformitatum fuit, et iuxta Trinci (*Annali*, cit., 490) Barth. de Rinonicchi vocabatur, 237ss. (9ss.). Familiae « de Vico » et « de Rinonico » diversae fuerunt 241s. (13s.) Barth. Albitius nec magister nec professor theologiae fuit, sed sanctitate vitae praestabat, 242s. (14s.). Huic ergo illa omnia spectant quae de sanctis moribus, amore paupertatis etc. narrantur a Waddingo de Barth. Albitio, (licet sic nominet Bartholomaeum de Rinonico). Sed nec Barth. de Rinonico professor publicus theologiae fuit in universitatibus Italicis, 246 ss. (18ss.). Deinde, 249-257 (21-29) summatim de operibus huius agit, cui tamen perperam tribuit quoque Vitam B. Gerardi de Valentia, hac in re utrumque: Albitium et Rinonicum, confundens et ipse Follinius, 253 (25).

Papinius [2] vero, qui item Bartholomaeum utrumque Pisanum distinxit, haec de Bartholomaeo Albisio habet:

« Bartholomaeus Albisius, inquit Waddingus, sed minus ad rem, non cognomine *Albizius* sive de *Albizis* fuit, verum filius *Domini Albizi, domini Petri de Vico;* et hoc erat cognomen eorum familiae, Pisis equidem conspicuae ex progenie nobilium de Vicecomite seu Vicecomitum vulgo Visconti, qui aliquanto tempore patriae dominationem obtinuere... ». Albitius pater ipsius in fastis Pisanis... an. 1329, licet longaevus, ad papam fuit missus a rectore Pisarum, comite Bonifacio de Gherardesca... Frater vero ipsius an. 1381 professor legum fuisset Pisis... « Fuerat et erat iterum patrii conventus guardianus anno 1342, quo sacellum seu altare in honorem S. Ludovici Episcopi Tolosani... erigere curavit. Altaris tabula depicta fuit a Taddeo Gaddi; exprimebat autem praefatum sanctum antistitem, cui B. Gerardus (non ille de Villafranca Florentiae et Tertii Ordinis uti scribit Vasarius [3], sed de Valentia ad Padum in Pedemontio, adhuc in vivis apud nos Panormi) exhibebat et commendabat infrapositum, apparentemque ab humeris et sursum Bartholomaeum Guardianum ».

---

sera del dì 27 gennaio 1816; quae dissertatio prodiit ap. Inghirami, *Nuova Collezione di opuscoli e notizie di scienze, lettere ed arti,* I, Firenze 1820, 229-258, indeque seorsum sine titulo, etc. (ibid. 1820) 30 pp.; cuius alterius editionis paginas inter parentheses ( ) adiunximus. Cf. etiam AF II, 582. Qua oratione usus, apte quoque utrumque, quin tamen novi quid adderet, distinxit Panfilo da Magliano, M. O. R., *Storia compendiosa di S. Francesco e de' Francescani,* II, Roma 1876, 581: de Barth. Albicio; 582-3: de Barth. de Rinonico.

[1] Cf. tamen, p. XXII, l. 35 et nota 13. [2] *Index onomast.,* 250-3.

[3] Vasari, G., *Le vite de' più eccellenti pittori* etc. ed. G. Milanesi, I, Firenze 1878, 571-91. Ibi 575-6, de « capella maiore » aedis S. Francisci Pisis, quam pro Gerardo et Bonacorsio Gambacortis picturis ornavit Thaddaeus Gaddi (c. 1300-1360). Sub pictura approbationem Regulae S. Francisci effingenti (p. 576) legitur ista confecta: « *A. D. MCCCXLII de mense augusti* ». « Nel mezzo della chiesa, quando s' entra, a man manca [sinistra, Th. Gaddi depinxit] un S. Ludovico, vescovo, a sedere, al quale San Gherardo da Villamagna [!], stato frate di quell' ordine, raccomanda un *fra Bartolomeo,* allora guardiano di detto convento. Nelle figure della quale opera, perchè furono ritratti dal naturale, si vede vivezza e grazia infinita etc. ». In nota Milanesi addidit (iuxta alios): Ille fuit fr. Bartholomaeus... auctor Conformitatum; confundens Albisium cum Rinonico. (Vasarius vixit 1512-1574). De hac pictura cf. etiam Venturi Ad., *Storia dell' arte italiana,* V: *La pittura del Trecento,* Milano 1907, 538 sqq. Cf. infra p. XXIII, nota 4.

Refert dein devotionem Pisanorum ad B. Gerardum, quae crevit, cum an. 1347 a fr. Laurentio Panormita, socio B. Gerardi (qui 1342 Panormi obierat), os ipsius brachii in S. Francisci aede Pisis collocaretur [1], in hoc partem habente magnam fr. *Bartholomaeo Albicii*... qui B. Gerardi postmodum *vitam* scripsit [2]. « An praeter vitam B. Gerardi protulerit alia, definiri nequit. Mihi arridet ei quoque tribuere *Sermones quadragesimales*, incip.: *Cum ieiunatis* [3] ac *Summam de Casibus Conscientiae* [4], (si tamen est alia a praecitatis *sermonibus quadragesimalibus*, quod non videtur P. Sbaragliae [5]) et *Summam de Vitiis*, quam invenit P. M. Franc. Ant. Benoffi [6]. Quoad *Summam de casibus conscientiae* observandus est annus 1338, quo confecta dicitur in codice [7] nec attendendus P. Sbaraglia, qui falsa suppositione ludit [8] ».

« Diem extremum obiit fr. *Bartholomaeus Domini Albizi de Vico* die 10 decembris anni 1351, sepultusque fuit seorsum in nostra ecclesia Pisis sub marmore, cum brevi epigraphe talia innuente. Qui confundunt hunc cum altero, defuncto an. 1401, et de duobus fingunt unum, dicunt erasse quoad annum litterarum incisorem et posuisse L pro C. Apage nugas! Nefas est adeo bardos, stolidos, stupidosque credere et caenobitas et cives, ut mendum non adverterint vel emendare nequiverint, quod perfacillimum [9] ».

De Bartholomaeo de Rinonico autem haec refert idem Papinius.

Istum « cucullatum » censet circa an. 1351, vivo forsan adhuc Barth. Albicio, qui proprium ipsi nomen forsan imposuisset, « ut sibi faceret successorem », quod tunc moris fuisse asserit, sed non probat. Forsan erat germanus frater « Ser Conradi de Renonichis » quem Tronchi [10] commemorat. Post studia « encyclopaedicus » factus, cathedras ascendit inter septa Fratrum et publice; an. 1373 universitati Florentinae accensetur [11]; 1376 a Thom. Freniani magister declaratur; Professor erat Pisis et Florentiae [12]. Anno 1384 scripsit opus *De Conformitate B. M. V. ad Christum* [13].... Anno 1385-89 [14] *opus Conformitatum S. P. Francisci ad I. Christum*... Praeterea ei tribuit « *Commentaria in Universam Theologiam,* [15].... *Laudes Sanctorum* [16]; an. 1398: *Quadragesimale de contemptu mundi* [17] ». Referunt, ait, eum obiisse 10 dec. an. 1401, scil. iuxta stylum Pisanum, unde nobis esset an. 1402 [18].

---

[1] Cf. Wadding, an. 1343 n. XXX (VII², 303).

[2] Cf. infra p. CI sq.

[3] Sunt vero alterius Bartholomaei; infra, p. CXIII sqq.

[4] *Summa de Casibus*, a Papinio designata, uti ex postea dictis et praesertim ex anno *1338* claret, certe est illa Fr. Barthol. de S. Concordio, O. Praed.; cf. p. XVI, n. 6.

[5] *Supplem.*, 111 (I², 116), et non recte quidem.

[6] Ubi, et quaenam sit, ignoramus; de ea nihil habet Benoffius in suo *Compendio*, 156-7. De MSS. Benoffi cf. p. LIV, not. 2; LX, n. 1.

[7] Non quidem in uno illo a Sbaralea, l. c., allegato, sed in innumeris MSS. istius operis.

[8] L. c., ubi circa annum 1338 quo *Summa de Casibus* conscripta fuit, liberius coniecturando falso opinatur eam esse forsitan scriptam non 1338, sed 1368 vel 1438. — Ipse etiam Papinius quoad auctorem Summae falsa ludit opinione. Paucis ab hic annis Faloci ap. *Misc. Franc.*, XII, 1910, 54, *Summam de Casibus hispanice,* Coria, a Barth. de Lila circa 1489 editam, Bartholomaeo Pisano O. Min. denuo falso tribuit.

[9] Si supponis epigraphen coaevam vel saltem supparem. De eius vero epocha nil constat; cf. supra, n. XII; infra, XXIX. De eius anno emortuali, cf. p. XXVII sqq.

[10] Supra, p. XVIII, n. 7.

[11] Supra, p. XIV.

[12] Item; tamen p. XIV sq.

[13] Immo 1382; cf. p. CII sqq., CX l. 52-5.

[14] Legas: *an. 1385-90;* cf. p. XXIV sqq.

[15] Cf. p. CXXIII.

[16] Cf. p. CXXI sq.

[17] Cf. p. CXIII, l. 10.

[18] Immo nobis 1400, non autem 1402. Cf. p. XII, et XXIX.

Postea de libro *Conformitatum* dicit: « Opus aureum [1] appellare ne dubites, quod pertinet ad primam partem; theologus summus, scotista quidem, sed non iurans in verba magistri et veritati serviens, ubi ratio suadet; interpres S. Scripturae et Patrum etiam mysticus, opportune tamen et ad sobrietatem, historicus Evangelicus non volitans sed ungue facta tenens, Christum Dominum, *mare magnum et spatiosum manibus* [2] securus navigat, quidquid blateret Erasmus Alberus [3]; at quoad secundam partem certe non item, arte [304] carens critica [4], quae historiae est acus magnetica et nautica pyxis. Fateor, inquit P. Ubaldus Tebaldi, custos Archivii nostri Sacri Conventus Assisii [5], in prolixa eruditaqua epistola ad Bollandianos PP., quam aliquantulum sero adventam dolendum est non integre profuisse B. Francisci vitae proxime tunc prelo committendae, fateor in suo *Conformitatum* libro Pisanum plurimos habere naevos [6], sed culpa partim sua, partim aliena; sua dixi, nedum quia aliqua vel de suo addidit [7] vel pro sensu suo exposuit, quae modo sustineri nequaquam possunt; sed quia etiam plura ab aliis conficta et de scriptis apocryphis hausta, omisso prorsus necessarii cribrii usu [8], in opus suum congessit: aliena vero, quia opus in hactenus editis magna ex parte et ultra quam credi potest, corruptum est [9], me quidem teste, qui plures impressa cum manuscriptis hoc in Archivio asservatis contuli diligenter [10], ita ut ipsum meliorem certe sortem apud eruditos experturum crederem, si ab innumeris preli mendis expurgatum ad manuscripti fidem rursus excuderetur. His tamen non obstantibus, a doctis viris immerito quandoque vapulat Pisanus etc. ».... (Tunc usus dictis P. Tebaldii eum defendit circa ea quae de Iohanne Constantinopolitano imperatore refert [11], de occursu B. Aegidii cum S. Ludovico I rege Franciae [12]).

Postea ipse Papinius prosequitur [305]: « Etiam codices passim corrupti plus minus deprehenduntur, certe librariorum incuria vel inscitia vel praesumptione, de quibus vide Lamium in op. *De eruditione Apostolorum* [13] et alibi ». Plura in MSS. interpolata esse etiam post [14] 1405 dicit. « Bartholomaei autographum [15], ubi sit ignoramus, exemplarium tamen epocham quae inde scripta fuere, noscimus ex superadditis post auctoris mortem... Est exemplar Assisii mutilum penes eruditum virum [16], equidem exaratum post annum 1405, cum in eo legatur Petrus Philargus [17] Cardinalis, eo anno electus; exemplar vero conventus nostri Diruti post annum 1409 certo certius scriptum fuit, quia idem Philargus nominatur Papa. Ecquis nescit electum dicto anno? Quid quod recentes

[1] Notes hunc titulum ei inditum fuisse tantummodo in editione III. Cf. p. LXVIII; cf. LXIV.

[2] Ps. 103, 25. [3] Cf. infra, p. XC sqq. [4] Acrius certe iudicat Papinius, uti notae criticae editionis nostrae abunde demonstrant. [5] Item hic severius iudicat.

[6] Ecquis liber adeo prolixus, quaeque compilatio sic congesta eis carere quit?

[7] Hanc hypothesim notae editioni nostrae appositae apte confundunt.

[8] Hoc item notae eaedem falsum ostendunt.

[9] Exaggeratio prorsus vana et falsa. [10] Sed plura MSS. vix ei suppetebant

[11] Recte etenim Pisanus refert AF IV, 347, etc., Iohannem imperatorem habitum S. Francisci induisse; cf. l. c. et Salimbene, *Cronica*, ed. Parm. 1857, 17; ed. Holder-Egger, ap. *Mon. Germ. Hist. Script.*, XXXII, 44. Cf. Golubovich, l. c. I, 131 sqq. 138 sqq.

[12] Hunc occursum ex fonte suo item retulit Pisanus, scil.: *Actus B. Francisci*, c. 46.

[13] Opus editum Florentiae 1738 et denuo 1766; in quo tamen nihil de opere nostro.

[14] Recte: non plura sed pauca; cf. infra p. L sqq.

[15] De quo cf. infra, p. XLV sqq. [16] Cf. infra, p. XLV, nota 2.

[17] Additamentum de Petro Philargo de Candia, O. F. M., Cardinali et Papa plures codices habent, itemque editiones; cf. AF IV, 346 nota *b*. Infra, p. LI sqq. Petrus nominatus fuit archiepiscopus Mediolanensis 1402, 17 maii; creatus fuit cardinalis ab Innocentio VII, 1405, 12 iunii; electus fuit Alexander Papa V Pisis 1409, ian. 26; obiit vero Bononiae iam 1410 maii 3. Cf. Eubel, *Hierarchia*, I, 25, 31, 348. Eubel, *Bull. Franc.*, VII, 410-28. Waddingus, *Annales*, ad an. 1386 n. III, 1402 n. XIII, 1405 n. XII sqq., 1409 n. I sqq. — Cf. Sbaralea, 725; I[2], 115.

sensa sua publicarunt ac si essent Pisani, verba quoque afferentes, non vera tamen sed adulterina vel ab ipsis suo libito apposita [1], fide plus quam punica ». Dein libri Conformitatum editiones enumerat iuxta Waddingum [2] et Feller [3], etiam Venetam s. l. et a. recensens, quae tamen et recte commentitia videtur [4]. Neque compendiatam illam « Coloniae 1623 » proditam tacet [5], nec versiones prorsus commentitias gallicas, germanas, belgicas, et hollandicam [6] anni 1524 (!) Leodii factam cum additionibus, quas « libenter (ait) noscerem ».

Post locos istos in medium prolatos, iuvat quoque illa hic subicere lectorum oculis, quae W a d d i n g u s [7] de fr. Bartholomaeo de R i n o n i c o habet.

VIII. « In his etiam Comitiis [8] produxit opus suum de C o n f o r m i t a t i b u s fr. Bartholomaeus Pisanus, in quo, magno labore, multis undique collectis argumentis, voluit ostendere, S. Franciscum per universum vitae curriculum Christo nostro Redemptori fuisse conformem. Multa sane utilia et quae lucem nostris attulere Historicis bona fide congessit, rudi tamen stylo, et confuso rerum ac temporum ordine, suo tamen instituto accommodo. Non omnia omnes, maxime critici et delicatuli ingenii viri probant: eo tamen candore et sinceritate ille scripsit, ut iniurius sit, qui quidpiam ab eo commentum aut effictum esse submurmuret. P r o b a r u n t l i b r u m Patres in Comitiis congregati, quibus examinandum et discutiendum ille commisit, uti ex ipsius epistola et altera Ministri Generalis reliquorumque virorum istius consessus operi praemissis [9] apparet. Illis gratum fuisse opus, ingenti et singulari in eum collocato dono testificati sunt: ultra enim immensas gratias, quas litteris et verbis reddiderunt, Minister Generalis ex totius Capituli assensu dedit ei h a b i t u m integrum, quo utebatur S. F r a n c i s c u s: dignum quippe iudicarunt, ut qui qualis fuerit Franciscus exacte descripsit, Francisci exuviis donaretur. Ita certe piis muneribus vel religiosis honoribus aut aequis subsidiis excitari oporteret varia et nobilia Ordinis ingenia, ad honorificos subeundos labores quibus summopere illustrari posset religio; calcaria namque addit virtuti spes praemii, et nullus est quamtumvis humilis, quem a labore non retrahat ingratitudo. Porro Bartholomaeus reverenter et gratanter donum admisit, quo maius, saltem sibi mage carum, dari non posse iudicavit, illudque P i s a s asportavit, ubi pretiosa theca ingenti populi applausu reconditum i n h a n c d i e m m a g n a s e r v a t u r v e n e r a t i o n e...

IX. Virtutibus et miraculis illustris paucos post annos obiit Pisis, in senectute bona, circa annum MCCCCI, *uti scribit Marianus* [10], neque enim ultra hoc tempus eius vita protrahenda videtur. Quippe qui anno MCCCXLVII erat insignis concionator [11]; et scripsit, uti alias diximus [12], vitam B. Gerardi. Quare c o r r i g e n d u m venit illud eiusdem e p i t a p h i u m, quod dicunt incisum [p. 159] marmoreo sepulcro ad cornu Evangelii, ad aram maiorem [13], ubi obiisse dicitur anno MCCCCLI [14] die X decembris et substituendum anno MCCCCI. Aliter vixisse oportuit ultra annos centum et triginta.

[1] Fecit hoc editor scil. Editionis III anni 1590, et qui illis additamentis usi sunt tamquam genuina. Cf. p. LXIX sqq. [2] Cf. infra LX sqq.

[3] In celebri suo *Dictionnaire historique,* Paris 1781-4, 6 voll., deinde saepius editum, ultimo: Paris 1867, 8 voll. Cf. v. gr. eiusdem versio ital. *Dizionario storico,* I, Venezia 1830, 151; s. v. Albizzi. [4] Cf. infra p. LX sq. [5] Cf. p. LXI n. 2. [6] Sunt tantum versiones *Alcorani* Alberi, cf. p. XCV sq. [7] *Annales,* an. 1399 n. VIII-X. [8] Scil. Assisii habitis an. 1399; cf. infra, p. 503-4, et AF IV XXIV. [9] Alii codices epistolam operi praemittunt; alii eam ipsi postponunt; cf. eas, locis cit. [10] Cf. AF IV, p. XIII; infra, p. XXIV l. 6 sqq.

[11] Hoc sat clare deduci potest ex Vita B. Gerardi de Valentia, an. 1347 scripta, verum non ab h o c sed ab a l t e r o Pisano, Albisio scilicet. Infra, CII sq. [12] Scil. *Annales;* ad an. 1343 n. XXXIII (VII [2], 305). [13] Falsum hoc est; cf. XXIX not. 1. [14] Sic; sed perperam. Cf. p. XII l. 3 sqq. Follinius, 236 sq. (8-9), aliique erronee h i c legerunt MCCCLI (1351).

Filius fuit Domini Albici de Rivonico et in adolescentia Minoribus nomen dedit. Virtutibus et studiis solerter se exercuit, et tantum inter suos consodales consecutus est opinionem, ut ad docendos alios[1] evocatus sit Bononiam, Patavium, Pisas, Senas et Florentiam, quibus in locis sacram Theologiam summa cum laude professus est. Non minorem assecutus est famam in sacris declamationibus, quibus ab anno MCCCXLII[2] usque ad vitae terminum per annos sexaginta potenti virtute plurimos ad Christi fidem et meliorem frugem convertit. Tanta fide paupertatem voto firmatam servabat, ut nec in scribendis concionibus aliisve opellis deperiri chartam vellet et proinde magna ex parte scribebat in pugillaribus seu tabella, aut membrana delebili, ut prioribus, quibus iam usus erat, erasis, nova posset inducere[3]. Cum Pisis apud suos consodales nobile tablinum, quod vulgo vocant claustrum, construeretur[4] sumptuosiori opere quam quod pauperes deceat, domum implebat querelis, et vociferans dicebat: « Heu sancta paupertas, ita nos dereliquisti! Quo recessisti a nobis, ut te persequar? Structura ista a tuis regulis longe recedit. Qui praevaricantur abs te, in suam moliuntur perniciem ». Haec toties repetiit, tantumque egit apud superiores, ut oportuerit opus intermitti. Unica tunica rudi, brevi et panniculosa usus, absque sandaliis incedebat, etiam in peregrinationibus, quas singulis annis suscipiebat, Assisii salutaturus limina S. Francisci, et in monte Alvernae locum quo Christi Stigmatibus fuerat insignitus. — X. Tantam assecutus est sanctitatis opinionem, ut urbibus per quae transibat, Florentiae praesertim, turmatim ad eum concurrerent, personam veneraturi et vestem osculaturi.[5] Multa vivens patravit miracula, quorum aliqua ipse scribit in vita beati Gerardi[6]... ».

Quae miracula apertissime erant Fr. Bartholomaei Albisi, minime vero auctoris libri Conformitatum, scil. Bartholomaei de Rinonico. Quae vero *singulae* virtutum laudes modo celebratae huic vel priori Bartholomaeo reapse spectent, definiri vix potest, quamvis aliquae laudes cum

[1] Cf. p. XIX sqq. [2] Hoc anno guardianus erat; verum non hic, sed alter Barth. Pisanus, scil. Albisius. Cf. p. XIX, l. 24; infra n. 5; p. CII, n. 2. [3] Quod non verisimile videtur pro auctore qui tot volumina grandia compilavit, quique eadem, v. gr. librum *Conformitatum,* AF IV, 3, 16 ss., et *Vitam Mariae Virg.* figuris arboris, hancque picturis quamplurimis ornari voluit; cf. infra p. CXI, l. 23 sqq. Magis credibile est relate ad Albisium.

[4] De conventu Pisano O. F. M. cf. Marchi, Giul., O. M. Conv., *La Capella del Capitolo di S. Bonaventura in Pisa,* Firenze 1906, (in-8°, 42 pp.); Waddingus, ad an. 1244 n. XXI (III², 106-7); 1399 n. XXIV (IX², 190-1); M. Bihl, ap. AFH I, 652-5. — Quo anno hoc tablinum constructum sit, ignoramus. De picturis anni 1342, quo Barth. Albisius guardianum ibi egit, et picturas certe promovit, cf. supra, p. XIX l. 29 sqq. Amplum Capitulum anno 1390, april. 20 concessum est Laurentio Ciampolini eiusque heredibus, quique illud ornamentis, sedilibus atque picturis mox adornari fecit a Nicolao Petri (Niccolò di Pietro), artifice florentino. Morrona, *Pisa illustrata nelle arti del disegno,* II ediz., 3 voll., Livorno 1812, III, 46-90; 55 sq. Anno 1300 murus faciei ecclesiae completus est marmoribus etc. Iam circa an. 1340 aliae capellae etc. ecclesiae diversis familiis concessae fuerant, quae eas exornare expensis suis curaverunt. Ann. 1391 et 1395 aliae picturae additae fuerunt; l. c. 60.

[5] Utique ob miracula quae patrabat, praesertim intercessione et reliquiis B. Gerardi (agitur ideo de fr. Albisio), quaeque narrant Waddingus, an. 1399 n. X, et an. 1343 n. XXXI sq., atque *Chronica 24 gener.,* ap. AF III, 495-6, ubi vocatur « *fr. Barthol. domini Alberici* ». Cf. AF IV, 301.

[6] Cf. de hac, quam Waddingus, auctor *Chron. 24 gener.,* l. c., et auctor libri *Conformitatum:* AF IV, 297 sqq., prae manibus habuerunt, p. CI sq.

quibusdam ab auctore libri Conformitatum dictis [1] bene conveniant.

Pro lectorum commodo textum fr. Mariani Florentini [2], et quidem aliquatenus correctiorem, hic quoque [3] subnectimus.

Sexagesimum Capitulum Generale celebratum est Assisii anno 1390 [4], Ordinis vero 182; per fratrem Henricum Generalem, in quo Capitulo Magister Bartholomeus Pisanus presentavit librum de *Conformitatibus Beati Francisci*, quem nuper ediderat.

Hic frater Bartholomeus, Sacre Theologie Magister et magnus predicator, vir utique devotus et sue professionis zelator precipuus fuit et plurimos a demonio obsessos liberavit [5], et alia miracula fecit [6]. Scripsit enim multa, videlicet: *Librum de gestis et dictis Salvatoris.* Item, *opuscula de passione, de resurrectione et de ascensione Domini.* Item, opus quod *Mariale* appellavit Item, *de vita et laudibus apostoli Pauli,* magnum et pulcherrimum volumen. Item, *librum de vita et laudibus Sancti Benedicti,* per meditationes et fructus procedens, in duas partes divisum. Alium etiam composuit *de laudibus et vita Sancti Dominici.* Item, alia opuscula et *vitam et miracula Beati Gerardi de Valentia* [7], et *Sermones* multos, tam quadragesimales quam de Sanctis per totum annum [8].

Quibus annis liber Conformitatum compositus fuerit (an. 1385 -1390). — Plures leguntur in decursu operis Conformitatum notae chronologicae, quae tempori, quo liber conscriptus fuerit, circumscribendo plus minusve apte inserviunt [9]. Clare vero tempus istud iam definitur ex illis notis chronologicis, quae in initio atque in fine plurium Codicum [10] libri huius proferuntur. “ *Incipit opus, quod intitulatur de Conformitate vitae b. Francisci .... editum* [11] *.... anno Domini MCCCLXXXV* „.

[1] Cf. v. gr. quae contra conventuum sumptuositatem dicit, infra, p. 107 sqq., et AF IV, 535; de habitibus, ibid. 396; et generatim in Regulae expositione, quae tamen rigida nullatenus dici potest. Cf. et infra, 502-3.

[2] Ex eiusdem: *Compendium Chronicarum Ordinis Fratrum Minorum,* quod interim prodiit, nobis edentibus, ap. AFH I-IV, ib. III, 703.

[3] Est ap. AF IV, p. XII sq.

[4] Legas an. *1399*. Error gravis fr. Mariani; cf. infra, 503-4; AF IV, p. XII, XXIV.

[5] Non iste sed Barth. Albisius; cf. p. XXIII, n. 6; p. XXIX.

[6] Item.

[7] Item; cf. infra p. CI sq.

[8] Haec ex Mariano repetiit Marcus Ulyssiponensis, *Chroniche,* III, 15 « *compose... un trattato della passione,... il Mariale delle laudi di Maria Vergine... uno della vita e perfettione di San Domenico...* ». Hic posuimus sola opera in quibus indicandis aliqualis diversitas inter Marcum atque Marianum intercedit.

[9] Quaestionem perstrinxerat paucis, usus solis duobus codicibus Vaticanis: lat. 7600 et Urbin. 397-398, Ed. Alenconensis, O. Cap., *Date de composition du livre des Conformités,* ap. *Etudes Franciscaines,* XII, 1904, 90-2. *Explicit* alterius codicis (in fine libri III) cum editione nostra, infra, 503, penitus concordat; deest vero in cod. priore.

[10] Cf. AF IV, p. XI, XXV sqq. — Infra p. XLIX, (LIII), LVI sqq.

[11] Apparet ergo *editum* hic significare scriptum.

— Subscriptio autem operis [1] accuratius etiam sonat, indicans annum, mensem, diemque: " *Explicit pars tertia huius operis .... anno Domini 1390 die XVIII mensis martii* „. Quibus plurimorum codicum dictis, non est cur fides detractetur [2].

Aliae notae chronologicae explicitae ad rem in opere continentur I°) in Conformitate II libri II, ubi Pisanus agit de approbationibus multiplicibus, quas plures Summi Pontifices indulgentiae Portiunculae largiti sint. " *Hoc* [3] *ipsum,* ait, *approbarunt alii Summi Pontifices, qui eidem Honorio III successerunt, qui usque ad tempora praesentia, videlicet 1390, ad numerum 25 ascendunt, qui si cognovissent eam* [indulgentiam] *falsam vel dubiam, eam impugnassent, suspendissent vel revocassent* „. Honorius III obiit 18 martii 1227. Gregorius XI (1370, dec. 30 — 1378, mart. 27) erat eiusdem successor XXIV. Gregorio vero mortuo, ortum est Schisma Occidentale, quod vocant, quia electus fuit una ex parte Romae 1378, april. 9, Urbanus VI, altera vero ex parte, scil. a Cardinalibus Avenionensibus, Clemens VII (1378, sept. 20 — 1394, sept. 16). Urbanus, Honorii III successor XXV, obierat iam an. 1389, oct. 15, cui tunc item Romae successit Bonifatius XI (1389, nov. 2 — 1404, oct. 1). Annus ergo 1390 recte legitur, quia Romae (et caeterum etiam Avenione antipapa) residebat tunc successor XXVI Honorii III [4]. Bartholomaeum Pisanum revera circa initium *anni 1390* Conformitatem istam II libri II scripsisse, viso hoc testimonio, negari non potest. Neque moles reliquae partis libri hoc improbabile reddit, quia per totum librum II et III de solo S. Francisco agit, atque dicendorum materiam iam diu proculdubio auctor collegerat in unum. Data ergo indole secundae et tertiae partis operis sui, haec

---

[1] Infra, p. 503; p. LVI; AF IV, p. XI.

[2] Aliunde non apparet, qua de causa novem annos exspectaverit Pisanus, ad approbationem Capituli generalis petendam. Cf. *Constitutiones Benedicti XII* c. IX, ap. *Chronogia historico-legalis,* I, Neapoli 1650, 52: ed. Eubel, *Bullar. Franc.,* VI, Romae 1902, 32.

[3] Infra, p. 42 l. 28-30; cf. AF IV, p. XI nota 5.

[4] Cf. infra, p. 42 nota 6. Successores ergo, ait, praeteriti 25 Honorii III nil (usque in annum 1390) contra indulgentiam Portiunculae attemptaverant. Aliqui codices, uti ille Alvernae et Vatic. Urbin. 398, hunc annum omiserunt. Sed inde non statim cum Ed. Alenconiensi, l. c. 91, inducere licet annum postea fuisse interpolatum. Hoc enim in casu, cur annus iste positus fuerit a (tardiore) interpolatore, perspici nequit.

materia non iam, uti pro magna parte libri primi, e pluribus et variis fontibus valde dissitis colligenda erat auctori nostro, ceterum maxime sedulo et indefesso. Hinc ergo liquet, omnino fieri potuisse, ut adhibita diligentia maiore nec intermissa, reliquas partes operis sui, non parvae utique molis, dictare vel scriptitare potuerit fr. Bartholomaeus, spatio duorum mensium, atque dimidio mensis tertii [1].

Accedit duplex alia nota chronologica, scil. in Conformitate II libri I (AF IV, 68) et in Conform. XIV libri II (infra, p. 303, l. 30 32). Illo in loco habetur: « *Quae captivatio* [Iudaeorum] *et dissipatio ac desolatio* [templi Hierosolymitani] *usque in hodiernum diem ab anno 1346 viget* »; hoc vero in loco legitur eadem res, sed modo quodam diverso expressa: « *Quae desolatio ipsa est Iudaeorum dispersio et captivatio... Diuturna* [iam est] *quia 1372 annis* ». Cum autem intra quinque annorum spatium Pisanus opus suum compleverit, modo magis patet, visa hac discrepantia, quam recte iam prius animadversum fuerit [2], tali in numero nullum computum fundari posse, quia terminus a quo Pisanus processerit, penitus ignoretur. — Deletio enim Hierosolymorum incendiumque Templi acciderunt, uti inter omnes compertum est, anno 70 post C. N.

His adde praeterea alios locos, e quibus tempus, quo liber Conformitatum compositus sit, quodam saltem modo colligi possit; suntque nomina fratrum Minorum illorum, qui in VIII (et XI) Conformitate libri I celebrantur vel laudantur a Pisano uti sancti vel beati, uti doctores, cardinales, ministri generales Ordinis etc. Ad rem propositam hi ex. c. sunt qui faciunt loci. Doctores et scriptores praeclaros Ordinis Pisanus serie non chronologica recenset: AF IV, 336–341. Unus tamen ex ultimis ibi relatis est « *fr. Franciscus de Sancto Simone de Pisis, dictus de Empolim* » seu de Emporio, non longe a Pisis, p. 340 l. 20-22. Floruit iste circa tempus ipsius Pisani [3]; an. 1376. Anno 1371 fuit vicarius conventus S. Crucis Florentiae factusque fuit s. theologie magister Oxonii [4]. — Quae de ultimis sui aevi Cardinalibus Pisanus habet, p. 346, tempus accuratius circumscribunt. Commemorat enim plures fratres Minores Cardinales creatos fuisse annis 1378-1385 ab Urbano VI (1378-1389) qui ultimus est Pontifex a Pisano nominatus. Ex

[1] Si quis, existimata mole reliqua operis Conformitatum, anno 1390 offendatur, forsitan non absque veri specie coniecturaret Pisanum, anno 1389 iam exeunte conformitate illa occupatum, posuisse ann. 1390, quo scivisset certo certius se opus suum fore expleturum.

[2] AF IV, p. XI nota 5.

[3] Wadding, ad an. 1376 n. X; idem, *Script.*, 135, 92^2, 93^3; ubi tamen erronee eum « *sub an. 1550* » floruisse dicit. Sbaralea, *Suppl.*, 241, 252, 284; I^2, 256, 267, 301. Marianus, *Compendium*, ap. AFH III, 309; locum Pisani de eo repetit. — Apud Marianum, l. c., alios doctores illius aevi ex Pisano maximam partem haustos reperis.

[4] Sbaralea, 284; I^2, 267. Little, A. G., *The Grey Friars in Oxford*, Oxford 1892, 243.

his fr. Ludovicus Donatus de Venetiis[1] una cum fr. Bartholomaeo de Ianua[2], aliisque mense decembri 1386, iussu ipsius Urbani VI exstincti sunt. Dictus fr. Bartholomaeus ultimus est Cardinalis qui a Pisano recolatur.

P. 274 l. 25 (cf. n. *b*) commemoratur obiter quidem « *fr. Henricus generalis minister*[3] ». Agitur de fr. Henrico de Alfieriis Astensi, ministro generali 1387-1405[4], quo tempore ob schisma Avenionense etiam alii ministri generales Ordinis, obedientiae Avenionensis, exstabant. — P. 520 l. 33 (cf. nota *h*) de loco Montis Politiani agit, qui, ait, habet nunc fr. Leonardum. Floruit iste circa an. 1378[5], quo tempore vivebat quoque Valentinus Narniensis, cf. p. 202, 504[6] etc., etc. — P. 537 l. 24 commemorat « locum de Sarnano [legas: Samatano], qui habet nunc magistrum venerabilem fr. Arnaldum de Sarnano,... qui omnia, quae potuit de beato Francisco invenire, transcripsit[7].

De anno quo fr. Bartholomaeus de Rinonico Pisanus mortem obierit (circa an. 1401). — Distinctione stabilita inter fr. Bartholomaeum Albisium et auctorem libri Conformitatum, patet epitaphium illud[8], quod auctores plurimi de hoc retulerunt[9], omnino referendum esse ad fr. Bartholomaeum Albisium.

---

[1] Cf. Marianus, l. c. III, 308. Eubel, *Hierarchia*, I, 21, 22; II, 323.

[2] Locis cit. — De aliis postea additis cf. infra p. L sqq. — Alias notas chronologicas ap. Pisanum habes, AF IV, 292, 335, 348 sq., 360 sqq. etc. — Anno 1390 Cardinales ex Ordine Minorum vivebant: *Leonardus de Giffono,* creatus Cardinalis a Clemente VII an. 1378. dec. 16; qui obiit post 17 martii 1407; quemque Pisanus retulit, p. 346 l. 19-20. Item *fr. Bartholomaeus de Uliariis (Oleari),* Patavinus, episcopus Anconitanus, 1381; tunc Florentinus, 1385, dec. 9; demum Cardinalis creatus 18 dec. 1389, Romae a Bonifatio IX; obiit legatus in regno Neapolitano Caietae, 1396, april. 16, ibi apud ffr. Minores sepultus. Cf. Wadding, ad an. 1388 n. 2; Eubel, *Hierarchia,* I, 24, 87, 260; Ughelli-Coleti, *Italia sacra,* III, Venetiis 1718, 159. — Notes autem, oro, eum Cardinalem fuisse creatum, exeunte anno 1389, quo tempore hanc libri sui partem iam absolverat Pisanus. Unde nil mirum, quod eum omiserit. — Infra, p. 166 l. 38, narratur S. Franciscus « Schisma, quod nunc est in ecclesia sancta Dei » scil. 1387-1409, praedixisse.

[3] Lectio varians As et Edd. videtur praeferenda lectioni Al in textu. Nam 1°) nil de magistro illo, quem testem appellat notum est; 2°) pensatis vocibus utriusque lectionis, inter utramque nonnisi variatio lectionis intercedere videtur. — Admissa lectione As et Edd., tempus longe strictius circumscribitur, cum supponendum sit fr. Henricum hoc Pisano enarrasse quando iam Minister Glis exstabat, scil. post Pentecosten uti coniicimus, anni 1387; cf. Eubel, BF VII, 6.

[4] Cf. Marianus, *Compendium,* ap. AFH III, 702 sqq. [5] Marianus, l. c. III, 300, 701. Wadding, ad an. 1378 n. 12. [6] Marianus, 700; Wadding, l. c. [7] Allusio sat clara, uti videtur, ad *Chronica XXIV ministrorum generalium,* edita ap. AF III, 1-575; cf. ibid. VII-IX. Sbaralea, 99; I^2, 103. Cf. infra, XLII et 505. [8] Cf. supra, p. XII l. 1-3. [9] Habetur eodem plane tenore apud Sbaraleam, *Suppl.,* 110; I^2, 114 sq.,; Morrona, l. c. III, 71, aliosque, et ap. Follinium, l. c. 234, (6), qui consulto (anno 1816) epitaphium examinari fecit; illudque nos an. 1912 examinavimus. — Cf. supra, p. XII, nota 1, de probabili errore sculptoris. Cf. infra, p. XXIX, nota 4.

Quae nota chronologica reposita et restituta fr. Barth. Albisio, pro altero Bartholomaeo, operis Conformitatum compilatore, in alium prorsus annum devenimus. Ab anno enim 1385-1390 is opus istud grande compegit, quod, ipso auctore praesente et opus suum offerente, approbavit Capitulum generale Ord. Min. Assisiense, die 2 augusti 1399 [1]. Anno vero 1397 Quadragesimale: *De contemptu mundi* composuit [2]. Antiquissimum porro testimonium de eius morte fr. Marianus Florentinus habet [3], dicens eum *“obiisse Pisis, circa annum MCCCCI”*. Qui, quonam documento innixus sit, haec, caeterum non nihil vage edicens, non iam apparet. Aliunde vero rationes nullae suppetunt, ob quas haec Mariani assertio in dubium vocanda sit.

Ad diem quo obierit fr. Barth. de Rinonico, quod attinet, eius mors refertur a pluribus auctoribus ad *4 Novembris* [4], cui assertioni, ut vel contradicamus vel assentiamus expresse, nullum adest documentum [5].

Coniecturamus fr. Bartholomaeum de Rinonico Pisis quo habitum S. Francisci a Capitulo generali dono acceptum detulerat [6], in ecclesia S. Francisci vel in claustro eiusdem conventus tumulatum fuisse; ignoratur vero penitus locus praecisus tumuli ipsius. — Econtra patet ex supra relatis [7], fr. Barth.

---

[1] Cf. infra, p. 503-4; supra p. XXII. [2] Cf. infra, p. CXV, l. 21. Alterum Quadragesimale Florentiae composuit post 1390; infra pag. CXVII, l. 25 sqq.; CXVIII, l. 30 sqq.

[3] Cf. supra, p. XXIV l. 6 sq. [4] Arturus, ad hunc diem, p. 539. Constat Arturum non ubique Beatos recensere vero eorum die emortuali; cf. ibi, p. 42; Hueber, item 2082, aliique. Qui eum 10 decembris obiisse autumarunt, Wadding, supra, XXII l. 35; Sbaralea. l. c., etc., isti Pisano, cum Albisio confuso, diem emortualem huius, iuxta epitaphium ipsius (supra, XII, l. 2-3), perperam attribuerunt. = Pro sola memoria hic adnotamus absurdum illud, quod iuxta Nicéron, l. c. XXXVI, 140, narratur in *Magna Bibliotheca ecclesiastica,* Genevae [Coloniae] 1734, in-fol., nempe fr. Bartholomaeo Albicio fuisse filium Humbertum, O. Praed., et episcopum Pistoriensem. Agitur nempe de fr. Humberto (seu Ubertino) de Albizzis, O. Praed., mag. theol., filio domini Bartholomaei de Albizis, ex nobili florentina familia huius nominis, et episcopo Pistoriensi 1426-1434. Cf. de eo Quétif-Echard, l. c. I, 783; Eubel, *Hierarchia,* I, 421; II, 239; Ughelli-Coletti, III, 306.

[5] Papinius, *Index onomasticus,* p. 303, recte P. Mattei, cuius *Elogium Pisani* manuscriptum prae manibus habebat (cf. p. XVII not. 4), increpat, quod putaverit fr. Bartholomaeum de Rinonico obiisse 1408, quia Concilio Pisano interfuisset. Quod tamen Concilium celebratum fuit an. 1409, a 25 mart. usque ad 7 aug. Recte autem Papinius, l. c., iam animadvertit hunc fr. Bartholomaeum Pisanum fuisse alterius instituti. Equidem fuit ordinis ffr. Eremitarum; cf. Ughelli-Coleti, *Italia sacra,* III, 472. [6] Supra, p. XXII l. 31 sqq. [7] Supra, p. XXII, l. 22 sqq.

Albisium iuxta aram b. Gerardi[1] inhumatum fuisse, cum eo in loco epitaphium eius legeretur. Qui locus insigni b. Gerardi cultori, eiusque cultus assiduo promotori omnino consentaneus fuit[2].

Cultus porro publicus qui legitur fr. Bartholomaeo exhibitus esse, fratri hoc in loco sepulto exhibebatur, unde cultus ille ad fr. Bartholomaeum Albisium spectabat, non vero ad fratrem Bartholomaeum de Rinonico. Recolas praeterea Albisium plura miracula perpetrasse ope reliquiarum b. Gerardi (non vero fratrem Barth. de Rinonico). Quam ob rem nil mirum est, quod illi fr. Albisio tamquam miraculorum patratori[3] necnon et ob ipsius virtutes cultus post mortem exhibitus fuit[4].

---

[1] Supra, p. XI sq.; AF IV, p. VIII sic et Sbaralea, l. c.; item Marc. Ulyssiponensis, l. c. 15; Waddingus, (supra, p. XXII l. 34) falso dixit sepulchrum exstitisse « ad cornu Evangelii, ad aram maiorem ». Cf. et Car. Forti, *Catalogo Agiologico Etrusco,* Romae 1731, p. 46; cuius locum habes AF IV, p. XII.

[2] Bollandistae socii, *Acta SS.* nov. II, I, Bruxellis 1894, 214, rectius ergo non auctorem libri Conformitatum sed fr. Barth. Albisium inter « praetermissos » adnumerassent. Caeterum l. c. doctissimi illi viri inter fratrem Barth. de Rinonico atque Albisium non distinxerunt, in globo pauca de « fr. Barthomaeo Pisano » referentes, et indiscriminatim ad Waddingum ad an. 1399 amandantes lectores suos. [3] Supra, p. XXIII.

[4] Quibus omnem cultum fr. Bartholomaei de Rinonico negare nolumus, quamquam is ap. Sainati, *Vite dei santi, beati e servi di Dio, nati nella diocesi Pisana,* Pisa 1884, 323-5, notatus ne beati quidem titulo formali insignitur. Barsotti, Salv., *Vita e culto del Beato Andronico della Rocca frate della penitenza del Terz' Ordine di S. Francesco ed altre memorie Francescane in Pisa e sua Archidiocesi,* Levanto 1910, in appendice (p. 82-100): *Beati dell' Ordine dei Frati Minori della città di Pisa, e sua diocesi,* p. 85-6, de solo fr. Bartholomaeo de Rinonico (tacito penitus fr. Albisio) pauca refert. Adnotat vero eius effigiem [rectius illam b. fr. Albisii] radiis circum ornatam, cum aliis Sanctis Pisanis esse in codice quodam [SA. 6. (362)] bibliothecae Universitatis Pisanae Sanctorum effigies continenti (cf. l. c. 39-40), scripto saec. XVI ineunte. Item adnotat (p. 86) aliam eiusdem [Albisii] imaginem, in qua et iam radii aureolae adsunt, haberi in Sacristia conventus S. Francisci Pisis [?] Iuxta Barsotti, l. c. 71s., legitur in copia aucta operis Petri Cardosi, *Memorie sacre delle glorie di Pisa,* scripti anni 1675 [cf. p. XVIII n. 3], transsumpta an. 1783, quae MS. adservatur Pisis in Archivo Capitulari, p. 200, sepulchrum « fr. Bartholomaei Pisani, auctoris libri *Conformitatum* [legas: Barth. Albisii] apertum fuisse 23 maii 1783, et aliquatenus sepositum, cum tunc ecclesiae S. Francisci pavimentum elevaretur. Qua occasione in sepulchro inventa fuerunt paucae ossium reliquiae. Hanc pavimenti et claustri et ecclesiae elevationem commemorat quoque Morrona, l. c. III, 64-5, sed tanquam an. 1788 factam; qui de tumbis ecclesiae huius agens, p. 71 notat sepulchrum b. fr. Bartholomaei Albisii, cum nota illa inscriptione (supra, XII, l. 2) quam eamdem refert, esse « prope altare dominorum Alliata ». Tunc et Morrona, l. c., erronee Fratrem ibi iacentem cum auctore libri *Conformitatum* confundit. — Cuicumque rem consideranti patet ob fratrem Minorem homonymum Barth. Pisanum (Albisium), etiam cultus historiam speciali difficultate laborare.

II.

De auctoritatibus et fontibus in libro Conformitatum adhibitis.

Plurimi sunt libri, quibus fr. Bartholomaeus de Rinonico pro libro Conformitatum compilando usus est, pro prima parte conformitatum singularum exaranda, sive sint libri Sacrae Scripturae, sive ss. Patres, sive auctores profani. Pro altera autem parte conformitatis cuiusque concinnanda adhibuit auctores Fratres Minores, qui S. P. Francisci Assisiensis res gestas enarraverant, necnon et beatorum fratrum Minorum nomina et vitas retulerant. Praevalent, iuxta operis indolem, fontes et auctores vitam s. Francisci Assis. describentes. Quorum omnium conspectum quemdam lectoribus subiicere hic visum est opportunum. — Sed primum de idea generali et fundamentali operis Conformitatum agendum.

1. — De idea generali operis Conformitatum.

Operis autem sui Conformitatum Christum inter et s. Franciscum in initio ideam sat clare explicavit fr. Bartholomaeus, cuius in mentem numquam ullo modo venit s. Franciscum Christo revera aequare vel aequiparare, nedum, uti quidam blatteraverunt[1] supra Christum elevare atque extollere. Neque adeo theologiae expers et ieiunus fuit fr. Bartholomaeus, qui scientiae istius magister renuntiatus fuerat[2], ut nefandam et iniquissimam istiusmodi haeresim proponere vel propugnare vellet, neque adeo fanaticus, caeco et insensato cultu in b. Franciscum abreptus.

S. Franciscus Christum, omnium virtutum normam et exemplar absolutissimum, imitabatur totis viribus gratia divina suffultus: sic Pisanus omni in conformitate proclamat. Conformitates sive similitudines s. Patriarchae cum Christo, quot fieri potuit, Pisanus detegere, illustrare atque celebrare satagebat subtili ingenio et perspicacia. "Verum, ait, ipse

[1] Infra, p. XC sqq. [2] Supra, p. XIII.

Dominus Iesus eum (scil. s. Franciscum) sibi in vita (reddidit)... similem et conformem, signaculis suae passionis (eum) consignando[1] „.

Conceptum istum fundamentalem operis exposuit per singula in prologo secundo operis[2], itemque, plura inde repetens, in conformitate III libri III[3], nam culmen, perfectionemque haec " transformatio et quoad passionis signa beati Francisci ad Christum per omnia similatio[4] „ attigit in stigmatum impressione. Viam, conditionesque praevias conformitatis omnimodae singulas descripsit Pisanus, hancque summis extulit laudibus. Mirabilia stigmatizationis, (propter quam, ait[5], " praesens opus tam laboriosum, divina gratia auxiliante peregi hucusque „) sive perfectae illius transformationis cum aliis mirabilibus tum veteris tum novi testamenti comparavit, etiam cum aliquibus Christi actionibus[6]; qui loci, uti contextus et indoles generalis operis manifestant, accipiendi sunt non simpliciter et absolute, sed sub aliquo respectu, sive secundum quid, ut modum loquendi illius aevi usurpemus. Quod si Protestantes saeculi XVI[i], (qui ceterum sanctis nullis favebant) animadvertissent, ne ut theologi polemistae quidem cavillati essent adeo circa dicta quaedam Pisani, quem impie blasphemum et maledicum in Deum Christumque faciebant plane inepte et iniuste[7]. Fatendum tamen plura prolata a Pisano, admiratione et studio erga S. Franciscum magnopere inflammato, haud aegre ad nimium deflecti posse[8].

2. — Unde ideam generalem libri Conformitatum hauserit Pisanus.

Conceptum operis Conformitatum Christum inter et S. P. Franciscum ipse fr. Barth. Pisanus neque primus

[1] AF IV, 2 l. 21-2; cf. ibi, 642 l. 14; infra, 502, l. 22 sqq., gratiae Christi omnia adscribit, eiusque benignitati erga s. Franciscum, infra, 10 etc. [2] L. c. 3-18. [3] Infra, 369-383. [4] Infra, 369 l. 8. [5] Infra, p. 414 l. 30. [6] Infra, 395-7.

[7] De eis recte P. Sabatier, *Vie de S. François,* p. CXV, licet et ipse Protestans, iudicavit: « Je n'ai pas à m'occuper ici des sottes attaques de quelques auteurs protestants contre ce livre. Ceci est une querelle de théologiens qui n'intéresse en rien l'histoire. Nulle part Barthélémy de Pise ne fait de Saint François l'égal de Jésus etc. ». At neque disceptationes theologorum sincerorum fuerunt, sed iurgia et nugae irrisorum litigiosorum, dicta Pisani saepe adulterantium. Cf. infra, p. XC sqq., XCIII. [8] Cf. p. 395-7; 315 l. 23.

invenit neque exposuit, sed tantummodo modo accuratiore, per singulos vitae actus deducto, descripsit. — Non est quin noverit S. P. Franciscum specialissimo modo sibi proposuisse vitam evangelicam D. N. I. Christi Apostolorumque aemulari, imitarique, se vitamque suam exemplari illi, quam perfectissime potuit, conformando [1]. Hanc imitationem I. Christi suis asseclis, in pluribus rebus manifeste praescripsit [2]. Ipsius autem b. Francisci conformitas cum Christo culmen quoddam attigit, cum in Alvernae monte, privilegio saeculis anteactis inaudito, stigmata passionis D. N. I. Christi ipsi divinitus impressa fuerunt [3].

Quae perfecta imitatio Christi sive conformitas inter Christum et S. Franciscum, qui illum perfectissime imitari satagebat, summo amore in Christum allectus, ab omnibus Legendis S. P. Francisci, saepius ac diversimode proclamatur [4], praesertim a S. Bonaventura [5]. *Actus B. Francisci,* quos Pisanus in *Legenda* sua *antiqua* habebat [6], exordiuntur: " Primo igitur sciendum, quod beatus pater noster Franciscus in omnibus suis actibus fuit Christo conformis „. Fr. vero Salimbene Parmensis O. Min. [7], iam ante annum 1284 librum quemdam de similitudinibus inter Christum et s. Franciscum composuerat, quem tamen librum nemo unquam conspexisse videtur.

---

[1] *Testament. S. Fr.*, ap. *Opuscula,* 79. Cf. I Cel. I, c. 9 n. 22; 3 Soc. c. 8 n. 29 etc. AF IV, 180 etc. [2] Cf. *Regula I,* c: 1; *Reg. II,* c. 1; ap. *Opuscula,* 25, 63.

[3] I Cel. II, c. 3 n. 94-6. *Leg. mai.* c. 13 n. 1-10. Infra, p. 386 sqq.

[4] Locis cit.; I Cel. I c. 28 et 29; II c. 9; II Cel. II, c. 25 (al. III, 1) n. 55; c. 71 (al. III, 48) n. 105; c. 124 (al. III, 101) n. 165. *Tract. de mirac.*, c. 2 n. 2. Iuxta *Leg. 3 soc.* c. 17 n. 68 S. Franciscus obiit « post viginti annos ex quo perfectissime Christo adhaesit ».

[5] Cf. *Leg. mai.* c. 14 n. 4: « Voluit recte per omnia Christo crucifixo esse conformis... vivens Christo viventi et moriens morienti... ». Cf. Prolog., v. gr., n. 1, 2. Ibid. c. 3 n. 1, c. 5 n. 6, c. 9 n. 1ss., 8; c. 12 n. 1; c. 13 n. 2ss., 10; c. XVI (mirac.) § 1 n. 1. etc. — Cf. et *Specul. perf.* ed. Sabatier, c. 3: « perfectionem S. Evangelii quam professi sumus », etc. c. 19, 76, 82. — In suis etiam sermonibus conformitates inter Christum et S. Franciscum exponit S. Bonaventura, v. gr. *Opera omnia,* IX, 1901, 583-5; 587. Cf. quoque eiusdem *Apologiam pauperum, Opera,* VIII, 1898, 240, 245; *Exposit. super Reg. FF. Min*, l. c. 393, (et 499ss). — In *Satyrica historia gestarum rerum* fr. Paulini Veneti, O. F. M., ep. Puteolani, qui usus est scriptis Ioachim Abbatis, quaedam pauca occurrunt, quae cum dictis AF IV, 41ss., 55, conveniunt; edita sunt ap. *Misc. Franc.*, VIII, 52. [6] Cap. 1 n. 1. Cf. AF IV, 176.

[7] Eum Pisanus nullibi commemoravit; cf. XLIII, l. 15. *Cronica,* ed. Parm. 75; ed. Holder-Egger, ap. *Mon. Germ. Hist. Script.*, XXXII, 195: « Credo certissime, quod, sicut filius Dei voluit ha-

Quod si s. Bonaventurae dicta supra relata non parvae auctoritatis fuerunt pro fr. Bartholomaeo, maioris etiam fuit scriptum aliud Doctoris Seraphici in adumbrando opere Conformitatum, nempe *Lignum Vitae,* quod vitam D. N. I. Christi adumbrat iuxta fructus XII, qui ipsi in quaternas dividuntur partes[1]. Inde enim plura partium libri Conformitatum, ubi iste de vitae Iesu Christi actibus agit, mutuatus est Pisanus. Etiam tituli quidam exacte ex eo referuntur in Conformitatum opere, scil. " Iesu emissus caelitus, Iesus signis mirificus, Iesus pastor sollicitus[2] ". In aliis fructibus *Lignum Vitae* item in quibusdam cum libro Conformitatum convenit[3]. Conceptus quoque et figura Arboris fructuumque perfecte inibi a s. Bonaventura exprimuntur[4]; itemque conceptu quodam simili fundamentali ispiratur s. Bonaventurae *Vitis mystica*[5].

Arboris ideam, iuxta quam liber Conformitatum dispositus fuit, Pisanus adumbravit: AF IV, 2-3, et fusius p. 16-18 dispositionem descripsit, iuxta truncum ac ramos in utraque

bere unum specialem amicum, quem similem sibi faceret, scilicet beatum Franciscum, sic diabolus Ycilinum [i. e. Ecilinum de Romano, tyrannum]. De beato Francisco dicitur, quod: *uni dedit V talenta* [Matth. 25, 15]. Nunquam enim in hoc seculo fuit nisi unus, scilicet beatus Franciscus, cui Christus ad similitudinem sui V plagas impresserit. Nam sicut dixit michi frater Leo, socius suus, qui praesens fuit, quando ad sepeliendum lavabatur in morte, videbatur recte sicut unus crucifixus de cruce depositus. Ideo optime congruere sibi potest, quod dicitur Apoc. I [v. 13]: *Vidi similem filio hominis.* In quibus autem fuerit similis, quia alibi scripsi, ideo hic taceo, quia ad alia dicenda festino. Et quia male sonare videtur, ut homo similis Deo dicatur, presertim cum scriptura dicat: *Deum homini non equabo,* Iob XXXII [v. 21], audiant, quid iterum alia scriptura dicit: *Quoniam quis in nubibus equabitur Domino, similis erit Deo in filiis Dei.* Et iterum primo Io. III: *Karissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit, quid erimus. Scimus, quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* ».

[1] *Opera omnia,* VIII, 68-86.

[2] L. c. 70; cf. AF IV, 60-9; infra, 1-9; 22-8.

[3] V. gr. « Iesus regno fugatus », *Opera,* 72-3 et AF IV, 113-6: « Iesus parvus insequitur », ubi item agitur de patientia Christi. = Constat fr. Ubertinum de Casali, O. M., plurimum adhibuisse *Lignum vitae* pro libro suo compilando (anno 1305), quem inscripsit *Arbor Vitae crucifixae Iesu,* ed. Venetiis 1485; cf. *Opera,* cit., 86 et XXXIX sq. Cf. item Huck, I. Chr., *Ubertinus von Casale und dessen Ideenkreis,* Freiburg i. Br. 1903; Knoth, E., *Ubertino von Casale,* Marburg 1903, 15sqq.; Callaey. Fréd., O. M. Cap., *L'Idéalisme franciscain spirituel au XIVe siècle. Etude sur Ubertin de Casale,* Louvain-Paris-Bruxelles 1911, 73 sqq. Cf. de istis operibus AFH IV,594-9. Sed Pisanus opere Ubertini in quem invehit AF IV, 440, 541, usus fuisse non videtur, quanquam Ubertinus in libro V *Arboris vitae* plurimas res exposuerit de S. Francisco, tanquam Christi imitatore perfectissimo. Vix tamen crediderimus Pisanum ignorasse Ubertini Arborem. Cf. XLIII, l. 19.

[4] L. c. 68 num. 2. [5] L. c. 159-189 (189-229).

arboris parte fructusque singulorum, qui ad LXXX ascendunt, quorum XL sunt de Christo, XL de S. Francisco. Graphice delineata fuit arboris figura v. gr. in codice Mutinensi[1], et Neapolitano[2] et in prioribus editionibus operis Conformitatum. Figuram editionis primae[3] secundaeque infra[4] referimus. Conceptus vero totius Arboris mysticae clarius illustratur iis quae Pisanus ipse de *Arbore vite B. Mariae Virginis* digessit; infra p. CV sqq., CXI[5].

3. — Auctores in parte priore singularum Conformitatum allegati.

Caeteris longe frequentiores sunt loci *S. Scripturae*, a fr. Bartholomaeo de Rinonico adeo profuse usurpati, ut quaedam conformitates e textibus Sacrorum Librorum contextae videantur, v. gr. AF IV, 23-32, 165-75, 364-9, 457-64, 564-80; infra 1-9, 22-8, 57-75, 145-58, 182-9, 199-208, 234-43, 262-75, 298-306, 319-23, 356-8, 415-25, 452-5, 474-7; item et in altera parte conformitatis I, AF IV, 33-44 et conform. IX, ib. 373-8.

SS. Patres caeterosque auctores praesertim iuxta frequentiam citationum hic adunamus; quosdam ex eis potius iuxta ordinem chronologicum.

S. Augustinus aliis Sanctis Patribus longe crebrior occurrit: IV 4 11s. 62s 65 83 92 103 175 463 566, V 3 5 10 57s.(novies) 91 95 98 125 127 146 151s. 189 200 212 218 230 234 237-43(quater decies) 246 273s. 293 302 304 310 335 336 343 353-4 362s.(quater) 369 371 419 439-444-7(septies) 454 469[6].

S. Gregorius Magnus: IV 5s. 77 92 103 115s. 463 486s. 491, V 2s.(quater) 9 26 60 89s. 92(ter) 94 128 147 155-8(quinquies) 186-8 200s.(quater) 208 212 214 221(ter) 234 236-8 242 245s. 272 307 351 368 345 430 455 462.

S. Bernardus Claravallensis: IV 8 11s. 89 113 127 375, V 58 92 94-5(ter) 89 183 186 199s. 215-7(quinquies) 242 246 363 369 449 458s. (Aelredus: IV 127 375 V 98 183).

---

[1] Cf. infra p. LVIII; AFH V, 1912, 96sqq. — Cum an. 1399 Pisanus Capitulo Gli *opus suum* et *arborem* praesentasset, Capitulum expresse utrumque approbavit, licentiam ei elargiens: « *faciendi depingi ipsam arborem* »; infra, 504; AF IV, XXIV.

[2] Cf. infra, p. LVII; item in Parisiensi; AF IV, p. XXVIII.

[3] Cf. ex adverso paginae LXIV. Habetur figura ista, in qua corpus Crucifixi post editionem typographicam punctis calami, sanguinem decurrentem imitantibus, itemque aureola S. Francisci lineis transversis paulo deturpatae fuerunt, ex exemplari alio ap. *Bibliofilia*, Firenze 1900-1, II, 298, indeque ap. *Misc. Franc.*, VIII, 141 et denuo ap. Olschki, L. S., *Choix de livres anciens rares et curieux en vente à la librairie Olschki*, II, Florence 1910, p. 763. — Tamen etiam in exemplari nostro leves parvique quidam tractus calami in caputio S. Francisci appositi fuerunt.

Figura editionis primae magis conceptui auctoris correspondere videtur, si ea conferas quae de *Arbore Vitae B. Mariae V.* dicit Pisanus; infra p. CXI l. 23 sqq. In figura I editionis etiam fr. Leo apparet, quia revera ibi figuratur stigmatizatio S. Francisci. — Plures codices *Ligni vitae* delineationes Arboris continent, cf. *Opera omnia*, VIII, XXXIX. Celebris est illa in refectorio magno conventus S. Crucis, O. M. Conv. Florentiae in muro depicta a Thaddaeo Gaddi, uti videtur. Venturi, A., *Storia dell'Arte italiana*, V, Milano 1907, 550.

[4] P. LXVII.

[5] Opus pluribus in rebus et partibus simile compilationi Conformitatum Pisani habetur in codice *Canonic. Miscell. 525*, Bodleiensis Oxonii. Qui codex scriptus an. 1384 et 1385 Ragusii per fratrem Petrum de Tragurio, accurate describitur a cl. A. G. Little, ap. *Opuscules de critique hist.* I, Paris 1904, 251-97.

[6] Qui numerus quamvis grandis non secus ac reliqui omni prorsus ex parte completus non affirmatur.

S. Hieronymus: IV (35) 67 170 486 488 490s. 566 569 576, V 3 7 58 61 66 94s. 97ss. 125 186 201 208 229 234 236 238s. 240 353 448 455 470.
S. Iohannes Chrysostomus: IV 5 92s. 102 487ss. 567s., V 4 61 93-8(ter decies) 186 218 237-41 351s. 362 364.
Vitae Patrum: IV (77) 114 151 154-6, V 96 127 202 206 217 221 (246) 269ss. 293-6 315 350 470.
S. Ambrosius: IV 97 488s. 566, V 7 60 65s. 93s. 152 199 212 339 341 439 448 470 477.
S. Isidorus Hispalensis: V 10 92 186-8(septies) 199 201 234 242 244 246.
S. Anselmus: IV 11 20 61, V 3 94 97s. 126 336 420.
S. Cassianus: IV 155, V 89 91 201 238-41(sexies).
S. Iohannes Damascenus: IV 83s., V 61 95 234 336 343.
S. Beda: IV 125 170 409 489, V 3 64 98 201.
S. Dionysius (Pseudo) Areopagita: V 146 377 301 393 462.
S. Leo I Papa: IV 103, V 452 459.
S. Cyprianus Carthag.: V 238-41.
Origenes: IV 83 125, V 65s.
S. Iohannes Climacus: V 126 188.
S. Hilarius Pictaviensis: V 61s. 66.
S. Cyrillus Hierosolymit.: V 4.
S. Gregorius Nazianzenus: V 362.
S. Benedictus: V 126.
S. Basilius: IV 490.
(S. Ephrem Syrus: V 218).
(Eusebius Emesenus: V 341).
Fulgentius: V 186.
Cassiodorus: IV 113.
S. Remigius Antissiod.: IV 174, V 61 65s.
Haimo Halberstad.: IV 174, V 62 66.
Rhabanus Maurus: IV 488s., V 201 218.
Innocentius P. III: IV 463, V 215 341-5.
Urbanus P. IV: V 337 348.

Glossa in S. Scripturam: IV 5 103 114 490 567, V 2 57 90 98 127 186 234 236 272 300ss. 339 345 353 433 439s. 452 458ss.
Corpus Iuris Canonici: IV 79 378 387 290ss., V 26ss. 42s. 65 91ss. 147s. 151 240ss. 336s. 345ss. 353 385 406s.
Sibyllae: IV 43 53 68, V 4s. 300ss.
Ioachim abbas Florensis: IV 33s. 42-56 74 95 97, V 296.
Cyrillus eremita Montis Carmeli: IV 33 44ss. 95ss.
Polycarpus: IV 44ss. 97.

Petrus Lombardus, Magister Sententiarum: IV 14 (53) 61ss. 83ss., V 57 146-8 (quinquies), 182 (212) 341ss. 351 419 422s. 445 458ss. 470.
Hugo de S. Victore: IV 8 10 69 389, V 59 89 98s. 146ss. 341 344 346 369 419.
Richardus de S. Victore: IV 89, V 9 89.
S. Antonius Patavinus: V 215.
Robertus Lincolniensis: V 336.
Alexander de Ales: IV 89, V 61ss. 66 150ss. 421ss. 446 459.
S. Bonaventura: IV 89 490, V 150ss. 238 445s.
S. Thomas Aquinas: IV 89, V 59 66 150 421 424.
Richardus de Mediavilla: IV 89.
Scotus, Ioan. Duns: V 420-4.
Petrus Aureoli: V 421 424.

Valerius Maximus: IV 121, V 91 95-7 129 187 283-6, 310s.
Pontii Pilati epistola ad Tiberium: V 301.
Iosephus Flavius: IV 68, V 300ss.
Orosius: IV 135, V 212.
Petrus Comestor, Historia scholastica: V 205, 311 367 440s. 452.
(Chronica Romanorum: V 311).
(Chronicae: IV 78 (87)).
(Martinus Polonus: V 301 304).
Passiones, Passionarium Sanctorum: V 9 96.
Legendae Sanctorum (quorumdam nominatorum): IV 155s. 169, V 9 214 221 234 266 296 303 362 367 396 455 470.
Legendae Sanctorum (in genere) [Legenda aurea]: IV 155, V 204 214s. 218 221 300 362 367 396 455 466s. 470 478 [1].
Legenda S. Dominici: IV 73 (56).

(Socrates: V 91).
Aristoteles: IV 9 497, V 3 60 146 153 187 201 310 341 (357) 420s.
Averroes (Commentator): IV 11, V 146 153 342 370.
Avicenna: IV 11, V 146 153 369.
M. T. Cicero: V 91 146.
Virgilius Maro: IV 135.
Horatius: V 91.
Iuvenalis: V 92.
Sixtus Pythagoricus: V 305.
(Secundus Philosophus: V 91s.).
Macrobius: V 201.
Chalcidius: IV 68, V 802.
Seneca: IV 114s., V 89-92 95 201 272.
Boethius: IV 10 12, V 90-2 370.
Albumazar: IV 68.

Longe vero plures sunt fontes franciscani, quibus Pisanus usus est pro altera parte singularum conformitatum diligenter compilanda.

---

[1] In notis allegavimus etiam: *Meditationes vitae Christi:* V 98 183, 449; Evangelia apocrypha: V 4; Acta apostolorum apocrypha: V 301 (IV, 469), etc., etc.

4. — Fontes et auctores historiae Franciscanae.

Legenda maior et minor.

Maxima longe frequentia occurrit s. Bonaventurae *Legenda maior*[1], quam ideo per antonomasiam " *Legendam* „ vocat; v. gr. infra, p. 11 l. 10, 13, 21, 22, 23, 40; p. 12 ss.; p. 29 ss., p. 66, etc., etc. Paucae certe numerantur paginae, de ipso s. Francisco tractantes, in quibus nec citatio nec allusio ad narrata in *Legenda maiori* habeatur. Paginas vel locos sescentos hic enumerare inutile ergo nobis est visum; cf. AF IV, 5 ss. 14, 35 ss., etc. etc.; infra, p. 11 ss. — P. 19 l. 29 ss. expresse notatur narrationem de puero in ollam cadentem in eaque ebullitum non legi " *in loco authentico* „, tamen hoc, ait, " scriptum in pluribus locis repperi. Sed de nullo praefatorum[2] dominus frater Bonaventura in *Legenda maiori* facit mentionem, et quid fuerit in causa ignoro, cum tamen de primo dictus fr. Bernardus de Blesa facit mentionem[3] et secundum de *scriptura publica notarii* repperi *Florentiae* transcriptum[4] „. AF IV, 483 l. 29 scribit de eodem miraculo: " Et quia b. Franciscus sua praedicatione exhibuit miraculum quoddam singularissimum, quia non repperi locum in superioribus, ipsum non posui, quod tamen hic insero, ut sicut de isto, sic et de multis aliis factis etsi non scriptis, deberet praesumi „. — P. 471 de mortuis a s. Francisco resuscitatis agens scribit: " Verum quaedam quae Dominus frater Bonaventura in ultima parte *Maioris Legendae* luculenter depromit, hic inseram cum aliis quae repperi, sed breviter et succincte „. — P. 181 l. 25 dicit prophetata a s. Francisco in *Leg. mai.* c. 14 n. 5 de tribulationibus Ordinis a s. Bonaventura non aperte declarari. — P. 278 l. 20 scribit: " Et quia non aliter tangit dicta pars [*Legendae maioris*] hoc

[1] Citationes factae sunt iuxta editionem huius Collegii: S. Bonaventurae, *Opera omnia*, VIII, 504-64, separatim: *Seraphici Doctoris S. Bonaventurae Legendae duae de vita S. Francisci Seraphici.* Ad Claras Aquas 1898, 1-217. — Cf. AF IV, p. XIV.

[2] Agitur enim ibi praeterea de « filio unico [non de fratre, p. 19 l. 16; uti omnes editiones et codices habent] cuiusdam militis in flumine submerso, atque de quodam Interamne a muro cadenti oppresso. [3] Apud AF III 678 l. 16-25. [4] Cf. infra, p. 19 nota 7.

insigne miraculum, *Antiqua Legenda* hoc refert in hunc modum „. — P. 359 l. 7: " Haec frater Bonaventura. Et quia succincte multa tangit et in brevi, pro evidentia praefatorum notandum est etc. „.

Legenda etiam *minori*[1] S. Bonaventurae usus est fr. Bartholomaeus de Rinonico, eamque aliquando aperte allegavit in altero hoc volumine; infra, p. 111 l. 38: " dicitur in *Legenda parva* „; p. 209 l. 5: " in V parte *Minoris Legendae* „; p. 408 l. 6: " Dom. fr. Bonaventura de Balneoregio card. asserit in *Legenda minori,* que legitur in ecclesia „. Alibi eam adhibet, quin citet; cf. tabulam fontium, infra l. XLI, l. 6-7.

Legendae fratris Thomae Celanensis[2].

Etiam hoc in volumine aliquoties, licet rarius quam in priore, cf. ibi, p. XIII, allegatur expresse Legenda fr. Thomae, quae Legenda item est *Legenda II* Celanensis. Infra, p. 143 l. 3: " dicit *Legenda fratris Thomae* „; p. 160 l. 5: " Idipsum ponit fr. Thomas in sua *Legenda* „; p. 436 l. 13: " prout recitat fr. Thomas in sua *Legenda* „. P. 327 l. 28 legitur: " de quo fr. Thomas in *Legenda* b. Francisci *antiqua* „; quae citatio refertur ad II Cel. I, 12 n. 18. — P. 161 l. 11 citat: " ut dicit *Legenda trium sociorum* et *fratris Thomae* „. Qui locus a lin. 12-23 (usque: " augebit „) desumptus est ex *Leg. 3 soc.*, c. 15 n. 36; reliqua vero pars legitur quidem apud *I Cel.* XI n. 27, sed magis verbotenus convenit cum *Libro de Laudibus* fr. Bernardi de Bessa, AF III, 668 l. 9-11. Quod in nota l. c. animadvertendum fuisset, non secus ac AF IV, 350, ubi idem occurrit textus. Ex hoc textu ergo inferri nequit contra AF IV, p. XIII nota 5, Pisanum revera usum fuisse *Legenda I* Celanensis, cuius partes quaedam habebantur in *Leg. antiqua,* de qua p. XXXIX. Cf. AF IV, p. XV. — P. 161 nota 8, item corrigas: delendo: " in nota; sed est

[1] Edita: *Opera omnia* cit., VIII, 565-79; seorsim, ed. cit. 212-70.

[2] Hoc in volumine citavimus editionem: *S. Francisci Assisiensis Vita et miracula additis opusculis liturgicis auctore Fr. Thomae de Celano* ed. P. Ed. Alenconiensis, O. F. M. Cap. Romae 1906, inter parentheses antiquas divisiones Legendae II inserentes ubique. De ea cf. AFH I, 627-30.

potius I Cel. I c. 13 n. 33 „, quia in *Leg. mai.* c. 3 n. 9, in textu res reapse sic legitur.

Alibi quoque saepius in notis allegavimus *Legendam primam* fr. Thomae de Celano, quin dixerimus Pisanum hanc legendam usurpasse; notatum fuit tantummodo pro legentium commodo rem relatam iam haberi in legenda illa omnium primigena s. Francisci. — Cf. Tabulam fontium, infra, p. XL, l. 22 sqq. Sic v. gr. infra 427 nota 4, visio illa fr. Eliae circa mortem S. Francisci futuram narratur quoque apud *Actus*, c. 18 n. 6-8. — Quae IV, 468, tanquam e *I Cel.* c. 29 n. 83 hausta recte indicantur, immediate ex *Legenda antiqua* promanant; cf. ib. XV. — AF IV, 370 n. 1 allegatus est I Cel. c. 9 n. 21, sed res legitur quoque ap. *3 Soc.* c. 8 n. 25; cf. n. 27 circa 2 annos. Cf. et *Leg. Mai,* c. 3 n. 1. — AF IV, 371 nota 1, citatus est I Cel. c. 13 n. 33, sed visio ista arboris incurvatae desumpta est revera ex *Leg. mai.* c. 3 n. 9, uti paulo superius (p. XXXVII, l. 31 sqq.) adnotavimus. — Ibid. 80 nota 3, citatur *I Cel.* c. 2. n. 5, sed verba illa desumpta sunt ex *Leg. Mai.* c. 1 n. 3 (et *Leg. min.* I, lect. 3). — Ibid. 343 nota 1, citatur *I Cel.* II, c. 5, n. 100, sed verbotenus sumptus est locus ex *3 soc.* c. 16 n. 67. — Ibidem not. 5, remittitur lector ad *Legendam chori fr. Thomae Celan.,* ap. Ed. Alencon., l. c. 444 (sic legas pro 414), sed locus magis convenit cum *3 Soc.* c. 18 n. 72; quem locum Pisanus aperte ad rem eamdem citat infra, p. 444.

Thomae Celanensis *Tractatum de miraculis b. Francisci*[1] Pisanus cognovisse videtur; cf. infra, 471-2, p. 480-497. Cf. et infra Tabulam fontium, p. XL, l. 29 sq.

Legenda trium sociorum[2].

Saepius ista expresse a Pisano allegatur in altero hoc volumine: p. 100 l. 14: " Ut enim *Legenda* pandit *trium sociorum* „, et alibi similia; cf. tabulam fontium, p. XLI, l. 8 sqq. Demum p. 444 l. 7 sq. legitur citatio illa iam celebris, innuens

[1] Ed. Alenconiensis, l. c. 341 sqq.

[2] Cf. AF IV, p. XIV. Edita ap. *Acta SS.* oct. II, 549 sqq. *Vita S. Francisci de Assisio ab... eius sociis scripta,* [ed. St. Rinaldi], Pisani 1831; Legenda s. Francisci... *quae dicitur Legenda trium sociorum.* Romae 1880. *S. Francisci Legenda trium sociorum,* ed. Faloci, Fulginiae 1898.

Pisanum *Legendam trium sociorum* traditionalem, prae manibus habuisse: "*prout in Legenda trium sociorum in fine habetur*", scil. c. 18 n. 72. In volumine hoc altero omnia a Pisano citata tanquam e *Leg. 3 soc.* desumpta, in eà revera leguntur.

In volumine quoque priore expresse *Leg. 3 soc.* saepius citavit Pisanus; cf. infra p. XLI, l. 8-10; v. gr. 621 l. 35: "in *Leg. 3 soc.* in diversis capitulis".

Speculum Perfectionis.

Semel tantum, in libro III, Pisanus *Speculum perfectionis*[1] citavit, quanquam sub titulo: "in *Legenda Antiqua,* in capitulo de zelo ipsius ad religionem" p. 361 l. 13. In libro II citatio expressa nullibi occurrit, sed eo pluries in libro I: 583 l. 21; 585 l. 5; 587 l. 31: tanquam "*Speculum perfectionis*" indicatis quoque capitulis seu partibus ipsius; tum p. 119 l. 35, 606 l. 24; 607 l. 26; 611 l. 12; 612 l. 9; 614 l. 12; 616 l. 4; 617 l. 33; 618 l. 12; 619 l. 4, 11 et 19; 623 l. 33; 624 l. 31; 627 l. 30, 37; 628 l. 17; 629 l. 3, 14; 630 l. 22ss.; 631 l. 2, 12; licet hic *Legenda antiqua* vocitetur.

Legenda antiqua[2].

Plures locos ex ea se hausisse profitetur Pisanus, sed neque isti ullatenus sufficiunt ad cognitionem certam huius *legendae* efformandam, quae adhuc desideratur; AF IV, p. XIV-VIII. Loci vero *Legendae antiquae* clare tributi, leguntur prae-

---

[1] *Speculum Perfectionis seu S. Francisci Assisiensis Legenda antiquissima,* ed. P. Sabatier Paris 1898. *Speculum Perfectionis* (Redactio I) ed. Leon. Lemmens, O. F. M., Ad Cl. Aquas 1901, ap. *Documenta ant. franciscana,* II, 1-86. Sabatier, *L'Incipit et le premier chapitre du Speculum Perfectionis,* ap. *Opuscules de critique historique,* II, Paris 1910, 333 sqq. Cf. AFH IV, 630-1.

[2] De ea cf. AF IV, p. XV sqq. P. Sabatier, op. c. p. CLII sqq., CLXXVI ss.; Idem, *Actus,* p. L-LII; Idem, *S. Francisci Legendae Veteris fragmenta quaedam,* ap. *Opuscules,* I, Paris 1901-1903, 63 sqq. 71; Idem, *Description du MS franciscain de Liegnitz,* ibid. I, 33 ss. Little, A. G., *Description du MS. Canonic. Miscell. 525 de la Bibl. Bodléienne à Oxford,* ibid. I, 251. Sabatier, *Description du Speculum vitae,* ibid. I, 299 ss., 323 ss., 359 ss. Katona, L., *Description, du MS. franciscain de Budapest,* ibid. II, 1904, 97 ss. — Cf. Lemmens, *Doc. ant. franc.*, II, 87-90; Kruitwagen, Bonav., O. F. M., ap. AFH I, 300 ss. et Fierens, *Les origines du Speculum Perfectionis,* Louvain 1907; cf. AFH III, 341 ss. — Minocchi, S., *La Leggenda antica. Nuova fonte biografica di S. Francesco d'Assisi, tratta da un codice Vaticano* [Cappon. 207], Firenze 1905; partim ed. Faloci, ap. *Misc. Franc.*, VIII, 1901, 81-118.

sertim in *Speculo perfectionis,* (scil. in illo quod edidit cl. P. Sabatier), in *Actibus S. Francisci,* in Leg. II Celanensis, in *Leggenda antica;* alii loci etiam in *Chronica XXIV Generalium* leguntur; alios demum locos nullibi invenire potuimus in scriptis Pisano certe antiquioribus. Neque ergo his in libris *Legenda antiqua* a Pisano usurpata correspondet compilationi, quae incipit *Fac secundum exemplar,* in qua plura, a Pisano relata tanquam ex *Leg. antiqua* desumpta, minime leguntur. — Quoad singula cf. tabulam fontium, p. XLI, l. 15sqq. — Infra p. 102 l. 5. Pisanus ait: " prout eius clamat *Legenda* tam *antiqua* quam *nova* „. Ea vero ad quae sic alludit Pisanus, in omni S. Francisci Legenda narrantur, non secus ac alia quoque quae p. 323 l. 31 innuit: " Unde *Legenda* tam *antiqua* quam *nova* ostendit clare „.

Quibus breviter de aliquibus fontibus franciscanis de novo[1] explanatis, earumdem tabulam hic brevi facilique conspetu colligimus.

S. P. Francisci Opuscula varia[2]: IV 6 130s. 354 595-629, V 172 253 256-62 329.

Regula I « antiqua »: IV 139 597ss., V 87 98 102 130 253.

Regula II: IV 373-425 601ss., V 98, 104, 109, 112ss. 116 130 133 136s. 175 196s. 253s. 289s. 297 431.

Testamentum: IV 6 597ss., V 109 163 196 247 254 289 359-60 377 431.

Thomas de Celano, Legenda I: IV 36[3] 41[4] 80[5] 204 285 317[6] 343[7] 350[8] 370[9] 371[10] 468[11] 480 494, V 13 15s. 20 79 88 101s. 134 160 161[12] 173 176[13] 190[14] 196 197[15] 309 325[16] 359 371 394 409 427[17] 430s. 441 442[18] 484ss.

Idem, Legenda II: IV 34 36s. 53 57ss. 70 98s. 110s. 118 121ss. 143ss. 159ss. 179 203s. 251 286 290 343 371 382 386 389 396 420 427s. 474 477 520 582 589 591s. 603 608 610 612 620 631, V 11, 14s. 17 55s. 84 86 102 105 107 109-16 120ss. 130 134ss. 160 169-81 191-6 224 251 256 277 279 281 292 307ss. 326s. 359 409ss. 436.

Idem, Tractatus de miraculis: IV 295 439 474 480 484 510 515, V 11 15s. 18s. 122 139 169 181 211 225[19] 371 394 411 430 469 471s. 480.

---

[1] Ad normam dictorum AF IV, p. XIII-XIV.

[2] *Opuscula S. Patris Francisci Assisiensis,* Ad Cl. Aquas 1904. Cf AF IV, p. XIII.

[3] Ubi in locis citatis alii iam fontes allegati sunt, hic nihil in notis adducimus.

[4] Benedictio fr. Eliae a moribundo S. Francisco est quoque ap. *Actus,* c. 5 n. 8-12.

[5] Cf. supra p. XXXVIII l. 18. [6] Legitur etiam ap. *Leg. mai.* c. 4 n. 10. [7] P. XXXVIII l. 20sqq. [8] Idem p. XXXVIII l. 28. [9] P. XXXVIII l. 12. [10] Ibid. l. 15. [11] Ib. l. 10. [12] P. XXXVIII l. 18. [13] De Othone imperatore Rivum Tortum transeunte. Narratur hoc etiam a Bernardo de Bessa, AF III, 672. [14] Rapas in initio comedebant primi socii, quod legitur etiam *3 soc.* c. 13 n. 55. [15] Ad leprosis serviendum in fine redire voluit S. Franciscus, quod legitur etiam *Leg. mai.* c. 14 n. 1. [16] Idem ap. *3 soc.* c. 13 n. 55. [17] Visio fr. Eliae, de qua p. XXXVIII l. 8sqq. [18] Idem *Leg. mai.* c. 15 n. 3. [19] Idem ac narratum p. 14 l. 40s. et 489 l. 13-5.

Iulianus de Spira, Legenda b. Francisci [1]: IV 247 308, V 29.

Idem, aliique, Officium S. Francisci: IV 6 51 79 147 467-9, V 29 118 137 142 189 246 315 378s. 401 407-8 496. — Officium SS. Stigmatum: V 379.

S. Bonaventura, Legenda maior: Inutile videtur paginas illas omnes hic coacervare. Cf. supra, p. XXVI, l. 8 sqq.

Idem, Legenda minor: V 111 135 137 190 [2] 192 209 [3] 222 232s. 245 315 316 [4] 318 371 [5] (377) 394 431s. 451.

Legenda trium sociorum: IV (108 [6] 118 122ss.) 138 (140ss. 146s. 157ss.) 176 (177ss.) 180 (187) 193 (205 [7] 248) 386 464s. 469 (494-500), 514 581s. V (20) 100 (106) 112 (116) 130 (133s.) 137 159-62 (septies), (224 247) 249 276 293 (377) 380s. (443) 444.

Speculum perfectionis: IV 41 53 (59) 71 80 119 123 139s. 143ss. 159 161s. 179 184 186 190 203s. 286 382 386 428s. 436 473 477 496 502s. 509 585s. 589ss. 595 603s. 605ss. 611-9 623-31, V 15 17 55 58 85 88 102-22 130-45 [8] 162ss. 171-81 190-6 225s. 249 251 255ss. [9] 261s. 281 294 308s. 324-31 359 371 378ss. 398 410 426ss. 430 432 461.

Legendae antiquae (expresse) citatae, loci e Speculo perfectionis hausti: IV 53 [10] 119 603-7 [11] 611-19 623-5 627-31, V 86 103 [12] 138 [13] 162 251 [14] 332 359 361. — Loci item ex Legenda II Celanensis: IV 53 [15] 470 603 612 [16] 631, V 103 251 327. — Item ex Legenda I Celanensis: IV 468 [17]. — Item ex Actibus b. Francisci: IV 122 466 [18] 626, V 86 278. — Loci eiusdem quae in *Leggenda antica* codicis Vatic. Cappon. 207 habentur: IV 53 [19] (73 81 [20]) 108 [21] (190 [22] 450), V 104 (121 [23] 165 [24] 179 222-4) 280 (296 [25] 297 350). — Item locus qui ap. *Speculum vitae b. Francisci* habetur: V 107s. cf. Addenda, infra p. 506. — Item loci qui in Chronica 24 generalium leguntur: IV 58 (73s. 81 162 190 [26] 350 445). — Item loci tanquam ex *Leg. ant.* hausti a Pisano indicati, quos tamen in vetustis compilationibus non invenimus: IV 56 [27] 483 [28] « *Leg. vetus* », V 233 281. — 506.

Legenda vetus [29]: « In *veteri* b. Francisci *legenda* narratur »: IV 483 [30]. Citatur « *Legenda vetus* » in notis: IV 455 167s. 176 178.

Actus B. Francisci [31]: IV 40 (56) 60 71 81 99 110 119 155 161s. 176 178-202 214 233 243 255-60 276s. 280-88 351 355 386 428 434 440 445 449 451 466 473 476 479 514, V 11ss. 17 19 31 79-84 86 88 102s. 116 121s. 131ss. 139 143ss. 170 173-81 191 194s. 197 225s. 249s. 253 255s. 277s. 289 308s. 318s. 355 371s. 378 380 384 386 (Actus c. 9, quod ibi citatur: « *In Legenda de inventione Montis Alvernae* [32] ») 391 394s. 397 409ss. 413 426 427ss. 468.

---

[1] Edit. ap. *Acta SS.* oct. II, 548, 560 sqq.; integra ap. *Analecta Bolland.*, XXI, 160-202.

[2] Quamquam citat *Leg. maiorem.* [3] *Leg. maioris* et *min.* verba commiscet.

[4] Item hic. [5] Item etiam hic. [6] Loci ( ) inclusi denotant ibi *3 soc.* non expresse allegari. [7] Lin. 34-8, ex *3 soc.* c. 9 n. 33. [8] Item p. 138, conflata ex *Spec. perf.* et *Leg. mai.* [9] Narratio conflata ex *Actibus* et *Spec. perf.* [10] Fons dubius remanet. Numeri ( ) uncis inclusi denotant ibi *Legendam antiquam* in textu non citari.

[11] Cf. AF IV, p. XVI: item pro infra citata p. 612. [12] Fons dubius. [13] Initium narrationis est ex *Spec. perf.*, altera vero pars ex *Leg. mai.* [14] Fons dubius.

[15] Item. [16] Item. [17] Cf. supra, p. XXXVIII, l. 10 sqq. [18] Cf. AF IV, p. XVII.

[19] Fons dubius. [20] Scil. lin. 33ss. — Ibidem l. 28-32 sufficiebat allegare *Leg. mai.* c. 2 n. 4. — Forma habitus S. Francisci describitur quoque accurate in fine *Chronicae VII tribulat.*, ap. Ehrle, ALKG II, 153. Qui textus habetur infra, p. 104. [21] Cf. AF IV, p. XVII.

[22] Fons dubius. [23] Item; legitur quoque ap. Bessa, AF III, 678. [24] *Legg. antica*, c. 9. [25] Habetur etiam ap. Celan., *Tract. de mirac.* c. 5 n. 34. [26] Dubium, unde haustus sit locus. [27] Cf. AF IV, p. XVII, (cf. ib. 108, 193). [28] L. c. p. XVII.

[29] Cf. Lemmens. *Doc. ant. franc.*, II, 91 sqq.; Sabatier, *Opuscules*, I, 63 sqq.

[30] Quaenam legenda sit, ignoratur. Cf. AF IV, p. XVII. [31] *Actus b. Francisci et sociorum eius*, ed. P. Sabatier, Paris 1902. Cf. Kruitwagen Bonav., O. F. M. ap. AFH I, 301 sqq., 376 sqq. [32] Item AF IV, 514 l. 22 sqq.

Bern de Bessa, Liber de Laudibus [1]: IV 204 213 235 241 243 251 262 302 308 326 330 344 347 429-34 539: « Iohannes de Blesa », V 19 181 409s. 430 [2] 442s. 451 486ss. 497 506.

Leo Assisiensis, S. P. Francisci intentio regulae [3]: IV 41 59 177 192 285 378 381 397, V 110.

Idem, Verba S. Francisci [4]: IV 59.

Idem, Vita B. Aegidii [5]: IV 162s. 206ss. 213 279 583.

Aegidius Assis., Dicta [6]: IV 59 (162) 214-33 452 (583), V 289.

Fr. Conradi Verba [7]: IV 58 190, V 167 317.

Catalogus XIV ministrorum generalium [8]: IV 276 305 344, V 500.

Philippus Perusinus, Catalogus cardinalium Protectorum Ordinis [9]: IV 343 454.

Idem, Instrumentum de stigmatibus b. Francisci [10]: V 386 390-2 402.

Instrumentum venditionis terreni pro ecclesia S. Francisci Assisii [11]: V 443.

Instrumentum notarii quod vidit Florentiae, de miraculo intercessione S. Francisci facto [12]: V 19.

De secretis s. Francisco in stigmatizatione revelatis [13]: IV 436, V 397.

Dialogus de vitis ss. fratrum Minorum [14]: IV 240 242 249-54 262 272 278ss. 293-6 303 321 433 454 516.

Catalogus ss. fratrum Minorum [15]: IV 178 202 233 235 243 249-54 262 275 278ss. 296 302-9 321-36 349, V 451.

Bartholi, Franciscus, Tractatus de indulgentia Portiunculae [16]: IV 74 96 163 234 452, V 31-53 326s. 386 401 461.

Floretum s. Francisci (Fioretti) [17]: IV 58 164 (244s.) 452, V 18 181 224 249 390 397 408 412s. 430 437 442s 482 506.

(Speculum vitae b. Francisci [18]: IV 235 271 324, V 165 175 397 407 412 442 476 506).

(Chronica XXIV Generalium O. M. [19]: IV 58 71 74 99 162s. 178-205 232 244s. 249s 262ss. 276s 279ss. 288 290s. 296s. 307 320s. 324-7 331s. 335s. 344 347-50 357 359 428-40 445s. 452s. (500) 503 513 (543) 562 583, V 15 (86) 144 176s. 224 249 355 372 380 384s. 408s. (414 430) 442 (451) 481 486ss 500ss).

Regulae s. Francisci Declarationes [20]: IV 379ss.

Constitutiones generales Narbonenses: IV 398ss., V (498).

Constitutiones generales Farinerianae: IV 389 402.

Constitutiones generales Benedicti XII: IV 397.

---

[1] Ed. ap. AF III, 666-92. — [2] Ibi legas AF III, 687 pro 332. [3] Ed. Lemmens, ap. *Doc. ant. franc.*, I, 1901, 83-99. [4] L. c. 100-6. [5] L. c. I, 37 sqq. [6] *Dicta B. Aegidii Assis.*, Ad Cl. Aquas 1905. [7] Ed. Sabatier, *Opuscules*, I, 370 sqq.; ed. Faloci, ap. *Misc. Fr.*, VII, 1899, 132-6. [8] AF III, 693-707; cf. Delorme, Ferd., O. F. M., ap. AFH II, 431 sqq. [9] AF III, 708-12. [10] AF III, 641-5. [11] Cf. infra, 443.

[12] Ed. Lemmens, AFH I, 254-5. [13] Cf. infra, 397. [14] Ed. sub hoc titulo, L. Lemmens, Romae 1902. [15] Ed. item idem, Romae 1903. Cf. alium, quem ed. Delorme, Ferd., O. F. M., ap. AFH II, 544-58. [16] Ed. Sabatier, Paris 1900. [17] Cf. *Actus b. Francisci*, supra p. XLI, n. 31. *Fioretti di S. Francesco*, ed. Ant. Cesari. Verona 1822; ed. Passerini, Firenze 1903 etc. — An. 1829, 10 febr. in Academia Florentina Furfuratorum (vulgo *della Crusca*) G. Bencini, ostendit librum Conformitatum cum *Floreto* et ei adiectis Vitis ffr. Iuniperi et Aegidii atque cum Dictis huius convenire (excepto cap. XLVIII *Floreti*). Cf. notam Caes. Guasti ad versionem suam libri E. Chavin de Malan, *Storia di S. Francesco*, Prato 1879, 433, (ubi pauca de opere Pisani iuxta Follinium). [18] Ed. Parisiis s. a.; Venetiis 1504; Metis 1509; cf. Sabatier. *Opuscules*, I, 323 sqq. [19] Edita ap. AF III, 1-575. Quodsi Pisanus hac Chronica, sibi coaeva, cf. AF III, p. VIII, usus non est: AF IV, p. XXII, collectionem simillimam ad manus certe habebat. [20] Quoad editiones sequentium operum, vide ipsis in locis cit.

Legenda S. Antonii Patavini[1]: IV 151 264-73, V 349.

Thomas Celanensis, Legenda s. Clarae: IV 78 248 351-6, V 17 350.

Ioan. de Aretio, Legenda b. Benedicti de Sinigardis Aretini: IV 99 253 347.

Bartholomaeus Albisius Pisanus, Legenda b. Gerardi de Valentia: IV 297-301.

Legendae et Passiones plurimorum ss. fratrum: IV 178ss.; Passiones v. gr. 296 304 322 332 334.

Iacobi Tudertini Dicta etc.: IV 235ss., (V 372 310 442).

Auctores Pisano antiquiores, ab eo non adhibiti sed nihilominus in adnotationibus ad narrata illustranda allegati[2].

Iordanus a Iano, Chronica[3]: V 327ss. 500 552.

Thomas de Eccleston, De adventu fratrum Minorum in Angliam[4]: IV 162 270 309 325 330s. 334, V 168.

Nicolaus de Carbio[5], O. F. M., Vita Innocentii IV: IV 42.

Fr. Minor Erfordiensis, Chronica Minor: IV 304 325.

Salimbene, Chronica[6]: IV 240 263 306 326 357 562, V 173 407 463.

Anonymus Perusinus, Legenda S. Francisci: IV 248.

Commercium B. Francisci cum domina Paupertate: IV 118.

Olivi Iohannis, Petrus: IV 74.

Ubertinus de Casali: IV 74 78 276 361, V 118 379.

Angelus Clarenus: IV 192 372s. 440 455 (513); V 104 165-8 178 224; cf. Leg. antiqua.

Alvarus Pelagius, De planctu Ecclesiae: IV 320.

Odoricus de Portu Naonis, Itinerarium: IV 557.

Iohannes Vitoduranus, O. M., Chronica: IV 334 348.

(Hermannus Minorita), Flores temporum: IV 326 438.

Martinus Fuldensis O. M., Chronica: IV 438[7].

Sbaralea-Eubel, *Bullarium franciscanum:* IV 12 147 241 295 307 309 334 (343) 355 359ss. 381s 388-427 439s. 455, V 400 403-7 444 471 etc.

Wadding, *Annales Minorum:* IV 261 332 349 383, V 12 14 17-20 121 169 233 406 500.

Acta SS. Bolland.: IV 210 213 240-3 254 261 274 277 286 293 296s. 303 308 310 324 333 351ss. 358ss.[8].

Codices MSS. in adnotationibus citati.

Cod. Collegii S. Antonii de Urbe: IV 78 331 433s. 438s. 444 446ss. 476 478, V 177 179 252 297 317 408 437 473 481s. 495 500 502 506.

---

[1] Hic non enumeramus scripta omnia ea, quae Pisanus libro primo inseruit, p. 178-364, plus minusve integra vel excerpta, neque illa quae Scriptoribus Ordinis, 336-41 tribuit.

[2] Iuxta propositum enuntiatum AF IV, p. XXXV, auctores Pisano posteriores, et eo magis moderni hic recensendi non sunt. [3] Ed. ap. AF I, 1-19; reliquam partem ed. L. Lemmens, ap. AFH III, 50-4; integram ed. H. Böhmer, Paris 1908. Cf. AFH II, 647-50

[4] Ed. ap. AF I, 217-75; ed. A. G. Little, Paris 1909. Cf. AFH III, 558-63; 583-3.

[5] Non de Curbio. Cf. editionem vitae huius, curante Fr. Pagnotti, ap. *Archivio della Società Romana di storia patria,* XXI, Romae 1898, 7-120.

[6] Ed. Parmae 1857; ed. Holder-Egger, ap. *Monum. Germaniae Hist. Scriptores,* XXXII, 1905-908. [7] Allegantur quoque in notis: *Speculum Minorum,* V 165; *Monumenta ord. Min.*, ib. 317, 332; *Firmamentum ord. Min.*, ib. 317, 379 etc.; Ioannes de Komorowo (obiit 1536) ib. 305; B. Bernardinus Aquilanus († 1503), ib. 340; Chronica anonyma ffr. Min. Germaniae, ib. 327; etc. [8] Praeterea in notis remittitur lector ad alia Chronica, non franciscana: Walt. Gisburnensis, *Chronica de gestis regum Angliae,* IV 181; *Chronica principum Saxoniae,* ib. 325; alia ib. 304 etc., etc.

Codices Vaticani: Lat. 7339: IV 108. Ottob. 522: IV 108. Ottob. 666: Clarenus Explic. Regulae: IV 192 (372s) 455. Lat. 7660: IV 297.

Codices Collegii S. Isidori, Romae: 1/184: IV 162; 1/92: Clarenus, Expl. Regulae: IV 192 455.

Codex Oxoniensis (Catal. ss. ff. Min.): Cod. Canon. Bodlei. 525: IV 178 275 302s. 305 309 324s. 329 335. — Codex Monacensis lat 3702: IV 325 332. — Codex Liegnitziensis: IV 178.

Codices alii momenti minoris ad res textumque Pisani: 216 267 274 304 308 317 320 326 341.

Plura etiam quae omisit fr. Bartholomaeus, quia relationes scriptas prae manibus non habuit, manifestant, quanto studio et accurato res sibi narrandas investigaverit. — Infra p. 380 l. 4: " De praefatis, ait, habetur in pluribus locis scripturae; sed de aliis multis apparitionibus non repperi scripturam, quare hic non pono „. — AF IV, 2 l. 39: " Multaque non ex industria, sed quia ea habere non valui, omittendo „ se scripturum pollicetur. — Ibidem p. 275 l. 16: " Haec, ut audivi, ait, posui; quia eius legendam non vidi „. — P. 320 l. 40 dicit fr. Rogerium ad vitam spiritus et perfectionem informationes reliquisse, " quas non scribo, quia imperfectas repperi „. — P. 317 l. 21 de eodem scribit: " ubi iacet, non repperi „. Idem de pluribus fratribus Minoribus lugens adnotavit; v. gr. p. 204 l. 17, p. 243 l. 32, p. 244 l. 34, p. 280 l. 7, p. 282 l. 9, p. 288 l. 39: " de praefatis solum inveni „ etc. — Saepe de negligentia fratrum, ob quam memoriae sanctorum maiorum deperierunt, conqueritur Pisanus; exempli causa p. 243 l. 23: " quorum memoria obliterata est... scriptorum negligentia et fratrum indevotione „; similia lamentatur p. 245 l. 13, p. 511 l. 15, p. 262 l. 34 " quorum notitia obliterata habetur negligentia fratrum et pravitate „. — P. 242 l. 4 de miraculis fr. Rainerii, sepulti in Burgo S. Sepulchri, loquens, dicit " ut patet instrumento publico quod ego vidi [1] „. — Similia collecta habes ap. AF IV, p. XXIII, l. 11 sqq.

Demum ex adnotationibus criticis ad paginarum calces quam plurimis suppositis, magis quam e dictis modo allatis luculenter patet fr. Bartholomaeum etiam in hoc altero volumine fontes fide et diligentia maximis adhibuisse [2].

---

[1] Quae in formam hanc publicam redacta revera habentur ap. AA. SS. nov. I, 391-402.

[2] AF IV, p. XXII sq.

III.

De aliis codicibus et de editionibus libri Conformitatum.

Hoc in capite tractabimus 1° de deperdito MS. originali operis Conformitatum; 2° MSS. quaedam operis Conformitatum in priore volumine non memorata describemus [1]; addentes quaedam de codicibus ibi iam descriptis et de codicibus deperditis; 3° describemus accurate editiones priores operis eiusdem; 4° demum subnectemus alios codices, qui excerpta quaedam libro Conformitatum continent; inter quae numerantur praesertim Pisani *Declaratio Regulae* et opusculum *De indulgentia Portiunculae.*

1. — De originali manuscripto libri Conformitatum.

Hoc a saeculis deperditum fuisse videtur; neque usque modo ullibi apparuit, neque illud inveniendi spes ulla adest. Plures quidem post Papinium [2], qui tamen postmodum se

[1] Cf. AF IV, p. XXV-XXIX.

[2] *Notizie sicure della morte* etc. *di S. Francesco* 1824, 168; (ed. II, p. 100): « Se l'originale si ritenesse presso di se dal P. Alfieri, o rimanesse al Convento d'Assisi, non si sa; si sa per altro che F. Bartolomeo ebbe in premio una tonaca col cappuccio del S. Patriarcha [supra, p. XXII, l. 20 sq.] conservata a mio tempo nella nostra Chiesa di Pisa. Il regalo venne dal Convento [?]; era giusto che a questo restasse il libro [sed cf. XLVII, l. 9]. Infatti vi si è custodita gelosamente nell'Archivio quest'opera delle Conformità, bene scritta in carta velina [!] fino al 15 giugno 1810, epoca della fatal soppressione. Ora non v'è più. Ripristinato il Convento, quasi tutti i codici son tornati. Ne mancano alcuni, e tra questi l'enunciate Conformità ». — In *Indice* [p. XXI, l. 25] circa an. 1828 opinionem suam sat mutavit. Nam MS. illud Pisani autographum non iam erat nisi exemplar quodcumque huius libri. Nomen autem possessoris, quod in *Indice* tacuit, Papinius suo calamo apposuit in *Codice 691* Bibliothecae S Francisci (modo Communalis) Assisii, qui Codex Inventarium istius bibliothecae anno 1381 confectum continet, necnon et alia Inventaria posteriora. Codicem edidit erudite illustratum cl. v. Alessandri, Leto, *Inventario dell' antica biblioteca del S. Convento di S. Francesco in Assisi,* Assisi 1906. Inter libros MSS olim fr. Hieronymi de Assisio, qui obiit 1445, fuit, Cod. cit. LXXXII « *Item Liber Conformitatum beati Francisci ad Christum in papiro* [!] *et sine postibus* »; l. c. 146. Ad calcem vero paginae Papinius subnotavit: « Codex Conformitatum in papiro supradictus quo usus fuit Magister Tebaldi, cuius est epistola ad Bollandistas [cf. p. XXI], in qua illud [= hoc MS.] memorat et in quo ad marginem quaedam correxit, non est amplius in Archivo neque in Bibliotheca. Est tamen Assisii mancus et mutilus in principio et in fine et quidem valde. Possidet eques Antonius Frondinius, qui illum detexit in apotheca civitatis ». — Quibus subiunxit cl. Alessandri: 'Collectionem Frondinii, post plures codices antea iam venum datos, comparatam fuisse a Canonico Assis. Thoma Locatelli, qui eam reliquit Cathedrali Assisiensi. Codex vero Conformitatum in ea minime invenitur'.

— correxit, dixerunt [1], correctionem eius nequaquam attendentes — MS. originale libri Conformitatum datum fuisse sacro conventui Basilicae S. Francisci Assisii, et quidem iure merito, quia ex hoc conventu provenisset tunica illa, quam minister generalis Henricus Alfierius dedisset fr. Bartholomaeo, ut eum pro opere eximio digne praemiaret.

Quae hypothesis Papinii omni ex parte collabitur, si haec considerabis Codex ille pretiosissimus, autographus, una cum aliis absque dubio in inventariis bibliothecae S. Francisci adnotatus fuisset, si in ea unquam exstitisset. Ille vero codex qui solus in ditissima illa bibliotheca fuit, ei advenit nonnisi anno 1445. Porro provenit ex relictis privatis fr. Hieronymi de Assisio. Insuper codex iste " in papiro " scriptus erat, qualem eum Pisanus capitulo generali anno 1399 vix obtulisset, sed certe pergamenum. Demum erat codex interpolatus [2]. Ex quibus liquet nec autographum nec originale Pisani bibliothecae Assisiensis fuisse unquam.

Porro quidam [3], nullo textu nisi erronee intellecto [4], nisus, autumavit: codicem autographum vel originalem Pisani fuisse olim in Bibliotheca ducali Urbini. Qui codex tantum abest, ut sit originale Pisani, ut magis librarii non parum inscii fuerit; qui postquam librum absolutum dixit an. 1390, eius approbationem Capitulo Gli Assisii an. 1389 adscripsit etc. Est demum codex saeculi XV, idemque ac codex *Urbin. 397 et 398* bibliothecae Vaticanae [5].

Nec maiore aestimatione digna apparet notula, quae scribitur apposita fuisse a manu saeculi XVI exemplari cuidam

[1] Papinii dicta repetiit v. gr. [Fratini, Gius, O. M. Conv.], *Sei preziosi ricordi che il Frate Umbro manda in dono al P. Barnaba d'Alsazia, Min. Oss.*, Foligno 1885, (in-12°, 55 pp.), p. 13, itemque Andrea Prior Tini, *Sulla integrità del Corpo di S Francesco Patriarca nella Basilica di Assisi,* Assisi 1900, etc. — Constat ex adnotatione ipsius Papinii in Codice 691, MS. illud nequaquam fuisse ex vellere sed ex papiro compactum. — Ex modo relatis [p. XLV, n. 2] elucet hypotheses vanas, fundatas in codicis illius ex archivo S. Francisci disparitione, quam miram vocitabant quidam, in opp. modo citt. penitus in nihil abire.

[2] Supra, XXI, l. 27.

[3] Scil. cl. v. Mich. Faloci-Pulignani ap. *Misc. Fr.*, VIII, 138; indeque ap. *Et. Franc.*, X, 613.

[4] Allegat enim tantummodo AA. SS. oct. II, 552. Ibi de hoc codice nil tale legitur. Adest enim tantummodo textus Waddingi, *Script.*, 48, 34[2], 36[3], sic sonans: « Habetur (lib. Conform.) MS. Urbini In bibliotheca ducali ».

[5] Cf. AF IV, p. XXIX. Cf. Stornajolo, *Codices Urbinates Latini*, I, Romae 1903, p. 379-80. Codex convenit n. 184 antiqui indicis bibliothecae Comitum Urbini.

editionis primae an. 1510 libri Conformitatum [1]. Valorem aliquem haberet adnotatio ista, si constaret eam a viro rei gnaro adiectam fuisse. Qui vir, quicumque caeterum fuit, in ipso fol. 1ra editionis illius eamdem rem plane legere potuit [2], pro qua ad praetensum illud originale, nescio cur, amandaverit legentem. Sic enim sonat notula: " *Hic liber conformitatum, ut in originali habetur, quod Pisis est in conventu* [3], *anno Domini 1385 fuit inceptus etc.* ".

Mirum sane nonnullis videatur, quod quaestio de autographo vel saltem originali Pisani tam diu tamque alacriter actitabatur. Qui hanc quaestionem movebant, non omnes theoretice, ut ita dicamus, rem hanc tractavere, nec quia de valore intrinseco operis Conformitatum iudicium ferre volebant, sed ob quaestionem quamdam particularem, scil. an cor et viscera s. Francisci exenterati, in capella seu cella mortuaria s. Francisci apud Portiunculam condita fuissent [4]. Fau-

[1] Apud eumdem Faloci; cf. l. c. X, 1907, 126.

[2] Cf. et AF IV, p. 1.

[3] Si fuit Pisis, non remansit Assisii; cf. supra, XLV n. 2.

[4] Ad hanc controversiam cf. v. gr. Wadding, ad an. 1226 n. XL (II², 446 sq.); Marcus Ulyssiponensis, l. II, cap. LXXIII; Napoli 1680, I, 296. Ottavio Spader, O. M. Obs., *Breve relazione... circa il cuore ed interiora del Serafico Patriarca S. Francesco, esistenti nella di lui capella, situata nella gran Basilica di S. Maria degli Angeli,* Venezia 1723; Bini Pompeo, *La verità scoperta ne' tre Santuari della città di Assisi, la Basilica di S. Francesco, la Porziuncola e Rivotorto,* Firenze 1723, 46-65. (Item et alii libri de Portiuncula etc. agentes). AA. SS. oct. II, 985-92. Annibale da Latera, O. M. Obs., *Dell' esistenza del cuore e delle viscere del P. S. Francesco nella nostra chiesa di Porziuncola,* ap. eiusdem: *Manuale de' Frati Minori,* Roma 1776, 104-118; Barnabé [Meistermann] d'Alsace, O. M. Obs., *La Portioncule ou Histoire de Ste-Marie-des-Anges,* Foligno 1884, p. 239-56: *Appendice: Dissertation sur l'existence du cœur de S. François d'Assise à la Portioncule;* Idem, *Porziuncola ossia storia di S. Maria degli Angeli e dell' origine francescana pel* P. B. d'Alsazia... *tradotta dalla 2ª edizione francese pel* P. Cristoforo da Lanciano, O. M. Obs., Foligno 1884, Appendice: *Dissertazione sull' esistenza del cuore di san Francesco d' Assisi alla Porziuncola,* 347-68; (ap. II ediz. S. Maria degli Angeli 1895, deest appendix illa). Idem, *Portiuncula oder Geschichte Unserer Lieben Frau von den Engeln von* P. B. aus dem Elsass..... *übersetzt aus der 2. französ. Auflage,* Rixheim 1884; Anhang: *Abhandlung über das Dasein des Herzens des hl. Franziskus von Assisi in der Portiuncula,* 286-304. — [Fratini, Gius. O. Conv.], *Riflessioni critico-storiche di un frate Umbro sulla storia della Porziuncola del P. Barnaba d' Alsazia O. F. M. O.,* Spoleto 1884, in-12°, 18 pp. [Idem], *Sei preziosi ricordi che il frate Umbro manda in dono al P. B. d' Als. Min. Oss.,* Foligno 1885, in-12°, 55 pp. [Idem], *La sentinella del quadrilatero Francescano, che a nome del frate Umbro invia un prezioso ricordo al P. Basilio da Grecio, M. O.,* Foligno 1889. [Idem], *Lettera aperta proveniente dall' altro mondo ed inviata al P. Gius. Fratini, sentinella in permanenza del quadrilatero Francescano,* Foligno 1897, in-12°, 32 pp. (Quae scripta polemica non sunt dicenda scientifica). Idem, *Lavoro storico-critico sull' integrità del Corpo di S. Francesco,* Foligno 1897; Tini Andrea, *Sulla integrità*

tores huius sententiae locos Pisani hac de re [1] authenticos esse aestimabant, et quidem summo iure, uti omnes codices Conformitatum examinati probavere. Hoc, quin quaestionem istam *in se* ullo modo heic loci tangamus, profiteamur oportet. Adversarii autem dictae sententiae qui, omnibus consideratis, asserere voluerunt s. Francisci corpus totum — nimirum cum corde et visceribus — in ipsius Assisiensis basilica fuisse conditum (vel si mavis illuc translatum), eo devenerunt, ut textus illos Pisani, — sunt etenim de exenteratione s. Francisci testimonia omnium antiquissima — interpolata esse dicerent. Hoc quidem absque ulla ratione. Nam quidquid inducant et arguant isti: 1° Contextum libri Conformitatum hi loci nequaquam intercidunt vel violentant; 2° neque aliis Pisani locis contradicunt [2]; 3° Codices omnes iam diu exami-

---

del Corpo di S. Francesco Patriarcha nella Basilica di Assisi, Assisi 1900, in-8°, XVI, 109 pp. — Cui respondit R. P. Iohannes Maria Santarelli, O. F. M. [postmodum archiep. Urbinas], *La Tradizione Francescana ed i due luoghi ove furono nascosti il Corpo ed il Cuore del Serafico Padre S. Francesco di Assisi. Ricerche storiche in risposta all' ipercritica (Pro Manuscripto).* Roma, 1901, in-8°, XX, 494 pp. Huius operis tunc prodiit, eodem auctore: *Synopsis historica et liturgica de Praecordiis S. Francisci Assisiensis ad Portiunculam,* [Assisi, S. M. de Angelis, 1903], in-8°, 15 pp. Cf. AF IV, p. X, XXX. Huic contradixit cl. Faloci, *Il cuore di S. Francesco,* ap. *Misc. Franc.*, IX, 1903, 106-120, repetens plura quae iam dixerat in diss.: *Il liber Conf.*, l. c. VIII, 1901, 137-148. Quae repetiit ap. *Miscell. di storia ecclesiastica,* I, Roma 1903, ian., cui ibidem, I, 261-5 respondit A. M. Riberi, *Il De conformitate e la questione del cuore di S. Franc.*, usus codice Cunei: cf. AF IV, XXVII. — Opus: *La tradizione* impetivit praesertim, ex professo, Tini Andrea, *Sull' integrità del Corpo di San Francesco Patriarcha nella Basilica di Assisi,* Assisi 1903, in-8°, 296 pp., et in huius compendio: *Synopsis de Integritate Corporis S. Francisci in Basilica Assisiensi,* Assisii 1901, in-8°, 34 pp. — Quibus sic disputantibus S. Rituum Congregatio imposuit silentium: « *manente interim in sua possessione enuntiata traditione* », Decreto 24 maii 1905. Cf. *Acta Ord. Fratr. Min.*, XXIV, 1905, 293. — P. René de Nantes, O. M. Cap., *La mort de S. François,* ap. *Etud. Franc.*, XVIII, 1907, 483-506, ad hanc rem nil novi discussit (493-506).

[1] Cf. AF IV, 204-5; infra, 428 l. 27-9; 442 l. 10-11; 443 l. 23-6. Infra, LI sqq.

[2] Quid quod nonnulli contradictionem invenerint, v. gr. Faloci, l. c. VIII, 133, itemque, X, 126, inter: Cor in S. Maria sepultum in altari capellae, ubi Sanctus obiit (quod nemo unquam vidisse dicitur), et illud quod dicit (AF IV, 178, et infra 443 l. 24-6): « *De cuius* [S. Francisci] *corpore ad* OSTENDENDUM POPULIS *nihil invenitur nec habetur, ac in quo ecclesiae* [S. Francisci] *loco iaceat* [corpus S. Fr.], *etsi quibusdam sit agnitum, quibus vero, nulli est notum* »? Neque est cur hic de aliis futilibus seriose discutiamus ullo modo. = Ex AA. SS. oct. II, 927, 1009, plures repetierunt (v. gr. Papini, *Notizie sicure,* 170-1; (II ediz. 172-3); Faloci, l. c., VIII, 142-3 etc.) locum fr. Pelbarti Temesvarini, O. M. Obs., *Pomerium Sermonum,* Serm. II de S. Francisco: « *Legitur libro Conformitatum, quod cum Cardinalis quidam* [i. e. Aegid. Albornotius; cf. AA. SS., 926] *bello apud Assisium disposito, vix obtinuisset a civibus, ut introduceretur ad criptam et vidisset corpus beati Francisci, dicebat, quod etiamsi nulla alia forent miracula, hoc solum sufficeret*

nati, itemque novi qui modo accedunt, omnes, nullo prorsus excepto, locos istos eodem plane tenore exhibent[1]; unde 4°) nonnisi cavillando quis potest, codicibus tot et genuinis refragantibus, ad originale Pisani appellare, quasi ex eo nullus codex purus et authenticus promanasset usque modo servatus. Qua etenim facie originale efflagitatur, qua ratione expostulatur? Quod si etiam pro aliis-libris medii aevi exigeretur, quaenam sunt quibus posteri securi uti possunt, poteruntque unquam?

2. — De Codicibus novis, aliisque deperditis libri Conformitatum.

Codices novi. — 1. Codex 1437 bibliothecae Palatinae Vindobonae[2] membranaceus et chartaceus, folia enim bombacina aliis inserta sunt; mm. 312×203; foll. 393, una manu exaratus nitidissima, binis columnis, exceptis primis fol. 1r-7v, *anno 1497* a quodam fratre Minore Polono; cf. infra p. L, l. XIII sqq. Ligatura ex corio aequalis est. Tres litterae initiales singulorum librorum auro variisque coloribus eleganti stilo delineatae sunt. Binarum partium fructuum singulorum initiales minio vel caeruleo incausto depictae sunt, similesque initiales in codice ubique abundant.

Libri I (fol. 1r-225v) rubrica est: " *Primus prologus. In nomine domini nostri Ihesu Christi et beatissime virginis Marie matris sue, ac beati patris nostri Francisci incipit opus quod intitulatur de conformitate vite beati patris Francisci ad vitam domini Ihesu Christi redemptoris nostri. Editum a fre Bartholomeo de Pisis ordinis minorum, sacre theologie magistro ob reverentiam sui patris precipui beati Francisci anno domini 1385. — Incipit primus prologus pro opere prefato. Sanctorum vita probis fulta*

---

pro fide Christi roboranda ». Quae visitatio figenda foret anno 1354; cf. Papini, l. c. 83 sq., 199 sq. (74 sq.; 209 sq.). (De fr. Pelbarto, qui floruit circa an. 1490 cf. Wadding, *Script.*, 274, 186[2], 183[3]; Sbaralea, 579, 731; Hain, *Repert. Bibliogr.* n. 12548-66; Copinger, *Suppl.* n. 12551-64; 4665). Ad locum Pelbarti quod spectat, constat illum nullibi in codicibus (nec editionibus) operis Conformitatum inveniri. Unde vel Pelbartus eximie fallebatur allegans Pisanum loci alterius, vel codicem valde interpolatum Pisani prae manibus habebat. Immo haec Pelbarti narratio dictis ipsius Pisani (supra p. XLVII, n. 4) sat eliditur.

[1] Infra, p. LI sqq.

[2] Notatur in op. *Tabulae codicum manu scriptorum praeter graecos et orientales in Bibliotheca Palatina Vindobonensi asservatorum*, I, Vindobonae 1864, p. 238. Accuratam descriptionem supra datam confecit R. P. Hieronymus Golubovich, O. F. M., cui heic gratias dicimus.

operibus „; expl. “ *felicitatis eterne* „. — Prologus II inc.: “ *Similem illum fecit* „; expl. “ *ad quam gloriam salvator... perducat... per infinita sec. seculorum. Amen* „ uti AF IV, 22. Inde inc. lib. I: “ *Expeditus a prologo* „ expl. “ *subministravit* „. *Ad propositum est prima pars primi fructus* „ etc. uti in editione nostra, p. 23, l. 15.

Liber secundus est fol. 227 r-334 r; liber tertius fol. 335 r-384 r, cuius ultimus fructus expl. “ *Et post huius vite cursum ad te veniendum et perfruendum me perducere digneris. Qui cum patre... per inf. sec. seculorum Amen* „.

Demum ultimo in loco haec rubrica amanuensis: “ *Finis arboris et operis quod de conformitate vite beati Francisci ad ipsius Domini nostri Ihesu Christi intitulatur, per quemdam pauperculum feria quinta ante S. Simeonis et Iude citissime terminatus 1497, eodem quo die facta est vilis et lamentabilis prostracio in Valachia Polonorum*[1] „. Sequuntur versus: “ *Francisce Ihesu tipice, dux normaque Minorum*[2] „.

Fol. 384 v. habetur copia epistolae fr. Bartholomaei “ *directe Ministro generali et capitulo generali, pro approbatione operis precedentis* „. Cui sequitur “ *litera responsiva capituli generalis opus istud approbantis* „ data “ *apud locum sacrum de Assisio die 2ª augusti anno dni 1399* „. Infra, 503 sq.

Fol. 385 r-393 v continent duplicem tabulam seu indicem copiosissimum in vitam Christi et Francisci analyticum et per materias compositum totius operis Conformitatum. Ad codicis indolem insinuandam quaedam subiicimus inde excerpta.

Fol. 78 r de fr. Valentino de Narnia, AF IV 202, l. 28-36, narrata temporum adiunctis accommodavit uti As.

In *Vicaria Russie* f. 130 vb, post relata de guardiano mutilato, et post “ Alii vero fratres gladiis sunt ob predicationem fidei occisi „ (cf. AF IV, 335 l. 37) additur: “ In eadem vicaria provincie Polonie, in loco fratrum circa

[1] Librarius hinc frater Minor Polonus erat. Agitur de clade Polonorum, in bello sic dicto Valachico, a Valachis, Turcis et Hungaris eis illata in silva Bucowycz, 23 oct. 1497; de qua etiam lamentatus est Fr. Iohannes de Komorowo, O. F. M., *Memoriale ordinis Fratrum Minorum*, ap. *Monumenta Poloniae historica*, V, Leopoli 1888, 266-7. Festum SS. Simonis et Iudae est 28 oct.

[2] Caetera uti versus ap. AF IV, 18.

Cracs sito, iacet fr. Simon de Lypnycza, egregius predicator. Quem Deus post mortem dedit miraculis gloriosum[1]. — Iacet etiam in loco fratrum circa Leopolim sanctus frater Iohannes de Ducla, qui anno Domini 1484 a Domino vocatus, magnis et assiduis claruit et claret miraculis, que conscribi fratrum negligentia sunt obmissa[2] „.

De Cardinalibus f. 134v-135r; primus est fr. Bonaventura, AF IV, 345, ultimus et XXII in serie, uti apud As et Editiones " fr. Petrus de Candia... qui postmodum fuit factus cardinalis per dominum Innocentium. Et [uti edd.] ultimo fuit papa Alexander electus in concilio pisano „; scil. Alexander V (1409-1410)[3].

In fructu XI, non vero in VIII, omisit integrum catalogum Provinciarum.

Fol. 201, i. e. AF IV, 501 l. 4-5, post " conventum aedificavit „, omisit l. 5-15, quae res iam alibi expositae, ibi tanguntur solummodo.

Inter fol. 367v-368r, folium integrum ex codice fuit ablatum et rescissum, in quo erat pars reliqua fructus XXXIII (IIae partis) cum tota prima parte fructus XXXIV et dimidio secundae partis eiusdem fructus, ubi praecise habentur de praecordiis S. Francisci. Item inter fol. 363-64 ablata fuerunt duo integra folia fructus XXXII, in folio tamen immediate sequenti[4], scilicet fol. 364vb, habetur textus de corde S. Francisci: " *In hoc ſoluit mori amicus Virginis* „, i. e. infra 428 l. 27-31, et MS. cum editione nostra penitus concordat.

2. *Cod. 144 (Eccl. 466)* [*HS. 2. Kast. 6 pl. A.*] bibliothecae universitatis Rheno-Traiectensis[5]. Cod. Miscellaneus

---

[1] De quo cf. AFH IV, 320, 326; obiit Cracoviae, 18 iul. 1482; Ioh. de Komorowo, l. c. 232-6.

[2] Cf. AFH l. c.; obiit 27 sept. 1484; Komorowo, l. c. 246-9. — Ex his additis minime concludi potest librarium huius codicis (seu eius archetypi) ad sua usque tempora etiam alibi sanctos fratres inseruisse; nam v. gr. fol. 113 de Provincia Pennensi agens, nil de S. Bernardino Senensi habet, etc., cf. AF IV, 290 nota *c*; infra LIII, l. 20sq.

[3] Cf. AF IV, 346 b; supra, p. XXI, l. 28 sq.

[4] Unde patet alios locos respectivos nec in foliis exscissis defuisse.

[5] Describitur a P. A. Tiele, *Catalogus codicum manu scriptorum bibliothecae universitatis Rheno-Traiectinae*, I, Traiecti ad Rhenum 1887, p. 43 n. 144. — Accuratiorem descriptionem nobis misit, R. P. Bonav. Kruitwagen, O. F. M., pro quo ei gratias heic dicimus. Caetera contenta codicis ap. AFH idem ipse describet.

chartaceus; 272 foll., 390×283 mm., saec. XVI ineuntis; foliis bipartitis manu una eaque nitida, conscriptus. Tituli minio exarati. Litterae initiales alternatim colore rubeo et caeruleo depictae. Paragraphorum signum permultis in locis minio exaratum invenitur. In margine foliorum atramento scriptae inveniuntur litterae grandes, seriem A-Z continuo repetentes, ad quas remittitur in tabula libri Conformitatum, hoc modo: (fol. 230 a 2): " *Mulier audivit b. Antonium predicantem. ij p. viij. confor. folio lx. T.* „. — Codicis scriptorem eiusque aetatem revelant quae sequuntur inscriptiones: (fol. 224 ra): " *Explicit liber conformitatum vite beati Francisci ad vitam Ihesu Christi. Finitus per fr. Cornelium Ioh. Delf anno domini 153* [sic, pro 1503] *circa festum sancte Agathe* [5 Febr.] „. Sequuntur versus, quae AF IV, 18 habes: *Francisce, Ihesu typice;* in versu II habet *Christi* pro *Christe.* Quibus 4 versibus hos addit:

Ut scriptor valeat ovans ingredere polum,
Hoc felix ordo francisci conferat donum.

Item fol. 260 vb: *Finit dicta responsio scripta in conventu fratrum minorum Goude*[1] *per F. C. I. Delf anno domini ccccc.iiij.* [sic] *xxiij die octobris sub vesperis. Ad laudem dei.* — Codicem olim fuisse bibliothecae FF. Minorum Trudonensium [Sint-Truiden, in Belgio] patet ex recentis manus inscriptione fol. cit. ra, in capite: *Bibliothecae fratrum Minorum Trudonensium*[2].

Codicis ligatura constat tabulis duabus ligneis corio originali eoque subfusco coopertis. Dorsum totum fuit reparatum. Adsunt fragmenta clausurarum ærearum.

Incip. f. 1 ra: *In nomine domini nostri Ihesus Cristi et beatissime ac gloriose semperque virginis Marie sue matris, nec non beati Francisci incipit opus quod intitulatur de conformitate vite beati francisci ad vitam domini nostri Ihesu Cristi redemptoris,*

---

[1] Goudae erat conventus O. F. M. Provinciae Coloniae, sed post Pisanum, scil. 1418 fundatum pro Observantibus, quorum iste primus in dicta Provincia conventus fuit; cf. Wadding, 1418 n. 11 (X² 18); Schlager, Patr. O. F. M., *Beiträge zur Geschichte der kölnischen Franziskaner-Ordenprovinz im Mittelalter,* Köln 1904, 97 sqq.

[2] Conventus item olim Provinciae Coloniae; AF IV, 549; Schlager, 26, 76.

editum a fratre Bartholomeo de Pisis ordinis minorum sacre theologie magistro ob reverenciam sui sancti patris praecipui beati Francisci. Anno domini m.ccc.lxxxviij. — Incipit prologus primus pro opere prefato. Sanctorum vita probis etc. Fol. 224ra: *Explicit lib.* etc. uti supra p. LII, l. 11. Fol. 224rb. Tabula sine inscriptione incip.: " *Abbas revelacione intravit ordinem* etc. ".

En quaedam de hoc codice, qui in genere cum As et Edd. concordat. Fol. 23va adsunt utique quae om. cod. Al.: AF IV, 102-5; cf. p. XXXIV. — In genere additiones, omissiones et mutationes cod. Assis. et Editionum in notis AF IV recensitas habet, v. gr. fol. 46-7 de fr. Valentino de Narnia; l. c. p. 202 not. *b, c, d;* f. 55ra om. uti p. 243 not. *d;* f. 61va om. uti p. 274 not. *b;* f. 68ra: *domine Marie,* p. 309 l. 19; f. 72rb om. uti p. 333, not. *b;* f. 94vb et 92ra om. uti p. 449 not. *a* et *f;* f. 110ra om. uti p. 520 not. *h;* f. 110va add. uti p. 525 not. *e;* f. 113rb om. uti 541 not. *a.* — In his notatis convenit penitus cum As et Edd. — Fol. 61 vb i. e. p. 272 l. 19 legit etiam *mirabilis* (sed lectio Al omnino praeferenda); f. 72rb, i. e. p. 333 l. 16 habet *propter fidem* (!) *ab eo in dicta civitate cum quadam muliere commissa.* — F. 64va, i. e. p. 290 not. *c,* addit uti editiones priores: " *Item noviter in dicto loco iacet sanctus Bernardinus de Senis magnus predicator et multis miraculis choruscans post mortem anno 1444* ". — Fol. 139ra, i. e. infra p. 42 l. 28-9, " videlicet MCCCXC " uti editio.

Loci de praecordiis S. Francisci in hoc codice non secus ac in aliis probe adsunt, interpolationemque suppositam et ipse confutat.

I° fol. 47rb, i. e. p. 204-205 et quidem hoc tenore: " In signum dilectionis voluit b. Franciscus, ut in hoc loco post mortem suam cor suum collocaretur, ut a fratribus antiquis ego ipse accepi. Et est, ut dicitur, in altari b. Francisci in capella ibidem collocatum. Ipsum enim etc. " uti in AF IV, 205. — II° f. 211rb, i. e. infra, edit. 428 l. 27-30, quacum plane concordat MS. Item loci ed. 429 l. 1-2, fol. cit.; itemque locus p. 442 l. 7-11, f. 213va, atque p. 443 l. 24-7, f. 213vb penitus cum nostra editione concordant.

3. Olim codex libri Conformitatum exstabat Ferrariae in bibliotheca conventus S. Francisci[1], in-fol., partim pergam., partim chartaceus, in cuius fine scriba haec notavit[2]:

« *Scriptus fuit hic liber et ad finem debitum productus per me Fratrem Paulum de Marostica Ord. S. Francisci anno Domini M°CCCCLXV° die Februarii XXIII,* auxiliante Domino Iesu Christo Salvatore nostro, cui omnis est honor et gloria in eternum. Amen ».

Qui codex postmodum a cl. v. D. *Thomas Phillipps* in Cheltenham in Anglia acquisitus fuit, eiusque bibliothecae ditissimae et celeberrimae, modo vero partim iam sub hasta venditae et adhuc vendendae, *numerus 811* fuerat. In venditione publica anni 1908 cl. v. D. A. G. Little[3] in Sevenoaks (Risborough) in Anglia codicem comparavit.

Codex[4] scriptus est an. 1465; chartac. et pergam., mm. 320×320, binis columnis exaratus; initiales alternatim rubrae et caeruleae sunt, tituli rubricati; 3 foll. insit., 282 et 5 foll. in fine insititia. Ligatura compacta est ex duobus foliis Lectionarii saec. XIV, et folio saec. XI vel XII, habente locum ex *bello Iudaico* Flavii Iosephi. Intra sunt duo folia chart. adglutinata, in altero quorum tantum legi possunt verba saeculi XV: " *Ego frater Franciscus de Furlivio ordinis minorum minimo. Carissime* ". In calce ibi altera manus eiusdem aevi: " *Iste liber est conventus fratrum minorum de Rimino* ". Inde ergo postmodum Ferrariam translatus est codex; circa ann. 1771 alius codex Arimini erat: cf. supra LVIII, l. 17 sq. A. G. Little, l. c. 63, cuius est codex, eum non reputat valoris specialis.

Fol. 1-279: *Conformitates Fr. Barth. Pisani. In nomine domini nostri Iesu Christi et beatissime Virginis* etc. uti in edit. p. 1. — Fol. 81r in margine additio illa adest de S. Bernar-

---

[1] Eum noverat et adhibuerat Sbaralea, 110 (I², 115) et 514 et *Bull. Franc.*, I, p. X.

[2] Notitia hec de eo invenitur in MSS. P. Benoffi, O. M. Conv., in Bibl. Oliveriana Pisauri in vol. MS. quod inscribitur: «*Provincia del Santo e di Dalmazia o di Romania*»; quam nobis exscripsit R. P. Saturninus Mencherini, O. F. M., pro quo grates ei sint dictae.

[3] Celebris et bene meritus rerum franciscalium studiosus; cf. AFH I, 195, 652, 660; II, 164-5; 171, 651-7; III, 178-9, 559-62; IV, 147-50, 794.

[4] Descriptionem summariam codicis ab ipso A. G. Little ap. *Etudes Francisc.*, XXI, 1909, 62-3 datam infra referimus. Cl. v. Prof. Little identitatem codicis sui cum Ferrariensi non perspexerat. Cf. et AFH II, 164. Item infra p. CXXIII.

dino Senensi; cf. ed 290 nota *c.*; supra p. LIII, l. 21. Fol. 280vb explicit totus codex: " *Deo gratias. Scriptus fuit hic liber et ad finem debitum perductus per me fratrem Paulum de Marostica Ordinis sancti Francisci anno Domini MCCCCLXV° die februarii XXIII auxiliante domino Yesu Christo Salvatore nostro, cui omnis est honor et gloria in eternum* ". Cf. p. LIV, l. 4-7.

Fol. 279v°-280v°: « *In*[1] *nomine domini, Amen. Infrascripta sunt privilegia annotata tam indulgentiarum quam immunitatum et exemptionum ordini fratrum minorum concessarum per diversos dominos summos pontifices sacrosancte Romane et universalis ecclesie, necnon per nonnullos dominos eiusdem ecclesie tam cardinales et patriarchas et primates quam archiepiscopos, episcopos et legatos et alios prelatos sedium diversarum in Romana curia existentium. Que privilegia et indulgentie fuerunt reportate et de registris extracte apostolicis per Reverendum in Christo patrem fratrem Marcum trivixanum, ministrum provincie Romanie*[2] *et sacre theologie magistrum, tunc acolitum et auditorem apostolice camere existentem. Et licet omnia hec ut plurimum in sacristia nostri ordinis Assisinatis conventus sint et fuerint annotata, ponuntur tamen ubi et in quibus locis nostris cum bulla papali pendenti privilegia habentur* ». — *De privilegiis indulgentiarum Rubrica* etc. Inc.: « *Sanctissimus in Christo pater et dominus Gregorius* ». Expl. « *Sanctissimus in Cristo pater dominus Alexander papa 5us qui fuit de ordine fratrum minorum et frater de conventu Candie, Petrus Philaretus nominatus*[3]*, confirmat dicto ordini omnia privilegia suorum predecessorum, et ult*[*imo*] *hoc concessit ecclesie sancti F*[*rancisci*] *de Candia in festo eiusdem perpetuis temporibus indulgentiam a pena et a culpa duraturam. Privilegium incipit: Licet is de cuius munere venit, etc. Et habetur Candie cum bulla papali*[4]. — *Laus deo omnipotenti* ».

Fol. 280v°. (col. 2) « *Infrascripta sunt privilegia auctoritatum et exemptionum... et aliorum indultorum ordini fratrum minorum a sede apostolica concessorum... sub privilegiis bulla plumbea bullatis, que reperta fuerunt in registris apostolicis per suprascriptum Reverendum patrem fratrem Marcum, magistrum et ministrum etc. que hic scribi fecit ad perpetuam rei memoriam, ad preservationem ordinis, ad notitiam legentium, et ad contundenda armis presentium immunitatum ora latrantium contra ordinem memoratum, anno domini 1428, die 10 Ianuarii. — De auctoritate absolvendi ab excommunicatione tam a iure quam a iudice et canone sententie late Rubrica* etc. Inc. *Fratres minores possunt ab excommunicatione.* Expl. *Patet ex privilegio Benedicti VIII* (sic) *quod incipit « In synu sedis ». Que habentur Venetiis* etc.

---

[1] Hunc textum — id quod ap. *Et. Franc.* l. c. non notatur — iam vulgavit ex hoc ipso codice Sbaralea, *Supplem.*, 514, et BF l. c. — Collectio isthaec Privilegiorum habetur quoque in MS. olim Aracoelitano (Waddingi) nunc Vaticano lat. *7600* et Assis.; cf. AF IV, XXVII sq. — De hac collectione cf. Sbaralea, l. c. Qui recte adnotavit hanc collectionem et codicem Aracoelitanum commemorari ap. *Apologia per l'Ordine de' Frati Minori* etc. I, Lucca 1748, 540-1. Ibi quoque falso adnotatur Codicem an. 1418 fuisse absolutum. Auctores vero *Apologiae*, quae prodiit Lucae 1748-50, 3 voll.. (cf. Teoph. Domenichelli, O. F. M., ap. AFH I, 176) fuerunt PP. Crescentius Marraccini et Bonav. Ambrogii, O. M. Ille erat Praefectus studii Aracoelitani. Codicem ibi tunc adhuc adservatum esse expresse dicit. — Codicem istum eumdem esse ac codicem Vaticanum, praesertim ex hac collectione Privilegiorum perspexit iam Conr. Eubel, *Provinciale Ord. Fr. Min. vetustissimum*, Ad Cl. Aquas 1898, p 5, et postea Ed. Alenconiensis, O. Cap., ap. *Etudes Franc.*, XII, 1904, 91. Cum codicis amanuensis in fine se subnotaverit: « *Middelburch, P.* », coniicere licet codicem scriptum esse in Germania Inferiori, (et quidem probabiliter in Provinciae Coloniensis finibus, cuius erat conventus Middelburgensis), cf. *Provinciale*, cit. 25; AF IV, 559.

[2] Non *Romanae*, uti ap. Waddingum, an. 1399 n. XI, et AF IV, XXIX legitur.

[3] De quo cf. supra, p. XXI, not. 17.

[4] Deest haec bulla ap. Eubel, BF VII, 410 sqq.

4. Codex *180* in bibliotheca Landiana Placentiae, libros tres complectens; saec. XV, foll. 381, mm. 310×230, binis columnis nitide scriptus una manu.

Fol. 1 r. rubr.: « *In nomine Domini... ad honorem* (sic) *D. N. I. Christi... Mill. trecentes. LXXXV. Incipit primus prologus pro opere prefato. Yesus Marie filius. Sanctorum vita* »; cf. edit. p. 1. Incip. II prologus et fructus I uti in edit. p. 3 et 23 etc. Liber I continetur fol. 7 r-215 r; liber II f. 215 r-323 v; demum tertius f. 323–378. In fine sunt versus: « *Francisce, Iesu typice* » uti in edit. 18 l. 5-8; denique epistolae Pisani ad Capitulum Generale Assisii, an. 1399, huiusque responsum [1].

5. Operis Conformitatum libri secundus et tertius continentur etiam in codice *381* bibliothecae universitatis Ticinensis [2]. Est cod. membran. saeculo XV exemplatus, foll. 176; mm. 165×120, binis columnis. Initiales aliae coloribus ornatae sunt, aliae minio, aliae demum lineis calamo ductis. Incip. " *Postquam libro precedenti* "; infra, p. 1; explicit vero: " *Explicit pars tercia... anno Domini MCCCLXXXX die decima octava martii. Deo gratias* "; scil. uti editio, infra p. 503.

6. Codex 252 bibliothecae Palatinae Parmae; chartaceus, foll. numer. 9-128; mm. 215×71, continens librum II.

In fol. 1 pro custodia, manu saec. XVIII: « *Questo codice contiene la seconda parte dell' opera intitolata: Conformitates vitae S. Francisci cum vita Christi, auctore Fr. Bartholomaeo de Pisis, è opera piena d'incongruità e pazzie. Fu impresso* etc. ». — F. 9 r. rubrica: « *Incipit liber II de 16 aliis conformitatibus Vite b. Francisci cum vita D. N. I. Christi. Prima conformitas et in ordine* etc. »; inc. « *Postquam libro praecedenti* »; infra p. 1. Usque ad conformitatem V binas partes transcripsit librarius, scriptura mox descrescente et spissiore, indeque fessus solas secundas partes Conformitatum exemplans. Expl. in secunda parte fructus XI, f. 128 v., i. e. infra p. 254 l. 7-9: « *Adoramus te Christe... mundum* ».

7. 8. Notamus demum obiter opus Conformitatum haberi in cod. *19* bibliothecae universitatis Messinae, saec. XV, qui tamen mancus est [3], itemque in cod. *lat. 3599* bibliothecae nationalis Parisiis [4].

[1] Plura cf. in descriptione codicis facta a R. P. Andrea Corna, O. F. M., ap. AFH IV 1912, 93–4. [2] L. de Marchi e G. Bertolani, *Inventario dei Manoscritti della R. Biblioteca Universitaria di Pavia,* Fondo Aldini, I, Milano 1894, p. 215.

[3] Iuxta Winkelmann, *Reisebericht.* ap. *Neues Archiv d. Ges. f. ält. deutsche Gesch.,* III Hannover 1877, 613. [4] Iuxta notitiam nobis missam a R. P. Ferdinando Delorme O. F. M.; cf. *Catalogus codd. MSS. bibliothecae regiae,* III, Parisiis 1744, p. 536.

Quaedam de codd. in vol. priori[1] descriptis. — 1. Codex *VIIIb. 11.* bibliothecae nationalis Neapoli. Ad ea quae AF IV, p. XXVIII dicta sunt, haec addenda[2]. Cod. chartaceus et membran., saec. XV circa finem; foll. 313, binis columnis linearum 52, mm. 340×250.

Fol. 1ra rubrica: " *In nomine domini nostri Iesu Christi et beatissime virginis Marie sue matris ac beati patris nostri Francisci. Amen. Incipit opus quod intitulatur de conformitate vite b. Francisci ad vitam Iesu nostri salvatoris editum a fratre Bartholomeo de Pisis ord. min. sac. theologie magistro ob reverentiam sui patris precipui b. Francisci anno MCCCCLXXXV. Incipit primus prologus pro opere prefato. Sanctorum vita probis fulta* etc. „ uti in edit. nostra AF IV, 1 sqq.

Codex est familiae eiusdem, cuius est et As. Cf. v. gr. f. 53va, i. e. AF IV, 202, nota *c* et *d;* de fr. Valentino de Narnia habet uti As. et Edd.; f. 61ra, i. e. p. 242 nota *d* omisit; f. 104ra omisit, uti p. 449 nota *a* et *f* notatur.

Expl. f. 277ra: " *Finis arboris et operis. Explicit; totumque opus de vite conformitate b. Francisci ad vitam domini nostri Iesu Christi, cui est honor et gloria in secula seculorum Amen* „.

Post aliqua folia alba sequuntur quaedam extracta, ad instar indicis operis Conformitatum. Expl. " *sancti corpus ad basilicam sibi constructam cum multis laudibus transtulerunt. Amen* „.

Deinde sequitur parvulum extractum ex Epilogo[3] operis " *Arbor gloriose Virginis Marie edita per eumdem supradictum fratrem. O Maria arbor mirifica, divinis aquis rigata* „. Expl. " *Circa vero arborem ponuntur sancti patres qui de ipsa locuti fuerunt. Explicit liber scriptus per manus fratris Mathie, ordinis premonstratensis de Inferiori Alamania. Deo gratias* „.

Post alia folia alba sequitur Arbor vitae, libri scil. Conformitatum S. Francisci, viridi colore depicta ac versibus circumcirca ornata, quorum primus:

Francisce, Iesu typice, dux formaque minorum et alii tres, uti in ed. p. 18. Sequitur tunc " lectio Martyrologii in festo

[1] AF IV, p. XXV-XXIX.

[2] Quae nobis humane transmisit R. P. Elpidius Rocchetti, O. F. M., modo Guardianus S. Clarae Neapoli, pro quo gratias ei hic dicimus.

[3] Qui in editis deest; de quo plura cf. p. CIX l. 27 sqq., CXI l. 18 sqq.

S. Patris nostri Francisci „. Post haec tandem immediate sequitur epistola auctoris operis Conformitatum ad capitulum generale, et responsum capituli generalis ad auctorem.

2. Codex *Campori γ. B. 6. 24.* bibliothecae Estensis Mutinae, qui solum librum primum Conformitatum continet. De eo cf. AF IV p. XXVII sq.; ampliorem autem descriptionem habes a R. P. Seraphino Gaddoni, O. F. M., exhibitam ap. AFH IV, 1912, 95-97, ubi quoque elenchum picturarum calamo deductarum habes, quae in principio duodecim conformitatum in hoc codice adsunt.

Codices deperditi. — 1. Codicem archivi conventus Ariminensis O. M. Conv. prae manibus habuit Fr. Franc. Ant. Righini[1], O. M. Conv., qui codex " per Franciscum Ariminensem, an. 1412, tunc Pisis commorantem[2] „ exaratus fuerat. Quo iste codex devenerit, ignoratur.

2. Exstitit quoque olim MS. libri Conformitatum in provincia Poloniae, deinde in conventu Wratislaviensi provinciae Bohemiae, postea Silesiae Ord. fratrum Minorum Ref., qui codex ante annum 1483 in Italia scriptus fuerat.

Eius notitiam habemus tantummodo ex fr. Ioh. de Komorowo, O. M. Obs.[3], ubi iste de fr. Victorino Melstinsky[4] loquitur, qui in conventu Tarnoviensi obiit an. 1483. Hic frater « de (ait) magnis baronibus regni Poloniae... elegit Deo sub veste humili intra religionem S. Francisci Observantium domino famulari. Hic haud pauca quibusdam claustris in paramentis et aliis necessariis contulit, sed in locis Slesie pro magna parte remanserunt, quia ante divisionem provinciam Polonie[5] in dicione sua habebant; unde et libros nonnullos comparaverat magni precii, precipue *Conformitatum,* ad quem perscribendum quinquaginta florenos miserat in partes Italie. Tan-

[1] Cum ederet: *Provinciale Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Conventualium seu Polychronicon Iordanis. Ex codice MS. Bibliothecae Vaticanae num. 1960, fol. 23 et seq. descriptum, editum, ac brevibus notis illustratum,* Romae 1771, in-fol. VIII, 67 pagg. et foll. Sic dictum *Polychronicon Iordanis* non est nisi *Historia satyrica* Fr. Paulini Veneti O. M. — Catalogum istum e MS. Vatic. lat. 1960 denuo edidit R. P. Conr. Eubel, O. M. Conv., *Provinciale Ordinis Fratrum Minorum vetustissimum sec. cod. Vatic. n. 1960,* Ad Cl. Aquas 1892.

[2] Righini, l. c. V, adhibuit quoque codicem Pisani Ferrariensem, de quo p. LIV sq. et MS. *Aracoelitanum Pisani* ex quo Waddingus Seriem Provinciarum Ordinis circa an. 1399 edidit (an. 1399 n. XI; 1400 n. XII (IX² 160-80; 206-34) De hoc cf. AF IV, p. XXVII sq. Supra, LV n. 1.

[3] Obiit 1536; in suo *Memoriale Ordinis fratrum Minorum,* ed. cit. [supra L, n. 1] 238. Idem fere textus in eiusdem: *Tractatus cronice fratrum Min. Observantiae,* ed. H. Zeissberg, Wien 1873, 100; qui tamen legit « *Conforuitatum* (!) ».

[4] De eo cf. Waddingus, an. 1459 n. LXI; 1466 n. XVI; (XIII, 143, 390).

[5] Cf. Komorowo, *Memoriale,* 290 sq., 333 sq.

dem exinde scriptus, portatus et conpletus, a provincia nostra eundem alienaverunt et in locum Wratislaviensem[1] tandem reposuerunt ».

3. Etiam Norimbergae in conventu Ord. fratrum Min. Obs. codex Conformitatum tres libros complectens, saeculo XV exstabat, uti ex quibusdam locis *Chronicae*[2] fr. Nicolai Glassberger, O. M. Obs., qui inde ab anno 1483 ibi morabatur, ibique anno 1508 diem clausit extremum[3], elucet.

Allegat enim hoc opus aperte (15): « uti latius patet in... et libro *Conformitatum fratris Bartholomaei de Pisis* »; agitur ibi de abbate anglico O. S. B. et de Rodulpho, Herfordiensi episcopo, qui facti sunt Ordinis Minorum: AF IV, 329–31. — P. 28 « sicut (ait) latius hoc tradit fr. Bartholomaeus de Pisis in libro *Conformitatum*, conformitate XIV », scil. de indulg. Portiunculae; infra, 31 sqq. — Item cf. p. 40, 104, 215-16; i. e. AF IV, 262, 328, 18.

4. Exstabat quoque olim MS. libri Conformitatum in conventu O. M. Conv., Dirutae in Umbria, quem anno 1827 penes se habebat Nicol. Papinius[4].

5. Item Senis in locupletissima bibliotheca conventus S. Francisci, O. M. Conv. istud opus diversis in codicibus divisus aderat, qui una cum aliis saec. XVI misero incendio periere[5].

6. Codex operis Conformitatum exstabat adhuc, saeculo XVIII in finem vergente, in bibliotheca Conventus O. F. M. Obs. Castri Lauri, alias Curtis Maioris[6]. Eum obiter tantum commemorat P. Irenaeus Affò, O. M. Obs.[7].

7. Alius codex libri Conformitatum exstabat olim in bibliotheca conventus Patrum Capuccinorum Lauri in Piceno, uti ex epistola hac patet:

---

[1] De conventu isto, qui differt ab illo AF IV, 329, 552, cf. Greiderer, *Germania Franciscana*, II, Oeniponte 1777, 607-16; Wrbczansky, Sever., O. M., *Nucleus Minoriticus seu vera et sincera relatio originis et progressus Provinciae Bohemiae*, Vetero-Pragae 1746, 321-42; ubi tamen nil de codice.

[2] Edita ap. AF II, 1887.

[3] Cf. AFH II, 1909, 673.

[4] *La storia di S. Francesco*, II, Foligno 1827, 248. Ibi lector remittitur ad eiusdem indicem Scriptorum F. Min., cuius locum supra p. XX sq habes.

[5] Cf. Catalogum bibliothecae huius ap. eumdem Papini, *L'Etruria francescana*, I (unic.) Siena 1797, 118, n. 7. « *Primus liber Conformitatum B. Francisci ad Christum, magistri Bartholomei de Pisis ord. min. in pergameno, in bona litera grossi voluminis, ad modum Breviarii* ». Inventarium bibliothecae (117–164) maximam partem confectum est a. 1481. — « *Tertia pars magistri Bartholomei de Pisis de Conformitate B. Francisci ad Christum in papiro. Olim Magistri Iacobi* »; p. 146 n. 796.

[6] De hoc conventu fundato 1481 pro FF. Min. Obs., cf. Flaminio da Parma, O. M. Obs., *Memorie istoriche delle chiese e dei conventi dei Frati Minori dell' oss. rif. Provincia di Bologna*, Parma 1760, I, 233–294.

[7] *De' cantici volgari di S. Francesco d' Assisi*, Guastalla 1777, § VII, p. 22; opus hoc reimpressum fuit *Miscell. Franc.*, XI, 1909, 129-50; ibi, 135.

« Invio[1] a V. P. Revma le notizie, che desidera, estratte dal Codice del Pisano esistente nel Convento de' Cappuccini di questo luogo, e sono le seguenti.

« *Item*[2] *in Conventu Paduae iacet Frater Lucas, socius Beati Antonii, sanctitate, signis, gratia*[3] *ac praedicationibus clarus. Hic iacet prope capellam Beati Antonii, et super archam missa celebratur, et communiter eadem*[4] *in devotione habetur. Hic utiles sollepnes* (sic) *et subtiles composuit sermones diurnales*[5] *et incipiunt:* « *Narraverunt in*[6] *fabulationes, sed non ita*[7] *lex tua* ». *Item in dicto conventu etiam iacet quidam alius Frater nomine Fidentius, vir sanctus, et mirabilis in signis*[8] ».

La parola postillata[9] non s'è potuta intendere nè da me, nè da altri; l'intenderà però V. P. Rvma.

Nel fine del codice non s'è pututo trovare da chi, dove ecc.; si trova però nel principio, ove si legge: « *In nomine Domini Iesu Christi et Beatissimae Virginis Mariae suae Matris, ac Beati Patris nostri Francisci: Amen. Incipit opus, quod intitulatur de conformitate Beati Francisci ad vitam Iesu Christi nostri Redemptoris, editum a Fratre Bartholomaeo de Pisis ordinis Minorum sacrae Theologiae Magistro ob reverentiam sui Patris praecipui Beati Francisci Anno Domini MCCCLXXX6* (sic). *Incipit primus Prologus etc.* ». Ecco servita V. P. Revma. » etc.

Huc referri possunt quoque MSS., quae illis prae manibus erant, qui ante an. 1510, extracta e Pisano excerpserunt; cf. p. LXXI sqq.

3. — De editionibus prioribus libri Conformitatum.

Accuratam harum descriptionem[10] hic habes, amice lector omniaque ex eis collecta, quae ad illarum historiam aliquid conferre possint. De earum relatione ad MSS. iam satis, quantumvis breviter dictum prius fuit[11], diciturque continue in adnotationibus singularum editionis nostrae paginarum. Textus editionis I et II paucissimis, iisque plane minutis, differunt inter se, uti adnotationes nostrae demonstrant[12].

Nunquam prodiit praetensa illa editio Veneta, libri Conformitatum, sine anno et nomine typographi, quan-

---

[1] Data est epistola: « *Al Rmo P. Sig.... Maestro Benoffi, inquisitore di Padova, al Santo* ». et quidem « Loro 16 luglio 1769 », subscripta a « fra Pietr'Antonio Mazzei ». Adest autographa et inedita in tomo V MSS. Benoffii Pisauri, ubi eam pro nobis exscripsit R. P. Sat. Mencherini. Cf. supra LIV n. 2. [2] Cf. ed. 274 l. 1-5. [3] Ed. *et scientia;* sed forsan etiam hoc ab auctore epistolae scripturae codicum experte male lectum fuit. [4] Ed. *et corpus eius.*

[5] Legas *dominicales;* ex copistae inscitia corruptum. [6] Item legas *mihi.*

[7] Item leg. *ut.* [8] Item legas *miraculis insignis.* [9] Scil. *sollempnes.*

[10] Brevius de eis est actum AF IV, p. XXXII sq. [11] L. c.

[12] Cf. l. c. Non obstantibus assertionibus fr. Mapelli, infra, p. LXV, l. 35 sq.

quam plures bibliographi eam allegaverunt tanquam primam editionem huius operis [1]. Plures aliae editiones plane commentitiae citantur [2]. Constat etenim tres solas editiones libri Conformitatum prodiisse.

Editio I. (*Mediolani 1510*).

Titulus: Liber Conformitatum. — *Constat ff. 4 non num. et ff. 256 num., quorum litterarum compago occupat mm. 235×160. F.* [*1r*] *pulchro ornamento lineali circumducitur, intra quod: 1.° versus:* Francisce sequens *etc.* (AF *IV, p. 16, l. 7-8*); *2.° Xylographia stigmatizationem S. Francisci exhibens (mm. 87×76), quaeque initio cuiusque libri repetitur, ff. 1r, 145r, 219r; 3.° Titulus:* Liber Conformitatum; *4.° Signum impressoris, inscriptione per orbem ducta:* Gotardus de Ponte. *F.* [*1v*] *totum occupat arbor figurata (mm. 285×196)* [3], *cuius e vertice Crucifixus pendet, imum vero stipitem S. Franciscus genu flexus amplexatur; hinc inde rami dispertiuntur, quibus tabellae sunt affixae titulos 40 operis fructuum inscriptos praebentes. Duae aliae tabellae ad caput Crucifixi et ad caput S. Francisci deferunt versus arboris complementares:* Francisce sequens *(cf. supra) et:* Francisce, Iesu typice *(cf.* AF, *IV, p. 18, l. 5-9). Gothicis litteris praefata omnia sunt impressa; sequentia vero rotundis. F.* [*2r-3v*]: Tabula sequentis operis, *tribus columnis digesta.*

F. [*3v*] *lineis plenis:* Venerandis in Christo patribus diffinitoribus patri fratri Paulo Balsamo, Raphaeli de Varisio, Dionisio de Leonardis de Novaria et Hieronimo Battalie, omnibus apostolicis oratoribus et ordinis Minoris Observantie, frater Franciscus de S. Columbano [4] eiusdem ordinis et provincie Mediolani Vicarius immeritus, salutem.

Marcus Tullius Cicero, Patres observantissimi, primo Tusculanarum questionum libro vetustissimum apud Grecos scribit fore proverbium: quam unusquisque noverit artem, in hac se exercere debere et disputare; quod non latuit Maximum illum Valerium historiarum ducem, in eo quod compendiosis Scevole, Platonis ac Philonis exemplis admonet, unumquemque artis sue auctorem optimum esse et disputatorem. Inde ut quotidiano rerum experimur usu, tanto in mercimoniorum artibus homines peritiores sunt, quanto in eis maior studio, cura et diligentia die noctuque elaborant, invigilant, insudant. Si igitur hi qui terrenis inhiant opibus laboriosius sillogizando disputant, maxime insudandum est in his que Dei et religionis cultum respiciunt et ad bene beateque vivendum pertinent. Cum igitur ego preclarissima gesta reverendi et communis patris Francisci Zeni generalis vicarii nostri et universalis Minoricarum ovium in Cisalpina regione pastoris [5] aliquando mente percurrerem, sepe admirans illius in rebus agendis atque administrandis facilitatem et peritiam; tandem id totum non solum acutissimo suo ingenio, verum et lungo *(sic)* rerum usui [*f. 4r*] diutineque in his rebus exercitationi ascribendum fore censui. Nam cum nobili prosapia genitus, post prima grammatices rudimenta, post philosophicas lucubrationes, quibus in Ticinensi gimnasio per

[1] Quae indicatio nitebatur exemplari manco, in bibliotheca cl. baronis de Hohendorff olim exsistenti; cf. *Bibliotheca Hohendorffiana,* I, 9; cf. Marchand, I, 1758, 3 n. B. Supra, XXII, I 3.

[2] Longe peius erraverunt illi, qui librum Conformitatum cum *Floreto b. Francisci,* i. e. *Fioretti,* confundentes, editionem Venetam 1480, 1484, etc., etc., citaverunt; uti Marchand, l. c., multique post ipsum; item qui opus Conformitatum cum *Speculo vitae b. Francisci* [supra, XLII, l. 22] confundentes, (vel *Speculum vitae* compendium libri Conformitatum erronee reputantes) editionem Antverpiensem 1620, curante Guill. Spoelbergh, O. Min., et aliam Coloniensem 1623, curante Phil. Bosquerio, exstare autumabant, etc. = Notes exemplaria priorum editionum non tam rara esse, quam bibliographi et bibliopolae praetendunt.

[3] Adest hic ex adverso paginae, LXIV.

[4] De eo cf. Wadding, ad an. 1508 n. XIII (XV, 390); Marianus, ap. AFH IV, 337.

[5] Erat vicarius generalis Observ. Cismontanorum, 1504-07 iterumque 1509-12; cf. Marianus, l. c., 325, 335, 337. Wadding, Script., 241, 96*, 97*; Sbaralea, 293; I*, 310.

triennium incubuit, divino afflatus spiritu seraphici nostri ordinis agrum ingressus, iam triginta annis illum excoluerit proque eius incremento quasi quinque lustra publico regimini prefuerit, eo maturius in eo calet observantia quo diutius maiore studio et cura elaboravit pro tante religionis cultu dirigendo, augendo, perficiendo; tanto enim magis homines emergunt quanto se diutius exercent, cum siquidem, teste Fabio, quecumque ars nisi exercitio firmetur parum prodest. Et ut de multis pauca complectar, primo se offert quod vix sextum annum in religione natus, sub disciplina illius precolende memorie patri fratri Christofori Varisini, qui cum beato Capistrano in Aquilonari regione multas erexit provincias, et primam missam et primum sermonem devote ac sapienter una eademque die celebravit et edidit; eodemque anno ad guardianatum loci Varisii assumptus, tam miro pacis ac gravitatis studio, tanta maturitate et gratia fratres rexit, ut presagium certe optimum futuri regiminis pre se afferens, quasi concipiendo prenunciavit quod opere parturiendo complevit. Inde post paucos dies ob eius in evangelizando facundiam ad provinciam sancti Francisci destinatus, quis refferat quantam fidem quantamque gratiam tam apud fratres quam seculares in diversis locis per annos predicando Dominus contulerit? Quo expleto, ad nativam provinciam revocatus, biennio locum apud urbem Novariensem regens, bina quadragesima et utroque adventu quotidianos sermones tam alte predicavit, ut nullus alius abinde gratior sit redditus et uberior. Ceterum ad Dalmatinos per obedientiam missus, commissariatu ibidem egregie, pie et sancte consumato, ipso absente et nesciente, sic eius exigentibus benemeritis, in eiusdem provincie vicarium est electus; ubi velut alter Apolonius, non ut illam videret sapientiam que de terra oritur, sed ut ea videret loca in quibus celestis sapientia conversata est, miro visitandi loca sancta succensus desiderio, mare Adriaticum ingressus Illiricas regiones circuiens, Corcyram, Peloponessum, Cretam, Rhodum, Ciprum, Iopen non sine maximis maritimorum fluctuum periculis; demum sanctam illam Hierusalem ingressus est, ubi obortis oculorum lachrimis insignita passionis Salvatoris misteria visitans, non hyarcam, ut poete tradunt, de Tantali fonte potantem, sed apud celi terreque principem Iesum, qui verus fons est aque vive, spiritum maxime refecit et roboravit. Post hec ad nativam provinciam regressus, post capitulum generale quod eo tunc gubernante Mediolani habitum est, sepius atque iterum in eiusdem loci guardianum assumptus, ibi velut alter Bernardinus Senensis omnes incarceratos e mala stalla (sic enim ille carcer miserorum nuncupatur) redemit. Post commissariatum in provincia sancti Antonii laudabiliter consummatum, in vicarium Mediolanensis nostre provincie electus, in proximo generali capitulo sub anno Domini 1504 Mantue celebrato ad generalatum [1] est evectus. In quo quam strenue, quam viriliter, quam sapienter se gesserit, toti familie et fratribus tam ultramontanis quam cismontanis innotescit. Quibus in urbe Roma iussu sanctissimi domini nostri Iulii II congregatis, inter cetera preclara gesta viderunt eum tanquam alterum Moysen contra Egidium tunc generalem ministrum [2], qui turbare procuraverat pauperculam familiam et ordinem, fortissime dimicare et eius astutias supra quam dici vel excogitari potest sapientissime dissolventem. Habet seraphica religio in annalibus multa memoratu digna a maioribus nostris tam ministris quam generalibus vicariis sapientissime digesta; sed, si ingenue loqui fas est, inter omnia recolenda nihil memorabilius, nihil mirabilius, nihil miraculosius, nihil quoque toti ordini utilius, quam quod in tanto turbinis conflictu de faucibus rugentium familia nostra tutata sit ipso duce, ipso auctore, ipso preside, ipso in Araceli, ubi totius orbis patres convocati fuerant [3], post reverendissimos Cardinales, dominum Dominicum Grimanum protectorem Ordinis et Senegalie, et assistente et protegente; ita ut in tanto congressu Pontifex admiratus sit, de cuius ore hoc memorandum insonuit verbum: Commovisti, inquit, fili mi, totum contra me mundum. Deposita autem primi generalatus sarcina, commissarius apud Aprutios, Calabros, Ausonios, Apulos reliquasque Regni provincias destinatus, apud illos tam humane, pie, iuste sancteque se habuit, ut mirabile sit dictum, mirabilius auditu; propter quod tantam integritatis et probitatis famam per Italiam profudit, ut post quadragesimam secundo loco Mediolani gratissime evangelizatam discretus Ferrariam missus, ite-

[1] Intellige: vicariatum generalem. [2] Id est fr. Aegidium Delphini de Amelia, Ministrum generalem, 1500-06. Cf. Marianus, l. c. 334, 335. [3] Ad capitulum generalissimum anni 1506; cf. l. c. 335; Wadding, ad an. 1506 n. III sqq.

rum ad generalatum [1], eo reluctante (ut sepe vidi), assumptus sit. Mox pro sacri Iubilei executione commissarius creatus, adeo fidelissime, vigilanter et strenue 25 provincias sue providentie commissas tam pro animarum salute quam pro summi Pontificis obedientia solicitavit, ut nemo sit qui non admiretur. Habet certe regimi[ni]s sui integritas inauditum quasi miraculum in eo quod nullus sub sua disciplina proficit, quod sub ea iterum proficere non appetat; quanto enim crebrius in prelatum assumitur, eo gratior omnibus insurgit; imo vix unquam qualemcumque provinciam amplexus est, quin ipsam ad optatum finem perduxerit. Novissime, ne id quod superest tempus filiis suis transeat ociosum, Bartholomeum Pisanum, qui tam miro ordine Conformitates divi Francisci ad Christum studiosissime congessit, primo castigandum, inde imprimendum tradidit [2]; quod eo magis gratum omnibus redditur, quo in eo quicquid a primordiis nostre religionis preclare gestum est recolitur. Alii rebus bellicis, alii cumulando rei familiari, alii agriculture, alii voluptatibus vanisque student exercitiis; tali vero reverendo patri, qui noster auriga est, nostrum lumen, nostrum speculum ac familie decus, divino auspicio traditum est ut his diebus, quibus familia fluctuat, hoc utile et memorandum, quinimmo divinum magis quam humanum opus inotescat, ut sic posteritas nostra habeat unde ad primordia speculanda et imitanda converti possit; quod eo nobilius cunctis redditur, quo ipso preclarissimo auctore ac totius universitatis nostre presule in lucem proditum est. Quo fit ut non frustra cognomento Zeno nuncupetur, quandoquidem Zenonem illum imitetur, qui stoyce secte inventor et Socratis magister inter procellosas huius secli erumnas per centum et septem annos victitans nunquam studio cessit ut aliquid posteris suis speculandum relinqueret; cuius antique sententie etsi apud Laetium Diogenem collecte vigeant, hic tamen novus Zeno sua non minus devotissima quam approbatissima vita veluti rosa primas erumpens penes seraphicam familiam uberius eflorescit. Hec, observantissimi patres, in laudem huius celeberrimi patris more et affectu balbutientium scriptitare volui, haud ignarus quam singulari omnes benivolentia illum prosequamini, et ego (ut verum fatear) precipuo amore complector; que eo mihi digniora videntur quo eius preclarissima vita in dies virtuosior insurgit. Hoc quoque pro tanti patris officio superaddendum existimo, quod non modo Milanensis nostra provincia in qua natus est, sed totius ordinis observantia sue reverende paternitati maxime obnixa redditur et deditissima; cuius arte et ingenio, non obstantibus publicis privatisque tanti regiminis actionibus, tam nobile opus unicuique facillima speculandum impensa traditum est; cuius irreprehensibilis vita non modo Insubres et Italos, verum totius orbis regiones et provincias irradiat, illuminat, illustrat. Datum in loco sancti Angeli apud Mediolanum, quarto idus maii 1510.

F. [*4v.*]: Frater Franciscus Zeno Mediolanensis Fratrum Minorum de Observantia in Cisalpinis Vicarius Generalis.

Magnas a Deo fieri promissiones his qui in proximos benefici ac misericordes fuerint, in sacris litteris didicimus. Quid enim, ut alia omittamus, maius dici potest quam quod in consumatione, cum venerit pastor secernere oves ab edis, eis dicturus est: Venite, scilicet, benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est a constitutione mundi? Sic enim eis dicturum Dominum tunc, cum in fine seculi iudex advenerit, sacra testantur evangelia. Sed non mirum; neque enim ulla res est, que dignior sit et excellentior aut humane nature magis conveniens quam beneficentia; ad imaginem enim Dei factus est homo, et proprium Dei est benefacere: quod non modo hi qui fidei lumen perceperunt, sed etiam infideles confitentur. Aiunt enim gentiles philosophi non ob aliam causam intelligentias quas ipsi deos existimaverunt, movere celos, quam ut perfectionem suam substantiis communicent inferioribus, nec aliter (quod maius est) posse facere, et hanc necessitatem maxime eorum convenire perfectioni. Sed dimittantur hi; non enim eorum egemus testimoniis, in hac re presertim; satis enim manifesta est, cum divina dicant eloquia quod solem suum Deus oriri facit super bonos et malos et pluit super iustos et iniustos; tota quoque congeries eloquiorum Dei nihil aliud est quam beneficiorum Dei protestatio. Quid enim sibi vult rerum creatio, gubernatio, redemptio? nihil sane, si diligenter consideremus, nisi ut intelligamus quam Deus sit beneficus. Sed et Platonem, inquiunt, interrogatum cur Deus fecerit

[1] Uti nota 1 pag. LXII. [2] Illud « castigandum » ad minimos terminos reducas oportet; consonat laus illa aliis in epistola hac abundantius expressis, humanistarum more.

mondum (*sic*), respondisse: quia bonus. Hec et huiusmodi faciunt ut ego libentissime vitam meam aliorum utilitatibus dedicem; cogunt autem quam maxime hoc tempore quo me tantorum filiorum patrem conspicio, ut eorum utilitati pro virili parte prospiciam. Cum autem nihil sit utilius nec quod amplius humane vite conducat quam virtus, cum ea sola sit qua via ad beatitudinem paratur; ut nulla ex parte deessem quin erga fratres mee cure creditos paternum explerem officium, ad ea quibus ex officii debito pro religionis ac ipsorum fratrum profectu die noctuque invigilo, id etiam oneris adieci; nam ut aliquid continue haberent pre manibus, quod eos ad studia virtutum accenderet, p r e s e n s o p u s, quod titulo c o n f o r m i t a t u m B Francisci ad Christum prenotatur, a nemine hactenus impressum et adeo rarum ut a paucissimis haberetur, non sine mediocri labore et incommodo imprimendum curavi [1]. Continet enim vite Redemptoris nostri, qui fuit idea ac exemplar perfectissimum omnium virtutum, ac heroum nostre religionis, Francisci silicet (*sic*) ac commilitonum eius qui se totis viribus ipsi capiti conformare studuerunt, nobilissima exempla theologicis floribus ac margaritis ornata; quibus exemplis sibi propositis ut quibusdam calcaribus poterit se unusquisque ad metam salutis concitare. Libri auctor fuit venerabilis frater Bartholomeus Pisanus, vir (ut verbis utar quibus aliquando usus est Cicero) haud magna cum re sed plenus fidei; nam apud ipsum non magnus est ornatus seu spendor verborum, sed plusquam dici potest magnum pondus rerum; fuit enim, ut de Verrone ait Augustinus, magis studiosus rerum quam verborum; quod et de Plotino a quibusdam dicitur, cuius doctam obliquitatem sudantes platonici vix intelligunt. Titulus ipse librum comendat; quid enim dici potest dignius quam de conformitate hominis ad Filium Dei loquatur? Sed nec sic quidem potest libri valor perpendi; legat ipsum quicumque certior fieri cupit quanti res extimanda sit, ac neglecta cortice, ad medullam penetrare satagat; et sic demum intelliget quante dignitatis sit. Ego quidem, Deo dante, libri dignitatem cognoscens, ad utilitatem filiorum meorum fratrum, scilicet Minorum de Observantia familie Cismontane, quorum indigne sum vicarius generalis, ut imprimeretur, sicut iam diximus, effeci: dignam laboris nostri mercedem recepturus, si pro me Dominum rogare dignabuntur.

F. 1r-251r: cf. infra Concordantiam editionum, *p. 511-3. Numeratio foliorum est litteris romanis expressa. Initiales cuiuscumque fructus et conformitatis floribus vel figuris ornantur. Binis columnis et lineis 58.*

F. 256ra, post Littera responsiva capituli generalis *etc* (*cf. infra p. 503 sq.*) *sequitur:* Salve lector. | Non ignoro, studiose lector, inter legendum librum hunc te nonnullos errores reperturum. Sed non mireris; impossibile enim est aliter esse. Mira-[*f. 256rb*] bar aliquando non inveniri libros qui non essent depravati [2]; nunc mirarer si invenirentur: oporteret enim ut is qui corrigendi provinciam habet semper iuxta impressores esset, nec ab eis ungue latius unquam discederet; quod vix ab aliis, a me autem minime fieri poterat. Non sunt autem hi errores huiusmodi, ut eos vel mediocriter diligens lector non advertat; sunt enim omnes ex litterarum immutatione, transpositione, inversione, omissione, appositione. Invenies quodam in loco scriptum *coccito,* cum c o c y t o esset scribendum: greca enim est dictio, et luctus interpretatur. Invenies *Beneditum* et *martena;* et erat scribendum B e n e d i c t u m et m a t e r n a. Huiusmodi sunt fere reliqui, quos (ut dixi) unusquisque adhibita saltem mediocri diligentia deprehendet. De modo loquendi auctoris verba non faciam; videtur enim multis in locis minus latine loquutus fuisse. Sed forsitan huius rei causa est, quod noluit (ut beatus ait Gregorius) verba celestis oraculi subesse regulis Donati.

Impressum Mediolani per Gotardum Ponticum, cuius officina est apud templum sancti Satiri. Anno Domini MCCCCCX, die XVIII mensis Septembris. | Registrum huius operis | A-Zz-AA-DD *etc.*

F. 256v vacat.

Editio II. *(Mediolani 1513)*

Titulus: Opus auree et inexplicabilis bonitatis et continentie, Con- | formitatum scilicet vite beati Francisci ad vitam domini nostri Iesu Christi. — *Habet ff. 12 non num. et 229*

---

[1] Ut MS. prelo pararet et minutias corrigeret. Neque enim aliud praestitit uti notae nostrae ostendunt.

[2] Agit de mendis et erroribus mere typographicis, uti infra clarius dicit.

num., quorum realis pagina occupat mm. 240×150, adiectis in margine notis. Gothicis characteribus, binis columnis cum lineis 69 distinguitur. In f. [1r.] communiori ornamento circumducto, adsunt: 1.° Titulus qui supra, rubro colore impressus; itemque rubro 2.° versiculus: Si quis vult venire post me abneget semetipsum et tollat | crucem suam et sequatur me; *sub quem 3.° xylographia (mm. 125×88) Christum repraesentans crucem ferentem, quem S. Franciscus alteram crucem baiulans sequitur; inde 4.° versus rubro atramento:*

Se neget atque crucem tua post vestigia, quisquis
Prosequitur, tollat; tu, bone Christe, iubes.
Non egre hanc presta ipse feram per tella *(sic)* per hostes;
Ingrediar tutus, te duce, quaque sequar.

Postremo vero in loco, 5° acrostichon:

Franciscus Christi sanctissima dogmata sectans
Rarum et perfectum dat decus hinc fidei.
Amplificatque pii cultissima dona Tonantis
Nulla latet labes pectore fixa viri.
Candida nanque fides divina in stigmata surgit
Illustrans orbem claraque facta Poli
Sancte pater, precibus duc nos ad sidera sanctis;
Clare pater, celo pectora nostra geras.
Uberius populis sanctissima dona ministres,
Scandere quo celi regna beata queant.

F. [*1v*]: Epistola edictoris presentis operis ad eum cui dedicatur. | Reverendissimo domino Marco Vigerio episcopo Prenestinensi S. Romane Ecclesie Cardinali Senogaliensi [1], frater Ioannes Mapellus [2] Mediolanensis theologorum minimus ordinis Minorum, humillimam comendationem.

Cato maior quem Censorinum vocant, reverendissime domine domine, et negocii et ocii unumquemque rationem reddere oportere asserebat; quod Scipio Aphricanus, sago et toga clarissimus, diligenter observavit. Tali igitur monitus documento et ne ocio, quod post ingentes in provincia Mediolani moderanda molestias nactus sum, languescerem et temporis commoditate abuterer, a somno me excitavi et diu multumque cogitavi quidnam cudere possem, quod et studiosis aliqua in parte et toti seraphice religioni plurimum conducere posset. Non enim, ut divo Platone edocemur, solum nobis vivendum est. Unde id tandem menti mee oblatum est, quod et professioni mee congruit et necessitati et utilitatis non parum continet: eminentissimi, videlicet, sacre theologie doctoris Bartholomei Pisani ordinis nostri Minorum opus, quod *Conformitates vite beati Francisci ad vitam domini nostri Iesu Christi* appellant, anno 1385 ab eo non paucis accumulatum et congestum laboribus, ad usum et eruditionem cultumque vite communis et totius seraphice religionis ornamentum ex situ pulvero emendare, corrigere, tergere, limare, miro modo intabulare et excussoribus excudendum vulgandumque et ad quasvis eius sententias et materias presto comperiendas tradere, indignum quippe arbitrans tantum lumen obtenebrescere [3] et totam hanc tuam religionem ac ceteros mortales tam suavi, tam uberrimo, tam virili fructu privari. Quod quum iam diu delituisset, existimavi me facturum opere precium si luculenti scriptoris luculentum opus, me duce, e tenebris ad totius reipublice commodum in lucem educeretur [4]; presertim

[1] Marcus Vigerius, de Ruvere, sive de Savona, O. M. Conv., episc. Senogalliensis (1476 oct. 6) creatus cardinalis 1505 dec. 1, tit. S. Mariae trans Tiberim (1505 dec. 17), translatus ad episc. Praenestinum, 1511 oct. 29. Cf. Wadding, ad an. 1503, n. XXXII sqq.; *Script.*, 247 s., 169², 167³. Sbaralea, 515. Rodulphius, 228 r.

[2] Ord. M. Conv. Idem qui edidit Pisani *Quadragesimale* an 1498; cf. infra, p. CXIII sqq. De eo Wadding, *Script.*, 214, 146², 144³; Sbaralea, 438.

[3] Dictum valde mirum, quia ante tres annos Mediolani editio prima prodierat.

[4] Revera qua editor paucissima praestitit, usus aut editione prima, quod probabilissimum, aut codice simillimo; AF IV, p. XXX; supra, p. LX, n. 30-2.

quum ad id faciendum tua in me humanitas compellat et eximia tua virtus, qua cum unoquoque certare potes, currenti calcar addat. Quam si recensere velim, hydram aggredi viderer. Tantus quippe laudum atque virtutum tuarum est cumulus, ut cum ipso Marone exclamare cogar: Celum undique et undique pontus. Si enim in primis prudentiam tuam laudare voluero, scientia qua de omni scibili et eleganter et scite diserere potes indignari videbitur. Si liberalitati primam assignavero sedem, frugalitas dolebit. Si humanitatem anteponam, humilitas acclamabit. Si ab ipsa iustitia initium fecero, conqueretur equitas et primum apud te locum habere dicet. Quum igitur talis sis qualem his temporibus sacrosancta Romana Ecclesia exposcat, non immerito Pontifex Iulius secundus, superno illustratus lumine, reverendissimorum Cardinalium numero ex seraphico Minorum ordine te annumeravit, qui doctrina totam christianam religionem et illustras et decoras. Tuo itaque generoso animo et clementia fretus, hanc provinciam sum aggressus ut opus presens, quod scriptoris incuría mendosum fuerat et depravatum, nitidum in lucem prodiret; cui rei humanitas in me tua non egre suffragata est. Hauriet enim, ut pie rendum est, empireo celo collocatus Bartholomeus noster ipse Pisanus maius iubilum, si sic fas est effari, quo presens eius opus, non tantum religiosis sed et cunctis mortalibus proficuum et pernecessarium, tuis auspiciis in apertum deductum sit. Iure igitur, mi Mecenas, has meas lucubrationes tibi, cui maiora debeo, dedicandas existimavi; que licet tuo sublimi ingenio digne non videantur, erunt tamen mee erga te candide fidei pignus. Vale, apostolice sedis et Romane Ecclesie lumen. Ex conventu nostri sancti Francisci Mediolani ordinis Minorum, quinto kal. maii M.CCCCC.XIII.

Ad eundem.

Clare pater mi Marce, meas ne temne Camenas,
  Que tollunt titulos clara sub astra tuos.
Ocia diffugio, studiosa negocia querens,
  Ut valeam meritis complacuisse tuis.
Cura mihi prima est magno servire Tonanti,
  Et cupio oblatos non periisse dies.
Ne mihi sim natus soli, mea propria tantum
  Exquirens, magnum hoc suscipe mentis opus,
In quo Franciscus divino Numine plenus
  Tollitur et Christi stygmata certa refert.
Ordine sub cuius tibi purpura rubra nitescit:
  Iulius hac capiti contulit ipse tuo,
Virtutum morumque videns preclarus acervos
  Quos colis et summa cum gravitate foves.
Tu decus es nostrum, nostre tu formula Norme,
  Francisci magnum sub pietate iubar.
Hoc opus excipiens letanti conspice fronte,
  Atque hilares vultus sub tua dona refer.
Post maiora tibi meliori ex ordine subdam,
  Et canet innumeros nostra Thalia modos.

F. [*1r-12v*]: Tabula sive repertorium alphabeticum presentis operis. *F.* [*12v*]: Finis tabule. | Noscat quisquis, litteris patentibus illustrissimi Ducis Mediolani Maximiliani Marie Sfortie etc. Mediolani datis pridie nonas octobris 1513, sub mulcta in eis expressa interdictum esse quempiam presens opus in dominio Mediolani infra quadriennium proximum imprimere vel imprimi facere, vel ibi vel alibi impressum vendere vel aliter in quempiam in dicto dominio aliqua[li]ter transferre.

Ff. 1-229v (*cf.* Concordantiam Editionum, *p. 514-6*). *In principio cuiuslibet libri, ff. 1r., 138vb et 195v*, repetitur xylographia Christi dexteram et laevam S. Francisci manus exhibens insertas et uni cruci affixas. *Initiales cuiusvis fructus et conformitatis floribus et figuris ornantur. F. 4v arbore figurata impletur (mm. 255×152), ad formam arboris Ed. I quoad complexum dilineata, his tamen differentiis, quibus inscriptiones omnes rubro attra-*

mento sunt impressae, 40 tituli in fructus figura includuntur, versus loco inverso sunt positi: Francisce *etc. extra partem superiorem tabulae sub ornamento;* Franciscus *etc. vero in vitta se devolvente ad stipitem; ad quam mediis tantum figuris S. Franciscus et fr. Leo* (cf. p. XXXIV, n. 3) *ut est coniicendum, iuxta figuram solitam stigmatizationis, hinc inde stant.*




Figura Arboris Conformitatum

Editionis II ann. 1513.

F. 229vb, post Littera capituli generalis responsiva *etc.* (*cf. supra p. 503 s.*) *sequitur:* Impressum Mediolani in edibus Zanoti Castilionei huius artis non infimi, anno Nativitatis Domini 1513, et perfectum infra octavam Assumptionis gloriosissime Virginis Marie et ad eius laudem et gloriam, videlicet, die XVIII augusti, dominante Maximiliano Sfortia. Quoquidem anno et sic preterito, excepto dumtaxat a presentibus frugibus messium citra, in Italia potissimum non parva fuit in primis universe annone penuria, dehinc multiplices

bellorum turbines, conquassationes, clades cedesque belligerorum, crebre principatuum, maxime Mediolani, mutationes. Civitas Mediolani fere per annum interdicto subiacuit ecclesiastico. Hocmet anno, videlicet prima dominica quadragessime proxime acte, Iulius ligur secundus summus Pontifex prius per lustrum cum dimidio et ultra quo sedit, plerisque preclaris facinoribus potius divinitus quam humanitus ac incredibilibus perfectis, hominem exuit [1], in cuius locum successit Leo decimus florentinus, ex illa nobili domo Laurentii Medices. Pleraque alia incredibilia et memorie digna hiisce temporibus intercessere, que cum mei non sint instituti, alba, ut aiunt, linea consulto omitto; rogans ipsum magnum Deum, ut posthac nos et patriam ab huiusmodi et aliis quibuscumque noxiis sua clementia salvet atque custodiat. Amen. | Finis. | Registrum operis. *Signum impressoris.*

Editio III. *(Bononiae 1590).*

F. [2r] titulus: Liber Aureus, | inscriptus | liber | Conformitatum vitae beati, | ac seraphici patris Francisci | ad vitam Iesu Christi | Domini Nostri. | Nunc denuo in lucem editus, atque infinitis propemodum mendis | correctus a Reverendo, ac doctissimo P. F. Ieremia Bucchio [2] | Utinensi sodali Franciscano Doctore Theologo laboriosis, | ornatissimisque lucubrationibus illustratus. | Cui plane addita est perbrevis, et facilis historia omnium virorum; qui sanctitate, | probitate, innocentia vitae, ac doctrina, ecclesiasticisque dignitatibus, in Franciscana | Religione usque ad nostra haec tempora excelluerunt. | Accessit duplex rerum, et verborum, ac materierum toto opere memorabilium | Index locupletissimus. | Ad Illustriss. atque Amplissimum Sanctae Rom. Ecclesiae Cardinalem D. D. Hieronymum | de Ruvere Ord. min. Conventualium Protectorem vigilantissimum [3]. | — *Sequitur xylographia (mm. 100×148) Christum et S. Franciscum crucem gestantes repraesentans, eodem modo quo ea in f. 1r Editionis II descripta. Dein:* Bononiae, Apud Alexandrum Benatium. Facultate a Superioribus concessa. 1590.

Liber constat ff. 18 non num. et 330 num., rotunda littera impressus et binis columnis, quarum summa per mm. 250×148 se extendit, notis in margine non computatis, cum lineis numero 60. F. [1] vacuum est; f. [2v] versiculus: Si quis *etc., versus:* Se neget *etc. et acrostichon:* Franciscus Christi *etc. ex Edit II f. 1r (cf. supra p. LXV) repetuntur.*

F. [3r] post Hieronymi de Ruvere Cardinalis stemma: Illmo ac R.^{mo} S. R. Ecclesiae Cardinali amplissimo D. D. Hieronymo de Ruvere vigilantiss. Ordinis Min. Conventualium Protectori, Patrono Optimo. *(ornamentum)* P. Lucius Anguissola [4]. S. P. D. *(Tunc cursive):*

Ieremiae Buchii Utinensis Franciscani sodalis nostri Conventualis, dum in humanis ageret, semper tum in rebus agendis, tum etiam iudicandis, acerrimus fuit sensus; qui acumine ingenii perpendens quanta et quam summa esset animi tui virtus ac pene heroica magnitudo, qua dignissimus es ut omnes merito boni et docti, non modo ament, sed et colant, suspiciant et venerentur: quippe qui et humanarum disciplinarum, hebraice, graece et latine, sacrarumque legum, divinae naturalisque philosophiae scientissimus, rerum omnium politicarum ex-[*f. 3v*]perientissimus, consilioque non minus quam industria sis valde pollens, atque id, quod in omnibus rebus summum et magnum esse videtur, ab omni prorsus libidine et avaritia abhorrens; nihil aeque cupiebat quam ut hic labor, cui Conformitates Sancti Francisci est nomen, in lucem ederetur, in quo sane ipse non exiguam operam et diurnam et nocturnam consumpserat, eumque tuo nomini nuncuparet. Ego autem, qui eius consilium probe noveram, enixe id contendentibus Patribus Utinensis Conventus Discretis, libentissime hoc ipsum opus edendum suscepi, nonnihil persuasum habens ex omnibus honoribus qui amicis et necessariis, qui vita functi sint, haberi possunt, nullum adeo esse insignem aut aeque diu permansurum quam res eorum praeclare gestas aut sapienter excogitatas literarum monumentis commendare; ne earum interitu nominis quoque celebritas et claritudo in tenebris delitescere patiamur. Hoc igitur ego perspiciens, vita functo Ieremia,

[1] Julius II obiit 20 febr. 1513; cui Leo successit 9 martii 1513.

[2] Ord. Min. Conv.; de eo cf. Wadding, 187, 127^{2}, 127^{3}; Sbaralea, 379 sq.; Franchini, *Bibliosofia*, 312-20. Obierat 14 Nov. 1587.

[3] Patritius Taurinensis, creatus cardinalis 1587 ian. 1487. Ciaconius-Oldoinus, IV, 162.

[4] Item Ord. Min. Conv.; cf. Sbaralea, 494; Franchini, 401 sq.

quem viventem verissimis affectibus amaveram, ut ab omni silentio et oblivione vindicarem, nulli labori parcens, omni studio, cogitatione et pietate curavi ut studiose eius lucubrationes quam maxime possent ornatae ederentur. Consulto igitur Ieremias, qui insigni huius volumini gloriae cumulum addere voluit, te Patronum sibi constituit, cuius humanitatis est, qui literas, ingenia ac omnes bonas artes maximi semper fecisti, librum hunc libenti animo accipere, fovere et amplecti ea, qua plane soles alios libros, alacritate; meque, qui librum ad te perferendum tibique nuncupandum ob eas causas suscepi, tua gratia et benevolentia complecti ne dedignere. Deus Optimus Maximus tuam de Ecclesia solicitudinem sua gratia adiuvet, diuque nostrae Religioni et bonis omnibus servet incolumem. Bonon. Cal. Maii. M.D.XC.

F. [*4r*]: Fratris Ioannis Francisci Boni Ord. Min. Conventualium Decasticon.

Insigne hoc opus eximia confecerat arte
  Pisanus, tantae relligionis honor.
Buchius at quoque, Franciscanae gloria gentis,
  Addidit huic vigilans multa labore suo;
Dumque tibi auratae QUERCUS [1] clarissima proles,
  Munera ceu magno digna favore tui,
Mittere constituit, laetus properavit ad astra;
  O felix, modo quem regia celsa tenet.
Hinc, Heros, ANGUISSOLA, iam super aethera notus,
  Perfecit quod mors dira reliquit opus.

F. [*4v*]: Copia litterae a praefato magistro Bartholomeo auctore huius operis generali ministro et capitulo generali cum approbatione praesentis operis directae *etc. (cf. infra, p. 503s.).*

F. [*5r*]: Index materiarum, quae in hoc opere continentur. *FF.* [*5v-18r*]: Index Alphabeticus. *F.* [*18r*]: Finis. *F.* [*18v*] *vacuum.*

F. 1r-330v (*cf.* Concordantiam Editionum, p. 516-9). *Libro I et II; ff. 1r et 187, praemittitur figura manus Christi et S. Francisci exhibens ut in II Ed. (cf. supra) dispositas. Librum vero III, f. 287rb delineatio praecedit S. Francisci sacra stigmata recipientis. Litterae initiales cuiuslibet fructus et conformitatis ornamentis vel figuris decorantur. F. 6r totum arbor figurata tenet (mm. 245×148) eodem delineata modo, quo alteram II Edit. compositam descripsimus, omnibus vero nigro colore impressis.*

F. 330v post ultima textus verba (cf. infra, p. 503, l. 3): Finis. *Signum impressoris, Benacum lacum repraesentans procella agitatum, et in orbe inscriptio:* Fluctibus et fremitu assurgens, Benace, marino. *Postremo loco:* Bononiae, apud Alexandrum Benatium. | De licentia Superiorum. 1590.

Editio quarta, sic dicta, typis nunquam excusa est. Est etenim tantummodo editio tertia, cuius exemplaribus nondum venditis Victorius Benatius, filius quondam Alexandri [2], eumdem penitus titulum praefixit, aliquibus vocibus rubro exaratis, vocibusque alio modo per lineas divisis. Omisit vero: *Ad illustr. — vigilantissimum,* et finis sonat: *Bononiae, apud Victorium Benatium, MDCXX. Facultate a superioribus concessa.* — Tunc omisit quoque epistolam nuncupatoriam f. [3r-v]. Fol. 330v autem omnino idem est ac in editione III; ne annum 1590 quidem hic immutavit Benatius [3].

Omissiones editionis tertiae in libro I.

Omissiones editionis tertiae in altero volumine, suis quibusque locis adnotatas invenis. Sunt vero hae longe pauciores quam in priore et in genere non tangunt nisi res iam narratas, quas ideo etiam editiones I et II omiserant [4]. Aliae longiores omissiones adsunt p. 38 l. 14 — p. 39 l. 39, p. 43 l. 20 — p. 53 l. 39, p. 108 l. 22-27, 141 l. 27-37, p. 175 l. 25-31, p. 176 l. 30-8, p. 222 l. 23 — p. 224 l. 19, 250 l. 9-36, 260 l. 32

[1] Lusus verborum; nam Rovere=Robur=Quercus. [2] Qui III editionem typis cuderat.

[3] Quod pluribus innotuerat, v. gr. Nicéron, XXXVI, 1142. Graesse, *Trésor,* IV, 197. Golubovich, *Biblioteca T. S.* I, 73. AF IV, XXXIII.

[4] Cf. eiusmodi trium editionum omissiones notatas infra in notis ad pp. (88), 140, (162), 194, 205, 220, (242) 256, 260, 277, 307, 308, 309, 318, 325, 328, 430.

— p. 262 l. 10, (p. 290 l. 35 sq.), 327 l. 15-26, 466 l. 14-37 (**in parte prima conformitatis**), demum omnium longissima p. 479 l. 30 — p. 502 l. 16 [1].

Fol. 5r om. ea quae habentur in nostra editione AF IV p. 14 lin. 43 (seu 3 ab imo computata) usque ad lin. 45, scil. voces: « *dedit enim* — introductione [2] ».

Fol.	om.	Pag.	lin.
31r	»	96	35-7 et consortio — confessus.
31v	»	98	2-16 sed cum ortu — laetificata [3].
31v	»	98	39-40 nam dixit — de mundo.
32r	»	99	11-2 Ioannes — collocatus.
48r	»	143	39 — p. 144 l. 10 Sed quid — Francisco.
54v	»	163	36-9 b. Franciscus — impetravit.
61r	»	182	15 — p. 185 l. 7.
61r	»	185	36-40.
61v	»	186	26 — p. 187 l. 12.
62r	»	188	35 — p. 189 l. 15.
62r	»	190	5-17.
62r	»	190	29 — p. 192 l. 16.
62v	»	193	15-17.
62v	»	194	20 — p. 195 l. 14.
63r	»	196	5-16.
63r	»	196	22-4 Sed — Francisco.
63r	»	197	10-2 Et — vacabat.
63v	»	198	2-14 Quem — absentia.
64r	»	199	17 — p. 201 l. 22.
64r	»	202	3-19.
64v	»	203	24-37.
64v	»	204	1-13.
64v	»	204	22-4.
66r	»	211	4-6 Alia — potuit.
66v	»	211	18 — p. 212 l. 5.
66v	»	213	1-11.
66v	»	213	34-7 quia vero — videantur.
70r	»	224	39 quam — expugnaretur.
73r	»	233	13-23 per dictum — transvolavit.
73r	»	234	11-21 Post — enarravit.
75v	»	241	28-31 Et — factum est.
76r	»	245	28 — p. 247 l. 16.
76v	»	247	24-30.
76v	»	247	39 — p. 248 l. 38.
77v	»	253	21-31
78r	»	256	9-11.
78r	»	256	18-24 Florentiae — Iacobi.
78v	»	257	16 — p. 258 l. 3.
78v	»	258	9 — p. 260 l. 21.
78v	»	261	25-7.
79r	»	263	23-36 Nam — Venetiis.
80r	»	267	16-27.
80v	»	268	5-9.
82v	»	276	29 — p. 277 l. 33.
83r	»	280	9-13 Hic — faciebant.
83v	»	280	22 — p. 281 l. 17.
83v	»	282	8 — p. 286 l. 10 (cf. 282 not. *c*).
83v	»	287	7-33.
84r	»	288	3-38 et vox — Ioannis.
87v [4]	»	299	16-39 Dum — fecit.
89v	»	306	19-21 cui — ambulandum.
89v	»	308	21-2.
92r	»	318	27 — p. 319 l. 20 unde — surgere.
93v	»	320	1-39.
93v	»	321	3-9 Hic — casu.
94v	»	330	10-36 Sed — inculeret.
96sqq.	»	336	21 *Additiones;* cf. infra p. LXXI, l. 4-19.
107r	»	361	12-7 uti aliae edit., item l. 23-4.
131r	»	437	7-19 sed de uno — diabolus.
131r	»	437	22-33 Unde — mundus.
131r	»	438	12-21 Temporibus — ostendendum.
131v	»	439	35 — p. 440 l. 1. Dominus — migravit.
133v	»	444	42 — p. 445 l. 34. Attendentes — advenerit.
133v	»	446	23 — p. 451 l. 30.
139v	»	473	8-12 praedicavit — auditus.
142v	»	483	32 — p. 484 l. 15. In *vet.* — retulerunt.
150r	»	507	14 — p. 509 l. 8. Cum — beatorum.
151r	»	511	12-16 ut — suppressa.
152v	»	517	34 Uti ed. I et II locum *Carmignani*, post locum de Florentia reposuit [5].
154r	»	522	22 *addit post:* locum Domini Pacis: « *locum S. Pauli in monte* »; (ib., uti ed. I et II add. etiam: locum S. Mariae in Monte).
155v	»	526	20 post locum *Austae* denuo addit: « *locum Ossulae* »; cf. 526 n. *h*.
184v	»	622	18-20.

[1] Cf. supra, p. VIII. [2] Ubi locus omissus statim claret, verba indicare omisimus.

[3] Quem locum sic contraxit paucissimis: « sed in b. Francisci nativitate daemones infernales maximo affecti sunt terrore et dolore; ergo angeli laetati sunt ».

[4] Fol. 85va (uti in ed. I et II) locus ille brevis additus est; cf. 290 n. *c*: « *Item noviter in dicto loco iacet S. Bernardinus de Senis, magnus praedicator et multis miraculis coruscans post mortem 1444* ». [5] Sic ergo editiones, illos fratres quos codices tribuunt Florentiae, loco de Carmignano falso attribuunt.

Labor, quem Ier. Buchius in editionem impendit, ut priores editiones corrigeret, minimus fuit, nam nonnisi verba correxit. Plures locos simpliciter delevit, etiam mediis in narrationibus, rarissime hoc quoque in casu, verbum ob contextum novum immutans.

Plura autem addidit, sed uno in loco solummodo, scilicet a fol. 96 usque ad f. 106. — Ibi enim breviter de *Ministris generalibus Ordinis fratrum Minorum* agit usque ad Henricum Alfierium, f. 96ra-vb; deinde usque ad sua tempora eorum seriem item brevibus notitiis valore speciali carentibus prosecutus est, f. 96vb-97va; inde ab anno 1517 solos generales *ffr. Min. Conventualium* enumerans. Ultimus est Clemens Pelleus a Furcio (1587-90).

Tunc f. 97va-100vb, locum Pisani, 336 l. 17 — 341 l. 36 eodem modo ampliavit, alia *nomina illustrium fratrum Minorum, scriptorum praesertim, titulosque operum eorum* interserens, ad sua usque tempora. Quae omnia longe melius et correctius habes v. gr. ap. *Scriptores* P. Waddingi et *Supplementum* P. Sbaraleae, etc., etc., unde supersedendum duximus ab his dictis denuo hic superflue recudendis.

Postea f. 100vb sequitur locus Pisani p. 342 l. 1-29, et f. 101ra-va locus Pisani, p. 342 l. 30 — p. 344 l. 28. — Ibi vero locum Pisani, p 344 l 29 — 346 l. 27 *de Cardinalibus Ordinis Minorum,* suo modo retractavit, sed hic plerumque notis chronologicis (saepissime erroneis), ad suum usque aevum eorum seriem deducendo. Ultimus refertur fr. Constantius a Sarnano, O. M. Conv., cardinalis creatus (non 20 dec. sed) 16 nov. 1586.

Tunc demum prosequitur purus textus Pisani, p. 346 l. 28 sqq., absque ullis additamentis [1].

Ad naturam seu indolem locorum a Ieremia Buchio omissorum quod spectat, patet eum plures narrationes portentosas delevisse, in exemplari editionis secundae, quod impressori tradidit. Magis etenim secunda et tertia editio inter se conveniunt, uti notae nostrae infra, p. 12 sqq. demonstrant [2]. — Ideae ergo quae de editione III passim circumferuntur penitus erroneae sunt.

4. — De opusculis e libro Conformitatum extractis, et de variis inde excerptis.

Plura ex opere Conformitatum extracta fuerunt, quae circumferebantur tanquam opera propria Pisani, quae partim etiam typis prodierunt, partim in solis codicibus continentur.

" *Explicatio Regulae Fratrum Minorum* „ fr. Bartholomaei de Rinonico Pisani, non est opus proprium, sed tantummodo extractum ex parte II fructus IX libri I, ap. AF IV, p. 369 l. 4 usque ad p. 425 l. 25.

Saepius edita est haec explicatio, et quidem, uti opus separatum, v. gr. 1° in Collectione declarationum et expositionum Regulae fratrum Minorum, quam edidit fr. Iacobus de Grumello, O. M. Obs. [3], tunc Provinciae Brixiensis vicario provinciali [4];

[1] Tantum in *explicatione regulae* addidit textus integros ipsius regulae.

[2] Cf. p. 12 n. *b*, ubi ed. II, uti hic expresse notamus, convenit cum III; ita etiam 72 n. *d* et *f*, p. 83 n. *f*, 107 n. *c*, 111 n. *b*; 168 n. *k*, 176 n. *i*, 200 n. *b*, 263 n. *b*, 272 n. *d*, 285 n. *h*, 317 n. *f*, et uti iam notatum est in notis ad pp. 134, 146, 148, 153, 166, 190, 277, 344, 432, 469, 503.

[3] De eo cf. Wadding, 183, 125[2], 124[3]; Sbaralea, 370. Wadding, ad an. 1483 n. XXXVI; Marianus, ap. AFH IV, 326.

[4] Epistolam in ed. cit. f. 1v datam « Ad R. in Christo P. Fr. Hieronymum Torniellum, Ord. min. obs. familie Cismontane Vicarium generalem benemeritum, Fr. Iacobus de Grumello, eiusdem ordinis, provincieque Brixiensis vicarius immeritus ac filius deditissimus » inscribit.

quae collectio titulum complexivum non habet, et paginarum numeratione caret, vol. in-4°, fol. ai-yiii [1], ad cuius calcem legitur: « *Impressum Brixiae per Iacobum Britannicum Brixianum MDII, XV calen. Ianuarii* ». — Ibi f. giiij 1ra — f. kiiij 4rb. « *Incipit declaratio magistri Bartholomei de Pisis super regulam. Viso qualiter summus dominus et salvator noster...* » i. e. AF IV, 369 l. 4. Expl. « *per summos pontifices est declarata* » i. e. l. c. 425 l. 15. « *Explicit Declaratio regule fratrum minorum* ».

Prodiit 2° ap. *Monumenta ordinis Minorum,* In civitate Salmantina MCCCCCVI, mense iulio, in-8°, ap. Ioan. de Porras, « per mandatum R. P. Francisci de Ledesma » guardiani ordinis Minorum Obs. Salmanticae [2], tractatus III, fol. 75v-94r: « *Incipit expositio super regulam fratrum Minorum edita a fr. Bartholomeo de Pisis. Caput I Regula et vita minorum fratrum hec est. In qua* (!) *forma edicitur* ».... Cf. AF IV, 381, l. 10. Expl. « *per summos pontifices est declarata* [cf. l c. 425 l. 15] *ad laudem et gloriam dei et domini nostri Iesu christi et sue intemerate matris virginis marie, omniumque sanctorum angelorum et sanctorum suorum. Amen. Explicit expositio fr. Bartholomei de Pisis super reg. fratrum Minorum* ». Quae verba *Ad laudem* etc. addita fuerunt opusculo, ex Conformitatibus extracto.

Prodiit 3° apud aliam editionem huius operis: *Monumenta Ordinis Minorum,* In civitate Salmantina, MDXI, item in mense iulio, in-4°, ap. eumdem, mandante eodem; tractat. II f. 77v-96r; ubi eodem modo incipit et explicit.

Prodiit 4° ap. *Speculum Minorum,* in civitate Rothomagensi, per Martinum Morin, 1509, mandante fr. Gerardo Zoethelme, Provinciae Franciae Obser. Vicario provinciali; tractat. III, fol. 66v-83r; ubi eodem prorsus modo incipit et explicit.

Prodiit 5° ap. *Firmamentum trium Ordinum beatissimi Patris nostri Francisci,* Parisiis, ap. Ioh. Petit, 1512, VII. id. ian., quod edidit fr. Bonifatius de Ceva, O. M., Provinciae Franciae Minister provincialis [3], pars IV, f. liiijrb-lxxrb. Ibi se habet: « *Incipit declaratio magistri Bartholomei de Pisis super regulam fratrum Minorum ex libro Conformitatum assumpta cum singularibus ipsius regule et status commendationibus previis.* [f. liiij va]. *Viso qualiter summus dominus et salvator* »... i. e. AF IV, 369 l. 4. Expl. « *pontifices est declarata ad laudem...* » etc. scil. uti ap. *Monum. ord. Min.*

6° inde prodiit assumpta in alia editione operis '*Firmamentum trium Ordinum,* Venetiis, per Lazarum de Soardis, die XV sept. MDXIII, in-8°; pars III, f. 52va-68ra, concordans' plane cum I editione *Firmamenti.*

Habetur *Declaratio Regulae* in pluribus codicibus. Eam continet v. gr. Romae in bibl. vaticana, codex lat. *7690,* saec. XV, foll. 368; chartaceus; miscellaneus.

Post opusculum S. Bonaventurae: *De triplici via* seu *Incendium amoris,* (cf. eiusdem *Opera omnia,* VIII, 1898, 3-27, cf. ibid. p. XXI) f. 264r-272v, incipit. « *Secunda* [pars] *noni fructus et conformitatis I libri est: Franciscus Regulator. Viso quomodo...* ». Expl. f. 342r. « *patet ad oculum christicolis. Ad laudem Christi. Amen* ». Est ergo tota pars altera fructus IX: AF IV, 369-457. Postea sequitur index capitulorum regulae et expositionis.

Codex bibliothecae Campori, modo cum Estensi Mutinae unitae, sign. *γ. E. F. 14.* Miscell., membran. saec. XV,

---

[1] Accedit f. Ai-Ciiii *Tractatus Minoricarum* Bartholi de Saxoferrato, iuristae saecularis (item in-4°). [2] Cf. Wadding, 27, 19², 22³ « Anon. Hisp. XIII »; 121, 82², 84³; Sbaralea, 52 (I, 55); 259 (I, 275).

[3] Cf. de eo AFH III, 314-5. Wadding, 85, 58², 60³; Sbaralea, 49, 182, 196-7. (I², 52, 194-5, 210).

mm. 127×90, foll. 110, non numer.; scriptura gothica, in fine vero cursiva, cum plurimis notis posterioris aevi; inter quae " Sig.re Sig.re Pro. C.mo da Iesi Zoccolante S. Severino... ", manu saeculi XVII.

Fol. 1-73 « *Secunda pars noni fructus et conf. vite b. Francisci ad vitam Christi secundum magistrum Bartolomeum de Pisis est: Franciscus regulator. Expositio. Viso quomodo summus dominus* ». Expl. « *Omnibus christicolis. Ad laudem christi. Amen. Deo gratias* ». Est tota altera conformitatis IX; ed. 369-457 [1].

Pragae in bibliotheca Capituli Metropolitani, MS. *B XC,* in-12°, membran. saec. XV ineuntis, foll. 387. Codex Miscellaneus.

Fol. 308 r. « *In principio regule. Incipit expositio regule Minorum. Primum cap. regule dicit: Regula et vita minorum fratrum etc. In quo forma edicitur...* ». Expl. 369 v. « *per summos pontifices est declarata. Explicit declaratio regule* ». Est ergo anonyma, sed est illa ap. AF IV, 381 l. 10–425 l. 15.

Declaratio super Regulam fratrum Minorum habetur quoque in Cod. *Scaff. XXIII n. 634* bibliothecae S. Antonii Patavii [2]; chart. saec. XVI, foll. 179, mm. 210×140, miscell. Declaratio legitur f. 1-46; incip. " *Primum regule capitulum dicit* ", edit. p. 381.

Codex Oxoniensis Canonicianus n. *96,* in Bibliotheca Bodleiana saec. XV in-4°, foll. 165. Miscellaneus.

Fol. 149-165; incip.: « *Viso qualiter summus dominus* »; expl. « *declarata* »; scil. est l. c. 369–425. Postea: « *Explicit declaratio regule fratrum minorum per magistrum fr. Bartholomeum de Pisis, ord. Min.* » [3].

Bruxellis in bibl. Regia, MS. *1629 (al. 12167-71)* saec. XV, miscellaneus.

Fol. 208 r 239 « *Expositio Regule fratrum Minorum per magistrum Bartholomeum de Pisis, s. Theologie professorem compilata* [4] ». Inc. « *Primo regule* »; cf. AF IV, 381.

---

[1] Descriptio debetur R. P. Seraphino Gaddoni, O. F. M., cui ob eam gratias dicimus. Alia partes codicis ap. AFH describet.

[2] P. M. Ant. M. Josa, *I codici manoscritti della bibliotheca Antoniana,* Padova 1886, 173.

[3] Cf. Coxe, O. H., *Catalogi codicum manuscriptorum bibliothecae Bodleianae, Pars III: Codices lat. et graec. Canonician.,* Oxford 1854, p. 494.

[4] Plura non indicat Van den Gheyn, S. I., *Catalogue des Manuscrits de la Bibliothèque Royale de Bruxelles,* XIII, Bruxelles 1903, 45. Est idem Cod. qui notatur n. 12170 ap. *Catalogue des Manuscrits de la Bibl. Royale des ducs de Bourgogne,* I, Bruxelles 1800. 244; hic Incipit illud notatur.

Codex *644* bibliothecae S. Francisci, nunc communalis Assisii. MS. chartaceum cum foliis membranaceis in fine et in medio singulorum fasciculorum, mm. 212×240, saec. XV, foll. 162, miscellaneus[1].

Fol. 1-71: « *Pars secunda fructus IX* », sine auctoris nomine. In summo primae paginae notatur: « *Primus liber. Ihesus. Regulator;* inferius: « *Expositio* ». Inc. « *Viso quomodo summus* »; expl. « *omnibus christiculis. Ad laudem Christi. Amen* ». Est tota secunda pars conformitatis IX, ed. 369-457.

Item in codice XX bibliothecae conventus (modo communalis) Capistrani. Cod. membran., foll. 208, mm. 170×115; saec. XIV et XV; miscellaneus.

Fol. 84v-101r: « *Expositio sive declaratio regule fratrum minorum secundum magistrum Bartholomeum de Pisis*[2] ». Inc. « *Qualis sit regula nostra, patet quia ipsa est in sancto Evangelio fundata* »; expl. « *per summos pontifices est declarata* ». Est ergo extractum ex Conf. IX, ap. edit. p. 373 l. 20–425 l. 15.

Versionem italam *Declarationis Regulae* continet codex Oxoniensis Canonicianus *ital. 178*[3] in bibliotheca Bodleiana; saec. XV, in-12°, foll. 118.

Fol. 1-20: *Dichiarazioni o Esposizioni della Regola di san Francesco del maestro fra Bartolommeo da Pisa dell' ordine de Minori, volgarizzate per fra Filippo da Massa*[4] *del medesimo ordine* ». Inc. « *El primo capitolo della regola è posto* » expl. « *a li piedi della sancta catholica chiesia Romana* »; i. e., uti videtur, ed. p. 373 l. 27-425 l. 8.

In bibliotheca publica Senis, Cod. *G. VIII, 57*, miscellan., saec. XV, mm. 120×90, foll. 207, ex conventu S. Bernardini ff. Min. Observantium prope Senas, scriptus manu fr. Gregorii de Vulterris.

Fol. 52r-192v; incipit rubrica: « *Questa è la seconda parte del nono frutto e conformità di sancto Francesco, intitolata Franciscus regulator* ». Incip. « *Nelle cose decte de sopra fu mostrato Francesco esser fe-*

---

[1] Notatur ap. G. Mazzatinti, *Inventari dei Manoscritti delle biblioteche d'Italia*, IV, Forlì 1894, 123.

[2] Brevius notatur a Vinc. de Bartholomeis, *Ricerche abruzzesi*, ap. *Bulletino dell' Istituto storico italiano*, VIII, Roma 1889; unde ap. *Miscell. Francesc.*, V, 12, et ap. P. Sabatier, *Opuscules de critique historique*, I, Paris 1903, 1 n. 1.

[3] Mortara, Al., *Catalogo dei MSS. italiani che sotto la denominazione di codici Canoniciani italici si conservano nella bibl. Bodleiana a Oxford*, Oxonii 1864, 182-3.

[4] De eo cf. Wadding, ad an. 1459 n. 29 (XII², 180); an. 1459 n. 29-30 (XIII, 137 sq.); an. 1463 n. 21. Per aliquod temporis S. Iohanni Capistranensi carus fuerat.

cundato del nascimento », i. e. AF IV, 269 l. 7. Explicit. « *Onde similmente delle tre chiese riparate da esso sancto Francesco et della voce che tre volte replicò di riparare la chiesa materiare (sic), così ha ordinate et instituite tre regole in nel mondo della chiesa militante, chome manifestamente vede ogni cristiano. Ad laude* etc. »; AF IV, 457 l. 7. Integra ergo adest altera pars conformitatis IX.

Codex *195 (D. 293)* bibliothecae Forteguerri (a Cardinali huius nominis fundatae) Pistorii, saec. XV, in-4°, foll. 39; miscell.

Fol. 1-37 « *Incomincia la dichiaratione di tutta la regola de' frati minori secondo Bartolomeo da Pisa* »; ed. 381 sqq. [1].

Adest altera pars conformitatis XIV, scil. II Conformitatis libri II, i. e. *Tractatus de Indulgentia Portiunculae* in cod. I (olim 277. A. 15) bibliothecae gymnasii[1] Schneebergensis in Saxonia Regia. ex codice ignoto et depardito operis Conformitatum extracta.

Est Cod. miscell. 242 ff., mm. 350×105, exaratus partim an. 1496 (cf. fol. 199r), partim post annum 1499 (cf. f. 38r). Fol. 1r ex abrupto Codex orditur: « *Item ultimus zelus ad animas ostenditur B. Francisci et salutem omnium non solum* », i. e. infra, 31 l. 13. Deinde textus integer Pisani decurrit, v. gr. f. 20r: « *Octava* (!) *istius indulgentie veritas ostenditur...* », i. e. infra, 43 l. 20 sqq.; explicit f. 22v: « *ad istius indulgentie confirmationem, sed pro opere presenti dicta sufficiunt* »; infra, p. 35 l. 38-9.

Codex *8577* latinus bibliothecae vaticanae[2] Romae saec. XV, chart. in-8°, miscell., extracta quaedam habet ex Conformitate II libri II.

Fol. 340 r. « *Quomodo beatus Franciscus zelavit et procuravit animarum salutem, et hoc ostenditur ex impetratione indulgentie quam*

[1] Sic notatur ap. Mazzatinti, l. c. I, 1890, 261.

[1] De MSS. dicti gymnasii, cf. Heydenreich, E., *Mitteilungen aus Handschriften der alten Schneeberger Lyceumsbibliothek*, ap. Gilbert, Walt., *Festschrift des Kgl. Gymnasiums mit Realklassen zu Schneeberg*, Schneeberg 1891, 43.

[2] Codex lat. 7735 bibliothecae vaticanae Romae; saec. XV, foll. 295, in-4°, miscell. In eo vero (contra AF IV p. XXV nota 1) non exstat ex Pisano extractum, sed fol. 284 v « *Quomodo papa Honorius tertius existens Perusii concessit beato Francisco indulgentiam a pena et culpa pro ecclesia de Sancta Maria Portiuncule. Cum staret beatus Franciscus apud ecclesiam sancte Marie de Port. fuit sibi de nocte* ». Est testimonium fr. Marini, nepotis fr. Massaei, ex diplomate Theobaldi episcopi Assis.; cf. Sabatier, *Fr. Francisci Bartholi de Assisio Tractatus de Indulg. S. M. de Port.*, Paris 1900, LXXVII sq.; ibi tamen hic codex non recensetur; neque ap. Alf. Fierens, *De geschiedkundige Oorspong van den Aflaat van Portiunkula*, Gent 1910, 56-9 Sequitur tunc f. 284-87 testimonium Michaelis Bernardi, ap. Sabatier, l. c. LXXXII-VI; ap. Fierens, l. c. 61-75.

a Christo obtinuit. Cum enim beatus Franciscus cum Christo Salvatore»; i. e. infra p. 31 l. 16; explicit f. 347 v. — Deinde pro sacris stigmatibus remittitur lector ad Conformitates (scil. conf. III libri III).

Versio italica II conformitatis libri II habetur Florentiae in Bibl. Nationali, in cod. Palatino *146 (219. E. 5. 3. 56)*, chartaceo foll. 14; 270×197 mm., post an. 1490, binis columnis scripto [1].

Fol. 1r incipit: « *Come lo beatissimo Francisco hebe la Indulgentia de la Portiuncula de Assisio, tracto de la conformita in la 2ª parte de la 2ª conformita in lo secondo libro et he la 14ª in lo ordine dicta: Francisco si animato. Expositione. Benche la vita e gesti del beatissimo patre santo Francisco* »; scil. infra 28 l. 41. Expl. « *vero e bon pastore verso le sue pecore, cio e frati da dio a se dati et commessi. Per le quale tutte cose e manifesta la 2ª parte de questa conformita. Cio e Francisco si animato et generalmente et spetialmente* »; infra 57. Est ergo tota altera pars conformitatis XIV.

Excerpta varia in aliis codicibus e Conformitatibus habentur.

Codex *5* miscell. Canonicianus bibliothecae Bodleiensis Oxonii [2], chartaceus et membran., in-4°, 57 ff., cuius prima pars an. 1512, altera an. 1457 exarata [3]; miscellaneus; habet:

Libellum de Portiunculae indulgentia ex II fructu libri II conformitatis vitae S. Francisci. Fol. 1 titulus:

« *Comie commenzo la indulgenza de Asise* »: Incip. « *Dum staret B. Franc. in cella sua apud sanctam Mariam de Angelis* »; infra p. 32 l. 2; in calce: « *Finis laus Deo, per me fratem Bernardinum de Speraneriis de Verona, dum essem capellanus sororum* [4] *monasterii Verone ordinis Minorum de Campo Martio 1512 die 23 Septembris, quod intitulatur apud Monasterium Magdalense* ». « *Extractum de Conformitatibus Ordinis ad litteram libro* [5] *secundo, et est in ordine 14, fructus secundus et conformitas: Franciscus animatur, pro parte secunda* », fol. 1-194. Deinde: « *Qui liber scriptus est per manus fratris Egidii Thonotoci* (?) [6] *conventus Verone qui multo tempore fuit capellanus supradicti monasterii* ». — Deinde varia alia.

Pulchrum et notabile miraculum beati Francisci ex Conformitatibus desumptum [7] f. 16r: « *De qualitate, persona, effigie et physonomia* (!) *beati*

---

[1] Notatur quoque ap. P. Sabatier, *Fr. Francisci Bartholi de Assisio Tractatus de Indulgentia S. Mariae de Portiuncula*, Paris 1900, p. CXXX.

[2] H. P. Coxe, *Catalogi codicum manu scriptorum bibliothecae Bodleianae*, Pars III: *Codices graecos et latinos Canonicianos complectens*, Oxonii 1854, 439-40. [3] Sic loc. cit. 439.

[4] *Catalogus:* priorum. Erat monasterium Ordinis S. Clarae; cf. Wadding, II² 410.

[5] *Catalog.:* lulio. [6] Forsan *Theotonici* legendum.

[7] Catalogus plura non habet.

Francisci ex eisdem»; f. 16b, in fine: «*die 24 Septembris 1512*»; cf. AF p. 468, l. 25-35.

De locis et provinciis ordinis Minorum ex conformitatibus collecta f. 17-28. In fine: «*Hec omnia supradicta inveni in conformitatibus ordinis XI° fructu et conformitate, in titulo: Franciscus fecundatur, in libro primo; et scripsi die X Octobris 1512 in monasterio monialium Campi Martii, dum essem ibi capellanus, in primo anno dum tunc fieret bellum contra Brixiam a Venetis.* — Fol. 28: «*Alie provincie, quas dimissi ex oblivione, et quia sunt aliqua pulcra in dictis provinciis, ideo omnia*[1] *disposui scribere et extrahere de ipsis provinciis predictis*», est scil. ed. 178-351. In calce: «*Finis, laus Deo, die 21 Octobris in die XI mill. virginum*[2] *1512, dum essem capellanus monialium Campi Marcii Verone*».

Catalogus Scriptorum Ordinis, f. 42-47, uti patet, ex Pisano extractus, ed. p. 336-342. In fine «*die 16 novembris 1512; frater Bernardinus capellanus*». = Pars II, tunc fol. 47 catalogus episcoporum Veronensium et f. 48-57 consultum iuristae Iacobi de Zocchis, circa bullam Eugenii IV «ad regulam S. Francisci spectans» [i. e. uti videtur, bulla 11 ian. 1446] datum 14[4]7 die 22 aprilis, cum sigillo.

Cod. *3468* (al. hist. prof. 701) bibliothecae Palatinae Vindobonensis[3]; chartaceus, saec. XV, 51 foll., in-4°, mm. 228×149, miscellaneus, f. 51r-v Extracta ex Provinciali Conformitatum continet.

Fol. 51r inc. «*Anno D. MCCCCXXIIII in mense marcio ego frater Ieronymus de Francia*[4] *extraxi consequentia de uno opere compilato a magistro Bartholomeo de Pisis Ordinis Minorum de Conformitate vite beati Francisci ad vitam Domini nostri Ihesu Christi. Et primo: Ordo noster habet XXXIIII provincias et VII vicarias*[5] *et in summa totali sunt conventus et loca ultra mille et quingenta et sexcenta*[6] *praeter omnia loca de novo recepta et edificata de post viginti annos*[7], *quia sunt multa et hoc tam inter fideles quam infideles*». — Tunc sola Provinciarum nomina ponit; cf. edit. 503 sqq., eo ordine quo ap. Pisanum leguntur; sed Provinciam Sclavoniae vocat Prov. Dalmatiae. Manifestat autem ipsius interesse Provincias Orientis nosse, quia de eis solis omnia quae Pisanus habet excripsit, scil.: «*Provincia Romaniae*», ubi omnia habet uti in edit. 533 l. 14-22; et post «*locum de Candida*» in margine addidit «*locum Conualim etiam (?) de Ouo*» [dictum]. Sic quoque pro Provincia Terrae Sanctae, ubi nil addit. Pro seqq. denuo sola nomina notavit usque ad p. 556

[1] *Catalog.*: omnino. [2] Harum festum hoc die celebratur; *Catal.*: «...XI. iiij....».

[3] Notatur ap. *Tabul. codd. manu script. bibl. Pal. Vind.*, II, 1868, 298. Excerpta vero nobis exscripsit R. P. Hugo Dausend, O. F. M., pro quo gratias ei dicimus.

[4] Unde proveniat codex, in eo non notatur. Erat iste proculdubio frater Minor, qui in Oriente commoratus fuisse videtur, sed de eo apud Auctores nihil repperimus. Waddingus, *Script.*, 171, 117[2], 116[3], notat quidem fr. Hieronymum Gallum, sed Waddingi coaevus erat iste.

[5] Cf. AF IV, 555-9. [6] Numerus ex Pisano AF IV, 558 l. 14 sq.

[7] Quo scil. tempore Pisanus scripsit, ex revera plures ante annos.

l. 19: Vicaria Orientis, cuius textum totum praebet; itemque Vicariae Aquilonaris et Tartariae[1], usque ad p. 557 l. 33; addens in fine nomina sola Vicariae Sardiniae et Corsicae.

Codicis compilator[2] et scriptor in eo coadunavit, etiam duo chronica Hierosolymitana, (quae ante an. 1200 expliciunt): f. 1 r-8 v, 12 r-50, et 50 v-51 r. Fol. 9 r-11 v interseritur Kalendarium ord. fratr. Minorum.

Codex *D VI 12* bibliothecae Casanatensis Romae, chartaceus, miscell. saec. XV, (partes quaedam saec. XVIII), in-12°. Extracta adsunt ex conform. I-VIII, et huius pars.

Excerptum minus, etiam e pluribus locis libri Conformitatum collectum, habetur in cod. *B XC* bibliothecae Capituli Metropolitani Pragae[3]. Exempla quaedam.

Fol. 267 v. « *Incipiunt quedam exempla de conformitatibus. Cum frater quidam domesticus fratri Egidio diceret sibi: Fr. Egidi, nova bona dico tibi, et fr. Egidius respondit dicens: Ego ipse, inquit, in hac nocte fui ductus ad infernum* etc. »; i. e. AF IV, 446 l. 24 sqq. Expl. f. 283 r. sub rubrica: « *Exemplum terribile: Erfordiensis dominus Rodulphus et abbas ordinem intraverunt, et tam humiliter vixerunt, ut aquam in baiuli barili ambo portarent et lapides ad predicti loci constructionem* »; edit. IV, 329-31.

Alia Excerpta varia ex variis fructibus et libris operis Conformitatum, versa in linguam vulgarem italicam a moniali Magdalena monasterii S. Mariae Maioris Venetiis, Ordinis S. Clarae[4], saeculo XVI, continentur in bibliotheca Bodleiana Oxonii MS. *Canonic. ital. 203,* chart. in-4°, saec. XVI, foll. 74. Continet f. 1-70[5]:

Fioretti novelli della vita di San Francesco e d'alquanti frati dell'ordine suo, tratti per la maggior parte dal libro delle Conformita di Fra Bartolommeo da Pisa e volgarizzati da Suor Maddalena del convento di Santa Maria Maggiore di Venezia.

Prologus interpretis sororis inc. « *Priego cadauna persona che legera questo deuoto libro* »; expl. « *e del poverello S. Francesco* ». Textus horum extractorum inc. « *Prima della natiuita del beato Francesco. Cercha la natiuita* »; expl. « *passo di questa vita al suo signor Dio al qual sia honor et gloria in secula seculorum; Amen.* Cf. AF IV, 95 sqq. In calce

[1] Hic sed non alibi: p. 533 l. 16; 534 l. 2, omisit tantummodo « ut dictum est conformitate VIII », 557 l. 26. Nullae variantes ullius momenti adsunt. Adest lacuna uti 557 l. 1.

[2] Chronica Hierosolymitana alterius manus sunt.

[3] Cf. p. LXXIII et AF IV, XXV n. 1.

[4] Fundatus fuit an. 1436; cf. Wadding, ad h. an. n. XXXII (X, 280); Gonzaga, *De origine,* Prov. S. Ant. monast. IX, ed. I, I, 320. ed. II, 370-1.

[5] Mortara, *Catalogo,* 199 sq.

fol. 1 alia manus scripsit « *Della comunitta de Santa Maria Mazzore, il qual scrisse la madre Suor Madalena de sua propria mani, il signor li merita tanto bene che ne a fatto a nui altre sue pouere fiolla* ». Ex prologo patet eamdem sororem librum esse quoque interpretatam. — F. 71 « *Della grande potenza di S. Francesco contro al demonio* » sic incipit tractatus absque novo titolo, scriptus quoque ab altera manu: « *Il segno per il quale se pol comprendere* »; expl. « *per la moltitudine delli angeli che erano li* »; cf. infra 222-24 l. 26. — F. 73 titulus « *De molti mali che aduengono a quelli che perseguita l'ordine* »; inc. « *Niuno che a pressumesto de perseguitar l'ordine de San Francesco* »; expl. « *si de bon core auera amato lordine* »; cf. ed. 438–9. Hoc a I manu [1].

Excerpta varia e Pisano continet etiam cod. capituli Ligniciensis, scriptus a fr. Bernardo, O. Carthus., an. 1481-83 [2].

Extracta quaedam de sanctis Clarissis ex libro Conformitatum, sed aliunde ampliata, continentur quoque in codice *699* archivi nationalis Florentiae.

Codex [3] est saeculo XVI, idiomate italico exaratus; mm. 203×142. Vita b. Agnetis Boemiae, f. 75r-76v, ampliata est ex AF IV, 357-8; vita b. Salomeae f. 76v, ex AF l. c. 338; vita b. Helenae de Padua f. 77r-v, ex l. c. 358-9; notitia de b. Rosa de Viterbio, f. 77v, ex l. c. 359; vita b. Sanciae reginae f. 77v-78v ex AF III, 539-40 et AF IV, 359; tunc ex l. c. lin. 18 sqq. Accedit demum e Pisano, 309-17, versio ad litteram vitae S. Ludovici episcopi.

Ex libro Conformitatum extracta etiam fuerunt vita et dicta b. Aegidii Assisiensis. Haec etenim apud Pisanum leguntur iuxta recensionem specialem (B) [4].

E Pisano extracta adsunt, et quidem italice versa in cod. *Ital. Z. 11*, in bibliotheca S. Marci Venetiis [5] saec. XV, miscellaneus; mm. 150×205, fol. 108. Fol. 1r–51r, rubrica « *Del beato frate Egidio terço frate, figliolo e compagno de S. Francesco, prima come intrò in religione* ». Incipit « *Questo glorioso homo citadino dela città d'Ascisi abiando intexo da i soi parenti.* Liber I (vita) capitum 14. Liber II (dicta) 23 capitum incipit, f. 14r « *Frate Iacopo de la Massa, el qualle aveva gratia* ». Explicit « *E questo basti al presiente della vita e doctrina del b. padre e nostro fratello frate Egidio d'Ascesi. Amen* ». Edit. 205 33.

[1] Alia excerpta ex Pisano notantur, sed brevius, adesse in cod. Canoniciano *lat. 26*; cf. Coxe, *Catalogus*, II, 298.

[2] Ipsum accurate descripsit P. Sabatier, *Opuscules de crit.*, I, 33-63; cf. 59, 63.

[3] Eum accurate descripsit P. Benvenutus Bughetti, O. F. M., ap. AFH V, 573-80.

[4] Cf. *Dicta b. Aegidii Assisiensis*, Ad Claras Aquas 1905, p. VIII; ibi p. XII alii codices huius recensionis enumerantur.

[5] Cf. Frati, C. e Segarizzi, A., *Catalogo dei codici Marciani italiani*, I, Modena 1909, 10 sq. Cf. AFH V, 127.

IV.

De fortuna operis Conformitatum.

Fortuna, fataque operi Conformitatum fr. Bartholomaei in initio plurimum favebant, uti numerus codicum utcumque nobis notorum, qui caeterum longe plures fuerunt, manifestat. Fortunam ipsius prosperam denotant extracta varia, e libro Conformitatum exscripta, quae tanquam opera propria separatim circumferebantur. Extracta varia in linguam italicam versa fuerunt, immo et totum opus an. 1543-1544, i. e. anno postquam Alberus librum Conformitatum acerrime impugnavit, ut eum in derisum verteret.

Plures tamen auctores in operibus suis ante et post annum 1542, opere Conformitatum usi sunt large in componendis libris eiusdem ferme generis et conceptus ac Pisani opus celebre et prolixum.

1. — De versione itala operis Conformitatum.

Cod. *II, III, 162* [1] [Magliabecchian. class. XXXVIII num. 85] bibliothecae nationalis Florentiae, continet versionem italicam libri primi operis Conformitatum, interprete fr. Dionysio Pulinari, O. M. Obs. [2], anno 1543-1544 confectam [3].

MS. chart. saec. XVI, mm. 340×230, foll. 349 numer. In principio novem sunt folia insititia et quinque ad calcem. Binis columnis exaratus praeter folium primum et ultimum in quibus lineae plenae sunt. Est Autographum fratris Dionysii Pulinari. — Codex nullum artis vel picturae ornatum habeat, tamen pluribus in locis litterae rubrae adsunt. Generatim in unaquaque pagella titulus libri, conformitatis et fructus, necnon duae lineae superius et inferius rubro colore scriptae sunt. — Recenter ligatus (s. XVIII vel XIX) assericulis ligneis et in dorso pelle coopertis cum hac inscriptione: *Fra Bartolomm. da Pisa Conformita di S. Francesco T. I.* Tempore huius novae ligaturae inserta fuerunt folia praefata. Prima tria folia insititia vacant.

---

[1] Brevissime notatur cod. 163, 153 ap. Mazzatinti, *Inventari dei MSS. delle biblioteche d' Italia,* IX, Forlì 1899, 183 sq.; et AF IV, p. XXIX, ubi de parte ipsius edita.

[2] De ipso cf. Wadding, *Script.*, 103, 70², 72²; Sbaralea, 220 (I², 234); Terrinca, *Theatrum,* 196-7; AFH IV, 1911, 563-4; I, 527. [3] Cf. p. LXXXI, l. 12; p. LXXXII, l. 24; LXXXIII, l. 17.




Figura Arboris Conformitatum S. Francisci cum Domino Iesu

Editionis I anni 1510.

Fol. 4 r. insit. non num. habet: « *III. Pisa (Fra Bartolommeo, da) delle Conformita di S. Francesco con Gesu Cristo; tradotto di latino in volgare da Fra Dionisio Pulinari Fiorentino de Frati Minori. T. I. — Cod. 162.* — Fol. 5 r. insit. non num.: *Ex Bibliotheca Antonii Mariae Biscionii* [1]; *Francisci Caesaris munificentia 6. Idus Septembris 1756. Catalogus Bibliothecae Biscionianae, et in Archivo nostrae Bibliothecae inter libros in fol. sub Num. 7. et Excerpta Io. Targionii Tozzetti* ». = Fol. 6 r. insit. non num.: « *In Catalogo primo nostrae Bibliothecae desideratur in Excerptis Io. Targionii Tozzetti et Indice gener. Codd. Cl. XXXVIII P. 3. cod. 85. Pisa (Fra Bartolommeo da) della Conformita della vita del Padre S. Francesco alla Vita di N. S. Gesu Cristo composta nel 1385 e ridotta in volgare da un Frate Minore nel 1543, 1544. Cod. Autogr.* ».

Fol. 7 rv insit. non num. legitur: « Pisa (Fra Bartolommeo da Rinonico da) Libro delle Conformita di S. Francesco con Gesù Cristo tradotto dal Latino in volgare da Fra Dionisio Pulinari Fiorentino de' Frati Minori; T. I cod. in fol. chart. foll. 349 scriptus est manu eiusdem Dionysii, interpretis operis anno 1543, ut ex prima et postrema pagina discimus. Auctor conformitatum non quidem Barptolemaeus Albitii fil. de Vico Pisano fuit, ut Waddingo et aliis, sed Fr. Barptolemaeus de Rinonico, ut videre est apud Troncium, *Annali Pisani*, p. 490 [2], et multis argumentis probatur [3]. Versionem hanc adgressus est Dionysius ad instantiam Sororis Benedictae de Bettinis [4], virginis Franciscani Ordinis in Coenobio S. Ursulae Florentiae [5], ipso teste in Chronico MS. Ordinis Min. Provinciae Tusciae, ut videre est in *Actis Sanctorum* Collect. Bollandianae, T. I. mensis Maii, p. 161 [6] et in *Supplemento ad Scriptores* Waddingi Ioannis Hyacinthi Sbaraleae, Romae 1806 p. 110, 220 ». — Fuerat codex, uti tunc sequitur:

« Benedictae Bettiniae Sanctimonialis Franciscani Ordinis in Coenobio S. Ursulae Florentiae, cuius gratia Dionysius Pulinarius versionem huiusmodi adgressus est; v. quae superius notavimus. (Tunc vero fuit:) Coenobii S. Ursulae Florentiae post mortem Benedictae Bettiniae; (demum): Antonii Mariae Biscionii, Can. S. Laurentii et Bibliothecae Laurentianae Praefecti ».

Fol. 8 r. insit. non num.: « Operum Series alphabetica. Pisa (Fra Bartolommeo da Rinonico da) Libro delle Conformita di S. Francesco con Gesu Cristo tradotte di latino in volgare da Fra Dionisio Pulinari. T. I. Num. unic. ». — « Pulinari (Fra Dionisio), Volgarizzamento dal latino del Libro delle Conformità di S. Francesco con Gesù Cristo di Fra Bartolommeo da

---

[1] Fuerat bibliothecarius Laurentinae bibliothecae; cf. Giulianelli, A. P., *Ragguaglio della Famiglia e della vita letteraria del Can. M. Biscioni*, ap. *Nov. lett. Fior.* 1756, 353; cf. Moreni, I, 444; cf. ib. 128 sq. [2] Cf. supra XVIII, n. 7. [3] Cf. supra XV sqq.

[4] Scil. Ord. S. Clarae.

[5] Cf. Wadding, an. 1435 n. LXXXIV (X^2, 266); Gonzaga, 262; ed. II, 299.

[6] Die I maii, ubi Soror Benedicta maximi desiderii apparet habendi libros, res Ordinis tractantes. Cf. eiusdem *Croniche della prov. di Toscana*; MS., p. 192, ubi hoc expresse dicit.

Pisa T. I. Num. unic. » etc. Omnes notae quae praecedunt, a manu recenti appositae sunt [1].

Fol. 10 r. non num., i. e. in primo folio codicis non iam insititio, manu ipsius Pulinari ibi legitur: « *Opus Conformitatum in lingua vernacula, susceptum in die sancto Penthecostes* ». Reliqua sunt scriptum autographum ipsius Pulinari:

Fol. I r. num, litteris rubris: « ***Primus Prologus in libros Conformitatum.*** *In nomine domini nostri Iesu Christi et Beatissimae Mariae Virginis matris suae ac Beatissimi Patris nostri Francisci servi sui* ». « *Incomincia l'opera intitulata della Conformita della uita del beato padre San Franc.º alla uita del nostro Signore Iesu Christo, nostro Redemptore, compilato et composto dallo Inluminato doctore et Interprete delle sacre scripture Frate Bartolommeo da Pisa del ordine minore di S. Francesco, per la rererentia del prelibato Padre San Francesco, lo anno del Sig.re Mille trecento ottanta cinque* [1385], *riducte in uulgare per uno semplice et idiota frate minore, accioche li frati semplici ne cauino qualche utilita di una tale et tanta opera. Nelli anni del Sig.re Mille cinquecento quaranta tre* [1543]. *Ad laudem Iesu Christi et Patris nostri Francisci* ». — Traductio operis incipit fol. 1 v.

Desinit Liber primus Conformitatum et codex fol. CCCLX v lineis plenis et rubris literis. — Post finem additur: « *Deo gratias. Finis adest. Pia semper laudetur virgo Maria. Expletum hoc opus in vigilia Sacrorum Stigmatum Beatissimi Patris nostri Francisci Anni Domini MDXLIIJ. Cum gratiarum actione oretur pro expositore scriptoreque simul* ». — Sequuntur quinque folia vacua.

Cod. *II, III, 163* [Magl. class. XXXVIII n. 86] bibliothecae nationalis Florentiae est tomus secundus operis Conformitatum, et continet librum secundum et tertium huius operis, item interprete fr. Dionysio Pulinari. MS. chartac. mm. 340×230 foll. 224.

In principio novem sunt folia insititia et quatuor ad calcem; binis columnis exarata, praeter folium primum et ultimum sicut in primo tomo. Autographum eiusdem Pulinari. Codex est ornatus sicut in primo tomo absque ulla prorsus differentia. Legatura eadem. Prima tria fol. insititia non num. alba. — Fol. 4 r. insit. non num. idem scriptum quod in primo tomo, mutatis tantum numeris et tomi et codicis. — Fol. 5 r. insit. non num. itemque fol. idem scriptum quod in primo tomo.

Fol. 7 r. insit. non num. « Pisa (Fr. Bartolommeo da Rinonico da) Libro delle Conformità di S. Francesco con Gesù Cristo tradotto dal latino in volgare da Fra Dionisio Pulinari Fiorentino de Frati Minori (ut ex T. I scilicet Cod. 162 P. III adparet. T. II cod. in fol. chart. foll. 224 scriptus manu eiusdem Dionisii interpretis operis, et absolutus die 6 Martii 1544, ut in fine

[1] Forsitan a Follini (supra XVIII, n. 11) qui bibliothecae Magliabecchianae Praefectus fuerat.

notavit. De auctore latino huius operis v. T. I. sive Cod. 162 P. IV ». = « Fuit » etc. Scriptum enim versumque fuit pro eadem sanctimoniali Benedicta Bettinia, O. S. Clarae. Hic recensentur possessores iidem codicis, sicut in tomo I, iisdem verbis. — Fol. 8r. fol. 9r. insit. non num. idem scriptum habet quod in primo tomo. (Pro *T. I.* ponit *T. II.*).

Fol. 10r. non num., manu fr. Dionysii Pulinari: « *Secundus tertiusque Liber Conformitatum. In lingua materna pro indoctis nec non habentibus linguam latinam. Incepi hoc opus Pridie Idus Novembris* [1543] ». Eodem fol. v. est index conformitatum et fructuum secundi libri, qui fol. I r. num. incipit litteris rubris et unica columna. Sequitur postea reliquum duobus columnis, excepto ultimo fol. v. Tituli et in unaquaque columna duae lineae semper sunt rubro scriptae. Hoc etiam accidit cum aliquod factum notabile narratur. = Fol. CLII v col. 2: « *Finisce il secondo libro delli XVI fructi et conformita della vita di San Francesco alla vita di Iesu-Christo* ».

Fol. CLIIJ r incipit liber tertius cum indice conformitatum et fructuum. — Desinit fol. CCCXXIIIJ r unica col.: « *Deo gratias. Finem huic expositioni dedi sexta die Martii anno Domini MDXLIIII* ». Fol. v. « *O lectore pro me pregho, et preghi maxime, le consolatione di questo caui* ». — Sequuntur denique quatuor folia insititia vacua.

Fol. 7r insit. non num.: « Pulinari (Fra Dionisio) Fiorentino dell'Ordine de' Minori, Vita di S. Francesco estratta e compilata dal libro delle conformità di S. Francesco con Gesù Cristo, di Fra Bartolomeo da Rinonico da Pisa. Idem excerpti auctor et scriptor qui codd. *162, 163,* 164, 165, 166, 167, P. III exaravit. Cod. in fol. chart. saec. XVI circa medietatem, ut ex aliis codd. eiusdem laudatis [1] adparet. foll. 295 ». = Fuerat olim: « Benedictae Bettiniae, Sanctimonialis Franciscani Ordinis Florentiae in Coenobio S. Ursulae, cuius gratia ex Libro Conformitatum huiusmodi vitam excerpsisse autumo tum ex iis quae leguntur in *Actis SS.* Collectionis Bollandianae, T. I. mensis Maii, pag. 161 [2], ubi Dionysius fatetur se praeter versionem Libri Conformitatis S. Francisci et Vitae B. Mariae Virginis Fr. Barptolomaei de Pisis, et Vitae Iesu Christi Landulphi Saxonis [3] huius gratia multos alios scripsisse libros, tum quod Biscionius Cod. olim possessor [4], quemadmodum Cod. *162, 163,* 164, 165, 166, 167, laudatas versiones complectentium et calamo Dionysii pariter scriptorum uno eodemque tempore a Coenobio S. Ursulae volumina huiusmodi obtinuisse videatur ». — « Coenobii... etc. » ut in cod. *162.* « Antonii... etc. », ut in eodem cod. *162* [5]. = Foll. 8r et 9r insit. non num. eas-

[1] Supra p. LXXX sqq.

[2] Cf. supra p. LXXXI, l. 31.

[3] AA SS l. c. Est celeberrima Vita Iesu Christi, auctore Ludolpho (sic) Saxone, qui prius Ordinis S. Dominici, deinde O. Carthus., obiit 1378; cf. H. Hurter, *Nomenclator literarius Theologiae cath.*, II, (ed. III) Oeniponte 1906, 566–7. Hain, *Repert.*, 9876-7; 10288-306. — Ipsius supra, l. 24, 34-5, versio, auctore Dion. Pulinari, continetur in cod. Ii, III, 164-167 (Magl. cl. XXXVIII, n. 89-92); Cf. Mazzatinti, IX, 183.

[4] Cf. p. LXXXI, l. 5 sqq.

[5] Cf. p. LXXX, l. 17 sqq.

dem notulas habent quas cod. *162* in iisdem foliis mutatis mutandis. — Fol. 10 et 11 non num. sunt alba et codici insita nec sunt.

Fol. Ir. num. « *Incomincia un libro cavato del libro intitulato delle Conformitadi della vita del nostro Beato Padre San Franc.° a quella del nostro Signore Giesu Cristo conpilato da Maestro Bartolommeo da Pisa et da me gia riducto in volgare* ».

Fol. IIr col. 1ª « *Trattato della vita di S. Francesco. Incomincia un libro nel quale si trattano molte cose della vita di S. Francesco cauato del libro chiamato Conformitadi della vita di San Francesco, conpilato da Maestro Bartolommeo da Pisa, nel quale si veggono molte cose notande di esso nostro Beato Padre* ». Incip. « *Come San Francesco fu dichiarato et profetato. Parte prima* ». « *In questa prima parte e da vedere qualmente S. Francesco fu dichiarato, per l' evidentia* etc. ». Id est omissis Prologis, et parte priore conformitatis, incipit initio partis secundae conformitatis primae; uti in edit. p. 33, l. 4. Expl. « *Come S. Francesco fu mandato da Iddio nel mondo* ». — « *Parte seconda. Veduto qualmente S. Fr. fu profetato e prenuntiato avanti che nascesse, consequentemente resta a vedere in questa sec. parte, qualmente S. Francesco fu destinato e mandato da Iddio* ». Id est, quia hic et alibi priores partes omisit, transitionem Pisani, modo suo adaptavit, non iam de priore ad alteram partem, sed de prima ad secundam conformitatem eam instituens; edit. 69. Expl. « *e cosi si manifesta questa 2ª parte* ». — *Come gli uomini si rallegrarono per la nativita di San Francesco. Parte terza. Voglio che vediamo come qualmente li huomini si rallegrarono per la nativita di S. Francesco. Per il che e da sapere che come e detto per Amos al terzo, che Iddio* etc. ». Item eodem modo; cf. edit. 95. Simili modo pro sequentibus secundis partibus. N o n u s a u t e m f r u c t u s i n t e g e r e s t, nempe utraque eiusdem pars.

Versio haec, non obstante titulo generaliore, non habet nisi decem priores conformitates libri primi. = Decima pars (seu conformitas) incipit: « *Accioche piu chiaramente si vegga la espositione di questa decima parte, sono da vedere alcune cose. Primo e da vedere* etc. » uti edit. p. 464 l. 6. Expl. « *Che san Francesco fu predicatore. Tutto à laude del magno et onnipotente Iddio. Il fine della decima parte del Trattato della vita del nostro beato Padre San Francesco cauato dal libro delle Conformita di M. Bartolommeo da Pisa* ». = Quae conclusio sollemnior innuit fr. Dionysium Pulinari hic cessasse exemplar novum versionis suae (vel saltem huius voluminis).

Codex seriei Conventuum abolitorum: *Conventi sopressi C 5 873,* bibliothecae nationalis F l o r e n t i a e i t e m t r e s l i b r o s Conformitatum continet, i t a l i c e v e r s o s a fr. D i o n y s i o P u l i n a r i, O. M. Obs.

Cod. chartaceus, saec. XVI, mm. 34×24; foll. non numeratorum. Binis columnis exaratus et atramento nigro per totum scriptus. Est etiam a u t o-

graphum fr. Dionysii Pulinari, nonnullas habet correctiones et notas marginales. Aliquibus in locis illegibilis omnino est propter atramentum, quod chartam corrosit. Nulla notula in eo invenitur. Legatus est moderne pergameno, in dorso, et tabulis chartaceis, quae duobus fibulis bracteis continentur. = Liber primus Conformitatum in hoc codice occupat folia 235 non num.; secundus foll. 103; tertius foll. 54.

Codex *II, III, 168,* [cl. XXXVIII, n. 87] bibliothecae item nationalis Florentiae, versionem italicam secundarum partium conformitatum I-X libri primi operis Conformitatum (nona vero integra est) continens, item auctore et scriptore fr. Dionysio Pulinari [1].

Cod. chart., saec. XVI, foll. 295; mm. 327×220; Novem habet folia insititia quorum priora tria vacant, in principio. Binis columnis exaratus, sed folium primum et ultimum lineis plenis. Est autographum eiusdem fr. Dionysii Pulinari, O. M. Obs. Tituli per totum litteris rubris sunt scripti; itemque ubi notabile aliquod factum narratur. Ligatura pergam. In dorso haec adest inscriptio: « III Fra Dionisio Pulinari. Vita di S. Francesco ». = Notulae quae in foliis insititiis sunt appositae, conveniunt cum illis, quae habentur in Cod. II, III, *162;* supra p. LXXXI., paucis mutatis mutandis.

Fol. 4 r. insit. non num. « III. Pulinari (Fra Dionisio) Fiorentino del ordine de' Minori: *Vita di S. Francesco estratta e compilata dal Libro delle Conformita di S. Francesco con Gesu Cristo da Fra Bartolommeo da Rinonico da Pisa* cod. 168 ». — Foll. 5 r. et 6 r. insit. non num. eadem habent quae et eadem foll. *codicis 162;* cf. supra LXXXI l. 4 sqq.

2. — De auctoribus qui opus Conformitatum imitati sunt [2].

Librum Conformitatum plurimum usurpavit et exscripsit v. gr. Fr. Iacobus Oddus seu de Oddis Perusinus [3], cui generatim tribuitur opus prolixum, lingua vernacula italica exaratum, sed ineditum quod *Speculum Ordinis Minorum,* vulgo *Specchio dell' Ordine Minore* inscribitur, magisque innotuit sub nomine: *Franceschina.*

Quinque huius operis exstant codices: I) in conventu ffr. Minorum apud aedem Portiunculanam [4]; II) in monasterio Clarissarum Montis Lucis Perusii [5]; III)

[1] Paucis notatur ap. Mazzatinti, l. c. IX, 183.

[2] Nequaquam hic recensere volumus innumeros qui Pisanum adhibuere.

[3] Cf. de eo Wadding, *Script.*, 184, 125-6², 125³; *Annales,* 1474 n. XIV; quo anno eum opus num absolvisse dicit. Sbaralea, 375. Iacobillus, *Bibliotheca Umbriae,* I, Fulginiae 1658, 145; Tossinianensis, f 332r.; Vermiglioli, G. B., *Biografia degli scrittori Perusini,* II, Perugia 1829, 141-2; Savelli, ap. *Misc. Franc.* (MF), III, 52-3; Faloci, l. c. IV, 87; 127, 146-150.

[4] Cf. l. c. IV, 87; *L' Oriente Serafico,* XXIV, S. Maria degli Angeli 1912, 49.

[5] Cf. *L' Oriente Seraf.*, XVIII, 1906, 571-6; MF IV, 127.

in bibliotheca municipali Perusina, sub num. 1238 [1], ex bibliotheca conventus ffr. Minorum Montis Ripidi ibidem; IV) item in bibliotheca publica civitatis Nurciae, ex conventu ffr. Min. ibidem in eam delatus [2]; V) exemplar quoddam ex codice Montis Lucis deductum, quod est cl. D. Andreae Tini, Vicarii generalis dioeceseos Assisiensis [3]. = Incipit opus in codice Nurciano, f. 1ra: « *Incomença lo primo prolago dello libro chiamato Spechio delordine minore. Inomine yhesu Christi. Amen. Similem illùm fecit in gloria sanctorum ..* ». Scilicet uti prologus alter Pisani, AF IV, 3. Explicit f. 259rb: « *Et che questo sia uero, lauemo mostrato desopra per exemplo in intucto questo libro ueramente spechio de uita, de quilli che in essa uita se sono spechiatj* ».

Conceptum operis Conformitatum S. P. Francisci cum Iesu Christo imitatus est, modo suo eum adaptans, Fr. Marianus Florentinus [4], O. Min. Obs., qui caeterum plurimas hauriebat ex fodina lucupletissima libri Conformitatum.

In vita S. Francisci, servata in cod. II, II, (Màgliabecch.) *cl. XXXVIII n. 99* bibliothecae nationalis Florentiae [5], et in cod. 316 bibliotecae Guarnaccianae Volterris [6] *30* conformitates S. Francisci cum Cristo enumerat Fr. Marianus, quarum aliquas directe ex Pisano transsumpsit, licet modo suo et stilo eas proponat, alias vero ipse Marianus addit, alias demum non qua conformitates sed quoad conceptum ex eodem hausit. Partes enim aliquarum conformitatum Pisani, Fr. Marianus novas conformitates efficit.

Cod. cit. f. 1v. « *Inchomincia la vita di Sancto Francesco fondatore di tre ordini. Prologo.* »; f. 2r: « *Come S. Fr. e stato al mondo per figure demostrato dovere venire a reformare la vita di Christo* ». « *La prima chonformità che ebbe chon Iesu Christo S. Fr. fu nelle figure* ». Scil. figurátus fuit in Adamo, Noe, columba Noe, Iacob, cinverna Pharaonis, Gedeone, Iephte, Salomone et in Daniele. Cf. edit., scil. AF IV, 33-4. — « *La seconda chonformità che letterno Dio ha voluto che S. Fr. sia chonforme col suo unigenito* » erat quia prophetatus fuit: a Christo, SS. Paulo, Ioanne, a Sibylla, a Cyrillo, ab abbate Ioachim, Polycarpo etc.; cf. edit. 33, 41 sq., 43 l. 36 sqq., 44 sqq. — « *La tertia chonformita che ebbe S. Fr. con Iesu Christo si fu nella annuntiatione* etc. » edit. 56, 96 sqq. — Conformitas IV erat in S. Fr. nativitate, i. e. natus est in stabulo [7], festum magnum fuit, nomen eius mutatum est etc., cf. ed. 98 sqq. — Conformitas V: uti in Christi nativitate Angeli laetabantur etc.; ed. 96-7. — Conformitas VI: scil. habitus cum Christo conformis; ed. 142. — VII: uti Christus S. Fr. discipulos elegit; ed. 165 sqq. 176 sqq. — VIII: Evangelicam vitam, regulam etc. assumpsit; ed. 78 sqq. — IX: uti Christus ieiunavit; infra, 184 sqq. — X: uti Christus tentatus fuit, ed. 149 sqq.

XI: uti Christus discipulos suos in universum mundum misit; ed. 493 sqq., 58, 473, etc.; infra 364 sqq. — XII: uti Christus epistolas misit Abgaro regi, ita S. Fr. ad Soldanum ivit etc.;

[1] L. c. 87; Mazzatinti, *Inventario dei MSS. delle bibl. d' Italia*, IV, 100.

[2] MF IV, 87; Bihl, Mich., ap. *Etudes Franc.*, XVIII, 1907, 304.

[3] Quod edere sibi cl. A. Tini proposuerat in fasciculis periodicis; sed eorum solum specimen prodiit, cum aliquibus locis *Franceschinae*, sub titulo: *Collis Paradisi. Periodico Francescano Mensile. Numero unico di saggio.* Assisi 1904, in-8°, 16 pp. — Item iam an. 1882 Prof. A. Rossi *Franceschinam* vulgandam sibi proposuerat, sed eiusdem tantummodo specimen prodierat: Foligno, P. Sgariglia, in-8°, 28 pp., 1885; hinc quaedam denuo edita sunt ap. MF IV, 146-50.

[4] De eo Wadding, *Script.*, 249, 170², 167³. Sbaralea, 518. Alios auctores habes enumeratos ap. AFH IV, 1911, 559 sqq. Obiit Florentiae an. 1523.

[5] Cf. descriptionem sat accuratam ap. P. Sabatier, *Fr. Francisci Bartholi de Assisio Tractatus de indulg. Portiuncùla*, Paris, 1900, CXXX-V.

[6] Item descriptus a P. Sabatier, l. c. 145-151. Nos usi sumus codice Strozziano.

[7] Haec conformitas ap. Pisanum non legitur. Cf. Mariani *Compendium*, AFH I, 99 sq., in quo plurimum adhibuit Conformitates.

infra, 464-9. Hic fol. 38 v. expresse citatur Pisanus: « *Come scrive maestro Bartolomeo da Pisa nelle sue chonformita......* », est locus edit. p. 700-710. — XIII: uti Christus S. Fr. duas discipulas habuit, scil. S. Claram et Iacobam de Septemsoliis; cf. edit. 351 sqq.; infra, 429 sq. — XIV: uti Christus S. Fr. plurima patravit miracula: infra, 10 sqq. — XV: item aquam in vinum convertit etc.; infra, 232 sqq. — XVI: item hydropicos curavit, infra, 18. — XVII: item caecos, ibi, 16. — XVIII: item panes multiplicavit, ibi, 275 sqq. — XIX: item contractam Eugubii, ibi, 16 l. 14 sqq. — XX: item e navi praedicavit, ibi, 208, — XXI: uti Christus S. Fr. est transfiguratus; infra, 75 sqq. — XXII: item tres mortuos resuscitavit: infra, 19, 474 sqq — XXIII: item S. Fr. magno honore suscipiebatur; edit., 494 sqq., infra, 29 sqq. — XXIV et XXV: uti Christus S. Fr. ultimam cenam cum discipulis fecit, et zelo animarum motus in manus Saracenorum se dedit, qui cum flagellaverunt etc.; infra, 354 sq.; edit., 481. — XXVI: uti Christus S. Fr. stigmatizatus fuit; infra, 369 sqq.; — XXVII: item in fine vitae maximo zelo salutis animarum exardescebat. Hic refertur versio italica epistolarum S. Fr. ad omnes clericos et ad omnes fideles, quas (una cum illa ad capitulum generale) Marianus Sanctum scripsisse narrat, dum Nuceria Assisium redux, aegerrimus in palatio episcopi Assisii iacebat; edit. 593 sq. (infra, 426). — XXVIII: item in ultima sua infirmitate, lamentantibus discipulis, etc., etc. infra, 427 sqq. — XXIX: item in sepultura; infra, 440 sqq. — XXX et ultima conformitas: fol. 74 v « *Come S. Fr. discese al purgatorio et libero molte anime et chome in paradiso siede nella sedia di Lucifero:* cap. 44; infra, 450 sqq.

Codex vero *X* bibliothecae conventus Ord. Minorum (modo communalis) Capistrani[1], miscellaneus valde, mm. 290×210, scriptus pluribus manibus saeculo XV et XVI, non continet librum Conformitatum fr. Bartholomaei[2], sed enumerat breviter (fol. 71 r) conformitates viginti duos S. Franciscum inter et Christum. Comparanti tibi patet plerasque harum excerptas esse ex opere fr. Bartholomaei. Textum integrum hic edimus.

« *Iste sunt 22 conformitates, quas habuit sanctus Franciscus conformans se Christo.*

1) In primis sanctus Franciscus prophetatus fuit sicut et Christus, Apoc. 7: *Vidi alterum angelum*[3]. 2) S. Franciscus visus fuit in medio 7 candelabrorum, sicut et Christus, ut in primo cap. Apocal.: *Vidi in medio 7 candelabrorum similem filio hominis etc.* 3) S. Franciscus in stabulo ortus fuit sicut et Christus[4]. 4) Christus missus fuit a Patre et s. Franciscus a Christo, dicens ter: Vade, Francisce, repara domum meam, que labitur. 5) Christus salvavit tres status hominum, vid. virginum, coniugum et viduarum et s. Franciscus ad eandem salvationem ordinavit tres ordines, scil. fratrum minorum, monialium et coniugum. 6) Christus habuit 12 socios vid. apostolos et s. Franciscus etiam. 7) Christus ieiunavit 40 diebus, nichil comedens et b. Franciscus etiam. 8) Sicut Petrus principalis apostolus ter Christum negavit sic et fr. Helyas principalis[5] frater in ordine, negavit s. Franci-

[1] Eum summarie descripsit V. de Bartholomaeis, ap. *Misc. Franc.*, V, 9-10.

[2] Sic dixit Faloci, l. c. VIII, 138, (eiusque traductor ap. *Etud. Franc.*, X, 614).

[3] AF IV, 23-60; i. e. conformitas I etc.

[4] Cf. p. LXXXVII, nota 7.

[5] Sic correctum ex *primus*.

seum. 9) Sicut Christus predicavit populis in navi, ita et b. Franciscus, Luc. 5 et Franciscus in Gaieta. 10) Sicut Christus misit suos discipulos binos et binos, sic et s. Franciscus misit suos etiam discipulos. 11) Sicut Christus misit duos discipulos ad regem Abagarum sic et s. Franciscus misit duos discipulos ad soldanum regum paganorum. 12) Sicut Christus observavit evangelium sic et b. Franciscus. 13) Sicut Christus transfiguratus fuit, sic et s. Franciscus transfiguratus fuit in quadriga ignea. 14) Sicut Christus fecit de aqua vinum, sic et s. Franciscus. 15) Sicut Christus predixit suam mortem, sic et s. Franciscus. 16) Sicut Christus ante obitum voluit cenam facere cum discipulis, sic et b. Franciscus. 17) Sicut Christus crucifixus fuit in monte Calvario, sic et s. Franciscus in monte Alverne. 18) Sicut Christus habuit 4 cancellarios ad scribendum evangelium vite [1] ipsius, vid. Matheum, Marcum, Lucam et Iohannem, sic et s. Franciscus habuit 4 cancellarios, vid. Bonaventuram, Ricchardum, Goffredum et Iohannem de Rupella [2]. 20) Sicut Christus tactus fuit a s. Thoma in latere in vulnere, ita et s. Franciscus a fratre Leone. 21) Sicut Christus reliquit suum vicarium, vid. s. Petrum post mortem, ut ei obediretur, ita et s. Franciscus reliquit fr. Bernardum [3]. 22) Sicut Christus migravit a seculo nudus, sic et s. Franciscus.

Fr. Pelbartus de Temesvar, O. M. Obs., iuxta Pisanum plures conformitates inter Christum et S. Franciscum delineavit [4], non secus ac Tractatus quidam lingua hungarica saeculo XVI conscriptus, qui agit etiam de Conformitatibus inter S. Franciscum et Christum [5].

Fr. Petrus de Alba et Astorga [6], Ord. Min. Obs., alumnus Provinciae Peruanae XII Apostolorum plurium operum compilator et collector indefessus, qui inter alia, sibi proposuerat et Ordinis et Patriarchae sui privilegia, encomiaque palam facere atque propugnare, usus est quoque conceptibus pluribus fr. Bartholomaei de Rinonico, seriem longam Conformitatem Christum inter et s. Fran-

[1] Sic correctum ex: *in vita.*

[2] Auctor proculdubio alludit ad quatuor magistros, qui Regulam fr. Minorum explicaverunt, sed erronee S. Bonaventuram pro Alexandro Halensi posuit. Habetur eorum explicatio v. gr. ap. *Firmament. trium ord.*, p. IV, f. XVIIv-XXIr; ed. Paris. 1512; ed. Venetiis 1513, p. III, f. 15v-19r. [3] Cf. AF IV, 185 l. 31 sq.; cf. p. 203 l. 18 sqq.

[4] In sermone LXX de Sanctis *Pomerii de SS.* Cf. Katona, Lud., *Tres variae narrationes nativitatis S. Francisci. Sodalibus societatis Franciscanae Assisii an. MCMIV congregatis,* Budapest. 1904, p. 1-2; 7-8. De hoc fratre, qui obiit an. 1504, cf. Wadding, *Script.* 274, 186^2, 183^3; Sbaralea, 579, 731. Supra, XLVIII n. 2. — Nolumus hic alios praedicatores recensere, qui Pisano usi sunt.

[5] Editus ap. *Monumenta linguae Hungaricae (Nyelvemléktár)*, Budapest 1873, 258-352. De quo egit Katona, ap. *Akadémiai Értesitö,* 1903 (8 iul.), Academiae Budapestinae.

[6] De eo cf. Wadding, *Script.*, 275, 187^3, 184^2; Sbaralea, 580-1.

ciscum exponens sed non absque impetu suo solito et superlationibus [1]. En libri inscriptio prolixa:

Naturae prodigium, gratiae portentum. Hoc est Seraphici P. N. Francisci vitae acta ad Christi Domini Nostri vitam et mortem regulata et coaptata. In prima columna describuntur Redemptoris mundi mysteria, incipiendo ab eius aeterna praedestinatione usque ad gloriosam ipsius ad caelos ascensionem; et in altera correspondente, conformitates, similitudines et parallela Seraphici Patriarchae in quadraginta quinque titulos divisa. Item pro apparatu operis viginti sex praemittuntur tabulae pro principalioris assumpti claritate et illustratione: ad laudem et gloriam eiusdem Seraphicae Religionis Minorum Patriarchae pertinentia enodantur. Omnia elaborata et collecta a R. P. PETRO DE ALVA Y ASTORGA,... *Inquisitionis qualificatore,... et in curia Romana pro venerabilis P. Fr. Francisci Solani canonizatione Procuratore generali.* Matriti, MDCLI, in-fol. 410 pp. — Tenor huius compilationis maxime varius est; agit quoque de missionibus Ordinis nostri, de S. Francisco Solano etc. etc. [2].

Operis Conformitatum [3] conceptum per singula deductum, fr. Bartholomaei de Rinonico, eo nisus et usus largissime, libro evolvit fuse atque late P. Valentinus Marée, O. M. Rec. [4], Provinciae Flandriae alumnus (obiit an. 1660), in opere quatuor in partes diviso, quod *Tractatum Conformitatum inter discipulum* (i. e. s. P. Franciscum) *et magistrum* (i. e. Christum) inscripsit. Ascetice res expositas evolvit, respiciens utilitatem tum praedicatorum in genere, tunc eorum qui orationes paraeneticas, praesertim exercitiorum spiritualium occasione habere debent.

Traicté [5] *des conformité du disciple avec son maistre, c'est à dire, de S. François avec Jésus Christ en tous les mystères de sa naissance, vie, passion, mort* etc. *Le tout recueilly aïencé et divisé en deux parties par un frère Mineur Récollet.* Prodiit liber sine loco et anno indicatis, in-4°;

---

[1] Ideo liber decreto 6 iul. 1655 inter prohibitos relatus fuit. Cf. et *Index librorum prohibitorum SSmi D. N. Leonis XIII iussu... editus,* Romae 1901, ed. II, p. 42 sq.

[2] Cf. Marcell. da Civezza, O. F. M., *Saggio di bibliografia geografica, storica, etnografica, Sanfrancescana,* Prato 1879, 14.

[3] In vita Fr. Martini de Valentia, qui vocatus est Indiarum Americae (quo an. 1523 missus est) Apostolus, narratur, eum qua novitium diligentissime *librum Conformitatum* legisse. Cf. Arturus, *Martyrologium,* 418. Gonzaga, I, 1251; 1462².

[4] De eo cf. Dirks, *Histoire littéraire et bibliographique des Frères Mineurs de l'Observance en Belgique,* Anvers [1885] 213-6.

[5] Iuxta Dirks, l. c. 214. Breviter notatur hoc opus, reapse rarum valde, ap. Nicéron, 148; Graesse, VI, 185; Brunet, V, 916 etc.

sed revera cusus fuit typis conventus fratrum Minorum Leodii, anno 1656. — Post partem istam primam duae aliae prodierunt, inscriptione simili.

Partie seconde du traicté des Conformités du disciple avec son maistre; c'est à dire, du séraphique père, Saint François avec notre Seigneur Jésus Christ, contenant en soy tous les mystères de leur passion, mort, résurrection etc. Le tout recueilli et ajusté par F. VALENTIN MARÉE, *recolet de la province de Flandre.* Liége, 1658, in-4°.

Partie troisième des Conformités du disciple avec son maistre, c'est à dire du séraphique père St. François avec Notre Seigneur Jésus Christ, contenant en soy tous les Mystères de leurs Calvaires, Crucifiemens et dernières paroles. Le tout recueilli et ajusté par F. VALENTIN MARÉE, *Recollet de la Province de Flandre.* A Liége, de l'imprimerie Henry Tournay proche sainct Denys, à l'enseigne des trois fontaines, 1660, in-4°.

In hoc tertio volumine continetur quaedam pars quarta, in qua auctor conformitatem affectuum S. P. Franciscum cum septem verbis a Christo in cruce prolatis exponit. — In fine adsunt tabulae materiarum usui praesertim praedicatorum adaptatae, et illorum qui libro isto uti volunt pro exercitiis spiritualibus peragendis. In genere in fine cuiusque capitis operis sui prolixi et ascetici instructiones practicas pro praedicatoribus et spiritualibus animarum directoribus subnectit P. Valentinus.

3. — De libellis contra opus Conformitatum conscriptis, et de eum defendentibus.

Primus librum Conformitatum anno 1542 aggressus est calamo virulento et violento Erasmus Alberus[1], minister protestanticus, amicus Lutheri. Qua occasione Alberus in opus Pisani offenderit, ipse in praefatione libelli sui, quem *Alcoranum Franciscanorum* vulgo *Nudipedum,* seu *Nugarum Collectanea* nominavit, exposuit.

« Itaque cum Princeps Elector Marchio Brandenburgensis, Dominus meus Clementissimus[2], Visitatoribus utriusque civitatis Brandenburgensis id negotii dedisset, quo sedulo in hoc studium et curam impenderent, ne scortationes notae ac vulgatae tolerentur, neve impii cultus Dei excerceri permittantur, utque omnes et Monachi et sacerdotes conciones Evangelii et lectiones Verbi Dei frequentarent, quidam e Consularibus vetustiores civitatis Brandenburgensis assumpserunt una secum M. Ioannem Sifridum Pastorem suum, meque ac alios Ecclesiae ministros. Cunque Coenobium Franciscanorum[3] visitaremus, Princi-

[1] Natus circa 1500; † 1553. Poëta erat insignis, litiumque et controversiarum etiam cum ministris propriae suae sectae cupidissimus, unde ob motas a se rixas sedem saepe mutare debuit. De eo cf. praesertim Schnorr von Carolsfeld., Fr., *Erasmus Alberus,* Dresden 1893, et Körner, Em., *Erasmus Alberus. Das Kämpferleben eines Gottesgelehrten aus Luthers Schule,* Leipzig 1910 in (Opus quidem doctum sed unctione lutherana perfusum). Cf. et Strieder, *Hessische Gelehrtengeschichte,* I, Marburg u. Kassel 1781, 25 ff. [2] Ioachim II, cognominatus Hector (1535-71).

[3] Provinciae Saxoniae; AF IV, 551 l. 19. Erat primus conventus huius Provinciae, qui ad Observantes transiit; cf. Rose, V., *Die latein. HSS. der kgl. Bibliothek zu Berlin,* II, Berlin 1901, 183, 624. Inde ed. Lemmens, L., ap. *Beiträge z. Gesch. d. sächsischen Franziskanerprovinz,* III (1911) 67-70; cf. AFH IV, 625sq.

pisque Electoris, Domini clementissimi nostri, seriam voluntatem ipsis denunciaremus, invenimus eos aeque induratos et excaecatos ac ipsos Iudaeos et Turcas; nullo modo persuaderi poterant, ut Franciscum suum relinquerent[1]. Etenim in eam sublimitatem Franciscum extulerunt, nimirum in sedem Luciferi, ut plane de ruina nihil foret pertimescendum. Sed etsi quid sit timendum, non minus se spei in Caesare et Papa habere, quam Iudaei in Messia suo, quem fingebant sine verbo.

Erat ex fratribus, qui dicebat, non se recusare, quin illico dedatur diabolo, si non Regula Francisci sit ex Deo. Cui unus ex Senatoribus respondit: Non sic insanire Satanam, ut ovum iaciat feriendi passeris causa; hoc est, Diabolus non est adeo stultus, ut hunc monachum quamprimum e medio tollat, cum metuat, ne reliqui monachi, viso hoc miraculo, errorem suum agnoscant et convertantur...

Invenimus et in Refectorio ipsorum libros quosdam[2] (Biblia vero sacra nusquam)[3] in quibus inerant adeo horrenda blasphemaque, ut dici satis non possit, nec ullus nostrum meminerat, unquam se talia audivisse, aut fieri etiam potuisse, ut tanta insania et levitas in quenquam hominum caderet, aut etiam quenquam haec potuisse vel excogitare vel credere.

Collegi vero ex multis Legendis supra quingentas particulas, quas ex Latino in Germanicum sermonem transtuli, ac maiorem partem illorum e libro quodam descripsi, quem vocant Librum Conformitatum, non alio loco habitum ab ipsis, quam Alcoranus a Turcis[4]. Liber certe iustae magnitudinis, ut videri possit, quo pacto Satan imperium suum in monachos subditos suos exercuerit et quod Coenobia ipsa nihil fuerint aliud quam Speluncae Latronum ac valles Hinnom, attamen hic liber tam preciosus est, ut unusquisque Christianus fidem suam ex eo confirmare queat...

Tametsi autem horribiles essent hae Legendae, quod nomine Domini Dei nostri, sanctae et individuae Trinitatis, Mariae Matris Domini, item omnium sanctorum et angelorum, tam horribiliter abutantur, tamen cum et supra modum ridiculas esse viderem, in lucem edendas esse putavi... Si miracula quae in Alcorano Franciscanorum descripta sunt, omnia sontigissent, certe Franciscus una cum fratribus suis, non iniuria Christum et apostolos suos provocare possit. Christus semel duntaxat aquam in vinum mutavit; at Franciscus non semel, sed ter hoc miraculo nobilitatus est[5]. Christus semel transfiguratus est; at Franciscus vigesies. Christus breve tempus dolores vulnerum suorum sensit; Franciscus vero dolorem vulnerum suorum per totum biennium passus est. Franciscus et Fratres ipsius supra millenos[6] mortuos in vitam revocarunt, plus mille caecis visum restituerunt, plus mille diabolos a daemoniacis eiecerunt. Claudos vero homines et pecudes restituerunt. Et ut paucis dicam, Christus nihil fecit, quod non item Franciscus fecerit et longe plura etiam.

Itaque et in Alcorano Franciscanorum saepe reperitur Franciscum Christo esse similem. Nam quod sit supra Christum, perquam vellent quidem dicere[7], sed diabolus metuit, ne nimium se prodat et agnosci possit... De illo quidem non veretur palam gloriari, quod Franciscus excellat omnes Apostolos, omnes sanctos et omnes angelos. Ac vicissim velut sui ipsius oblitus, postponit interdum Franciscum Ioanni Baptistae et Ioanni Evangelistae[8]... Quodsi Franciscus revera quinque vulnerum stigmata accepisset, certe diaboli[9] opera et fascinatione factum fuisset. At ego crediderim a monachis post obitum Francisci esse excogitatum in confirmationem et commendationem ordinis sui... ». Et alia sequuntur huius pessimi generis[10].

---

[1] Körner, l. c., 62. Lemmens, L., *Aus ungedruckten Franziskanerbriefen des XVI. Jahrhunderts,* Münster i. W., 1911, 5, 46, 48, 84.

[2] Plures libri et MSS. in bibliothecam Berolinensem devenerunt; Rose, l. c. II, 2, p. 1511.

[3] Calumnia est Alberi.

[4] Item.

[5] Infra, 232 sq. Quod alio penitus modo et sensu edixit Pisanus, (232 l. 18-20) non secus ac reliqua.

[6] Impudenter numeros auxit et exaggerat Alberus.

[7] Postea alii Pisanum hoc clare dixisse asseruerunt absque restrictione.

[8] Cf. infra, 462 sq.

[9] In notis *Alcorani* sui Alberus quam plurima e diabolo repetiit et ex eius « avia »!

[10] Iuxta *Alcorani* editionem Daventriensem 1651, p. 238-45.

Quae quam caeco impetu et temere dicta sint, quis est quin videat? Estque digna praefatio isthaec Alberi ipsa opella. Haec sane eadem rabie theologica, quae hunc praesertim reformatorem, sic dictum, animabat, compilata est. Studio etenim et amore maximo quo novas suas, Lutherique magistri theorias amplexatus erat, infensissimum eum reddidere plurimis doctrinis opinionibusque quae Pisanus exposuit, quaeque non solum ipsius Pisani erant, sed et Ecclesiae a qua defecerat Alberus. Nec nobis quidem omnia dicta Pisani probantur, attamen "diabolica „ illa figmenta, quae in libris Conformitatum detexisse sibi visus est zelosus minister Neo-Evangelii, Erasmus Alberus, nonnisi aliquis partium studio abreptissimus hoc in opere invenire potuit. Quod et dictum sit de aliis libris, infra breviter recensendis. Erasmi enimvero Alberi, aliorumque, ipsius interpretum necnon et glossatorum, intererat maxime satyras scribere, religiosas praesertim, iuxta illius aevi morem semper vehementissimum, non autem non iracunde atque aequo animo dicta, doctrinas, theoremata aliorum attingere et, cupiditate semota, exponere, itemque refellere.

Quod etiam elucet ex Praefatione[1], quam Dr. Martinus Lutherus, dictorum Reformatorum primipilus, libello Alberi praefixit; cuius locos crassiores hic ponere refugit calamus; solos librum Conformitatum tangentes exscribimus.

« Equidem[2] [inter alia scribit] eum librum, cui Titulus est Liber Conformitatum, in quo haec omnia insunt, quae ex magna illa Lugenda[3] S. Francisci aliisque Libris sunt consarcinata, in hodiernum usque diem domi servo posterorum causa, ut si fortasse post haec tempora usu veniat, quod Papistae se ita ornare, mundareque velint, quasi nullam unquam turbarint aquam, ut dici solet,... nos contra, naribus ipsorum obvertamus foetidam hanc detestandamque abominationem.... Nam hic liber habitus est a Franciscanis loco Evangelii[4], ipsumque Franciscum loco Christi obtruserunt Christianis[5]. Atque hinc est quod tam multis Francisci et Clarae nomina sunt indita[6]. Oportuit enim Franciscum Deum esse, ut hac ratione nomen eius extolleretur....

---

[1] Praeterquam in editionibus *Alcorani* Alberi, adest v. gr. ap. Oudinum, *Script. eccl.*, III, 1177–9; in cod. *lat. 4313,* fol. 181–2 bibliothecae Palatinae Vindobonae. Cf. *Tabulae Codd. MSS.*, III, 238.

[2] D designat editionem Daventriensem, de qua infra p. XCV, l. 21 sqq.; W est editio Wittenbergensis I[a], de qua infra p. XCIV, l. 26 sqq. Locus ex D p. 224 sqq.

[3] Sic D; W *Luegenden;* est lusus verborum (= mendacia).

[4] Mendacium insigne.

[5] Mendacium maius.

[6] Si ita res est, non opernendum factum.

En modo aliqui loci ex illis ab Albero excerptis. Quodsi illos latine datos, cum versione germanica ipsius Alberi conferas, invenies statim interpretem illos non quidem in genere adulterasse, sed in vocum delectu contumeliarum aculeos oppido acuisse, ut legentium animos eo magis icerent, allicerentque, quo sale non quidem attico, sed ironico felle ac lepore conditi exsisterent loci isti, quorum plurimi nec theologo sectae Lutheranae argutissimo offensam dare poterant.

In versibus: « *Francisce, Iesu typice,* etc., » cf. Edit. AF IV, 18 l. 6-8 « duplicem idololatriam ac horrendam haeresim » deprehendit acutus Alberus « quod ex Christo Domino nostro figuram solum (!) ac typum Francisci faciunt, hoc est: Christus est servus (!), Franciscus vero Dominus eius » (!!); deinde « quod Franciscum ut verum Messiam (!), mediatorem advocatum ac patronum invocant et vitam aeternam ab ipso (!) petunt »; addimus ex animo Pisani: quantum hanc Franciscus dare (scil. impetrare) queat. — Secundus locus incriminatus est ille in quo narratur S. Franciscum tres ecclesias reparasse: edit. AF IV, 5 l. 35-40. D nil ibi adnotat; W autem haec fere: « Mundum abdicare non est aedificare ecclesias, vel peregrinari ad loca pia, sed in Christum credere; illa et impius facere potest ». — Locus III: S. Fr. ad litteram evangelium observabat « et ipse cum suis habet regulam in Evangelio fundatam »; ed. 7 l. 14-6. D et W notant in margine « Sequitur omnes oliorum monachorum ordines esse ex Diabolo ». W etiam citat contra hoc I Ioh. 1, 8, dicens s. Franciscum de superbia tentatum esse cum mantellum pauperculae dedisset [infra p. 134 l. 16] et prosequitur: « Hoc non est apicem evangelii transgredi, sed cum Lucifero de caelo praecipitare in infernum etc. s. Franciscum cum turma sua solus habet evangelium, nec nobis quidquam reliquit » etc. — Mox etiam in W longiores animadversiones, quae virulenta ironia plenae sunt, cessant, apponunturque solummodo notae marginales breviores, sed frequentiores et acriores quam in D. Saepius ibi repetitur: « Quis dubitat de illo? » etc. etc. — D p. 11 et W n. 28-9, ubi narratur (edit. p. 14 l. 29-31) Zantesam daemoniacam dixisse S. Franciscum in sede Luciferi resideri, adnotant « Probat per Diabolum... In sede Luciferi, id est, in Inferno » (!) D raras voces hollandicas notis immiscet v. gr. p. 11, « Franciscus Christi *Vaendrager* » [i. e. vexillifer]; p. 12, 27 etc.; e contra W plures locos latinos dat non germanice versos. — In genere notae apud W longe dicaciores et acidiores sunt; nec ordo locorum selectorum apud D et W idem est, praesertim inde a W n. 94 et seqq. Neque loci e Pisano ab Albero facetiis cavillante et irridente in utraque editione plane (licet in genere) conveniunt inter se.

W. n. 63 ut magis ridiculum redderet Pisanum, textum quandoque immutavit v. gr. pro « opere *mosaico* » Ed. (= AF, IV) 56 l. 13 habet « opera *musaeaca* » dum Edit. I[a], quam adhibet (=M) f. 13vb revera habet uti Ed. In margine vero adnotavit W: « Pulchrum latinum ». — Ad Ed. 109 l. 7-8: « Hodie in isto vico nati sunt duo pueri » D 28 (et similia W n. 89, 90) falso notat: « Intelligit [alterum puerum malum fuisse] Dominicum (!) nam hi duo ordines mutuo inter se sunt infensi ». — Ed. 156 l. 19-21, D 34 et W n. 117 « Franciscus ante stigmatisationem fuit hilaris, iocundus, liberalis etc. ». Non vero agitur de stiggmatizatione, sed de conversione S. Fr. Locum hunc W vertendo exaggerat et adulterat [1]. Quod saepius accidit, non quidem incuria Alberi interpretis, sed ironia et studio abrepti, ut legentes magis ad risum contemptumque moveret. — W n. 151 i. e Ed. 201 l. 1 omisit solis brachis [D n. 8 legit brachiis!] remanentibus. — W n. 180 i. e. Ed. 242 l. 28 « de civitate Narnii » lusum verborum inducit: « Ein Narre den anderen » [2]. — W n. 230 sqq., et

[1] W n. 117 « sang unde reis gute bossen und viel lamerzoten, da er aber die funff wunden empfangen hatt, wolt er nicht mehr lachen, sondern sahe seer ubel zum Sachen » et in marg. « Sawer sehen macht einen Münch » i. e. facies acris monachum efficit.

[2] Id est: stolidus stolido sociatur.

D. 71 sqq. de visionibus B. Iohannis de Alverna: Ed. 257-59, adnotant pluries: « Vide blasphemias » et similia. — Quae, omissis locis plane crudis et rudibus interpretis, abunde sufficiunt ad indolem huius satyrae acris et impudentis cuique ostendendam.

In W numeri sunt 601; ultimo loco (i. e. D 213) refert sic finem editionis Pisani « Impressum Mediolani per Gotardum Ponticum apud Templum S. Satyri (et meretur sane hic liber in templo etiam Priapi imprimatur). Anno MCCCCCX die 18 mensis sept. ». — Cf. supra p. LXIV, l. 46. — W 601 (f. 256) erronee habet 18 aprilis.

Tunc in D 213-8 quaedam subnectuntur « *ex Legenda de Beato Francisco* ». Sunt vero sumpta ex *Legenda aurea* Fr. Iohannis de Voragine O. Praed.[1], in cap. de S. Francisco, scil. n. 1, 3, 11, 12, 14, 17, 24, 25, 27 etc. — Tunc in D 218-221 (i. e. W n. 604-15) locos quosdam SS. Patrum collegit Alberus « *ex Breviario Franciscanorum* » demumque D 221 (W. n. 617-21) adest « *Antiphona Franciscana plane diabolica* » (!), scil. antiphonae: « S. Francisce propera[2] », « Salve S. Pater », « Plange turba paupercula » etc., et « Si quaeris miracula ». Subnectuntur in D p. 224-34: « *Praefatio D. Martini Lutheri, germanico libello praefixa, utcumque translata*[3] »; tandemque p. 235-48: « *Erasmus Alberus christiano lectori*[4] ». In editione autem Wittenbergensi post n. 622, scil. Responsorium: « Si quaeris » quod ibi dicitur compegisse (!) « Antonius de Padua, nudipes » i. e. fr. Minor, aliqua ex Regula n. 623-25 subnexa sunt, atque imprecatio finalis in S. Franciscum. Ultimo loco subduntur versiculi, quos Alberus praetendit compositos fuisse in conventu Ord. fr. Minorum Lipsiae[5].

Ipso anno 1542, quo Alberus in librum Conformitatum inciderat, Excerpti sui valde satyrici duae editiones[6] prodiere. Latina quae, considerato libri Conformitatum idiomate, originalis dicenda est, Francofurti ad Moenum in lucem venit[7]; altera, quae locos Pisani germanice conversos exhibet, Wittenbergae vulgata fuit.

Editio germanica prima[8] hanc inscriptionem prae se fert, quae ornamentis illius aevi, columnis, fructibus etc. circumducitur, quin adsit quidpiam ad S. Franciscum alludens.

Der Barfu- | ser Muenche Eulenspie- | gel[9] *und Alcoran. | Mit einer Vorrede D. | Martini Luth*[er] | *Versicu*[lus] *Franciscanorum | Franciscus est in coelo. | Responso*[rium] | *Quis dubitat de illo? | Antipho*[na] | *Totus mundus. | MDXLII.* | In fine vero: *Gedruckt zu Wittenberg durch | Hans Lufft. | MDXLII.* |

Est sine pagin. numer., mm. 195×142; consistit ex 8 foliis et foll. A-T2; [82 foll.] — Fol. 4b: « *Erasmus an den christlichen Leser* » [Lectori christiano]. = Kuczynski[10] duas

---

[1] Ed. Graesse, Lipsiae 1850; Vratislaviae 1890. Nuper *Legenda S. Francisci* inde edita est ap. AFH V, 242-36.

[2] Cf. *Breviar. Romano-Francisc.*, etc., et v. gr. Hil. Felder, O. Cap., *Die liturgischen Reimofficien auf die Hl. Franziskus und Antonius,* Freiburg (Schweiz) 1901, 124 sq., 131.

[3] Cf. supra p. XCII, l. 24 sqq. [4] Item p. XC, l. 28 sqq.

[5] « *Dise nachfolgende Vers sind im Barfuserkloster zu Leipzig gelicht worden, gehören auch in dis Buch propter Magistralitatem: Finito libro, sit laus et gloria Christo. | Qui me scribebat, Ranciscus nomen habebat, | Qui me finivit, partecas rodere scivit. | Alba manu scribe, cessa, non omnia scribe. | Alba manus, cessa, quia digiti sunt mihi fessa* ».

[6] Editiones varias operis huius accurate recensere omiserunt Schnorr von Carolsfeld, l. c. 54 sqq. et Koerner, 66 sqq., recentissimus Alberi biographus, qui satis duxit lectores amandare ad Strieder, *Hessische Gelehrtengeschichte,* I, 29 sq. Cf. Goedeke, *Grundriss der deutschen Dichtung,* 8 voll. Dresden 1884, II edit., II, 437 sqq. [7] Koerner, l. c. 67, 190; citans Gewinner, *Kunst und Künstler in Frankfurt a Main,* 107.

[8] Schnorr, 55-6; Koerner, 66; Goedecke, II, 437.

[9] *Eulenspiegel* est collectio quaedam famosa facetiarum vernacula lingua germanica conscripta, quae aliquando, sed perperam tribuebatur Fr. Thomae Murner, O. M. Conv., celeberrimo poëtae et Lutheri intrepido adversario; cf. Goedeke, l. c. II, 214 sqq. *Kirchenlexikon,* VIII², 2024 sqq.

[10] *Thesaurus libellorum historiam reformationis illustrantium,* Leipzig 1870, p. 5, n. 42 (80 foll.), n. 43 (82 foll.); Schnorr, 226.

species exemplarium huius I editionis describit; altera enim 80 fol. constat; altera vero 82; in his titulus adest uti supra; in illis autem tituli linea quarta sonat: | *D. Martini Luth.* |

Secunda editio germanica prodiit ibidem: *Der Barfuosser* | *Münche Eulenpiegel* | *und Alcoran.* | *Mit einer schoenen Vorrede* | *D. M. Luth*[*er*] | etc. uti in ed. I; sed sine loco et anno; foll. A-P. (in-8°). Initio adest decalogus Nudipedum: « *Der Barfuoser Münch zehen Gebott* ». Sunt 12 strophae quaternorum *versiculorum* (aa bb), quorum auctor censetur esse Alberus. Etiam ista editio extracta num. 625 habet.

Tertia editio germ.: *Der Barfuosser* | *Münche Eulenspiegel und Alcoran* etc. uti ed. II^a, sed in titulo S. Francisci stigmatisatio delineata est; prodiit s. l. (Wittenbergae) « *Anno MDLXXIIJ* »: foll. A-P; adest quoque Decalogus ille satyricus, in cuius initio effigies conspicitur item satyrica.

Anno 1717 et 1718 textus editionis primae germanicae recusus est ap. *Unschuldige Nachrichten von theologischen Sachen*, 1717, p. 174 sqq., 360 sqq., 916 sqq.; 1718, p. 29 sqq. 552 sqq. 725 sqq. [1].

Editio prima latina prodiit hac cum inscriptione: *Alcoranus Franciscanorum seu Blasphemiarum et Nugarum Lerna de stigmatisato Idolo quod Franciscum vocant, ex libro Conformitatum. Anno LXIII.* Sed in fine legitur: *Francophurdi, ex officina Petri Brubachi anno 1542* (sic); in-12°, 112 foll. [2].

Aliae editiones latino-gallicae prodierunt Genevae 1556, 1560 atque 1578 [3], de quibus infra l. 37 et p. XCVI sqq.

Alia porro editio textus solius latini prodiit: *Alcoranus Franciscanorum* | *id est* | *blasphemiarum et nugarum Lerna de stig-* | *matisato Idolo quod Franciscum vocant* | *ex libro Conformitatum.* | *Versiculus Franciscanorum:* | *Franciscus est in coelo.* | *Responsio* | *Quis dubitat de illo?* | *Antiphona:* | *Totus mundus.* | Daventriae, typis Iohannis Columbii A° CIƆIƆCLI [4] (in-24°) foll. A1-L5. Pag. 1 est ipse titulus; p. 2 vacat; p. 3: « *Christiano lectori salutem* » [5], scil. brevis praefatio, seu rectius animadversio circa locum primum e Pisano extractum, de quo supra p. XCIII l. 9 sqq. P. 5-223 textus Extractorum; p. 224-34 praefatio M. Lutheri; p. 235-48 praefatio Alberi. — Hanc editionem Daventriensem supra adhibuimus.

Mox plures in linguas versum est Erasmi Alberi opusculum, contumeliarum aculeis plenum, quod cupiditatibus a sic dictis reformatoribus tunc exagitatis alimenta oportuna praebere natura sua datum erat.

Versionem gallicam confecit, iuxta latinam editionem (anni 1542) concinnatam, et typis suis vulgavit Conradus Badius, primum anno 1556 uno volumine, deinde anno 1560 in duos libros auctam. Utraque editio textum latinum et interpretationem gallicam continet, adnotationesque adiectas et auctas ab ipso Badio, eadem virulentia qua illae Alberi pollentes.

L'Alcoran des Cordeliers tant en Latin qu'en François, c'-est-a-dire Recueil des plus notables bourdes et blasphémes impudens de ceux qui ont osé comparer St. François à Jésus-Christ; tiré du grand livre des Conformitez, jadis composé par Frère Barthelemy de Pise, Cordelier en son vivant. A Geneve, chez Conrad Badius, 1556, in-12° [6].

[1] Sic Goedeke, II, 444; Strieder, I, 29.

[2] Brunet, I, 152; Marchand, I, 5 n. C; etc.

[3] Hanc aliqui tanquam editionem pure latinam citant, sed perperam, sub titulo: *Alcoranus Franciscanorum sive Epitome praecipuas fabulas et blasphemias complectens eorum, qui B. Franciscum ipsi Christo aequare ausi sunt, idque cum salubri antidoto,* Genevae 1578, in-8°. Cf. p. XCVI, l. 8 sqq.

[4] Scil. 1651. Alii erronee scribunt *1561,* uti v. gr. Marchand, I, 5 n. C.

[5] Inc. « *Si hic ignota* »; expl. « *adhaereamus. Amen. Vale* ». Quae allocutio Alberi proculdubio est, et praetensam duplicem haeresim in versibus: *Francisce,* etc., AF IV 18 l. 6-8 ostendere vult; referturque immediate ad extractum illud primum I^{ae} editionis; supra, p. CXIII, l. 9 sqq. Badius autem, cf. edit. Antverp. 1734, I, (f. 6v-9r) hanc « Praefationem » Luthero tribuit.

[6] Titulum iuxta Marchand, *Dictionaire historique,* I, A la Haye 1758, 5 note C.

Editio secunda hanc praesefert inscriptionem; *L'Alcoran des Cordeliers, tant en latin qu'en françois, c'est-a dire la mer des blasphemes et mensonges de cest idole stigmatizé qu'on appelle saint François, recuilli mot a mot par le docteur Erasme Alber du Livre des Conformitez de ce beau saint François a I. C......, lequel livre a este imprimé a Milan en 1510. Nouvellement a été aiouté le second livre prins mot a mot au même restraict, afin de mieux descouvrir la sainteté de ceste secte infernale que le monde adore.* A Geneve, imprimé par Conrad Badius, 1560, 2 tomi in 1 vol. in-8°, 279 et 303 pp. [1].

Haec editio eadem in urbe iterum prelo subiecta, prodiit postea adiecta figura arboris Conformitatum, an. 1578. *Alcoran des Cordeliers.... parti en deux livres. Nouvellement a été ajouté la Figure d'un arbre contenant par branches la conférence* (sic) *de S. François avec Jésus Christ, le tout de nouveau reveu et corrigé* [2]. Genève [3], par Guillaume de Laimairie, 1578, in-8°, 2 partes, 4 foll., 344 et 382 pp.

Quae editio inservivit alii, quae ultima prodiit: *L'Alcoran* | *des* | *Cordeliers.* | *Tant en Latin qu'en François.* | *C'est à dire* | *Recueil* | *des plus notables bourdes et blasphemes de ceux* | *qui ont osé comparer Saint François à Iesus* | *Christ: tiré du grand livre des Conformitez,* | *jadis composé par frère Barthelemi de Pise, Cor-* | *delier en son vivant.* | *Nouvelle Edition ornée de figures* | *dessinnées* | *par B. Picart.* | à Amsterdam, | aux Depens de la Compagnie | M.D.CC.XXXIV; in-12°, tomus I: 9 foll. et 396 pp. — Titulus alterius tomi omnino cum illo tomi I concordat; ibidem, item 1734, in-12°, 419 pp.

Adest in t. I, f. 1r poema contra S. Franciscum; f. 1v-6r praefatio C. Badii; f. 6v-9r praemonitio illa quam ed. Daventriensis (1651) p. 3-4 habet, latine et gallice, sed Martino Luthero adscripta [cf. p. XCV n. 5]. Deinde f. 9v tabula; textus latinus et franco-gallicus p. 1-391; p. 392-5: Lamentatio gallice, C. Badii contra « Papistas » ob librum Conformitatum; demumque p. 396 eiusdem satyra mordax contra « Cordigeros » *(Cordeliers)*, i. e. fratres Minores. Tomus uterque continet una in facie extracta latina, in altera ex adversum versionem franco-gallicam. Adnotationes non secus ac in tomo I ad paginarum calcem positae sunt — Figurae a B. Picart arte praeclara æri incisae sunt, sed nota ironica clare ex eis elucet. In priore tomo adsunt 12, praeter Arborem Conformitatum, quae longe maioris dimensionis (mm. 150×230) quam ceterae figurae est, et arborem primae editionis imitatur. Accedit praeterea frontispicium titulum breviorem operis, figuris circumdatum, referens, sed perperam annum « MDCCXXXIII » praeseferens. Tomum alterum 8 imagines adornant.

In linguam quoque anglicam translata est opella Alberi: *The Alcoran of the Barfote Friers... taken out of the boke... called in Latin Liber Conformitatum,* 1550, in-12° [4], Cuius versionis altera in vulgus exivit editio anno 1603 [5].

In linguam batavam opusculi Alberi conversio in lucem edita fuit pluries sub titulo *Der Minder Broederen Alcoran,* vel *De Alcoran der Franciscaner Monniken* vel etiam *Alcoran der Barvoeten Monniken,* enumeraturque editiones: Dordrecht 1589 [6]; Haarlem 1614; Genevae [Genf] 1644; Genevae [= Amsterdam ap. Elsevier] 1664; atque: *Alcoran der Franciscaner Moncken na de Copie gedr. tot Geneve 1664* (sic), in-8° [7].

---

[1] Iuxta Brunet, *Manuel du libraire et de l'amateur de livres,* I, Paris 1860, 151, qui insignia typographi titulum utriusque partis ornantia, exemplavit. l. c. (Primam edit. gallicam l. c. brevibus notat Brunet). — Nicéron, XXXVI, 145, alterius partis titulum specialem sic praebet: *Le second livre de l'Alcoran des Cordeliers, extrait comme le premier mot à mot de ce malheureux livre des Conformitez de S. François par lequel tant plus est évidente l'impiété de celte maudite secte et duquel chacun peut juger combien de mal le monde a recu d'icelle et combien il en recevra, si elle est supportée comme elle a été. Traduit du Latin en François, avec briéves annotations, qui sont comme contrepoisons et préservatifs á l'encontre de la fausse doctrine qui y est contenue.* (303 pp.). Titulus prioris partis ap. Nicéron, l. c. aliquantum ab illo, a Brunet, etiam ex autopsia relato, differt.

[2] Hucusque titulus iuxta Marchand, I, 5 not. C.

[3] Hinc iuxta Brunet, I, 152.

[4] *British Museum. Catalogue of Printed Books,* VI, London 1884, 285.

[5] L. c.

[6] Infra, p. C, l. 6 sqq.

[7] Marchand, I, 5; Graesse, *Trésor de livres rares,* I, Dresde 1867, 63.

Post Er. Alberi satyram plures alii auctores[1] non quidem refutationem vel confutationem libri Conformitatum aggressi sunt, sed eodem modo ac Alberus, quaestionibus sive litterariis sive doctis cuiuscumque generis circa Conformitatum librum movendis penitus praetermissis et omnino contemptis, rem tractaverunt, plus minus data opera, ut ope irrisionis et cavillationis in ora hominum pro ludibrio abiret, non quidem liber Conformitatum, sed plurimae res cultus, doctrinarumque Ecclesiae catholicae[2].

Lucas Osiander, Protestans, scripsit, ut Pisanum in risum verteret: *Ein schöner wolrichender Rosenkrantz zusammen gebunden auss dem köstlichen übertrefflichen Buch der Franciscaner Münch, welches sieh Librum Conformitatum nennen* etc. Tübingen 1591, in-4° et denuo ibidem 1594[3].

Quod « Rosarium odoratum ex Pisano excerptum » confutavit, seu magis « decerpsit » et dirupit P. Michael Anisius, O. F. M. Obs.[4], Provinciae Argentinensis: *Freundliche Zerreissung dess schönen und wolriechenden Rosenkrantzs, welchen ein Stuettische Grass-Magd Hoeserle genandt, auss dem köstlichen übertrefflichen Buche derer Franziskaner Mönch, welches sie Librum Conformitatum nennen, abgebrochen* etc. Ingolstadt 1592, in-8°[5].

Itemque Osiandri « Rosarium », quod urticarum sertum nominat, dilaceravit: P. Georgius Eckhart, O. M. Conv.: *Ein schöner Alcoranischer Nessel Krantz aus den köstlichen unübertrefflichen, nicht Tischreden, sondern fürnehmen Operibus und Büchern, des vil Seel verlustigen und desshalb theuren Mannes und aussgesprungenen Mönchs M. Lutheri für ein Messkram zusammen mit unterschiedlichen Azoaras gebunden und auff des gottlosen Lucae Osianders.... unsinnig Haupt, zu Aussziehung seiner ehrruriger lugenhaffter Dämp auffgesetzt.* Freiburg in Uechtland 1591, in-8°[6]

---

[1] Marchand, II, 5 sq; Janssen, *Geschichte der deutschen Volkes seit dem Ausgang des Mittelalters,* V, Freiburg i. Br. 1886, 391 sqq.

[2] Marchand, II, 5b, tanquam secundam « refutationem » libri Conformitatum nominat Pauli Vergerii, item ab Ecclesia apostatae, *Discorso sopra i Fioretti di S. Francesco, ne'quali della sua vita e delle sue stigmate si ragiona;* publicatum anonyme s. l. et an. (sed circa an. 1549); cf. Melzi, *Dizionario di opere anonime e pseudonime di scrittori italiani,* I, Milano 1848, 308. Denuo editum est v. gr. ap. *Biblioteca della riforma italiana,* I, 1883, 21 sqq. Quae orationes in Indicem Romanum relatae fuerunt; cf. Reusch, *Der Index der verbotenen Bücher,* II, I, Bonn 1883, 239. Quod Vergerius iracunde tulit, cf. eiusdem *Postremus Catalogus Haereticorum Romanorum,* Regiomontani 1560, f. 2-3. Marchand, necnon plerique falsissime censuerunt Floretum (*Fioretti*) esse *extractum* ex Pisano! — Cf. supra, p. LXI n. 2, XXXI, n. 7.

[3] Marchant, I, 6a; qui allegat Lippenium, M., *Bibliotheca realis theologica,* 2 voll. Francofurti 1685, I, 705sq. Fabricius, I, 50-1. Janssen, V, 391.

[4] Cf. de eo Minges, Parth., O. F. M., *Geschichte der Franziskaner in Bayern,* München 1896, 97; Jaeck, *Pantheon der Bamberger Litteratur,* Bamberg 1812-15, 20, 1174.

[5] Marchand, I, 700. Janssen, l. c. 392.

[6] Hoc Marchand non refert. Janssen, l. c. 391. = Huc referri etiam possunt v. gr. libelli quidam seu carmina satyrica et famosa Iohannis Fischart († 1591) Calvinistae, quibus, ad res et dicta Alberi respiciens, in risum praesertim vertere intendebat Fr. Iohannem Nasum, O. M. Obs., (1534-1591) strenuum apologetam religionis catholicae, *Der Baarfusser Secten und Kuttenstreit. Sihe wie der arm Sanct Franciscus und sein Regel oder Evangelium von seinen eigenen Rottge-*

Osiander qui, uti Anisius probavit, plures locos Pisani audacter adulteraverat [1], neutri adversario, quos daemoniacos etc. vocitabat, respondere voluit (nec potuit), id quod praetendit « epistola ad omnes pios Christianos » directa, in qua duos Minoritas conviciis valde rusticis obruit: *Bericht an alle fromme Christen, welche die Wahrheit lieben, warum die beide rasende Barfüsser Mönche Georg Eckhart und Michel Anisius keiner Antwort wert seien:* Tübingen 1592, in-12 [2].

Inter alia, sertum quoque urticarum P. Eckharti divellere studuit Guill. Holder, Praedicans, in opere suo satyrico, pseudonyme evulgato: Wilhelmus de Stuttgardia, *Mus exenteratus* etc., quod prodiit Tubingae 1593, ibique recusum fuit an. 1688 [3].

Auctor « Legendae aureae » gallicae, Nic. Vignier, qui ipso titulo convicia facere intendebat fratribus Praedicatoribus et Minoribus, inter alia, in libello suo contumelioso in Pisani opus invehit: *La Légende dorée ou sommaire de l'histoire des Frères Mendians des Ordres de S. Dominique et de Saint François,* Leyde 1608, in-12°; II[a] edit. Amsterdam, aux dépens de la Compagnie, 1734, 1 vol. in-12°; capitulo IX praesertim.

Excerpta Alberi aliquo modo repristinavit, contra *Apologeticum* P. H. Sedulii [de quo p. XCIX sqq.], quem impetivit, ut Alberum defenderet, Matthaeus Betuleius: *Franciscus Profano-Redivivus, dass ist gründliche Erweisung, dass Franciscus der Minoriten Müncken Gott und Vater ein Gottslesterer und Spötter der werten Christenheit gewesen, aus der Müncken Alcoran oder Conformitatibus gezogen* etc. Halle, ap. Christoph. Bismarck, 1615 [4].

Pisani opus, plus quam per transennam, tangit opusculum: *Dissertation sur l'inscription du grand Portail du Couvent des Cordeliers de Rheims: Deo-Homini et B. Francisco, utrique Crucifixo, par le Sieur de Saint-Sauveur,* in-12°, Bruxelles (i. e. hoc sub nomine) 1670; II[a] edit. s. l. et n. typ. 1672, in-12°. Qua editione II nititur tertia emissa « A la Haye, chez Pierre de Hondt, MDCCLXV » in-12°, ubi dictum opusculum occupat scil. pp. 231-316 alterius operis [5]. Auctor autem est celeber Ioh. Bapt. Thiers (1633-1703) [6].

Patet inscriptionem relatam ad S. Franciscum metaphorice esse intelligendam. Eam posuerat in porta Conventus O. Min. Remis, P. Petrus Lefranc, an. 1670 [7]. Thiers hanc inscriptionem arguit idololatriae et superstitionis, 259 sqq. Caeterum, ait, plures Minoritae summe exaggeraverunt opera S. Francisci, praesertim vero Pisanus, 286 sqq., qui dicit: Christus semel transfiguratus est, S. Franciscus autem vigesies etc. 287-8. Hic ergo reapse uti verba Pisani citat verbotenus locum Lutheri ex eiusdem praefatione ad Alcoranum; cf.

---

sellen den Barfüssern gemartert, zerrissen, zerbissen etc., s. a.; 1577; 1614 etc. — *Von S. Dominici des Prediger Münchs und S. Francisci Barfüssers artlichem Leben und grossen Greweln, dem grawen Bettelmönch F. I. Nasen... dedicirt,* 1571. Cf. Goedecke, *Grundriss,* II, 491; Schöpf, I. B., O F. M., *Johannes Nasus, Franciskaner und Weihbischof von Brixen* (1534-1590), Bozen 1860, p. 33 sq.

[1] Janssen, l. c. 391 sq. [2] L. c. 392.

[3] L. c. 392-3. P. Eckhart usus fuerat MS. opere Ioannis Pistorii, *Antomia Lutheri,* quam ob opusculum Holderi Pistorius tandem in lucem emisit, part. I, Coloniae 1595; p. II, ib. 1598. — Holdero alius quidam respondit, cf. Janssen, 393; Stieve, *Die Politik Bayerns* 1591-1607, I, München 1878, 342; II, 1880, 341.

[4] Marchand, I, 6b. Cuius libelli editionem latinam sic citat Strieder, I, 30: « *Francisci prophano-redivivi, s. demonstrationis Franciscum Minoritarum Deum et Patrem blasphemum fuisse et christianitatis irrisorem,* ex edit. Matth. Betuleji, Halae 1615 ».

[5] *La Guerre séraphique ou histoire des périls qu'a couru la barbe des Capucins par les violentes attaques des Cordeliers. On y a joint une Dissertation sur l'inscription du grand Portail de l'Eglise des Cordeliers de Reims: Deo-Homini* etc. [uti supra], à la Haye, chez Pierre de Hondt, 1765, in-12°, VIII, 316 pp. — Ibi p. 233 editiones supra citatae expresse commemorantur.

[6] De eo cf. Hurter, *Nomenclator literarius theologiae catholicae,* III, edit. III, Oeniponte 1910, 925-8. (Obiit an. 1703).

[7] Cf. Daire, *Histoire littéraire d'Amiens,* Paris 1782, 196; AFH III, 324 not. 1.

supra p. XCII l. 20. P. 295-8 contendit P. Lefranc inscriptionem hausisse ex Pisano, ed. 1510 f. 229, i. e. infra p. 378 l. 21-25, ubi tamen tali forma non legitur[1].

Refutationem Alcorani ab Er. Albero non sine ira excerpti, et maiore studio partium adnotati, ex professo suscepit eruditus P. Henricus Sedulius, O. M. Rec., Provinciae Germaniae Inferioris[2], plurium operum doctorum auctor. Ut ipse theologiae praesertim scientia praestabat, et Alcorano impudenti acatholici utebantur ad sensa theologica suae sectae inculcanda, catholicorum doctrinis in risum conversis et ludibrium, P. H. Sedulius theologice quaestiones seu potius excerpta singula Alberi, dicta et facta S. P. Francisci, ex hac parte sollerter, perite, dextereque defensavit, ad quamcumque rem obiectam locos Sacrae Scripturae, Sanctorum Patrum dicta, necnon et antiquorum Philosophorum effata adducens et accumulans, ut a ludibriis acerbis, per fas nefasque ab Albero seu vi ex locis allegatis extractis seu petulanter eis aspersis, non tam opus Conformitatum quam et doctrinam catholicam purgaret atque tutaretur. Re ipsa patet Sedulium quaestiones historicas in se non tractasse, quanquam tali labori aptissimus fuit[3].

F. Henrici Seduli (sic) | *ex Ordine Minorum* | *Apologeticus* | *adversus Alcoranum Franciscanorum* | *pro Libro Conformitatum.* | *Libri Tres* | *De Sancto Francisco. De Ordine et Regula* | *S. Francisci. De pietate et moribus* | *Franciscanorum.* | (Subsunt insignia typographiae). *Antverpiae,* | *Ex officina Plantiniana,* | *Apud Iohannem Moretum.* | *M.DC.VII* | 1 vol. in-4°, pagg. [30] et 293.

---

[1] Non est, cur hic allegemus plura alia opera polemica contra Ordines religiosos in genere et Ordines S. Francisci in specie, satyrica quoque etc., quorum pleraque contra Pisanum invehunt plus minusve, sed obiter tantum. — Et Marchand, l. c. s. v. Albizzi, I, 3-10, et P. Bayle, l. c. II, Rotterdam 1720, 1200-6 s. v. S. François, (ed. 1734, II, 915-23; ed. 1741, 492-8) his aggressoribus Pisani certo adcensendi sunt, qui priorum auctorum dicta docte a se collecta sale suo condiverunt. — Inter opera quae obiter opus Conformitatum impetiere etc. numeratur v. gr. etiam Du Plessis Mornay, *Mystère d'iniquité,* Paris 1607, p. 334, et *Traité de l'Eucharistie,* l. III, c. 17, Paris 1598, qui conformitates Pisani, eis irridens, enumeravit. Cui Gretserus, S. I., respondit in suo *Examine iniquitatis,* nihil esse in libro Conformitatum quod recte et merito in bonam partem non sit accipiendum etc. Cf. Bayle, l. c. 921. Infra, p. C n. 5.

[2] Cf. Wadding, *Script.,* 166sq, 114^2, 114^3; Sbaralea, 340-1, (1^2, 359); Greiderer, Vig., O. M., *Germania Franciscana,* II, Oeniponte 1781, 132sqq, 173sqq. 209sqq.; indeque extract. *Chronica Ref. Provinciae S. Leopoldi Tyrolensis, denuo edita,* Ad Claras Aquas 1894, 6 sqq., 206 sqq., 252sqq. Dirks, Serv., O. M., *Histoire littéraire et bibliographique des Frères Mineurs de l'Observance de S. François en Belgique et dans les Pays-Bas,* Anvers [1885], 132-7. Schoutens, Steph., O. F. M., *Geschiedenis van het voormalig Minderbroedersklooster van Antwerpen* (1446-1797), Antwerpen 1894, 117, 283-6; II^a edit., ibidem 1908, 131-2, 300-33.

[3] Cf. plura eius opera historica, locis cit.

P. (1-5) occurrit prima dedicatio: « Ill.mo et R.mo D. Pompeio Arigonio S. R. E. Cardinali, Ordinis S. Francisci de Observantia Protectori [1] », quam signat auctor: « *H. Sedulius*, Minister indignus Provinciae Germaniae Inferioris [2] ». Tunc p. 6-26 sequitur: « Lectori meo. De auctoribus et titulo Alcorani Franciscanorum ». P. 6 citat editionem Alcorani, sic dicti, germanici, s. l. et n. typ. anni CIↃIↃXIII (sic) [3]; aliam edit. Genevae, ex officina Guil. Laimerii, MDLXXVIII [cf. supra p. XCVI l. 8], denique edit. « belgico *idiomate* Dordraci Batavorum ex typographia Petri Verhaegen, MDLXXXIX »; quam emisit, ait p. (13), « homo trium litterarum O. V. E., neque enim aliter audet se prodere [cf. supra p. XCVI l. 38]. Tum de auctore Alcorani agit etc. p. (7 sqq.). Allegat « Lutherum furiose in librum Conformitatum bacchantem » p. (10 sq.); merito dicit: « nihil antiquius haereticis [illis fuisse] quam caecitatis et erroris Ecclesiam accusare Christi » p. (11 sq.) Retundit etiam calumniam impudentem Alberi fratres Minores Pisani opus Alcorani loco habere vel habuisse. « Quanta sit Turcis auctoritas Alcorani, constat: sed non eo loco apud nos est liber Conformitatum, quem isti dicunt. Audite: Legimus et recipimus, at non ita, ut non liceat nonnulla reprobare, si contra quam fert veritas, tradiderit.... Hoc tamen do tibi, mi Albere, liberius nonnulla in eo scripta, pro saeculi simplicitate.... » p. (13). Tum etiam confutat quod C. Badius et editio Dordracena praetendunt: librum Conformitatum « nunc, Evangelii luce orbe illustrato, premi a nobis altissimo silentio »; recteque allegat editionem factam an. 1590; p. (14). — Responsurum se dicit Alcorano Genevensi (scil. anni 1578), sed convicia conviciis superare vel reponere turpe (iure merito) aestimans, in istiusmodi genus certaminis descendere abnuit; p. (19 sq.). — P. (27)-(30) index capitum trium librorum texitur, quos ipse titulus indicat. Iuxta haec capita tenorem Alcorani dissecat et theologice refellit, confutatque. — P. 288 editur approbatio Censoris saecularis, data 4 dec. 1605, necnon et P. Gerardi Iaceani, Ministri Germaniae Inferioris [4], nullo indicato die vel anno; itemque p. 289 summa Privilegii Alberti et Clarae Isabellae Eugeniae typographo pro hoc libro dati Bruxellae 24 dec. 1605.

Apologeticum P. Sedulii mox aggressus est Matth. Betuleius [cf. supra, XCVIII] [5].

Numquam liber Conformitatum in Indicem Romanum librorum prohibitorum relatus est, sed in eum insertus fuit econtra liber, qui contra Pisanum scriptus fuerat, nempe Alcoranus Alberi, non certe ob locos ex Pisani opere revera haustos, sed ob subiectas adnotationes, in quibus contra instituta Ecclesiae catholicae animadvertebat impie Alberus.

Paucis complectar, unde opinio illa ipsum opus Conformitatum in Indice Romano positum fuisse, provenerit et percrebuerit [6]. Ex Indice Sorbonae an. 1551 [7] in Indicem Romanum transivit inter alia: « *Anonymi Alcoranus Franciscanorum, anno 1543* [8] ». Qui liber alius

[1] Ciaconius-Oldoinus, *Vitae et res gestae Pontificum Romanorum et S. R. E. Cardinalium*, IV, Romae 1677, 309-11.

[2] Bis minister ibi fuerat. Obiit Antverpiae 1621; cf. Dirks, l. c. 133.

[3] Nequaquam errat, uti vult Oudinus, III, 1175, sed sic refert p. (8) ex editione Dordracena an. 1589. [4] Cf. Schoutens, l. c. 93, 100, 287; II edit. 107, 114, 304-5.

[5] In risum Apologeticum Sedulii vertere studebat P. Bayle, II, 1720, 1203-4; II, 1734, 919-21; II 1741, 494-6. Hic contra Apologeticum allegat etiam Andr. Rivet, *Remarques sur la réponse au mystère d'iniquité*, II part. p. 352. Nec aequum de eo iudicium tulit Nicéron, XXXVI, 148.

[6] Cf. Reusch, Fr. G., *Der Index der verbotenen Bücher*, II, I, Bonn 1883, 163-4, 238-9.

[7] In catalogo librorum a facultate Theologiae Parisiensi an. 1544-1551 prohibitorum, ap. Duplessis d'Argentré, *Collectio iudiciorum*, II, Lutet. Paris. 1728, 172 sq., notatur: *Alcoranus Franciscanorum id est blasphemiarum et nugarum Lerna de stigmatizato idolo, quod Franciscum vocant, ex libro conformitatum, an. 1543* [sic]. Cf. supra, XCV, l. 15-8. [8] L. c. 163.

non est quam ille Alberi, quem iste ex Conformitatibus extrait, suoque sale condivit [1]. — Sed insuper in Indice Romano Pauli IV usque ad illum Benedicti XIV (1758) in prima classe referebatur [2]: « *Bartholomaeus Conformi.* », quamvis huius nominis auctor nunquam exstitisset. Haec vero notitia in Pauli IV indicem manavit ex Indice Veneto (1554), in quo legebatur « *Bartholomaeus Conformi. Germ. in missam* »; scil. corruptum ex « germanice impressum [3] ». Porro in Indicem Venetum auctor iste assumptus fuit ex Gesneri opere: « *Partitiones theologicae,* Tiguri 1549, f. 156, ubi habetur: « *Liber Conformitatum Bartholomaei cuiusdam Minoritae, ubi S. Franciscus Christo comparatur, germanice redditus et impressus in-4°, cum praefatione Martini Lutheri et redargutione scoptica eorum, quae stulte ridiculeque in eo scribuntur* [4] ». Quae, extractum Alberi clare intimantia, in Indicem Venetum modo contractiore assumpta fuerunt et inde in Romanum.

V.

De reliquis operibus fr. Bartholomaei de Rinonico Pisani.

Constat inprimis, non fr. Bartholomaeum de Rinonico sed fr. Bartholomaeum domini Albisi de Vico auctorem esse *Vitae et Miraculorum B. Gerardi de Valentia* alias Panormitani O. F. M., cuius cultum ipse Pisis in ecclesia S. Francisci summopere promovit [5].

Invenitur v. gr. Romae in cod. *Vatic. lat. 7660* [6] et in *cod. 89* [7] atque *96* [8] *Bibliothecae Alexandrinae* ibidem. In cod. 89, f. 337r-371v: Legenda S. Gerardi; f. 337r incipit Prolo-

[1] L. c. 163-4; scil. Editio latina Alcorani, prius germanice editi; quod Reusch, l. c. 164, non recte exprimere videtur. Erasmus Alberus et C. Badius iam, per se, in prima parte Indicis erant; Reusch, l. c. Cf. et *Index librorum prohibitorum S.mi D. N. Leonis XIII, Pont. M. editus, ed.* [tunc] *novissima... usque ad annum* 1888, Taurini 1889, p. 7: « Alcoranus Franciscanorum », et Hilgers, S. I., *Der Index der verbotenen Bücher,* Freiburg i. Br. 1904, 13sq. Patet hunc titulum exsulari ex novo Indice Leonis XIII, 1900. Cf. *Index libr. prohib. S.mi D. N. Leonis iussu et auct. recognitus...* ed. II, Romae 1901. P. Vergerius in additionibus suis ad Indicem Venetum Lambertum Avinionensem Ex-Minoritam, auctorem Alcorani penitus erronee censuit; Reusch, l. c.

[2] Reusch, l. c. 238.

[3] L. c.

[4] Cf. l. c. 238-9. Goetze, *Die Merkwürdigkeiten der königl. Bibliothek zu Dressden,* Dressden 1743-46; III, 272, falso opinabatur agi de ipso libro Conformitatum; itemque Clément Dav., *Bibliothèque curieuse,* Goettingen 1750-60, VIII, 452; (cf. ibid. I, 252); immo et adhuc Jannsen, J., *Geschichte dès deutschen Volkes,* V, Freiburg i. Br. 1886, 391. Sed iam Baumgarten, *Nachrichten von einer Hallischen Bibliothek,* Halle 1720, I, 353; recte huic assertioni contradixit, quippe quia Barth. Pisanus nunquam in prima classe Indicis positus fuisset. Gretserus quoque in suis *Miscellaneis polemicis,* ap. *Opera omnia,* (Ratisbonae 1734-41), XIII, 474, contra Iunium recte contendit, nec *Floretum S. Francisci* (Fioretti) nec librum Conformitatum, potuisse in Indice poni; maxime sine nota: *donec corrig.* Cf. XCIX, n. 1.

[5] Supra, p. XXIII.

[6] AF IV, p. VIII n. 5; 297 n. 3.

[7] Cf. Poncelet, Alb., *Catalogus Codicum hagiographicorum Latinorum Bibliothecarum Romanarum praeterquam Vaticanae,* Bruxellis 1909, 133.

[8] AF IV p. VIII n. 5; Poncelet, l. c. 188; Cod. 96, f. 594r-619r.

gus: " *Quoniam placuit Deo diebus istis novissimis* „. Inc. Leg.: " *Floruit diebus istis novissimis in provincia et regno Siciliae Dei sanctus frater Gerardus* „. — Expl. f. 371: " *Sicut multa cera oblata cotidie clare monstrat et opera praeostendunt. Haec autem scripta sunt a me fratre Bartholomaeo domini Albissi de Pisis... Amen. Explicit legenda S. Gerardi Ord. Min. finita... anno 1347* „.

Inedita adhuc est[1] in hac sua forma originali; sed inde partes magnas extraxit auctor Chronicae 24 generalium[2], Fr. Bartholomaeus noster de Rinonico[3], necnon et Waddingus, qui MS. eiusdem habebat[4]. — Barth. de Rinonico in forma a se compilata nil de fr. Bartholomaeo domini Albisi expresse dicit, notans tamen B. Gerardum ab ipsius « transitu qui fuit a. D. 1343[5], usque in praesens » coruscare miraculis (300-1). Et in fine (301), pro more suo brevitatis studium ostentans, plurima miracula se dicit omisisse, sed « ego ipse (ait) qui haec scribo, miranda vidi, quae omitto propter brevitatem... ». Cf. et 301 l. 19 sqq. « Centum et sexdecim daemoniacos a morte sua usque ad annum quinquagesimum quintum [1355] liberavit; sed a tempore illo usque in praesens [c. 1388], credo quod bene ducenti et ultra sint liberati, et quotidie liberantur invocatione eius et suarum reliquiarum consignatione ».

Hinc apparet compilatorem nostrum aliqua addidisse Legendae B. Gerardi, a fr. Bartholomaeo domini Albisi conscriptae anno 1347. A mortis die, quem expresse notat accidisse an. 1342, usque ad an. 1355 (proculdubio iuxta miraculorum indicem qui Pisis in fratrum Minorum sacristia servabatur) iam 116 daemoniacos B. Gerardus liberaverat, et inde usque ad annum circiter 1388, (quoniam liber Conformitatum inceptus est an. 1385 et absolutus an. 1390) ultra 200 liberaverat idem Beatus.

Omni ex parte constat fr. Bartholomaeum de Rinonico, auctorem operis *De Conformitate vitae b. Francisci ad vitam Domini Iesu,* scripsisse seu compilasse opus simile, sed non eiusdem prorsus generis, cum revera Conformitates inter B. M. Virginem et Christum inibi minime exponantur, quod aliqui (non iusto titulo) vocitant *Opus Conformitatum B. Virginis cum Christo*[6], vel *Opus de B. M. Virgine eiusque lau-*

---

[1] Eam nos edendam curabimus.

[2] AF III, 489-97. Ibi p. 495 narratur miraculum quod cum B. Gerardi capillis et ipsius *Pater noster* operatus est « fr. *Bartholomaeus domini Alberici de Pisis* » an. 1343, iam tunc celeber ob zelum pro B. Gerardi cultu. Aliud miraculum ab eodem iisdem reliquiis obtentum fuit an. 1345. — Notamus, iam plagulas typographo remittentes, ap. *Bibliotheca hagiographica latina, Supplement.* edit. II, Bruxellis 1912, n. 3435 Epitomen vitae B. Gerardi apud Conformitates, postponendam fuisse numero 3435 a, scil. vitae ap. *Chron. 24 Gen.*

[3] AF IV, 297-301.

[4] Cf. Wadding, ad an. 1343 n. XIX-XXXIII (VII, 298-305): cf. an. 1399 n. X (X, 159). Etiam in MS. Waddingi Vita ista absoluta erat *11 aprilis 1347* (VII, 305). Aliud MS. Viennae Austriae fuisse in Conventu O. F. M. Conv. Sbaralea, *Suppl.* 111, (I, 116).

[5] I. e. iuxta stylum Pisanum; nobis autem annus 1342, in quo revera festum S. Thomae, quo b. Gerardus obiit in Dominicam incidit; cf. Wadding, l. c. n. XXVII (VII, 302), AF III, 494.

[6] Hic titulus ex parte tantum quadrat.

dibus, vel *De laudibus B. M. Virginis*[1], vel *De vita B. M. Virginis.* Ex ipsius auctoris usu videtur appellandum opus *De vita beatae Mariae Virginis.*

Hoc opus ipse pluries in Conformitatibus S. Francisci opere tanquam sui ipsius citat, in quo plures quaestiones theologicas hic occurrentes iam pertractaverat, v. gr. AF IV, 66 « sed praefatae sufficiant, quia de hac materia dictum est per me sufficienter in opere *De vita beatae Virginis,* fructu XVI »; 566 « et quia verbum hoc et dubia circa ipsum declaravi in opere *De vita Virginis Mariae,* fructu LI, ideo etc. ». Et infra (AF V), p. 226 l. 25sq. « quia circa hoc miraculum dicta sunt plura in opere a me edito *De vita beatae Mariae,* fructu XLVI, vide ibi »; p. 229 l. 30 « de quibus dixi in opere *De vita b. Mariae,* fructu XLVI »; p. 337 l. 44 s. « de quibus dixi in libro *De vita Virginis,* fructu XLIX; vide ibi »; p. 367 l. 37: « sed de iam dictis require in arbore *De vita b. Mariae,* fructu LI »; p. 435 l. 20 s. « quia de hoc dictum est in opere *De vita b. Mariae,* fructu LIII, vide ibi »; p. 436 l. 3 « praefatis ergo succincte visis et in opere *De vita beatae Mariae* diffuse tactis »; p. 444 l. 16 s. « quia prolixe fructu LVII in libro *De vita Virginis Mariae* ante tractavi »; p. 453 l. 35 s. « de quibus laudibus quia dictum est in opere *De vita b. Mariae,* fructu LVIII, hic eas repetere omitto ».

Praeter locos istos, in quibus expressis verbis opus hoc in libro Conformitatum S. Francisci allegat, Pisanus pro plurimis quaestionibus ad librum de B M. V. appellare potuit; v. gr. pluries, ubi de Sma Eucharistia agit, infra, 333-54; cf. de *Vita B. M. V.,* p. 613-29 Cf. infra, 342 l. 20, i. e. *De vita B V.* p. 616 « *de homine qui praesens* [est] *circumscriptive Pisis et cogitatione Parisiis* ».

In genere de vita B. Mariae V. agens, Pisanus paululum immoratur in factis narrandis, quae potius innuit et brevibus adumbrat; sed multo magis occupatur quaestionibus, considerationibus et disputationibus theologicis, eodem fere modo quo se habet in prioribus partibus Conformitatum S. Francisci.

Non secus ac in aliis suis operibus, in hoc quoque Pisanus plurimos allegat Philosophos gentiles, SS. Patres, SS. Doctores, praesertim Ordinis sui: v. gr. Alexandrum de Ales, S. Bonaventuram, Richardum de Mediavilla, Io. Duns Scotum, Petrum Aureoli, Landulphum (id est Caracciolum), Lyranum, etc. etc. P. 461 citat quoque S. Antonium de Padua, circa nomen Iesu, (i. e. idem habet ac infra, 215 l. 19sqq.) etc. etc.

Cum huius loci non sit comparationem instituere inter Codicem et Editionem libri *De vita B. Mariae V.,* sufficiat breviter adnotasse non paucas differentias esse inter textum utriusque[2], quibus addas omissiones editionis, relate ad Codicem, praesertim in fine. Haec ex descriptione Codicis satis elucebunt.

Quod opus editum fuit Venetiis an. 1596 sub hoc titulo:

Bartholomaei | de Pisis | ex Ordine Minorum | Conventualium famosissimi Doctoris. | De vita et laudibus B. Mariae Virginis | libri sex. | Ab hinc plus quam ducentis annis | compositi, sed nunquam antea in lucem, nisi nunc editi. | In quibus omnia potissimum, quae de ea conscripserunt Evange- | listae, ac innumera etiam ad vitae Christi cursum | pertinentia diligenter enarrantur. | Multae praeterea scholasticae quaestiones, dubitationes atque figurae sacrae | Scripturae mirifice dissolvuntur. | Adiectus est Index quaestionum, rerumque memorabilium generalis, | ordine alphabetico digestus. Cum Privilegiis. Venetiis, MCXCVI,

[1] Cf. p. CX, l. 43.

[2] Cf. infra, CIV n. 4. Adde plurima menda typographica in editione esse, etiam in numeratione marginali fructuum. — Editio valde rara. Exemplar adest in bibliotheca Collegii.

apud Petrum Dusinellum. 1 vol. in-4°, 36 folia non numerata textum ipsum praecedunt (1-771 pp.), cui accedit ultimum folium fasciculi extremi Ccc (1).

Incipit volumen cum dedicatione: « *Illustrissimo et Reverendissimo D. D. Augustino Cusano*[1], *S. R. E. Presbitero Cardinali, et universae Religionis Franciscanae Conventualium Protectori vigilantissimo* »: quam scripsit « *Fr. Guidus Bartholuccius*[2] *Assisias, eiusdem instituti alumnus, sacrae Theologiae Doctor, et in magna domo Venetiarum Regens* [qui] *diuturnam a D. O. M. precatur felicitatem et maiorem optat dignitatem* ». Post dicta generaliora (f. 1-4 r), celebrat eodem modo benevolentiam Cardinalis laudati in Ordinem, cuius protector est, necnon et paucis R. P. Magistri Philippi Gesualdi a Castro Villarum[3], Ordinis Generalem, zelum in restituendo et reformando Ordine complectitur (f. 4v-5 r), protestans ob Cardinalis in ipsum editorem, insinuata nec exposita beneficia, se hunc librum ei dedicare: (f. 5r) « ducentis fere annis in latebris haerentem, pulvere quasi consumptum [!?], a fratre Bartholomaeo de Pisis, viro integerrimo et suis temporibus theologo summe praestanti conscriptum, in (f. 5 v) praesens usque nunquam evulgatum, apprime utilem, lectoribusque et concionatoribus maxime necessarium, inscriptum dedicasse... Datum Venetiis, die 5 maii 1596 ». Neque de auctore libri neque de ipsa editionis historia[4] quidquam proditur.

Fol. 6r-11r editionis est: « In libros de vita B. Mariae Virginis Praefatio [Auctoris] ». Inc. « *Ab arbore discite parabolam. Matth. 24. Pro succincta evidentia totius operis sequentis de vita et laudibus Virginis gloriosae Mariae verbum hoc exponendum primum occurrit* »: scil. textus citatus Matth. 24, 32. Pro qua re tres quaestiones exponit: « Quarum prima est: Quanta est Mariae excellentia et suae vitae sanctitudo »; secunda: qualis est eius eminentia, et si capi potest eius altitudo; tertia: « quae est et debet esse digna eius extollentia et laudum magnitudo ». Comparata B. M. V. cum arbore diversimode, Arborem istam mysticam, cuius in idea fundatur indoles et dispositio libri huius, explicat in loco, infra, p. CV, l. 22 sqq.

Expl. vero haec Praefatio f. 11r: « *Nam virgineas laudes propono ad domum Israel, ad illos videlicet qui fide viventes catholica, Virginem iuxta posse extollunt laudibus et obsequio devoto deservientes, sperant suo patrocinio ad patriam optatam, ut veri Israelitae, Deum videntium ultimo pervenire, quod nobis concedat Christus meritis suae matris datum. Amen.* ».

Tunc f. 11v-12r sequitur parva admonitio: « Auctor ad Lectores ». Inc. « *Omnium rationabilium et intellectualium Spirituum appetitus....* ». Laudes Dei et B. M. Virginis ibi celebrat quas, ait, « quantum quivi brevibus explicavi »... (f. 12) ...« Volentes tamen plenius intueri praefata ad summam recurrere possunt, quam de hac eadem materia composui, ubi hic omissa diffusius pertractantur ». Pro bene et recte a se dictis laudes Deo tribuendae sunt. Explicit: « *At ubi nonnulla (quod ipse Christus avertat, veritatis Magister) falsa, dubia, aut non recte dicta inveneri*[n]*t, quaero ad verum, pium, certum et fidelem intellectum deducant, corrigant et emendent. Et pro me in recompensationem laboris istius operis intercedere humiliter dignentur ad ipsam Virginem gloriosam. Amen.* ».

[1] Creatus cardinalis 14 dec. 1588, obiit 1598; cf. Eubel-Van Gulik, *Hierarchia catholica*, II, Monasterii Guestf. 1910, 58. Ciacconius-Oldoinus, *Vitae et res gestae Pontificum Romanorum et S. E. R. Cardinalium*, IV, Romae 1677, 192-3. [2] De quo Sbaralea, 315; (I[2], 333) ubi et alia eius opera recensentur; Franchini, *Bibliosofia*, 368-370.

[3] Cf. Rodulphius, f. 279; Sbaralea, 618-9; Franchini, 218, 585-6; Benoffi, *Compendio* 280-3.

[4] Hanc vero narrat Franchini, 369-70; cuius haec summa. MS. pergam. huius operis Florentiae in conv. S. Crucis inventum P. Ierem. Buchius (de quo LXVIII n. 2) Bononiam secum tulit, ubi illud transcribi fecit, edendi causa. Mortuo P. Buchio, hoc exemplar devenit in manus P. Iuliani Causii de Molliano, Procuratoris Ordinis, dein Generalis, (1590), (cf. Sbaralea 476), quo mox decedente, illud accepit P. Augustinus Cassandri (cf. l. c., 101; I[2], 105 s.; Franchini, 6-11), quem, movente Cardinali Sarnano, i. e. Constantino Torri Buccafoco (O. Conv.; de quo cf. Sbaralea, 201-3; I[2], 215-7), censuris ad exemplar cedendum coegit Franciscus Bonfigli de Gualdo, Min. Glis Ord. Conv. (1590-93). Exemplar P. Guidoni Bartoluccio cessit card. Sarnanus, et cum aliis operibus imprimendum consignavit. Mortuo Sarnano, 31 dec. 1596, P. Guido hoc opus, in quo « iubente Inquisitore aliquos locos correxerat » Cardinali Aug. Cusano dedicavit, qua de re heredes Card. Sarnani ei litem moverunt, in qua tamen causa egregie se defendit P. Guido.

F. 12v. legitur: « Totius operis partitio ». Inc. « *Quoniam ad oblectamentum legentium* ». Auctor dicit se opus hoc de « Vita B. Mariae », « magnum et prolixum » in VI distinxisse libros, quorum summam brevibus adumbrat.

F. 13r-36v sequitur « Index rerum et verborum maxime memorabilium, quae in hoc opere continentur, alphabetica serie digestus, elegans et copiosus ». *Inc.* « Abbas Ioachim libellum edidit de Incarnatione contra Iudaeos », p. 61. Confectus est binis in columnis. *Expl.* f. 36v: « Zorobabel primus fuit post reges dux in Israel, 76 ».

Tunc tandem pag. 1 textus libri incipit: « *De vita B. Mariae Virginis Deiparae liber primus, in quo B. Mariam iuxta eius primam nominis interpretationem fuisse vere illuminatam ostenditur. Fructus qui continentur in hoc primo libro hi sunt: Maria Deo cognita* »... enumerantur 10 primi fructus usque scil. « *Maria plebs laetatur* ». Dein « *Summa primi fructus huius primi libri. Iste primus liber declarat suis fructibus... gratiarum illuminata* ».

Pag. 2: « ***Fructus I:** Maria Deo cognita.* Expositio brevis. *Fidelium omnium Sancta mater Ecclesia Catholica, Magistra, Directrix et Mater Domini, Maria, Verbi sui matrem ab aeterno praeordinasse declamat, sicque in conceptu illo intellecta divino, ante omnem puram creaturam dignitate perfectionis et gratiae, gradum praedestinationis quoad primitatem prae omnibus obtinet potiorem* ». = In MS. f. 9a. Tunc: « Expositio maior ». Inc. « *Voluntas divina in esse immensa, in virtute efficacissima, quae teste Doctorum egregio B. Augustino...* ». Quae expositio pertingit usque ad p. 43.

Hoc vero modo arboris B. M. V. dispositionem ibi describit f. 9r-10r editionis.

« Ubi advertendum quod arboris nostrae stipes est ipsa Virgo Maria et sua vita sanctissima, ab ortu aeternali ipsius in mente divina sumens principium et terminans in plenitudine gloriae in patria.... Et quemadmodum in arbore materiali multi trunci, unde distincti rami oriuntur, inseruntur, sic in nostra arbore... Longitudo ergo istius arboris in decem truncos distinguitur, a quorum quolibet duo rami, unus versus sinistram et alius [9v] versus dexteram progrediuntur; et sic decem trunci decem ramos ad dexteram et ad sinistram decem emittentes, viginti ramos summatim producunt.

In trunco primo[1] sunt duo rami, unus versus sinistram, procedens est *nobilitas generis,* quoad praevisionem; alius procedens versus dexteram est *immunitas sceleris.* In trunco secundo sunt duo rami, unus procedens versus sinistram est *ortus Mariae iucunditas;* alius procedens versus dexteram est matris *Mariae a Deo acceptabilitas.* In trunco tertio sunt duo rami, primus procedens versus sinistram est *obsequii promptitudo;* alius procedens versus dexteram est *gaudii plenitudo.* In trunco quarto sunt duo rami, unus procedens versus sinistram est *integritas parientis;* alius procedens versus dexteram est *humanitas descendentis.* In trunco quinto sunt duo rami, unus procedens versus sinistram est *humilitas in cultu;* alius tendens versus dexteram est *patientia in adversis.* In trunco sexto sunt duo rami, primus procedens versus sinistram est *sollicitudo in servandis;* alius procedens versus dexteram est *celsitudo virtutis.* In trunco septimo sunt duo rami, unus procedens versus sinistram est *passionis acerbitas;* alius procedens versus dexteram est *animi firmitas.* In trunco octavo sunt duo rami, primus versus sinistram procedens est *sublimitas divinalis;* alius procedens versus dexteram est *exemplaritas virtualis.* In trunco nono sunt duo rami, unus procedens versus sinistram est *praemiatio et praerogativa meritorum;* alius procedens versus dexteram est *radicatio singularis.* In trunco decimo sunt duo rami, primus procedens versus sinistram est *condescensio viscerosa;* alius procedens versus dexteram est *dominatio imperiosa.* Et sic patet, quod cum in quolibet trunco duo ponantur rami, et ipsi sunt decem rami, sunt in summa viginti.

In his ergo stat non solum arboris longitudo in dictis truncis et partibus, sed etiam altitudo pulcherrima in ramis praefatis et fructibus, quorum expositio inferius in fructuum expositione ponetur. Et quia stipes et radix est Maria, ad hoc denotandum principium arboris sic incepi: Arbor Christi mirifica, Maria, mundo data, cuius virtus gratifica mala pellit innata; et sic patet ex dictis nostrae arboris stipes quomodo protenditur, distinguitur, dilatatur,

[1] Cf. infra p. CXI, l. 1 sqq.

augetur et conservatur. Nam altitudo eius pertingit caelum, et aspectus in omnem terram, ut scribitur Danielis 4. Dico quarto: quod videndum est de alimento quod confert arbor ista sanctissima et uberrima, scilicet quem vel quos ex se producit fructus; ubi est advertendum, sicut dictum est prius quod a quolibet trunco duo rami procedunt, qui sic divisi, sic protensi humore gratiae fructiferi et fecundi producunt diversos fructus: id est diversa de Virgine Maria exprimentia.

In quolibet enim ramo quatuor fructus ponuntur, ut sic per quater viginti dicti fructus multiplicati, ad octogenarium numerum se protendant. Huius arboris pulcherrimae fructus videndum est, primo qui sunt, deinde per meditationem solertem, quales sunt in trino gustu cernendi et masticandi, ut eorum percepta dulcedine, ad laudem gloriosae Virginis eiusdem assurgamus. Primus ramus versus sinistram procedens a prima primi trunci parte est, ut dictum fuit, nobilitas originis et generis, et praecipue quoad praevisionem; in quo ramo quatuor sunt fructus, scilicet: *Maria Deo cognita* (1), *Maria figuratur* (2), *Maria verbis prodita* (3), *Maria adornatur* (4) Secundus ramus versus dexteram procedens a secunda parte primi trunci est immunitas sceleris; in quo ramo sunt quatuor alii fructus, scilicet: *Maria David genita* (5), *Maria nuntiatur* (6), *Maria ut lux edita* (7) [1], *Maria nominatur* (8). Tertius ramus versus sinistram procedens quatuor fructus educit, scilicet: *Maria mundo oritur* (9), *Maria plebs laetatur* (10), *Maria parva ducitur* (11), *Mària collocatur* (12). Quartus ramus procedens a secunda parte secundi trunci versus dexteram còntinet et germinat sua ubertate quatuor fructus, scilicet: *Maria caelo pascitur* (13, *Maria consecratur* (14), *Maria iusto traditur* (15), *Maria fecundatur* (16) Quintus ramus procedens a prima parte tertii trunci versus sinistram quatuor producit fructus, scilicet: *Mariae venter tumuit* (17), *Maria vir miratur* (18), *Maria montes adiit* (19), *Maria gratulatur* (20). Sextus ramus procedens a secunda parte, trunci tertii ad dexteram quatuor fructus continet, et sunt: *Maria vatem condidit* (21), *Maria sublevatur* (22), *Maria Verbum edidit* (23), *Maria divulgatur* (24). Septimus ramus procedens a prima parte quarti trunci versus sinistram, ipse est a quo quatuor fructus emanant: *Maria virgo genuit* (25), *Maria liberatur* (26), *Maria poena caruit* (27), *Maria theocatur* (28) [2]. Octavus ramus a secunda parte procedens quarti trunci versus dexteram, ab ipso pullulant fructus quatuor: *Maria Iesum posuit* (29), *Maria gens vocatur* (30), *Maria Christum subdidit* (31), *Maria demonstratur* (32). Nonus ramus a prima parte procedens quinti trunci versus sinistram, quatuor in ipso infiguntur fructus: *Maria gestis stupuit* (33), *Maria expurgatur* (34), *Maria pacem indidit* (35), *Maria Anna fatur* (36).

Decimus ramus a secunda parte quinti trunci procedens versus dexteram, continet quatuor fructus: *Maria pravos timuit* (37) [3], *Maria gens mulctatur* (38), *Maria regnum petiit* (39), *Maria nutrix datur* (40). Undecimus ramus a parte prima procedens sexti trunci versus sinistram habet quatuor fructus: *Maria Christum detulit* (41), *Maria conturbatur* (42), *Maria Christum reperit* (43), *Maria dominatur* (44). Duodecimus ramus procedens a secunda parte sexti trunci versus dexteram continet quatuor fructus: *Maria mira efficit et respicit* (45), *Maria nuptiatur* (46), *Maria Christo paruit* (47), *Maria commendatur* (48). Tertius decimus ramus est a prima parte septimi trunci versus sinistram procedens, et hic quatuor fructus habet: *Maria pati conspicit* (49) [4], *Mariae dolor datur* (50), *Maria verbum accipit* (51), *Maria enervatur* (52). Quartus decimus ramus a secunda parte procedens septimi trunci versus

---

[1] Pisanus hic *Immaculatam Conceptionem B. M. V.* defendit, p. 95-129. Agit primo de communicationibus Dei ad extra 96-7; tunc de iustitia originali 98-106, de peccato originali, concludens ab eo B. Mariam fuisse penitus praeservatam 106-120; quod probat pluribus rationibus 121-9. Hic allegat inter alios plures SS. Patres, S. Anselmum, Richardum de S. Victore, Alexandrum de Ales, Bonaventuram, P. Aureoli, Landulphum etc.: *Commentarios* scil. huius et aliorum *in ll. Sententiarum*, etc., et Petri Aureoli *Tractatum de Conceptione Virginis* (104), etc., etc.

[2] P. 428-43; i. e. probatur Deitas Christi, ex qua sequitur Mariam Theotocon fuisse. Plura conveniunt cum dictis infra, 298-306.

[3] Herodem timens in Aegyptum deduxit Iesum, p. 505-14; tunc: Innocentes ab Herode necantur.

[4] Mariam potius abfuisse a coena Domini credit, sed divina illuminatione omnia ibi acta cognovit, passionemque praescivit. Agitur vero hic maxime de SSmo Eucharistiae sacramento, 612-29.

dexteram, huic cohaerent quatuor fructus: *Maria Iesum recipit* (53), *Maria tumulatur* (54), *Maria turbam convenit* (55), *Maria comprobatur* (56). Decimus quintus ramus a prima parte octavi trunci versus sinistram procedens possidet quatuor fructus: *Maria Iesu iubilat* (57), *Maria recreatur* (58), *Maria fidem reserat* (59), *Maria confirmatur* (60). Decimus sextus ramus procedens a secunda parte octavi trunci versus dexteram quatuor retinet fructus: *Maria mundum luminat* (61), *Maria evocatur* (62) [1], *Mariam coetus collocat* (63) [2], *Maria suscitatur* (64). Decimus septimus ramus a prima parte, noni trunci procedens versus sinistram habet quatuor fructus: *Maria sursum ducitur* (65), *Maria sublimatur* (66), *Maria Deo iungitur* (67), *Maria abyssatur* (68). Decimus octavus ramus a secunda parte noni trunci procedens versus dexteram habet fructus quatuor: *Maria sanctos radiat* (69) [3], *Maria veneratur* (70), *Maria verbum habitat* (71), *Maria quietatur* (72). Decimus nonus ramus procedens a prima parte decimi trunci versus sinistram continet fructus quatuor: *Mariae daemon subditur* (73) [4], *Maria vir iuvatur* (74) [5], *Maria signum geritur* (75), *Maria inclinatur* (76). Vigesimus ramus a secunda parte decimi trunci versus dexteram potitur quatuor fructus: *Maria cunctis imperat* (77), *Maria iucundatur* (78), *Maria gentes coelibat* (79), *Maria inquiratur* (80) [6] ».

Postquam in Fructu primo exposuit B. Mariae V. praedestinationem, p. 1-11, dicit praedestinationem hanc habuisse quatuor concomitantia, scil.: vocationem 12-3, iustificationem 14, magnificationem 14-5, atque « conformitatem imaginis Filii Dei » in B. Maria 15-26. Enumeratis variis speciebus istiusmodi conformitatis 16-7, agit de *conformitatibus B. Mariae V. ad Christum*, 17-25, quarum aliquas tantum enumerat: I) B. Maria V. fuit gratia plena; II) sanctissima; III) nunc intimius transformatur in Deum; cf. fructum LXVII; IV) Dei praecepta implevit ipsa et consilia; V) cunctis sanctis nunc vicinior est Christo. Hanc autem « vicinitatem » assecuta est quia Christum perfectissime est imitata, et quidem perfectius cunctis aliis sanctis; et eidem sic est conformata. P. 18 prosequitur tunc Pisanus: « Hunc autem *Conformitatis modum* aliqualiter et succincte declarabo.... connectendo vitam Virginis simul et Filii... [7] »:

Iesus promissus patribus.	*Maria condonatur.*
Iesus expressus nutibus, id est typis.	*Maria figuratur.*
Iesus verbis exponitur.	*Maria declaratur.*
Iesus alte progreditur.	*Maria decoratur.*
Iesus nasci depromitur.	*Maria nunciatur scilicet nascenda.*
Iesus sancte concipitur.	*Maria praeservatur.*
Iesus natus mirifice.	*Maria Deo datur.*
Iesus ortus laetifice.	*Maria plebs laetatur.*
Iesu nomen imponitur.	*Maria nominatur.*
Iesus ad templum ducitur.	*Maria praesentatur.*
Iesus laete excipitur.	*Maria collocatur.*
Iesus a regno pellitur.	*Maria profugatur.*
Iesus patri subiicitur.	*Maria ancillatur.*
Iesus verbo diffunditur.	*Maria imitatur.*
Iesus vita agnoscitur.	*Maria approbatur.*
Iesus cruci affigitur.	*Maria conclavatur*
Iesus expirans moritur.	*Maria evocatur.*

[1] Mariae mortem et gloriam caeli Angelus praenuntiat. Miraculose congregantur Apostoli, 712-5.

[2] Coram Apostolis obit B. Maria V.; hique corpus eius in vallem Iosaphat deferunt inhumandum; fiunt miracula etc., 716-8.

[3] Sanctos caeteros in paradiso gloria etc. praecedit, 738-43

[4] Daemonem conterit ex eius potestate fideles liberando. Sic ait in Expositione brevi; sed rem revera non exponit, 753-5. Hoc paucis facit in fructu LXXIV et LXXV, in sequentibus similia adumbrans. [5] Sibi devotos B. Maria V. non solum in caelum deducere, sed etiam ibi magnifice remunerare vult; 766-7. [6] Hic Mariam venerari debemus « ut suis freti meritis post huius vitae cursum » in caelum nos introducat, 768-771. [7] Quarum conformitatum B. M. V. plures conformitatibus S. P. Francisci ad litteram conveniunt.

Iesus terrae reconditur. *Maria tumulatur.*
Iesus surgens veridice. *Maria suscitatur.*
Iesus scandens magnifice. *Maria sublevatur.*
Iesus gradu praevehitur. *Maria abyssatur.*
Iesus orbi praeficitur. *Maria sublimatur.*
Iesus fontalis radius. *Maria gens lustratur.*
Iesus dator largifluus. *Mariae bona dantur.*
Iesus victor exercitus. *Maria dominatur.*
Iesus rex mundi inclitus. *Maria inquiratur.*

Codex operis *De vita et laudibus B. Maria V.* habetur Florentiae in bibliotheca Laurentiana, duobus e tomis consistens, sign. *Palatin. cod. CXXXIX-CXL*[1], mm. 250×180, pergam., ex conventu S. Crucis Florentiae fratrum Min. Conv., quorum prior constat foliis 238, alter fol. 198; scripturae campus in illo mm. 155×113, hoc 180×118; exarati saeculo XV ineunte a duabus diversis manibus. Praecedunt folia chartacea in utroque codice binae in initio et in fine, in quibus librarius saeculi XVIII aliquos locos[2] ex ipso libro adnotavit; maxime illos in quibus auctor libri proditur, quos locos infra iuxta ordinem ipsorum in codice attulimus.

F. 1ra-3rb adest *Prologus generalis*. Inc. *Quoniam ad oblectamentum*, i. e. in ed. f. 12v. Supra, p. CV, l. 10. — F. 3rb-3vb sequitur *Prologus particularis*. Inc. *Omnium rationabilium;* in ed. f. 11-12r. Supra, CV, l. 1 sqq. — F. 3vb-9ra: *Sequitur Sermo continens arborem declarantem per fructus suos*. Inc. *Ab arbore discite parabolam,* in ed. f. 5r-11r. Supra, CIV, l. 17 sqq.

In MS. f. 9r-11v statim ponuntur *Expositiones breves* omnium 80 fructuum; quae nihilominus initio fructus cuiuslibet (uti in editione) repetuntur. Explicit Expositio brevis fructus LXXX[i] [uti in editione p. 768]: « *introducat salutis. Amen* ».

Fol. 12ra. « Prologi parte expedita, succincte ad pleniorem dictorum fructuum evidentiam est amodo accedendum. Et quia id opus ad hoc effeci, ut de contentis in figurata arbore intellectus prestetur, ideo hic obmittendo expositionem eorum diffusam quam [f. 12rb] in Summa per me incepta posui, ad ipsorum notitiam ultra predicta tractandam vel tradendam accedo, confidens de gratia yhesu christi et sue matris beate Marie ». Tunc rubrica: « *Explicit prologus et sermo in quo continetur totum opus summatim de Virginis Marie vita* ». Tunc alia rubrica longa subsequitur: « Et quia in sequentibus plura ponentur et tangentur difficilia, ubi aliquid poneretur non recte dictum, contrarium determinationi sancte matris ecclesie et doctorum approbatorum, aut contra communem scolam magistrorum seu contra bonos mores, per presentes *ego magister Bartholomeus*[3] *de Rinonico de Pisis,*

---

[1] Bandinius *Bibliotheca Leopoldina Laurentiana,* (i. e. codices sub Ferdinando III, †791-93 eo allati) III, Florentiae 1793, 373-6; codices adsignans saeculo XIV. — Non diu antea per aliquod tempus opus istud MS. in hanc bibliothecam delatum, sed mox conventui S. Crucis restituta fuerat; Bandinius, *Catalogus Codicum Latinorum Bibl. Med. Laurent.,* IV, ibid. 1777, 724. Notes et MS. quod editioni inservivit, fuisse ex hoc conventu, p. CIV, n. 4.

[2] Bandinius, l. c. hos locos iuxta folia ista insititia edidit, parum de ipsis codicibus referens.

[3] MS. hic addidit prius « *de Pisis* », postmodum haec oblitterans, quia postea haec duo vocabula statim adsunt. — Minores huiusmodi naevos codicis non notamus sed illico corrigimus.

huius operis compositor, revoco et habeo pro non dicto, correctioni dicte ecclesie subiciendo me toto corde. Asserendo ergo que sancta mater ecclesia asserit, et que indeterminata relinquit pro indeterminato tenendo, et que falsa dubia aut erronea reputat, respuendo, ad expositionem fructuum in *Arbore Vite Virginis* contentorum accedo, cuilibet fructui ante expositionem prolixiorem, succinctam preponendo, virtualiter omnia in expositione maiori dicenda continentem ».

Tunc f. 12va, rubro item incausto: « *Primus liber incipit...* ». « Prophetia de Conceptione. Iesus Syrach Propheta: Ego ex ore Altissimi prodii primogenita ante omnem creaturam. Et sequitur: Ab initio [et] ante secula creata sum et usque ad futurum seculum non desinam etc. Eccli. 44° ». Tunc denuo minio: « Hic divina maiestas potest contemplari sedens in throno angelorum atque demonstrans virginem Mariam in mente divina ante secula fuisse conceptam [1]. *Fructus primus: Maria Deo cognita. Expositio brevis* » etc., uti in edit. p. 1; supra, CV l. 22.

Hinc MS. prosequitur rubre: « *Explicit expositio brevis. Ordo scribendi hoc opus* ». Tunc nigro atramento: « Nota quod in omni fructu istius operis ponetur ut supra: Primo nomen prophete in rubro cum prophetia immediate sequente in nigro. Deinde ponetur contemplatio illius fructus in rubro, postmodum subsequetur numerus et titulus fructus illius in rubro, adiungendo immediate expositionem brevem et maiorem in nigro. Item contemplatio cuiuslibet fructus potest, si placet, absque scriptura et ornatius [2] depingi ». Tunc rubro: « *Sequitur expositio maior* »; uti in editione; cf. supra, CV; et pertingit a f. 12vb-27ra. Explicit in MS. II, f. 163ra: fructus XV libri VI libri VI [scil. LXXX^us et ultimus] uti in Editione, p. 771: « *te quoque intercedente nos participes faciat glorie et beatitudinis sue, que cum ipso beata et laudabilis permanes in seculorum seculorum. Amen* ». Hic explicit Editio. Codex vero post hunc Editionis finem plura praeterea continet et subdit: *Deo gratias et beate semper virgini Marie et beato Francisco. Amen* ».

Tunc MS. II f. 163v prosequitur rubro: « *Capitulum in quo ex Scriptura, que dicta sunt et ordinata de Virgine Maria ostenduntur, videlicet ex Evangelio* ». Tunc textus: Veritates prefate *a me magistro Bartolomeo de Rinonico de Pisis de ordine fratrum minorum, in sacra theologia doctore* sub compendio posite et reserate de beata et gloriosa Dei genitrice Maria, quia tali forma et modo a nullo tradita reperiuntur doctore, quibus fundentur dictis; etsi in expositione dictorum fructuum sit dictum, quia nonnulli possunt de hoc inquirere, in hoc penultimo huius operis capitulo breviter declarare curabo. Sed antequam ad id accedam, posset merito queri: Cum per me sint tot et tanta de virgine Maria dicta, scripta et monstrata, cur sancti evangeliste quoad predicta et alia sunt sic de ea breviter locuti, ut de maiori parte predictorum a me positorum nullam penitus faciant mentionem? Respondeo ad prefatum dubium.... ».

Arguit scil. 1°): Evangelistae de Christo tractabant, non de B. Maria V. 2°) [f. 163vb], Plura quae habent SS. Doctores et nos credimus, non leguntur in Evangelio.... 5°) Quae ipse dixerit, non quidem expresse legi in Evangeliis, sed ex eis deduci posse.... Quod pro pluribus ostendit; alia vero saltem Evangeliis consona esse. Ad quod demonstrandum, fructus libri totius denuo alio ordine enumerat; operisque conspectum adumbrat, usque ad f. 165va. — F. 165va-b compendium profert Prologi: *Quoniam ad oblectamentum* [cf. supra, p. CV l. 10]; f. 165vb-167vb iterum universos fructus, breviculis cum expositionibus enumerat. — Tunc ibi librarius subnotavit, nomen suum vagius prodens:

Fine facto, pia laudetur virgo Maria.
Vivat in celis Bernardinus nomine felix. Amen.

Fol. 168-170 integra vacant. — F. 171ra absque rubrica et titulo prosequitur textus: « Supernorum laudibus etsi iugiter iuxta traditionem doctorum et Scripture insistere debet humana fragilitas, precipue tamen post Christum, et Christi [et] gloriose virginis Marie laudibus inherere opportet.... Qua in re *ego fr. Bartholomeus de Pisis, sacre theologie magister*

---

[1] Inde a f. 9r [p. CVII l. 28] Editio omnia omisit; supra p. CV, l. 10.

[2] Id est, quin scribatur, depingi poterit, uti in codice secundo; cf. p. CXI, l. 48 sqq.

indignus, qui superiora ad virginis laudem, gloriam et honorem descripsi, etsi non ut convenit, omni in hora [ut] plebs fidelis ipsam Dei genitricem laudare valeat, *de vita ipsius et eius dignis gaudiis, duo officia que compegi, in hoc ultimo operis capitulo ponere curavi, quorum primum de vita Virginis, secundum vero Officium de septem, que in presenti habuit, gaudiis intitulatur....* Et que nunc in patria possidet gaudia, ne a nostra laude manerent exclusa, de quampluribus eius talibus gaudiis *septem* quedam *carpendo,* ducendo ad ordinem debitum prefatis adieci, prout in sequentibus apparet.... ».

Fol. 171rb. [*Officia de Vita et Gaudiis B. Mariae Virginis*].

Incipit: « *Domine labia mea* ». Tunc quaedam ordinata sunt dicenda ad singulas horas, quae e formulis caeterum brevissimis constant: psalmo, hymno, capitulo, responsorio, oratione etc. — Matutinum et laudes celebrant *Annuntiationem;* Prima: *Nativitatem Christi;* Tertia: *Adorationem per Magos;* Sexta: *Christi Resurrectionem;* Nona: *Ascensionem;* Vesperae: *Spiritus S. descensum;* Completorium: *Mariae Assumptionem.* — Desinunt f. 174rb: « *Hec sunt gaudia que beata Maria habuit in presenti,* que debent dici ante gaudia que b. Maria habet in patria, *que ego magister Bartholomeus,* cum supradictis, etsi per alios rithimos (!), ordinavi ». Rhythmi vero incipiunt: « *Gaude virgo salutata | Dei Verbo fecundata....* » etc. Celebrantur vero VII septem gaudia iam dicta.

F. 174 va. « Hec sunt *gaudia de excellentia b. Marie super omnes creaturas humanas et intellectuales, que ego magister Bartolomeus ad sui laudem composui...* ». Incipit: « Gaude Deo predilecta etc. ». Sunt 30 gaudia (seu potius fructus ipsius *Arboris de Vita B. Mariae* V.; quibus f. 175va-176rb alia succedunt 30 gaudia seu fructus eiusdem libri, et tandem f. 176rb-va: « Gaudia septem, que B. Maria V. habet in patria ».

Fol. 176va: « Hiis ergo officiis et gaudiis devotus homo, etsi non ad plenum, Virginem potest collaudare. Si vero quis querat ulterius eam laudare, utique poterit, si iam dicta in precedentibus de ipsa, ad formam gaudiorum reducendo persolvat, unde iam pretacta sub modo gaudiorum hic reduco, cuilibet, ymo ex quolibet fructu *Arboris Virginis* unum gaudium componendo. Quibus omnibus simul iunctis, modo alio a predictis Virgo poterit extolli laudibus et debite honorari. Ex primo fructu, qui est: *Maria Deo cognita,* formatur hoc primum gaudium, videlicet: *Gaude, quam predestinavit | et in matrem acceptavit, | te pre cunctis eligendo, | sanctis donis componendo.*

Tunc ex ordine sequuntur huiusmodi in versus reducti universi fructus LXXX operis, usque ad f. 178 vb; post quos prosequitur: « Sic ergo fidelis et devotus Virgini non solum eam antedictis officiis, sed prefatis gaudiis unum alteri coniungendo, poterit eam venerari et laudare. Dum enim iam dicta gaudia Virgini persolvuntur, ad eius memoriam reducuntur mira facta a Deo in ea. Ex primo gaudio » etc. Denuo enim hic auctor indefessus repetit tenorem omnium 80 fructuum, protestans predicta certe devoto cultori B. Mariae V. sufficere. Post tandem subsequitur operis Epilogus: f. 179b.

« Ecce, beatissima Dei genitrix, iuxta litteras in tua salutatione contentas, quam tibi angelus obtulit, et nunc generaliter offert te salutando ecclesia sacrosancta, videlicet: *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui yhesus* [1], ubi sunt 82 littere, in 82 capitulis a singulis litteris prefate salutationis incipientibus, ut patet intuenti, prefatos 80 fructus exponentibus, hoc penultimo et ultimo iam dicto, hoc opus quod de tua *vita et laudibus* intitulatur, iuxta illud, quod de te mihi tuus Filius [179 va] inspirare complacuit, breviter utique [2] et succincte compegi, *perfecturus, te iuvante, nihilominus iam prefata in Summa quam de prefatis iam cepi.* Accipe ergo hoc opus, non quod te decet, sed quod paupertas effecit insufficientie mee, et tuo Filio illud porrige ac pro peccatis meis apud ipsum nunc et in hora mortis mee piissima intercede, ut tuis precibus et meritis hic protegar ab hostibus, sacris adorner virtutibus, que tuo filio promisi et devovi, ac tibi rite perficiam, et demum, te intercedente, operante et perducente, post huius vite cursum ad te et tuum Filium videndum et laudandum semper perveniam. Amen ».

Hinc minio: « *Explicit opus de vita beate Marie virginis editum a fratre Bartolomeo de Rinonico de Pisis, sacre theologie magistro de ordine fratrum minorum, et completum 1382 die 9 mensis maii* ».

[1] Sic MS., sicque numerantur 82 litterae. [2] MS. utqui.

In fol. 180r lineis calamo ductis summatim adumbratur *Arbor Vitae B. Mariae*, ex trunco, qui oritur ex radicibus seu fundamentis, quae in ea inscribuntur (a dextera adspicientis ad sinistram versus, partes arboris describimus): *Fides, spes, charitas*, et paululum altius: *Temperantia, fortitudo, iustitia, prudentia* (binae ad latus utrumque disponuntur virtutes istae cardinales). Tunc exsurgit trunci infima pars: « *Principium Arboris* » denotata. Altius ad latus utrumque disponuntur deni rami: quorum infimus inscribitur: *Nobilitas generis*, portans fructus quatuor, quae lineis (vel forma) rotundis tantummodo designantur, et indicationem fructus continent modo superius a Pisano p. CV l. 21 sqq. descripto, v. gr. hoc in ramo: « *Maria Deo cognita, Maria figuratur, Maria verbis proditur, Maria animatur* ». Deni rami sic quaternos fructus portant.

Post hanc ergo, ut ita dicam partem mediam Arboris, in f. 180v sequuntur delineamenta arboris extrema, quae quadratum oblongum, in parte superiore paululum in fastigium exsurgens, efformant, in quo circumcirca delineati sunt circuli quidam, designantes locos singulorum « prophetarum » etc., qui in libro aliquid de B. Maria V. enuntiasse leguntur. In circulo summi fastigii legitur: *Deus Pater;* ad dexteram: *Deus Filius;* ad sinistram: *Deus Spiritus Sanctus;* tunc hinc: *Iacob, Balaam* etc., illinc: *Abraham, Moyses* etc. In parte infima seu basi quadrati, sunt loci sive circuli sanctorum Patrum etc.

In quadrati interiore parte legitur superius: « *In huius spatii medio debet stare arbor prefata, et isti prophete cum suis propheticis verbis, ut hic ponuntur* [1], *debent esse ordinati, et depicti circa arborem, ut hic ponuntur* ». Tunc infra sic prosequuntur Auctoris admodum solliciti praecepta: « *In medio arboris debet depingi virgo Maria cum corona ut Imperatrix, induta splendore solis et sub eius pedibus sit luna depicta* ».

Fol. 181ra tunc Pisanus accuratius de Arboris pictura tractat: « Postquam in parte superiori expositi sunt 80 fructus in *Arbore de Vita beate Marie* contenti et in carta precedenti substantiali figura est ipsa arbor descripta, ac in expositione cuiuslibet fructus primo est figuratus dictus fructus, figurari (*sic*) debet breviter declarare. Arbor, ut patet intuenti, incipit a parte inferiori; in ultima parte arboris, ante videlicet ramos, debet depingi unus frater minor, scilicet compositor ipsius [1], amplexans uno brachio ipsam arborem, videlicet brachio dextero, et in sinistro tenens cartam in qua sit descriptum principium arboris, quod est istud, videlicet: « Arbor Christi mirifica Maria mundo data, cuius virtus salvifica vel gratifica mala pellit imnata »; quo facto, debent figurari duo rami in primo trunco sive parte prima arboris... ».

Circa primum fructum [2] praecipit Auctor: « debet depingi Deus qui habeat unum speculum in pectore, in quo speculo sit beata Maria depicta cum Filio suo eum tenens in ulnis. Ac in eodem loco, sive intra sive extra circulum, ex reflexione factum alicuius ramusculi, depingatur Iesus Syrach cum cedula dicens illud Eccli. 24: *Ego ex ore altissimi prodii...* et sequitur: *Ab initio et ante secula* ».

Sic denuo Pisanus indefessus et imperturbatus singulos fructus, quomodo sint depingendi describit et repetit, f. 181r-185rb. Demum tandemque operi suo finem imponit: « *Ex hiis ergo apparet, qualiter Arbor de Vita Virginis debet figurari. Et hoc sit finis huius operis ad laudem dei patris et filii* [f. 185rb] *et spiritus sancti et honorem beate Marie Virginis. Amen. Explicit* ».

Sed nihilominus fr. Bartholomaeus impigerrimus operi prolixo et ornato subnexit *indicem alphabeticum:* f. 185va: « Hec est tabula secundum ordinem alphabeti eorum que principaliter tractantur in fructibus operis precedentis... ». Incipit: « A. Altitudo et eminentia b. Marie non potest effari »; ad singulas materias lector remittitur ad fructus. Explicit: f. 198vb, cum vocibus: *Yesus... Yerusalem... Ymago*».

In altero isto codice, qui ab altera manu exaratus est, iuxta fr. Bartholomaei praeceptum [3] in principio cuiuslibet fructus adsunt figurae respectivae vitam B. M. V. illustrantes. Coloribus vividis ad vitam depictae sunt in genere istae imagines, quae mediam paginam plus minusve occupant et expositionem semper praecedunt. In eis ars affectuum enuntiatrix excellit; deficit vero saepissime recta membrorum et rerum proportio.

---

[1] Cf. cum hic dictis figuras operis Conformitatum, p. LXVII.

[2] Cf. p. CV, l. 17sqq.; CIX, l. 7sqq. [3] Cf. supra p. CIX, l. 15sqq.

Liber IV. Fructus I: f. 1ra. in initiali I[1] figuratur parvo quadrato spatio Praesentatio in templo; sed imago respicit fructus XII-XIV libri I, ad quos se refert auctor in huius exordio; ed. 504. — Fr. II: f. 4v. Caedes Innocentium; ed. 514. — Fr. III: f. 8r. Fuga in Aegyptum; ed. 525. — Fr. IV: f. 11v. Ad Mariam sedentem Iesus stat; ed. 533. — Fr. V: f. 19v. Parentes Iesum ducunt ad templum; ed. 547. — Fr. VI: f. 25v. Amissum quaerunt; ed. 561. — Fr. VII: f. 29r. Quem inveniunt in templo inter doctores ed. 566. — Fr. VIII: f. 34r. Iesus parentes domum sequitur; ed. 575. — Fr. IX: f. 37r. Maria vestem consuens Iesum devotum contemplatur; ed. 579. — Fr. X: f. 43r. Nuptiae in Cana; ed. 588. — Fr. XI: f. 48v. Iesum euntem sequitur Maria cum turba; ed. 596. — Fr. XII: f. 52v. Iesus docet turbam, inter quam prima sedet Maria; ed. 603. — Fr. XIII: f. 57r. Calvariae Mons: Iesus cruci affigitur; ed. 611. — Fr. XIV: f. 67v. Maria inter spectatores ad crucem adstat; ed. 629. — Fr. XV: f. 71v. Crucifixo adstant hinc inde Maria et Ioannes; ed. 636. — Fr. XVI: f. 80r. Iesus lanceatus: Mater pene prostrata a mulieribus regitur; ed. 648. — Fr. XVII: Maria Filium super genibus mortuum gestit; ed. 657. — Fr. XVIII: f. 90r. Iesus tumulatur; ed. 664. — Fr. XIX: f. 92v. Tres mulieres nimbis decoratae genuflexae cernuntur: in medio et altiori loco Maria; ed. 667.

Liber V. Fructus I: f. 98r. Mariam incedentem turba admiratur; ed. 674. — Fr. II: f. 102r. Iesus Mariae et apostolis resuscitatus apparet; ed. 681. — Fr. III: f. 109v. Coram Maria et discipulis ascensio Christi; ed. 689. — Fr. IV: f. 115r. Maria docet circumsedentes apostolos; ed. 695. — Fr. V: f 120r. Pentecostes; ed. 699. — Fr. VI: f. 125r. Mariam in gloriae aureola turba suspicit; ed. 707. — Fr. VII: f. 129r. Ad Mariam angeli allocuturi veniunt; ed. 712. — Fr. VIII: f. 131v. Funus Mariae; ed. 716. — Fr. IX: f. 133r. Maria e sepulcro surgit; ed. 719. — Fr. X: f. 135r. Assumptio Mariae in caelum; ed. 722.

Liber VI. Fructus I: f. 136v. Mariam glorificatam angeli circumdant; ed. 725. — Fr. II: f. 139r. Coronatio Mariae; ed. 728. — Fr. III: f. 141v. Maria in gloria Filii; ad quam subtus fideles orant; ed. 734. — Fr. IV: f. 144v. Maria inter angelos manus tendit ad genuflexos sanctos Praelatos; ed. 738. — Fr. V: f. 146v. Mariam in throno Papa et Cardinales venerantur; ed. 743. — Fr. VI: f. 148r. In caelo empyreo Maria cum Christo et inter sanctos; subtus caelum stellatum, in cuius centro terra; ed. 746. — Fr. VII: f. 149r. Maria ad devotos advolat; ed. 749. — Fr. VIII: f. 151v. Maria daemonem pede subdit; ed. 753. — Fr. IX: f. 153r. Virum bestia impetitum Maria ad liberandum venit; ed. 755. — Fr. X: f. 155r. Maria mortuum suscitat: ed. 758. — Fr. XI: f 157r. Maria Christo animam praesentat; ed. 761. — Fr. XII: f. 159r. Mariam in gloria angeli praecones circumdant: subtus 4 devoti genua flectunt; ed. 763. — Fr. XIII: f. 160r. Maria in gloria angelorum concinentium; ed. 764. — Fr. XIV: fr. 161r. In terra mortuum Maria caelo recipit; ed. 766. — Fr. XV: f. 162r. Mariae in throno multa genes supplicat; ed. 768.

F. 165rb. Maria in throno genuflexis benedicit.

Codex olim fuerat Senis, in bibliotheca conventus S. Francisci, saeculo XVI misere exusta, iuxta antiquum catalogum[2]: « N. 411. Mariale Virginis in bona et pulchra litera et competenti volumine. Num. 412. Secundum volumen operis de vita B. Mariae et in fine officium eiusdem Virginis gloriosae, cum tabula operis et storiis depictis et totum deauratum etc. Donavit Reverendissimus P. Generalis magister Franciscus Samson de Senis[3] ».

---

[1] Initium expositionis maioris: « Iesu redemptore nostro in templum presentato ».

[2] Papini, *L'Etruria francescana*, I, Siena 1797, 132. De alio cod. cf. LVIII, l. 25.

[3] Erat minister generalis 1475-1499. Cf. AFH IV, 323, 326 sqq.; ib. III, 773 sq. — Quae descriptio succincta vix sufficit, ut codex ille denuo certe designetur. Sed coniecturamus illum eumdem esse ac cod. Laurentianum. Praeter tenorem eumdem, exterius deauratus est cod. alter (140).

Quadragesimale fr. Bartholomaei *De contemptu mundi* prodiit Mediolani anno 1498.

Fol. 1 titulus[1]: *Quadragesimale Magistri Bartholomei de Pisis ordi | nis minorum de contemptu mundi sive de triplici mundo | sensibili scil. Microcosmo, et archetypo.* Qui titulus in aliquibus exemplaribus deest. — Fol. 2 v. (sign. aij): *Magister Iohannes Mapellus Mediolanensis* etc. uti hic infra, l. 40 sqq. — Fol. 19: *Incipit quadr. opus* etc.; cf. p. CXV, l. 20 sqq. — Fol. 154v (riiij) colophon: *Explicit quadragesimale de con- | temptu mundi divina gratia facien- | te editum a magistro Bartholo- | meo de Pisis ordinis fratrum minorum, anno domini MCCCLXXXXVIII. | Cura pervigili magistri Iohannis | de Mapello eiusdem ordinis, conven- | tus Mediolani correctum. | Impressum Mediolani per magistrum Uldericum Scinzenzeler anno domini MCCCCLXXXXVIII.* — Sequuntur registrum et insignia typographi; editio in-4°, charactere gothico, binis columnis 41 linearum, foll. 254.

Hoc opus quadragesimale Pisani, pro more eius, abundat divisionibus, subdivisionibus etc., pluraque adamussim cum dictis in libro Conformitatum conspirant. Plurimos item allegat auctores gentiles, SS. Patres, Doctores etc. etc. Saepissime ad S. Franciscum alludit vel breviter factum aliquod ipsius tangit etc., v. gr. fol. ciii vb; diii va; eiiii 4rv: de eius et primorum sociorum contemptu mundi et s. Francisci stigmatibus et de S. Clara. L. c. vb expresse dicit: «*Sicut de tribus fratribus posui in opere beati Francisci conformitate*». Narratque duo illa facta: AF IV, 432 l. 25-41 et 433 l. 4-14, ut plurimum eisdem verbis. Amanuensis vero vel typographus secundum exemplum ex incuria praetermisit. — Fol. giiii 4r leguntur narrata de S. Francisci praedicationibus Cisternae et Trevii; illic mulier symphoniam pulsans a diabolo asportatur, i. e. AF IV, 476 l. 11-21; hic asinus indomitus «firmus stetit», i. e. infra, p. 13-14. Fol. kiii ra tangitur S. Francisci mora apud Soldanum; notaturque eum dedisse omnia pauperibus; f. kiiii va legitur: «Diabolus reprehendit patrem Dominicum» etc.; f. kiiii 4r-v de primis Sociis S. Francisci; de S. Clara; f. li vb: de S. Iohannes «de Laverna» (i. e. AF IV, 254 l. 35); f. lii vb «de b. Antonio nostri ordinis»; f. mii ra, de B. Gerardo, i. e. AF IV, l. 40-1; alia plura de S. Francisco: f. miiii 3va; niii 3b; oi va; oiii v; oiii 3v etc.; de S. Clara, niii vb; niiii vb etc.; de S. Antonio de Padua: f. giiii 3r, dicens hoc miraculum, scil. AF IV, 267 l. 34-268 l. 4, Paduae accidisse; de asina Corpus Christi Arimini adoranti f. pii va, i. e. AF IV, 266 l. 5-10. Fol. p. ii v narrat: «*Frater Minor in Castro Florentino dum scorpionem, qui in calicem, iam consecratum ceciderat, fide plena bibisset, nulla habita lesione, post prandium scalpendo frater tibiam, scorpio vivus exivit*». Eamdem rem fr. Francisco Aprutii accidisse, aranea in calicem delapsa, narrat Pisanus AF IV, 290. In loco Castri Florentini hanc rem non habet, l. c. 254, 518.

De ipsa editione editor in epistola nuncupatoria haec scribit.

[F. 2 (aij)] «Magister Ioannes Mapellus[2] Mediolanensis, reverendo patri fratri Iuliano Miglensi[3] sacre theologie professori celeberrimo, S[alutem].

---

[1] Hain, *Repert.*, n. 2530. Pellechet, Marie, *Catalogue des incunables des bibliothèques publiques de France*, I, Paris 1897, 460, n. 1895. Kristeller, *Die italienischen Buchdrucker- und Verlegerzeichen*, Strassburg 1893, 97. Exemplaria huius libri rariora sunt; quaedam enumerat Pellechet, l. c. Exemplar in bibliotheca Collegii nostri adest.

[2] Idem qui secundus edidit librum Conformitatum; cf. p. LXV n. 2. Etiam haec epistola exuberantiam turgidam humanistarum, quos dicunt, praesefert.

[3] I. e. Mugliensis, Istrianus; de quo Sbaralea, 476 sq.

Marcus Varro, homo omnium facile acutissimus et sine controversia undecumque vir doctissimus, in libris antiquitatum tria genera theologie esse scribit, reverende pater Iuliane, concionatorum facile omnium decus: mythicon, scilicet, physicon et politicon, hoc est fabulosum, naturale et civile, deosque fabulosos ad theatra, naturales ad mundum, civiles ad urbes accommodatos asserit. Multa preterea de diis vanis et fallacibus blacterat, que veluti ludibria et nature monstra Augustinus, Eusebius, Tertulianus et Lactantius, nunc risu, nunc satyrico felle agitant, vellicant, insectantur. Hec cum lego anilia quedam deliramenta et nutricularum fabellas audire videor, omnemque Phenicum, Egyptiorum, Atlanticorum, Grecorum, Phrygum, aliarumque nationum Theologiam pre nostra floccifacio, secreta mysteria et celatos cultus irrideo, admirorque maiestatem Dei singularis, que continet et regit omnia, in tantam venisse oblivionem, ut que sola coli debeat, sola potissimum a profanis negligatur. Soli flamines claustris inclusi et monasticam degentes vitam, hanc una celebrant, disseminant, amplectuntur et fovent, propterea quod noverunt hanc unam esse ad celestem patriam viam. Quid enim theologia utilius, quid ad beatitudinem, summamque felicitatem comparandam efficacius? Quid dulcius? Quid suavius? Quid iucundius? Hec Hieronymum illustravit, Augustinum illuminavit, Ambrosium in Arrianam heresim insuperabilem reddidit, Scotum tenebricosum [1] subtili cognomine honestavit. Hec una deum cognoscere ut parentem, metuere ut dominum, diligere ut patrem docet, hereticas opiniones ex hominum mentibus discutit.

Huius flagranti amore cum te accensum inflammatumque, pater Iuliane, noverim, Bartholomaei Pisani, venerandi theologi, qui anno centesimo nunc peracto claruit, volumen de contemptu mundi chalcographis tradidi. Multa profecto theologica monumenta reliquit: *Sanctorum laudes, Conscientiae casus, Christi et Francisci parallelum seu vite congruentiam, in Magistrum Sententiarum commentarios, Mariale opus Marie Virginis laudes complectens. In libris* [2] *de contemptu mundi* [3], de triplice mundo, videlicet de sensibili, microcosmo et archetypo disserit, qui dum bibliothecam Beati Francisci [4] evolverem, in manus meas pervenerunt, et cui dicarem te digniorem hoc munere censui. Quis enim te concionante doctior, quis acutior, subtiliorque? Quis copiosior, quis eloquentior? Multa in te sic eminent et elucent, ut doctas advertas et afficias disputas, subtiliter, graviter, ornate, atque vim Demosthenis, Platonis copiam, Isocratis iucunditatem effingis. Sermo copiosus et varius, dulcis imprimis et qui repugnantes quoque inducat et impellat. Occursant verba exquisita et exculta. Oratio tua magnifica et excelsa, et, ut ait Aristophanes de [f. aij v].Pericle, fulgurat; et quod mirum est, in vesco corpusculo tonat. Quam peritus et publici et privati iuris es! Quantum rerum, quantum exemplorum, quantum antiquitatis tenes, quanta concionibus tuis fides; prohemiaris apte, narras aperte, pugnas acriter, colligis fortiter, ornas excelse. Incredibilis tibi omnium rerum thesaurus memoria. Suavis pronuntiatio, nec verbo quidem tanta dicendi volubilitate laberis. Tantus tibi denique lepos, ut labris persuadendi dea, quam Greci Pytho vocant, insedisse videatur. Vite sanctitatem et probitatem omnes admirantur, paupertas in te quam in Aristide iustior, benignior quam in Photione, magis strenua quam in Epaminonda, sapientior quam in Socrate, disertior quam in Homero [5]. Unde fit ut concionantem summa admiratione Mediolanensium, quibus quadragesimalem annum tertium concionibus peregit [6], omnis ordo te audiat, te suscipiat, summo studio te prosequatur.

Plura de te dicerem, nisi modum epistole nostre imponendum ratio posceret. Libros igitur de mundi contemptu tibi, pater, dicavi, cetera volumina impressurus [7]. Hos in

---

[1] Non est nisi celeber lusus verborum, nitens in falsa suppositione vocem « Scotus » esse graecam; graece τὸ σκότος latine tenebrae dicuntur.

[2] Rectius *libro*.

[3] Scil. in isto, quod typis committit.

[4] Conventus O. Min. Conv. Mediolani.

[5] Quibus laudibus quid addi potuit?

[6] Sic Editio; legendum: *peragis?*

[7] Quod intentum tantum quoad opus Conformitatum, scil. huius II editionem (cf. p. LXV, l. 22 sqq.) est executus.

concionibus disseminabis, probabisque. Alios enim, si tu album calculum adieceris, probaturos confido. Vale concionatorum decus, et deum, ut facis, ama ». = *Hinc statim sequitur:*

Ad lectorem carmen.

Delituit, lector, Pisanus Bartholomeus,
Nec potuit doctis utilis esse viris.
Curaque Iohannis non est perpessa Mapelli,
Hoc tam divinum delituisse bonum.
Fallacem mundum, fellitaque gaudia secli,
Spernere opes cunctas edocet iste liber.

Fol. 3 (aiij) continet titulos 58 sermonum, a feria IV Cinerum usque ad feriam tertiam in albis. — Fol. 4 (aiij) — f. 17v (bv(4)) habetur « *Tabula per alphabetum super opere quadragesimali de contemptu mundi elegantissimi viri Magistri Bartholomei de Pisis ordinis Minorum ex eodem extracta et compilata per magistrum Iohannem Mapellum, Mediolanensem eiusdem ordinis, cuius primo sententiam magis quam verborum formam in quibusdam locis diligens inspector advertas. Secundo notabis, quod in isto opere continentur 58 sermones, et quia eorum divisio non est in omnibus uniformis, ideo nec ipsorum partes quotabuntur sed tantum numerus sermonum, foliorum, columnarum assignabitur...* ». Incipit: « *Ab. Abstinentia, homo regulatur* ». — Fol. 18 vacat. — Fol. 19 nova numeratione quaterni I textus incipiunt. Inc. « *In nomine Domini. Amen. Incipit quadragesimale opus de contemptu mundi editum a magistro Bartholomeo de Pisis, ordinis fratrum minorum, anno domini MCCCLXXXXVII.*

Prologus. Sui contemptum et abdicationem etsi mundus ipse proclamet, miseria, instabilitate, varietate ac brevitate sui pensata, suppremus magister tamen Christus verbo deprompsit, dicens, Ioh. 7: Ego testimonium de mundo perhibeo, quia eius opera mala sunt »....... « *Et quia illecebris huius mundi delicati et carnis ac hostis antiqui pravitate non faciunt, hinc ést, quod in ista quadragesima, cuius hodie initium celebramus: Ego magister Bartholomaeus de Pisis, ordinis minorum, ad mundi contemptum perficiendum intendo auditores, Christi gratia patrocinante, animare, ostendendo quomodo talis amor mundi et amplexus, doctrine Christi contente in evangeliis quadragesime sit contrarius* » etc. Des. f. 2rb (aij) « *centuplum et vitam eternam possideamus. Amen* ». — Postmodum incipit textus ipse sermonum: « *Feria IV cinerum. Sermo primus de primo motivo inducente mundanos homines ad mundum amplexandum, quod est carnis ingluvies sive gula* ». Inc. « *Cum ieiunatis etc. Math. 6. Quia intentionis mee est, pro posse laborare, ut nos mundum, uti dignum est, contempnemus, et quia multi, peccato faciente, sunt omnino factis opinionis contrarie, hinc est quod talium motiva primo sunt ponenda et ipsa motiva debita ratione erit ostendere nihil in se habere veritatis etc.* [1] ».

Alterius Quadragesimalis fr. Bartholomaei de Rinonico Pisani *De casibus conscientiae* codex habetur in bibliotheca nationali Florentina: sign. *Conventi soppressi, G. 1. 400.* Iuxta hunc ergo codicem, quia editionem huius Quadragesimalis prae manibus non habemus, de hoc opere fusius agimus.

Est codex chartaceus, mm. 295×210, compactus ex tribus codicibus, a tribus librariis exemplatis, tria quadragesimalia continens. Pluries in eo notatur codicem fuisse maioris con-

[1] Editio Mediolanensis anni 1503, curante eodem Ioanne Mapello, citata a Waddingo, qui tamen editionem primam falso anno 1488 attribuit, omnino commentitia esse videtur; *Script.*, 48, 34^2, 37^2. Sbaralea vero, 114; (I^2, 116) recte eam omisit.

ventus O. F. Praedicatorum Florentiae, apud S. Mariam Novellam dicti. Insunt in eo:

I°, f. 1-72: « *Sermones magistri Leonardi de Florentia generalis Predicatorum de Flagellis* ». — Opus hoc mutilum est, medio in sermone feriae IV maioris hebdomadae desinit. De auctore, scil. Leonardo de Datis (Statii), Generali Ordinis Praed. (1514-25), qui obiit 1425, cf. Quétif-Echard, *Script. ord. Praed.*, I, 755-7, ubi cod. iste innuitur.

II°, f. 1-84, nova numeratione: « *Incipiunt sermones Rotimata*[1] (!) *magistri Hieronymi de Florentia s. Theol. doctoris eximii ord. Pred.* ». (Terminantur cum praedicatione feriae III post Pascha). Fol. 83v. « *Expliciunt Rothimata... 1454* ». = De auctore fr. Hieronymo Ioannis, rhetore, cf. Quétif-Echard, I, 812. Obiit revera Florentiae 1454; l. c. codex iste allegatur.

III°, ff. 1-70, nova item num.: " *Incipiunt sermones XL^les magistri Bartholomei de Pisis ordinis Minorum de casibus. Feria quarta in capite ieiunii sermo* „. Inc. " *Cum ieiunatis nolite fieri sicut ipocrite tristes, Mat. 6. Finis nature humane cum sit beatitudo, teste magistro libro 2 dist. prima, et cum ad finem quis non perveniat, nisi per ea que sunt ad finem* „ etc. Horum plura specimina sermonum subnectimus, eorum tenorem cum dictis in libro Conformitatum conferentes.

Dominica I in Quadragesima, f. 6r-7v. « Ductus est » etc.; f. 6vb. « Ad secundum, dico, quod dyabolus, ut dicit Augustinus dupliciter temptat, scil. ut *drago* in malitia, et ut *leo* in potentia »; quod idem plane habes AF IV, 150 sqq. — *Dominica II in Quadragesima,* f. 15v-17v. « Assumpsit » etc. « Questio fit a pluribus, an homo beatificus in corpore et anima possit ab homine non beato videri. Respondeo: Beati lucebunt plus quam sol, et sol lucebit septies plus post iudicium quam nunc. Respondet Augustinus *De videndo Deo,* sive in *epistola ad Paulinam:* in potestate nostra est videre corporalia; in potestate spiritualium, ut (ea) videamus aut non » etc. Allegatur Alex. de Ales 3° p. 1ª q. 218 « in sole est splendor et calor ». Cf. similia AF V, 57 sqq. F. 16r pertractat « *Quinque status hominum* », iuxta quos significat Petrus, interpretatus agnoscens, statum de peccato exeuntium; Iacobus, interpr. supplantator, statum poenitentium; Ioannes, interpretatus in quo est gratia, statum in bono proficientium; Moyses[2], statum (sine interpretatione) activorum et zelatorum[3] et in operibus misericordiae se exercentium; Elias, interpr. Deus meus, statum contemplantium; ipsi Christus transfiguratus apparuit; quid obtinuerit, etc. etc. — Quae ita accurate et late exponuntur AF V, 69-73.

Feria III in hebdomada sancta (57r-58v). — « An fuerit necessarium Christum mori pro salute nostra. Respondeo. Ad potentiam Dei absolute *non*...; ad potentiam ordinatam, ut dicit Augustinus, *sic*.... ». Quae exposita habes AF IV, 61 sqq., V 419 sqq..... Satisfactio est redditio equivalentis alias indebiti.... quod homo non potuit (facere).... IV, 61, V, 420. Cur in cruce mori? Respondeo: Quatuor de causis, quod in ligno, et in ligno crucis. — Secundum Scripturam Iª *figure,* IIª *congruentie,* IIIª *perfectio crucis:* 1° vite perfecte ostensiva, 2° vere sapientie instructiva, 3° omnium virtutum expressiva, 4° mirabilium Dei declarativa. IV° ut *crucis amplexum* nobis persuaderet, et ut amaremus que ipse amavit. Quae habes saepe ad verbum digesta ap. AF V, 362-6. — Crucem repraesentant: varietas omnis creature, 9 chori angelorum, homo, mundus. Quae item legis AF V, 366-7.

Feria IV in hebdomada sancta, (58v-59v). — De merito Christi agit. Utrum finitum an infinitum. Actus, ait, sunt suppositorum. Duae naturae et una persona in Christo. Suppo

---

[1] Videtur vox graeca ἐρωτήματα, i. e. quaestiones, esse.

[2] Absque interpretatione uti et AF V, 69 l. 32.

[3] Hoc l. c. deest.

situm est infinitum. — Bonaventura: Meritum pensatur secundum dignitatem personae. — Scotus: circumstantia personae valet ad meritum, meritum autem Christi est infinitum, valens ad infinita milia hominum liberanda, ut Petrus Aureoli l. 3, d. 3, q. 3, Alexander de Ales et Anselmus; vita Christi est vita Dei. — Haec cum iisdem quasi etiam citationibus leguntur AF V, 420sqq. — Quid passione Christi sit actum: effectus passionis; lavit sanguine, diversimode effundendo: in circumcisione luxuriam etc.; cf. l. c. 422 sqq.

Feria V in Coena Domini, (f. 59v-61v). — Eucharistiae mirabilia exposuit, quae sunt eiusdem dulcedo, valor, vigor; cf. eadem AF V, 340, 347, 348, 349.

In sabbato sancto (f. 64v-65v). — Infernus multipliciter accipitur scilicet sensu quadruplici, penitus uti AF V, 433-4. Quid ibi Christus egerit, cf. l. c. 434-5. Quanto tempore ibi fuerit, 435-6.

In die sancto Paschae. Tempus resurrectionis: 1° mensis martius, quo mundus creatus est, etc.; 2° dies, scil. una sabbatorum, qua die Angeli creati; 3° hora, scil. media nocte, secundum S. Gregorium; in aurora secundum S. Augustinum, quos concordat ope S. Bonaventurae. Omnia penitus uti infra AF V, 445 sq.

Feria tertia post Pascha (f. 67v 68v). Ultimus sermo eodem die ac in priori Quadragesimali. Des. « *Sic ergo apparet, quomodo Salvator predicta tria probavit sensu; hoc idem approbavit intellectu, quando aperuit eis sensum, ut intelligerent scripturas, ut sicut videbant sensu, agnoscerent et intellectu, scilicet quod ipse vere erat, ut predixerat, qui passus fuerat; sicque consequenter vere a mortuis resurexerat. Cuius resurrectionis nos participes faciat ipse Ihesus Christus Filius Dei benedictus, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen* ». — « *Expliciunt sermones magistri Bartholomei de Pisis, ordinis Minorum de casibus per totam quadragesimam* » (f. 68 va). Postea adest tabula alphabetica. Scriptura est saeculi XV ineuntis.

Iuxta prologum, qui in MS. Florentino deest[1], hoc Quadragesimale compositum et praedicatum fuit Florentiae, et quidem forsan cum ibi lectorem ageret fr. Bartholomaeus[2]; certe post annum 1390[3].

Istud Quadragesimale per dubia procedit, quaestiones seu casus practice postmodum resolvens, uti Sbaralea[4] iam notavit, et ex supra relatis iam satis clare patet. Alia MSS. huius operis notamus.

1) MS. huius Quadragesimalis: *De casibus conscientiae,* exstabat olim: Ferrariae in bibliotheca S. Francisci, teste Sbaralea[5]. Incipiebat. « *Cum ieiunatis* etc. *Finis nature humane cum sit beatitudo* », et exscriptus fuerat: « *manu Fr. Ieronymi de Cesena Ordinis Fratrum Servorum B. Marie. MCCCCIII die XVIII decembris* ».

2) Exstat eiusdem operis MS. in bibliotheca Regia Berolini, *MS. Lat. Theol. in-fol. 157,* quod scriptum est saec. XV, et 380 ff. constat[6]. Inter alia continet f. 154 r-225 v. « *Quadragesimale*[7] *Rev. Patris Bartholomei de Pisis, qui conscripsit librum Conformitatum vite S. Francisci respectu vite Christi* ». Inc. « *In capite ieiunii: Cum ieiunatis, nolite fieri... Math. 6°. Finis nature humane cum sit beatitudo, teste magistro* ». Fol. 226 v-229 v, adnexus est index sermonum alphabeticus. — Recte l. c. notavit V. Rose hoc opus editum fuisse Lugduni 1519; cf. infra CXIX.

Alia eiusdem operis MSS. sunt Taurini in Bibl. Reg. (Universitatis) nationali.

[1] Cf. infra, p. CXVIII l. 10sqq.; et l. 29 sqq.

[2] Iuxta postillam MS. Ticinensis, quod MS. auctori sat coaevum est; infra, p. CXIX l. 7.

[3] Cf. p. CXX l. 9-14. [4] *Suppl.* 111 (I, 116). [5] L. c. — Cf. p. CXXV, num. 10.

[6] Cf. *Die Handschriften-Verzeichnisse der Königlichen Bibliothek zu Berlin,* XIII: *Verzeichnis der lateinischen Handschriften von* Val. Rose, II, I, Berlin 1901, p. 394-9, ubi accurate codex describitur. [7] Qui titulus a manu posteriore notatus est.

3) *Cod. fol I. 85* [1] [H. V, 31] [2] chartaceus, foll. 226, saeculi XV. Praemittitur Index sermonum, ad cuius calcem legitur (f. 22 v): « *Explicit tabula super Quadragesimale magistri Bartholomei de Pisis ordinis Minorum, ordinata taliter qualiter per me fratrem Ludovicum de Cherio, lectorem eiusdem conventus; compilata 1443, die 19 iulii* ». — Deest Prologus, non secus ac in praecedentibus MSS. Incip. textus: *Finis humane nature, cum sit beatitudo, teste magistro li. 2°, d. 1* ». Expl. textus, scil. sermonis feriae secundae Paschatis: « *dicendo cum Apostolo: Cupio dissolvi et esse cum Christo, hic per gratiam, et in futuro per gloriam ad quam nos etc.* » (sic).

4) *Cod. f. III. 14* [3] [H III 15] [4] chart. foll. 115, saec. XV, eosdem sermones continet, sed absque tabula illa. Incipit Prologus: *Predicaturus vobis ego frater Bartholomeus de Pisis de ordine fratrum minorum, sacre theologie magister, spectabiles cives egregie civitatis Florentie, quia divina expectante sive procurante gratia, solertia, ingenio, prudentia, discretione ac aviditate audiendi et sciendi...* ». Explicit textus, scil. sermo feriae tertiae post Pascha, cum quibusdam variantibus, relate ad codicem Florentinum (supra, p. CXVII l. 22 sqq.) *Christus se resurrexisse vere probavit sensu et intellectu; cuius resurrectionis nos participes faciat idem Christus filius dei vivi. Amen. Amen. Amen* ».

5) *Cod. f. I. 78* [5] [G VI 29] [6] chartaceus, foll. 63, saec. XV, idem Quadragesimale De casibus conscientiae continet. In fine legitur « *Explicit quadragesimale magistri Bartholomei de Pisis ordinis Minorum, scriptum per me Fr. Iohannem de Burgo Sancti Sepulchri. MCCCCII* ». — Incipit uti codex praecedens (deest Prologus). Codex vero iste mancus est, desinit enim f. 90 v, medio in sermone Parasceves (qui sermo ceterum idem est ac in aliis duobus MSS. ad hunc diem): « *Scribis et phariseis sufficiebat quod eum crucifigerent... ipsum, et vilipendendo eum dicebant: Vach, qui destruis* ». Incendium anni 1903 codici isti nonnihil detrimenti intulit.

6) *Cod. e. I. 10.* Membranaceus, duplici columna, varioque exaratus charactere; foliis constat 336; miscellaneus. Fol. 91 incipiunt: « *Sermones in feriis atque dominicis quadragesime magistri Bartholomei de Pisis ord. Fratr. Minor.* », uti notatur in fine [7].

7) In bibliotheca Reg. Universitatis Papiae [8] huius adest Quadragesimalis *MS. n. 480*, saec. XV, ff. 87, binis columnis exaratus, 234×160 mm. Prologus incipit: « *Predicaturus vobis ego fr. Bartholomeus de Rinonico de Pisis de ordine minorum, sacre theologie magister, o spectabiles cives egregie civitatis Florentie, quia divina prestante gratia, solertia, ingenio, prudentia, distinctione ac avide audiendi et sciendi pre aliis, thesauris propriis, refulgetis, et sermo, ut Aristoteles docet, materie auditorum debeat deservire, hinc est, quod me per omnia vestre intelligentie coaptando in hoc tempore quadragesimali..... (sermones)..... christianorum casus.... et conscientiam tangentes ut plurimum et bonos mores, ex distinctis evangelii partibus formare curabo, quos prout in foro conscientie competit, ex dictis doctorum decla-*

[1] Cf. Pasinus, Ios., *Codices Manuscripti Bibliothecae Regii Taurinensis Athenaei,* I, Taurini 1749, 276. *Lat. DCCCLX.* — Descriptionem summariam Pasinii supplemus ope eorum, quae Directio Bibliothecae nobiscum humane communicavit.

[2] Sic signatur ap. *Inventario dei codici superstiti greci e latini antichi della Biblioteca Nazionale di Torino compilato da* [Carlo Cipolla, Gaet. de Sanctis, C. Frati], Torino 1904 (*Estratto dalla Rivista di Filologia e d' Istruzione classica,* vol. XXXII, p. 385-588), 100.

[3] Pasinus, I, 281.

[4] *Inventario,* 100, ubi recte notatur codicem in incendio illo bibliothecae an. 1904 aqua nonnihil deturpatum esse. [5] Pasinus, I, 276.

[6] *Inventario,* 505, n. 909, ubi MS. dicta occasione quasi illaesum fuisse notatur, sed falso opus ibidem tribuitur fr. Bartholomaeo de S. Concordio de Pisis.

[7] Sic Pasinus, I, 250. In *Inventario* non iam notatur, quia igne absumptus fuit. Unde definiri non iam quit, fueritne hoc Quadragesimale, an prius. MS. hic ob contextum, adduximus: unitum scil. cum aliis MSS. Taurinensibus.

[8] L. de Marchi e G. Bertolani, *Inventario dei MSS. della R. Biblioteca Universitaria di Pavia,* I, Milano [1894], p. 281. Quorum notitias, usi indicationibus amplioribus, quae bibliothecae Directio nobis humane misit, hic complemus.

rando, antiquis patribus in eorum solutionibus me per omnia coaptabo»; postea adest tabula Sermonum, qui incipiunt: « *Feria IV cinerum. Cum ieiunatis... Mat. 6. Finis humane nature cum sit beatitudo, teste magistro sententiarum libro 2, distinctione prima, cap. 6. et cum* » etc., uti in codice Florentino. Expl. uti cod. Florentinus: « *Hoc idem.... et sic consequenter veraciter a mortuis resurrexerat victurus et regnaturus in secula seculorum. Cui semper sit laus honor et gloria. Amen* ». Demum: « *Expletum est opus quadragesimale editum a fratre Bartholomeo de Pisis sacre theologie eximio doctore, dum esset lector Florentie*[1] ». Postea vero alia manus subdidit: « *Hoc quadragesimale donavit fr. Alexius Ordinis Minorum pro tunc episcopus Placentinus; donavit conventui fratrum minorum de Mediolano*[2]. *MCCCCXLIIII, die primo Aprilis* ».

8) Hoc Quadragesimale adservatur quoque in codice *Augusteo 1609*, i. e. *1. 7. 6 Aug.* 2°, bibliothecae ducalis Guelferbytanae[3], foll. 252; mm. 410×285, scripto an. 1435; miscell. Fol. 201-250 « *Magistri Bartholomei de Pysis*[4] *Quadragesimale* ». Fol. 201r incipit: « *Cum ieiunatis, nolite fieri sicut ypocrite tristes, Mat. VI. Finis humane nature cum sit beatitudo, testo Magistro 2° libro, dist. 1, et cum ad finem quis non perveniat, nisi per ea que sunt ad finem, merito queri potest, per que homo valeat ad eternam beatitudinem pertingere. Et respondetur primo per exstirpationem viciorum...* ». Explicit sermo ultimus: « *feria tercia in pascha* », f. 250r: « *Et ipse erat idem, ut predixerat, qui passus fuerat. Sicque convenit, quod vere a mortuis resurrexit. Cuius resurrexionis nos participes faciat, qui sine fine vivit et regnat per infinita secula seculorum. Amen* ». F. 250v. « *Explicit quadragesimale magistri Bartholomei de Pisis, ordinis fratrum minorum sub anno domini MCCCCXXXV ipso die sancti Oswaldi* ». f. 250-52: Registrum. « *Explicit in festo Sixti pape* ». In cooperculo anteriore notatur inter alia: « *Quadragesimale Pysani* ». Deest Prologus etc.

Huius Quadragesimalis *De casibus* editio typis cusa est Lugduni an. 1519, ut sequitur, inscripta[5]:

Sermones lucidissimi | et insignes dubiorum | et casuum conscientia- | lium contenptivi et elu- | cidativi super evangeliis quadra- | gesimalibus: Reverendi patris | fratris Bartholomei de Pisis | ordinis Minorum, hactenus nusquam | impressi: diligenter revisi, visi- | tati et correcti per certum fra | trem in alma parisiensi vniver- | sitate famosum religiosum or- | dinis eiusdem omnibus predi- | cantibus perutiles. | Cum privilegio. — In fine tabulae legitur: *Expliciunt sermones.... impressi Lugduni opera et indus- | tria probi viri Romani Morini calcographi et bibliopole. Anno domini millesi- | mo quingentesimo XIX die vero III men- | sis Februarii.* — Est vol. in-8°, typis gothicis impressum, binis columnis, 115 foll. numeratorum (et 3 foll. non num.); titulus rubre et nigre impressus est.

[1] Qui annus determinari modo nequit.

[2] Scil. fr. Alexius de Siregno, ep. Placentinus 1411-1447; cf. Eubel, *Hierarchia*, I, 422; II, 239. Wadding, an. 1405 n. XVIII (IX², 274); 1409 n. XV (l. c. 330); 1411 n. 4 (348).

[3] Heinemann, Otto von, *Die Handschriften der herzoglichen Bibliothek zu Wolfenbüttel, Die Augusteischen Handschriften*, I, Wolfenbüttel 1890, p. 41.

[4] Heinemann, l. c., inseruit erronee « de S. Concordio »; de quo cf. p. XVI n. 6. Plura nobis cum circa textum codicis perhumane communicavit cl. v. Dr. Milchsack, dictae bibliothecae moderator.

[5] Cf. Baudrier, *Bibliographie Lyonnaise. Recherches sur les imprimeurs... de Lyon au XVI siècle*, V, Lyon et Paris 1901, 361; (ibi, 357-77 de Romano Morin). Plura exemplaria per Galliam indicat, inter quae duo Parisiis adsunt. Cf. *Catalogue général des livres imprimés de la bibliothèque nationale. Auteurs*, I, Paris 1897, 540.

Hoc quoque Quadragesimale *De casibus* esse opus fr. Bartholomaei Pisani de Rinonico dubitari non potest. Primo ob testimonia codicum variorum, quorum aliqui eiusdem ferme epochae sunt ac eorum auctor, qui obiit circa an. 1401. Codices etenim Quadragesimale hoc tribuunt fr. *magistro* Bartholomaeo Pisano, quo titulo solus fr. Barth. de Rinonico condecoratus fuit[1]. — Secundo probatur (superflue) ex affinitatibus maximis et plurimis inter alia opera eiusdem Pisani et hoc Quadragesimale. — Non solum autem plurimi loci huius operis e libro *Conformitatum* desumpti fuerunt (non vice versa, secus enim auctor, pro more suo, in Conformitatum libro ad hoc Quadragesimale remisisset lectores[2] sed et eodem plane modo exponuntur, discutiuntur inibi res et quaestiones tractandae. — Accedit quarto, quod veteres auctores[3] fr. Bartholomaeo revera tale opus attribuerint, non secus ac editio eiusdem Lugdunensis[4]. — Ad titulum: *De casibus conscientiae* quod spectat, dicendum est illum huic Quadragesimali convenire, quanquam non semper nec ubique nimis urgendus est, cum neque alia Quadragesimalia casuum conscientiae applicationem et praxin natura sua negligant.

" *Sermones* multos, tam *quadragesimales quam de Sanctis per totum annum* „ ei attribuit praeterea fr. Marianus Florentinus[5]. — Sbaralea[6] demum ei praeter duo Quadragesimalia, de quibus supra, attribuit iuxta Inventarium Capituli ecclesiae maioris Ferrariae confectum an. 1466: " *Quadragesimale Magistri Bartholomaei de Pisis* „, incipiens: " *Conservat* „; et finiens: " *et superexcrevisse* „. Addit autem MS. illud non iam exstare. — De IV denique Quadragesimali haec habet idem auctor[7]: " *Quadragesimale* aliud incip.: *A Domino factum est istud:* in cuius fine legitur: *Explicit Quadragesimale V. Doctoris Magistri Bartholomaei de Pisis Ord. Fr. Min.;* exstat MS.

[1] Inscriptionem Codicis Berolinensis (p. CXVII, l. 37 sqq.) urgere nolumus, cum posterioris manus sit.

[2] Uti eos remisit ad opus *Arborem b. Mariae V.;* cf. p. CIII l. 5 sqq. — Supra, p. CXVII l. 25 sqq.

[3] Cf. Mapellus, supra p. CXIV, l. 23; (Marianus, supra p. XXIV, l. 16); Rodulphius, supra p. XVI, n. 1, etc. [4] Cf. supra, p. CXIX l. 26 sqq. [5] Supra, XXIV l. 16 sq.; quae repetiit Terrinca, 191; necnon et Marcus Ulyssiponensis, III, 15; supra, p. XXIV n. 8.

[6] L. c. 111 (I², 116). [7] L. c.

Salmanticae in Bibliotheca maioris Collegii S. Bartholomaei scrin. 176; teste Ioanne a S. Antonio, *Bibl. Franc. Univ.*, I, 191, qui illud se vidisse dicit „. — Cuius rei fides apud ipsum sit.

De gestis et dictis Domini Iesu Christi opus Pisano nostro attribuitur quidem a fr. Mariano Florentino [1], aliisque post eum. Sed constat tantummodo eum circa an. 1389 sibi proposuisse tale opus conscribere [2]. Quam intentionem, utrum effectui demandaverit, minime constat, cum huius operis vestigium nullum inveniatur.

Opuscula *de Passione, de Resurrectione et de Ascensione Domini,* auctori isti adscripsit idem fr. Marianus [3], huncque secutus Marcus Ulyssiponensis [4]. Sed nec isti tractatus ullibi inveniuntur. Sunt forsitan excerpta ex aliis operibus fr. Bartholomaei de Rinonico, qui de tribus illis mysteriis Salvatoris egit v. gr. in libro Conformitatum [5]: infra, de Passione et morte: p. 333-354; 356-8; 361-8; 415-25; 433-6; 438-440; de Resurrectione, 444-50; de Ascensione, 452-60; 464-7. Porro supra diximus *Expositionem* quoque *Regulae* non esse nisi opusculum ex libro Conformitatum extractum [6].

Summa de B. Maria Virgine. — Notitiam eius habemus tantummodo ex loco, in quo ipse Pisanus eam allegavit, tanquam opus in quo plura de B. Maria V. inveniret lector quam in libro: *De Vita et Laudibus B. M. V.* [7] — Inedita est haec summa, sed ne MS. quidem ipsius cognoscimus.

De Laudibus Sanctorum. — Utrum hoc opus, certe voluminosum, diversum fuerit ab iis quae statim sequuntur, de

---

[1] Supra, p. XXIV l. 11; Wadding, *Script.*, 48, 34[2], 36[3]; Terrinca, 191; Sbaralea, 111 (I[2], 116): *De verbis Domini et de verbis Dominae,* ait iste, etc. — De Aug. Superbo, cf. CXXIV.

[2] AF IV, 577, ubi promisit de allocutionibus Christi fusius se tractaturum, quando, ait « *opus perficiam De gestis et verbis ipsius Salvatoris Domini nostri Iesu Christi; et tunc praefata cum aliis prolixius explicabo* ». Infra, p. 9 l. 13-4, ubi de miraculis Christi agit: « *de quibus plura, ipso Christo duce, in opere De factis et verbis ipsius pandam* ». Itemque infra, p. 358, pollicitus est se sermones Domini in coena habitos magis declaraturum: « *Domino, concedente, in libro, quem post istum faciam De dictis Domini Salvatoris et gestis* ». Cf. AF IV, p. XIII.

[3] Supra, p. XXIV, l. 12.

[4] *Chroniche,* III, 15; supra, p. XXIV, n. 8.

[5] Sic et Waddingus, l. c. hos tractatus existimasse videtur; itemque Terrinca, 191.

[6] Cf. supra, p. LXXI sqq. — De similibus tractatibus a Superbo ei tributis, cf. CXXIV.

[7] Cf. supra, p. CVIII l. 32sq. Nullus auctor circa hoc opus addere aliquid potuit.

singulis quibusdam Sanctis, necne, decidi nequaquam potest. Vitae et Laudes horum Sanctorum partes singulas operis istius hoc in casu, constituissent forsan. Ast fieri faciliter potuit, ut Mapellus[1], apud quem primum operis huiusmodi titulus occurrit, eo opera Pisani circa singulos Sanctos comprehendisset, non secus ac Rodulphius[2]. De opere ergo nihil comperire potuimus, immo nec de alio eius libro (vel parte modo dicti operis), scil.:

De Laudibus S. Pauli Apostoli, de quo egit " magno et pulcherrimo volumine „, aiente fr. Mariano Florentino[3].

De Vita et Laudibus S. Benedicti " per meditationes et fructus procedens „, ait fr. Marianus[5]; cui addit Terrinca[4], ex proprio penu, cum MS. nusquam viderit, " liber unus „.

De Laudibus S. Dominici[6] *una cum Arbore Ordinis Praedicatorum*[7]. Hunc librum illum esse certo reputavit Sbaralea[8], de quo S. Antoninus in *Chronicis,* parte III, tit. 23, cap. 1, § 1 inquit[9]: " *Et cum* [S. Dominicus] *vidit coelum apertum et de omni genere religionum fratres in gloria et suos non vidit, sed a Filio fuit dictum, quod erant sub chlamyde Virginis Mariae, quos ibi vidit etc. Et dicit quidam magister Ordinis Minorum, qui composuit librum magnum de b. Dominico, valde magistralem, quod in dicta huiusmodi visione posset dici scholastice, non assertive, quod tunc viderit Dominicus Deum per essentiam, ut Paulus in raptu* „. De qua visione in via cf. infra, 56 sqq. — Opus vero hoc, ubi lateat, ignoratur. Nihil tamen de eo nobis innotuit.

---

[1] Cf. supra, p. CXIV l. 23.

[2] Cf. supra, p. XVI, n. 1. Inde Gonzaga, supra, p. XVI, n. 2; Wadding, supra, p. XVI, n. 3. Opinio modo exposita ap. Sbaraleam, 111 (I², 115-6) invenitur.

[3] Supra, p. XXIV l. 13. Terrinca, 191, addit: « egregium volumen ».

[4] L. c. l. 14.

[5] L. c.; unde Sbaralea, 111; (I, 116).

[6] Marianus, XXIV lin. 15.

[7] Sic Terrinca, l. c., et inde Sbaralea, l. c., opinatus Terrincam forsan opera illa conspexisse; id quod non videtur.

[8] L. c.

[9] Legitur v. gr. ap. Divi Antonini: *Chronicarum pars III,* Lugduni 1586, p. 599, qui de S. Dominici similitudinibus cum Christo agens, certe usus est, si non opere illo, saltem conceptibus Pisani; l. c. 600-12; tit. XXIII, c. 2 sqq.

Commentarii in IV libros Sententiarum. — Hoc fr. Bartholomaeo attribuerunt Mapellus [1], Rodulphius [2], eumque secuti Gonzaga [3] et Sbaralea [4]. Cum fr. Bartholomaeus magister Theologiae fuerit, nil mirum esset, quod huiusmodi tractatum, pro more illius aevi compilavisset. Nihil tamen de eo constat.

Quae adeo ample discussa et exposita circa fratris Bartholomaei de Rinonico Pisani operibus, ad Editorum officium explendum abunde sufficiant.

In Collegio D. Bonaventurae ad Claras Aquas, die 25 Maii, in festo translationis S. P. Francisci, 1912.

FRATRES EDITORES [5].

---

[1] Supra, p. CXIV l. 24.

[2] Supra, p. XVI n. 1.

[3] Ibid. — De Aug. Superbo, cf. CXXIV num. 1.

[4] *Suppl.* 111 (I^2, 116). L. c. 725 (I^2, 116) sermo est de *Comment. in IV librum* (alias *IV*^{or} *libros*) Sentt., quos scripsisse ibidem dicitur Barth. Albisius. Qui liber, quonam iure ei attribuatur, minime apparet, non magis quam *Summa moralis* (l. c.) eidem adscripta. Haec videtur esse *Summa de casibus* fratris Barth. de S. Concordio, O. Praed., cf. supra, XVI n. 6.

[5] Codices pro tomo I legerunt et contulerunt PP. Collegii in communi, itemque codicem As et Edd. pro vol. II. Tomum primum operis Conformitatum (quod ultimis diebus anni 1906 prodiit) recensuerunt, adnotationibus illustrarunt et ediderunt praesertim P. Fr. Leonardus Lemmens, P. Fr. Saturninus Mencherini et P. Fr. Athanasius López. Hic etiam aliqua praeparavit pro volumine altero, quod constituerunt, notis dilucidaverunt et ediderunt P. Fr. Michael Bihl et P. Fr. Benvenutus Bughetti. Alii, qui nobis notitias subministrarunt, suis quibusque locis commemorati sunt. Addendi sunt illi, qui in corrigendis quibusdam nominibus in Provinciali Pisani nos adiuverunt, scil. Leon. Lemmens, Ath. López, Ferdinandus Delorme, Ed. Bonaventura Fitzmaurice, omnes O. F. M., et cl. v. A. G. Little, respective pro nominibus modernis Germaniae, Hispaniae, Galliae, Hiberniae atque Angliae. — P. Fr. Lucius Núñez, O. F. M., res sub num. 2, 5, 6, 7, infra, p. CXXIV sq. notatas nobis indicavit, quas tunc fusius describi curavimus.



AD PRAEFATIONEM ADDENDA.

1. — Ad p. XVI. — Textibus aliis de fr. Bartholomaeo de Rinonico hic novum subnectimus ex *Catalogo Scriptorum Ordinis Minorum usque ad annum 1634*, qui etiam inscribitur: *Theatrum Theologorum triplici ordine et plano digestum, quadruplice indice illustratum authore* Fr. Augustino Superbio, *Ferrariensi Minorita Conventual.*, quodque MS. exstat Ferrariae in bibliotheca communali *n. 97*. De auctore Augustino Superbo, O. M. Conv., cf. Franchini, Gio., *Bibliosofia di scrittori francescani conventuali... dopo l' anno 1585*, Modena 1693, 22-3; Sbaralea, *Supplem.*, 104; ed. II, I, 108, qui Catalogum illum « parum accuratum » recte nominat, eoque usus est saepius. Laudes maximae a Superbo tributae Bartholomaeo Albisio, cum fr. Bartholomaeo de Rinonico confuso, pendendae sunt ad normam dictorum supra, p. XV sqq.

« Bartholomaeus Albisi Pisanus, natione Hetruscus, vir profecto omnibus virtutibus ornatus, theologus, philosophusque eximius, prudentia singularis, maxime morum gravitate amabilis, mitissimus, humilitatis cultor praecipuus atque vitae integerrimae, admirandus in legendo, disputando, scribendoque assiduus atque indefessus; ad concionandum et populum verborum copia et elegantia retinendum aptissimus ac peritus artifex. Qui in praecipuis ac celeberrimis Italiae civitatibus de superiori loco pro Christi gloria et magno auditorum concursu laudabiliter verba fecit, triginta et eo amplius digna opuscula ingentia eximia religione scripsit, inter quae extant.

1) Liber Conformitatum Beati Francisci, opus pulcherrimum. 2) Super 4 libros sententiarum. 3) De laudibus Sanctorum. 4) De Casibus conscientiae. 5) De laudibus B. M. Virginis. 6) De vita et perfectione B. Dominici. 7) De verbis Domini. 8) Librum Conformitatum B. Virginis cum Christo. 9) De electione XII apostolorum. 10) De laudibus eorum. 11) De locutione Christi. 12) De miraculis Christi. 13) De lumine gloriae. 14) De gradibus humilitatis. 15) De divitiis et earum affectibus. 16) De scientia Christi. 17) De nomine Iesu. 18) Super totam quadragesimam. 19) Super logicam. 20) Super Metaphysicam. 21) De Penitentia. 22) De virginitate. 23) De incarnatione Verbi. 24) De amore Christi ad genus humanum. 25) De insidiis vitae Christi. 26) Discursus de amatoribus huius saeculi. 27) De paupertate et eius affectu. 28) De misericordia et pietate. 29) De mysterio Crucis. 30) De nuptiis et de oratione. 31) De limbo et Christi morte. 32) De sacramentis veteris et novae Legis. — Alia quae scripsit hic egregius vir et tempus quo e vita plenus gloria pie cessit, me latent ».

Quoad opera Pisano adscripta n. 2-6 cf. ex ordine supra, p. CXXIII, CXXI, CXV sqq., CVIII sqq., CXXII. — Quoad n. 7, cf. CXXI; quoad n. 8, cf. CII; quoad n. 11 cf. CXXI; item ad n. 18, cf. CXV; ad n. 26, cf. CXIII. — De nn. 9, 10, 12 et seqq. idem proculdubio dicendum est, quod de aliis opusculis Pisani supra, CXXI diximus, quae nonnisi *extracta* sunt ex opere Conformitatum et ex locis parallelis operis *De vita et laudibus B. M. V.* — De n. 9 et 10, vide AF IV, 165 sqq.; de n. 11, vide etiam AF IV, 564-80; de n. 12, v. infra, 2-9; de n. 13, infra, 57 sqq., 457 sqq.; de n. 14, ib. 123-9; de 15, ib. 89-99; de n. 16, ib. 145 sqq.; de n. 17, ib. 212-9; de n. 21, ib. 182 sqq., 199 sqq.; de n. 22, AF IV, 88 sq. et *De laud. B. M.*, l. III, fruct. 3, p. 388 sqq.; de n. 23, AF IV, 60 sqq.; de n. 24, infra, 22-8; de n. 25, AF IV, 149-56 et infra 212 sqq.; de n. 27, infra 89-99; de n. 28, infra 262-75; de n. 29, ib. 361 sqq.; de n. 30, ib. 226-32 et 234-43; de n. 31, infra, 433-6 et 415-25; demum de num. 31 vide infra, 332-54.

2. — Ad pag. XVIII, notam 7. — In bibliotheca publica Divionensi (Dijon) sub n. *650 (al. 590)* servatur MS. chart. saeculi XVII, 342×233 mm., 171 pagg., ligatum pergam. in quo inest: « *Dissertation sur le livre des Conformitez de Saint-François avec Jésus-Christ. Analyse de l'ouvrage de Barthélémy de Pise d'après l'édition de 1620. Reproduction assez inexacte de la célèbre gravure de l'original. Table* ». Sic MS. hoc describit: *Catalogue général des MSS. des bibliothèques publiques. Départements,* V, Paris 1889, p. 187. — Quibus iuxta benigne ad nos datam epistolam bibliothecarii, cl. d. C. Oursel, haec addere possumus. Analysis illa, facta a quodam anonymo, notat plura in opere Conformitatum contenta, a p. 41-168; quibus praemissum est p. 27-40: Compendium vitae S. Francisci. In initio autem exponit ana-

lysim suam utilem esse etc., agitque summarie de opere Conformitatum et de refutationibus ipsius. Ipse anonymus « qui non protestanticus, sed catholicus censendus est », sat scepticus est circa miracula, existimatque opus Conformitatum nimis abundare absurditatibus et nugis puerilibus. P. 5 opus attribuit fr. « *Bartholomaeo de Albizis* ». Nihil novi nec alicuius momenti pro quaestionibus historicis continet hoc MS., cuius insuper auctor quaestiones theologicas pro more sui aevi pertractavit. — Ceterum analysis et critica libri certe non fundanda erat in editione quarta (sive tertia, cf. LVIII sqq.) omnium longe pessima et valde mutila. Sed neque auctorem libri Conformitatum cognovit anonymus ille Divionensis. — Ea in urbe erat conventus O. M. Conv.; cf. AF IV, 541.

3. — Ad p. LV. — Praeter MS. operis Conformitatum in collectione cl. D. q. *Thomae Phillipps* in Cheltenham supra, p. LIV sqq. memoratum, aliud quoque in ea exstabat, inter codices 25 aprilis 1911 sub hasta venditos. Hoc MS. sic describitur in venditionis Catalogo: *Bibliotheca Phillippica. Catalogue of a further portion of the... MSS. and Autograph Letters of the late Sir Thomas Phillipps... Cheltenham... which will be sold by auction by MM. Sotheby, Wilkinson and Hodge,* London 1911, p. 71, num. 415: « *Opus quod intitulatur de Conformitate Vite S. Francisci ad vitam Domini N. Ihesu Christi editum a Bartholomeo de Pisis Ord. Minorum Sac. Theologie magistro anno 1381. — Privilegia annotata tam Indulgenciarum quam immunitatum et exempcionum Ord. Fratr. Min. concessarum* etc. — *Privilegia auctoritatum exemptionum et immunitatum* etc. *Ordinis Fratrum Minorum* etc. *1418.* MS. saeculi XV, binis columnis, ab amanuensi italo exaratum; in fol. ». — Quo nunc devenerit hoc MS. incompertum habemus. Videtur autem MS. hoc esse simile alteri eiusdem collectionis, supra, LIV sqq. — (Iuxta notitiam a cl. v. A. G. Little nobis humanè missam).

4. — Ad p. LVI, num. 7. — Codex *lat. 3599* bibliothecae nationalis Parisiis non continet nisi partem alteram singularum Conformitatum trium librorum operis Conformitatum. Eum interim ex parte pro nobis photographice expressit R. P. Andreas Callebaut, O. F. M. Quae pagellae cum editione collatae demonstrant hunc codicem, saeculo XV exaratum, 1°) sequi recensionem textus, uti est in codice As. (cf. AF IV, p. XXVIII, XXX sqq.), sed non accurate, cum a scriba sat negligenti binis columnis exemplatus sit. — Epistolae autem duae in fine (infra, 503) hoc in codice ab alio amanuensi postea additae sunt, et quidem post annum 1510, quia reapse ex editione prima transscriptae fuerunt.

In initio codicis (f. 1-8) adest disquisitio quaedam canonica. Fol. 9r: « *Incipit liber de Conformitatibus b. Francisci quamvis plurimum... tres partiales libros complectens, quorum prima conformitas hec est, Franciscus declaratur. Declarata prima parte primi fructus conformitatis que fuit de Christo* » etc. — Explicit liber tertius uti infra 503 l. 3; omittit l. 4-6, pro quibus: « *Finis arboribus* (sic) *et operis* ». Tunc sequuntur versus AF IV, 18 l. 5-9, demumque duae supradictae epistolae.

5. — Ad p. LVII. — Alius codex Neapolitanus in bibliotheca nationali incompletus adest et mancus operis Conformitatum, sign. *V H 149,* 210×150 mm., binis columnis linearum 35, scriptus saec. XV. Deest enim penitus liber primus, maximaque pars libri tertii. Incipit ex abrupto f. 2ra: « *de quo statim dicetur. Multe alie congruentie possent adduci, sed* » etc.; scil. infra, p. 2 l. 43. Explicit autem iam in parte altera conformitatis III libri III, f. 163va, scil. infra, p. 396 l. 17: « *b. Franciscum audisse Christum et vidisse stigmata* ». Codicem accuratius pro nobis descripsit R. P. Elpidius Rocchetti, O. F. M.

6. — Ad p. LXXIV. — Versio itala *Expositionis Regulae FFr. Minorum* habetur etiam in codice *n. 446* [*467*] bibliothecae communalis Veronae. Est codex membraneus, saec XV, foll. 140, 200×140 mm., iuxta Biadego, Gius., *Catalogo descrittivo dei MSS.. della bibl. comun. di Verona,* Verona 1892, p. 244 sq. Fol. 1r: « *In nomine domini Ihesu Cristi incomincia la regola de Frati Minori in volgare* ». F. 6r: « *Incomincia il testamento del nostro padre santo Francescho* ». F. 9r: « *In nome di dio e della gloriosa vergine Maria... questa è la seconda parte del nono fructo et conformità di sancto Francescho alla vita del nostro signore Ihesu*

Cristo, intitolata: Francescho regolatore, in nella quale si dimostra la degnità et la excellentia della regola de Frati Minori. Et anchora contiene la dichiarazione di detta regola ». Cf. AF IV, 393-425.

7. — **Ad p. LXXXV, l. 24.** — Praeter versionem italam liber *Conformitatum*, quam Fr. Dionysius Pulinari, confecit an. 1543-1544 (supra, LXXX-V) alia, eaque *antiquior*, sed *partialis* et *mutila*, nonnisi libri II quatuor conformitates complectens et partem quintae, exstat in codice bibliothecae Ambrosianae Mediolani, *E 54 Sup.*, saeculo XV exarato. Est codex chartaceus, 205×143 mm. ff. 258, binis columnis scriptus, ligatus asseribus ligneis, in dorso pelle coopertus.

F. 1a: « *Incomenza il libro 2° del 16 conformitate di la vita dil beato Francesco ad la vita dil nostro Signore Ihesu Xpo. La prima conformitate et ne l' ordine 13ª: Ihesu di signi mirifico, Franciscus divulgatur. La expositione di la prima parte: Ihesu di signi mirifico. — Da puoy che nel libro precedente de le 12 conformitate dil b. Francesco al nostro Signore Ihesu Xpo è scripto, ne le quale apparve et la previsione de quello b. Francesco da propheti et altri, et anchora la dimostrazione di quello fatta a popoli et per sè et anchora per li fratelli la vita et la doctrina, resta consequentemente a dire di altre 16 conformitate in questo 2° libro, ne le quale appare chiaramente di quale virtute esso Xpo sia vestito, et conformiter per sua gratia esso padre Francesco* ». — Pertingit autem f. 166r. usque ad: « *Secunda pars fructus quinti et conformitati et xvij*ᵉ *in ordine: Franciscus minoratur. Expositio. Benche l' uomo di Dio b. Francesco fosse dotato d' ogni virtù, nientedimeno la vera humilità, la quale è sopra et auchora ornamento di tutte le altre virtù, in luy era fixa così come che si reputava esser minimo de' minimi* ». Quae conformitas sic mutila des. f. 171ra: « *Il tertio che dichiara l' humilità di b. Francesco è l' horrore et l' habominatione dilla propria laude. Veramente luy, come dice la sexta parte della Legenda, si dimostrava esser mato desprezando li mondani favori, si alegrava* », scil. infra p. 133 l. 33-5. — In codice interdum breves adsunt lacunae, ubi interpres locos quosdam vertere non potuisse videtur. — Postea sequuntur tractatus quidam ascetici, argumenti non franciscani.

8. — **Item ad p. LXXXV, l. 24.** — Opus *Conformitatum* in epicos, heroicosque versus italice convertere tentavit *P. Franciscus Filigelli* de Asciano, Hetrùriae, O. M. Conv., sed cum ad conformitatem XVI pervenisset, die 2 sept. 1608 morte abreptus est, unde versio nec absolvi nec, eō minus, edi potuit. Cf. Franchinus, *Bibliosofia*, 236 sq.; Sbaralea, 253 sq.; I², 269; Terrinca, *Theatrum*, 200, et inde male Ioannes a S. Antonio, *Bibliotheca univ. Francisc.*, I, 386.

9. — **Ad p. XCI, not. 3.** — Calumnia illa Alberi, scil. apud fratres Minores Brandenburgi nullam *Bibliam* inventam esse, vel ex eo patet, quod Biblia quae *adhuc* continetur in MS. *theol. fol. 64, 65, 66, 67* bibliothecae regiae Berolini, pro « *minoribus fratribus in Brandenburg* » conscripta fuit, et usu sat consumpta est. Cf. V. Rose, *Die lat. Handschriften d. K. Bibl.*, II, I, Berlin 1901, 16-7.

10. — **Ad p. CXIX, l. 23.** — Quadragesimale *De Casibus conscientiae* adest nono in codice bibliothecae regiae Bruxellensis, *n. 1947*, membran., 88 foll., 255×180 mm., saec. XV, fol. 1-84. In folio insititio adest brevis notitia absque valore, lingua italica scripta, circa fr. Bartholomaeum de Rinonico, in qua citatur opusculum V. Follinii; (cf. p. XVIII n. 11). Fol. 1r.: « *Incipiunt sermones quadragesimales magistri Bartholomei de Pisis ordinis minorum. Feria quarta sermo. Cum ieiunatis etc. Matth. sexto. Finis nature humane cum sit beatitudo, teste magistro* » etc. uti supra p. CXVI l. 14 sqq. Deest ergo Prologus. Ultimus vero sermo, qui de B. Maria Virgine tractat, differt ab illo aliorum codicum, f. 84v.: « *O dulcedo Paradisi, angelorum gloria, seculorum letitia, virginum gemma, felix et beata, tibi domina mea totum meum committo corpus et animam, totamque vitam meam, mortem et resurectionem meam. Tu sis benedicta in eternum, nunc et ulterius cum Iesu filio tuo, qui cum patre et sancto flamine vivit et regnat deus benedictus per omnia secula seculorum. Amen* ». — Fol. 85-88 adest: « *Tabula per Alphabetum super hoc*

opus ». Tunc sequitur hymnus: « *Ave dulcis, ave pia, plena gratia Maria* », i. e. ap. Chevalier, *Repert. hymnol.*, n. 23461. — Codex pro nobis descriptus fuit a R. P. Andrea Callebaut, O. F. M. Brevius notatur ap. Van den Gheyn, S. I., *Catalogue des MSS. de la bibliothèque royale de Belgique*, III, Bruxelles 1903, 770.

11. — Ad p. CXVII, l. 32ss. — Iuxta schedulas antiqui catalogi bibliothecae Archigymnasii Bononiensis in ea olim aderat MS. *Quadragesimalis* fr. Barthol. Pisani de Rinonico [non Albisii], qui sermones, *quia codex non iam reperiri potest*, accuratius nec describi nec determinari queunt. Sic sonat schedula, iuxta quam fuit codex membran. in-4°, binis columnis scriptus, et signatus *16* P. III. 8*: « *Albizzi Bartolomeo da Pisa. — Sermones reverendissimi mag. Bartolomei de Pisis ord. Min. super Evangeliis* ». In fine: « *Explicit tabula omnium questionum in hoc opere contemplarum cum suis suprascriptis sermonibus, compilatis per rev. dom. doctorem et sacre theologie mag. mag. Bartholomeum de Pisis eximii ord. fratrum Min. S. Francisci et scriptis manu fr. Ieronimi de Cesena... et hoc M°CCCCIIJ et die XVIIJ decembris compilatis* ».

Codex idem proculdubio erat cum codice Ferrariensi.

12. — Subnectimus demum e Codice *G. 65. Inf.* bibliothecae Ambrosianae Mediolani descripto AF IV, p. XXV sq., *Elogium S. Francisci*, quod iuxta auctoris, scil. fr. Bartholomaei de Rinonico, intentum pronuntiandum fuisset in Martyrologio Ordinis Minorum in Vigilia festi S. Francisci.

[171va] « *Ad pronuntiandum in Martirologio in vigilia b. Francisci, quod ego magister Bartholomeus composui.*

Quarto nonas octubris, luna....

Apud Vallem Spoletanam, civitate Assisii, natale beati Francisci institutoris Ordinum Minorum, Pauperum Dominarum ac Fratrum de Penitentia mirifici. Qui a Patre luminum directus in mundum, datus est ab eodem in lucem gentium et reparationem terrestris Ecclesie, ut oblitteratam evangelicam normam suo exemplo renovaret, mundo penitentiam predicaret ac passionem dominicam fidelium cordibus infigeret et plantaret. Verum hic Sanctus, etsi inter vanos hominum filios educatus fuerit, gratia divina preventus, a carnis luxu liber extitit, nec in paternis speravit pecuniis et thesauris, sed Christi amore cuncta prout poterat pauperibus erogando, tandem patris agitatus impulsu coram episcopo paterne iuri renuncians hereditatis, mundum a mundanis, brachiis se obtulit Crucifixi. Perinde evangelicam normam in vivendo pro se sumens et suis, vita mirificus, verbo factus clarus et opere, iussu divino predicando et apostolico, omnibus admirabilis et gratiosus Christo animas indidit, quas dyabolus conabatur auferre. Ipsius siquidem incitati tam viri quam mulieres exemplo et verbo, ad incedendum post Christum, triplicem ad Trinitatis honorem Ordinem instituit in Ecclesia militanti; eique, ut vero sancte Trinitatis cultori, divino nutu cuncta subiecta, omnibus imperavit, demones ac infirmitates quascumque suo iussu repellendo et tactu. Demum, cum mortem pro Christi amore toto corde optaret, postquam Evangelium perfecte servarat, tandem Christo Domino in specie Seraph sed crucifixo apparente in monte Alverne, anno XVIII° a sua conversione stigmata sue passionis ipsius manibus, pedibus ac lateri imprimendo, sibi eum similem red-[171vb]didit et conformem. Duobus annis ab impressione sacrorum stigmatum et vigesimo a sua conversione expletis, morbo conclusus extremo, post benedictionem factam fratribus tam presentibus quam absentibus, anno Domini MCCXXVI die sabbati de sero almus ipse Confessor, cunctis circa ipsum completis, carnis pariete soluto ad Deum perrexit. Cuius corpus cum ymnis et laudibus die dominica deductum ad civitatem Assisii, tunc et nunc multis coruscat miraculis ad gloriam Yhesu Christi.

Apud Chorintum etc. ».



INDEX PRAEFATIONIS.



LIBER SECUNDUS

DE SEXDECIM ALIIS FRUCTIBUS ET CONFORMITATIBUS VITAE BEATI FRANCISCI AD VITAM DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI.

PRIMUS FRUCTUS ET CONFORMITAS IN ORDINE DECIMA TERTIA: Iesus Signis Mirificus — Franciscus Divulgatur.

Expositio primae partis videlicet: **Iesus signis mirificus.**

Postquam libro praecedenti de Conformitatibus beati Francisci ad Dominum Iesum Christum digestum est, in quibus apparuit et praevisio ipsius beati Francisci a prophetis et aliis, ac demonstratio eiusdem facta populis, et per se atque fratres, vita et doctrina; restat consequenter de aliis Conformitatibus in hoc *secundo* libro tractandum (*a*), in quibus nitet, qualibus virtutibus praefulsit ipse Christus, et conformiter sua gratia ipse pater beatus Franciscus. At non solum virtutibus interioribus claruit, sed etiam exterioribus signis, prout prima conformitas et fructus huius libri secundi reserat, quae est in ordine XIII conformitas, dicens: *Iesus signis mirificus, Franciscus divulgatur;* et more praecedentium conformitatum expositionis, primo exponam primam partem videlicet: *Iesus signis mirificus,* et deinde secundam partem: *Franciscus divulgatur.*

Et pro evidentia (*b*) primae partis, scilicet suae expositionis est advertendum, quod, prout patet experientia; et dicto Salvatoris claret (*c*): homines potius vitam attendere deberent quam signa, et virtutes quam miracula. Sola miracula (*d*) sine vita sancta perfecta virtutibus et aliis, nihil valent ad beatitudinem consequendam, dicente Christo, Matth. 7, 22

(*a*) Edd. *tractare.* — (*b*) Al *per evidentiam.* — (*c*) Al et As *clareat.* — (*d*) Al om. *sola miracula.*

et 23: *Multi dicent mihi in illa die: Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et signa multa fecimus? Et ego respondebo eis, nescio vos,* et Luc. 10, 20, dixit Iesus Apostolis gaudentibus de hoc: *In hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subiiciuntur; sed potius gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in caelis. Dabunt* etiam tempore Antichristi *pseudo-prophetae signa magna, et prodigia,* Matth. 24, 4 sqq., et tamen de numero erunt damnatorum, et ideo B. Gregorius XX *Moralium* [1] exponens verbum praefatum, Matth. 7, 22: *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus* etc. inquit: « Qua sententia, quid datur intelligi, nisi in hominibus charitatis humilitas, non autem debeant virtutum signa venerari, probatio quippe, non est signa facere; sed unumquemque ut se diligere, de Deo vera cognoscere, de proximo vero meliora, quam de se ipso sentire. Veros enim Dei famulos non miracula, sed sola charitas probat ». Quibus Beati Gregorii ac Salvatoris verbis apparet, quod signa facere parum sine aliis valet (*a*), et consequenter potius ad vitam sanctam esset respiciendum, quam ad signa. Sed quia homines contrarium (*b*) faciunt, utpote sensuales potius quam intellectuales, ideo Dominus tam in veteri testamento, quam in novo voluit et permisit miracula fieri (*c*) et Salvatorem etiam nostrum miracula egisse, et sancta Evangelia attestantur, et prima pars huius XIII conformitatis declarat, dicens: **Iesus signis mirificus.**

1. Et pro horum evidentia sunt aliqua inquirenda et videnda. Primum est, an Christum decuerit facere miracula. Secundum est, quae differentia ponitur inter operationem Christi miraculorum, et aliorum. Tertium, si vera fuerunt, ut nullo modo de falsitate possent argui (*d*). Quartum, si miraculis deitas eius potest comprobari. Quibus quatuor visis et praemissis, de ipsis miraculis erit succincte videndum quae fuerunt.

Ad primum, quo quaeritur: an Christum miracula facere decuerat (*e*), respondeo, quod sic. Patet, quia de facto fecit, quare et decuit. Sed aliter istam decentiam ostendendo dicitur, quod fuit congruum Christum talia exercere. — Primo ad ostendendum suae personae dignitatem et excellentiam. Nam cum in veteri testamento plures signa fecerint, immo verius loquendo Deus per ipsos; ubi si Christus signa et miracula non fecisset, inferior eis dictus fuisset. Quare, ut se non ostenderet eis inferiorem, immo excellentiorem et maiorem, miracula decuit exhibere. — Secundo ad suae vitae authenticam demonstrationem. Licet enim, ut dictum est per Gregorium [2], miracula sanctum non faciant, cum aliis tamen sanctum indicant et ostendunt; quare ad suae vitae authenticam demonstrationem, sicut in aliis exstitit sanctis, sic et in Christo fieri decuit. — Tertio ad suae doctrinae veridicam protestationem. In cuius signum dicebat ipse Salvator, Ioan. 10, 38: *Si mihi non vultis credere, operibus credite.* — Quarto, ut Patris et sui omnimodam declararet aequalitatem et ipsius in Patre immansionem (*f*), Ioan. 14, 10, dicens: *Pater in me manens, ipse facit opera,* et Ioan. 5, 17: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* — Quinto ad mundi conversionem, cum enim mundus in eum credere deberet, signa fieri decebat. Ratio, quia Iudaei signa quaerunt; sic etiam Gentiles. Hinc est quod Dominus ad praedicandum Apostolos dirigens et discipulos, miracula faciendi tribuit potestatem, Matth. 10, 8. Luc. 9, 1, et Marc. ult. [16], 17-8, et Ioan. 2, 23; dicitur quod *multi crediderunt in nomine eius, videntes signa, quae faciebat.* — Sexto ad fidei confirmationem et credulitatem, Matth. 11, 4: *Dicite Ioanni quae audistis et vidistis,* et Glossa super illud Psalm. 9, 1: *Confitebor tibi Domine, in toto corde meo* etc. dicit, miracula per Christum facta ad fidei valent credulitatem et confirmationem. — Septimo ad suae deitatis dilucidationem, de quo statim dicetur. Multae aliae congruentiae possunt adduci, sed praefatae sufficiant; quibus patet, quod decens fuit Dominum Iesum Christum miracula operari, et sic patet breviter ad primum, quod erat videndum.

(*a*) Al et As *valent.* — (*b*) As et Edd. *oppositum.* — (*c*) Al om. *fieri.* — (*d*) As et Edd. *inficiari.* — (*e*) Codd. et Edd. *Christus.... debuerit.* — (*f*) Edd. *mansionem.*

[1] Cap. 5, (Migne, P. L. 76, 147) paucis omissis. — [2] *Homil. 29 in Evang.* (P. L. 76, 1216). « Miracula ostendunt aliquando sanctitatem, non autem faciunt ».

Ad secundum de differentia miraculorum Christi ad alios, est sciendum, quod huius quaesiti declaratio a primo dependet, tamen potest dici, quod differentia praecipua est: quia Christus agebat virtute propria, scilicet divina. Alii vero agunt non virtute propria sed alterius, scilicet Dei. Deo enim soli proprie competit miracula facere, creaturae vero improprie, accipiendo miracula non proprie, sed pro miro vel mirabili. Christus ut Deus virtute propria agit miracula; ut etiam homo verus miracula agit, quia Dei potentia per communicationem essentialem et formalem esse divini est sibi communicata; quod nulli alteri est a Deo factum. Sic ergo, quia miracula alii, sive aliae creaturae, non faciunt proprie accipiendo miraculum, ut dicit Augustinus *De utilitate credendi* [1]: « Miraculum est opus arduum et insolitum, supra spem et facultatem admirantis » sed solus Deus etc. patet ergo breviter ad secundum hoc quaesitum. Et si dicatur: Sancti dicuntur facere miracula, respondeo, quod pro tanto dicuntur facere miracula, quia Deus eorum precibus ad faciendum miracula movetur. Et si dicatur: In scriptura divina invenitur, quod non solum boni, sed et mali signa et miracula faciunt, respondeo, quod nomine miraculi dicitur mirabile, nec simpliciter. Sed quia vel divina actione fit precibus ipsorum, vel subtilitate ingenii activa passivis coniungendo: efficiunt in brevi quod natura in magno exercuisset tempore, et sic magi fecerunt, Exod. 7, 12 et 22, draconem et ranas virtute daemonum. Et si dicatur de miraculis Antichristi respondet Apostolus, II. Thes. 2, 9, quod mendacia erunt.

Ad tertium patet iam responsio, quod Christi miracula fuerunt verissima, utpote ab eo, qui solus potest facere, cui natura omnis in summa est obedientia et subiectione, non apparenter solum, sed realiter et existenter (*a*), non ad gloriam capiendam humanam, sed potius divinam, Ioann. 8, 50: *Ego gloriam meam non quaero,* sed eius qui misit me. Ad finem debitum, quia ut credatur verus Deus, ipse dicit, Ioan. 10, 38: *Si mihi non vultis credere, operibus credite.* Ac potius ad finem spiritualem, quam corporalem: « Nam miracula Domini salvatoris, et in veritate debent credi facta, et per mysterium aliud significare », ut dicit beatus Gregorius [2], ac neminem curavit corporaliter, quem non curavit totaliter et internaliter, ut ait B. Hieronymus; nam *totum hominem salvum faciebat,* Ioan. 7, 23.

Et quia praefatorum dubiorum intelligentia ex declaratione quarti dependet, nunc ad quartum dubium respondetur, quod Christi miraculis cum aliis concurrentibus Deitas ipsius est declarata, et sic esse declaratur, si attendatur: Primo, modus, scilicet miracula faciendi. Quia non supplicative, more aliorum, sed imperative, resuscitando iuvenem in porta civitatis Naim, Luc. 7, 14 dixit: *Adolescens tibi dico, surge.* Sic etiam in suscitatione puellae [3]. Et si dicatur: in suscitatione Lazari gratias egit Deo Patri [4], respondetur quod aliud est gratias referre et aliud suffragium impetrare. Primum non praesupponit secundum; sed e converso. Item quare Christus gratias egit, habetur ibidem; Ioan. 11, 42 dicit: *Ego enim sciebam, quod semper me audis; sed propter populum circumstantem dixi, ut credat quia tu me misisti.* Sic etiam quando satiavit tot milia hominum, non petiit suffragium, sed (*b*) dat Deo Patri gratias. Et si dicatur: Christus oravit, conceditur, non ad petendum suffragium, sed ad dandum exemplum, ut dicit Beda. Secundo potentia et virtus, teste enim Aristotele in libro *De secretis secretorum ad Alexandrum,* parte III. c. 3, recitando verba Hermogenis, patris philosophorum dicit [5]: Operator miraculorum unus et solus est Deus, a quo descendit omnis operatio mirabilis. Idipsum tenent doctores sacri, Augustinus *De utilitate credendi* [6], describendo quid est miraculum, et III *De Trinitate* [7], Anselmus *De conceptu virginali* [8].

(*a*) Al *regulariter et exemplariter.* — (*b*) Al per homoioteleuton om. *sed — suffragium;* defectus eiusmodi non raro ap. Al occurrunt.

[1] C. 16. (P. L. 42, 90). — [2] *Homil. 2 in Evang. n. 1* (P. L. 76, 1082). — [3] Cf. Luc. 8, 54. — [4] Ioan. 11, 41. — [5] Est liber apocryphus. — [6] Cap. 16. (P. L. 42. 90). — [7] C. 5-8 (P. L. 42, 874 sqq.). — [8] Cap. 11. (P. L. 158, 445).

Quod sola virtute divina Christus miracula egerit, patet ex pluribus. Primo, quia ut dicitur Luc. 6, 19: *Virtus de illo exibat et sanabat omnes languores.* Cyrillus [1]: « non virtutem alienam accipiebat, sed propria utebatur ». Et super illud Matth. 8, 16: *Spiritus eiiciebat verbo et omnes male habentes curavit;* verbo brevi, ut dicit Chrysostomus, Evangelista pelagus ineffabile miraculorum a Christo factorum expressit. Secundo quia patrocinium (ut dictum est), non deposcebat; sed verbo, vel tactu curavit, Luc. 6, 16: *Quotquot* autem *eum tangebant, salvi fiebant.* Tertio quia non unum vel duo miracula fecit, sed innumera ut patebit. Quarto quia sui nominis invocatione alii faciebant miracula; sicut patet Luc. 9 et 10, et Matth. 10, 1. Sic igitur his quatuor patet, quod divina virtute miracula peregit, et sic virtute, et potentia sua omnipotenti.

Tertio apparet, si pensetur species miraculorum. Quia non unius speciei, sed diversarum; quae opera (*a*) esse non possunt, nisi a solo Deo; sicut est incarnatio et carnis assumptio, ortus ex Virgine, sacramentum eucharistiae, resurrectio, et sic de aliis. Et ideo dicebat, Ioan. 15, 24: *Si opera non fecissem, quae nemo alius fecit, excusationem haberent de peccato suo* etc.

Quarto, si attendantur prophetata. Nam cum per prophetas deitas Christi et eius humanitas fuerit declarata, ut patet per Isa. 9, 6: *Puer natus est nobis, et filius datus est nobis,* et sequitur: *Et vocabitur nomen eius: Admirabilis, Angelus, Deus, Fortis* etc. per Ierem. 23, 19: *Ecce dies veniunt dicit Dominus et suscitabo David germen iustum:* ecce humanitas. Et sequitur: *Et vocabunt eum: dominus iustus noster,* in hebraeo habetur nomen Dei tetragrammaton. Per Michaeam 5, 2: *Tu Beethlem* etc. Per Aggaeum 2, 7: *Ego movebo coelum et terram* etc. Per David Psal. 109, 1: *Dixit Dominus Domino meo* etc. Et Psalm. 71, 2: *Deus iudicium tuum regi da* etc. Per Zachariam 9, 9: *Exulta satis filia Sion* etc. Per Baruch. 3, 36: *Hic est Deus noster* etc. Per Malachiam 3, 1: *Ecce ego mitto Angelum meum,* et sic de aliis prophetis. Modo cum incarnationem Dei fiendam et factam sancti prophetae praedixerint, consequenter fienda miracula, ut patet per Isai. 35, 1 sqq. dicentem: *Laetabitur deserta* etc. Sequitur de Virgine Maria ipsum pariente: *Germinans germinabit sicut lilium* etc. *Gloria Libani data est ei* etc. Et sequitur: *Ipsi videbunt gloriam Domini et decorem Dei nostri,* et sequitur etiam: *Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum* etc. et cap. 29, 18, sq. dicit Isaias: *Et audient in illa die surdi verba libri, et de tenebris et caligine oculi caecorum videbunt, et addent mites in Domino laetitiam* etc. et sic de aliis prophetis. Sequitur quia miracula a Christo facta secundum prophetata principaliter fiebant, et facta sunt ad eius deitatem comprobandam. Hoc ipsum astruitur per prophetissam gentilem Sibyllam [2], quae in libro suo XX: de 9 solibus visis Romae simul a centum Senatoribus, et exponendo per novem soles novem generationes, sic dicit de quarto sole, (ubi praemittendo Christi ortum et deitatem, subdit de miraculis ab ipso fiendis, dicit): « Quartus sol, quarta generatio est. Erunt homines quod verum est abnegantes; et in diebus illis exurget mulier de stirpe Iudeorum nomine Maria, habens sponsum nomine Ioseph; et procreabitur ex ea sine commixtione viri de Spiritu Sancto Filius Dei nomine Iesus, et ipsa erit virgo ante partum et virgo post partum; qui vero ex ea nascetur, erit verus Deus et verus homo: sicut omnes prophetae praedicaverunt. Et adimplebit legem Iudaeorum; et adiunget sua propria insimul, et permanebit eius regnum in saecula saeculorum ». Ecce quae (*b*) de eius divinitate et humanitate praemisit. Subdit de miraculis (*c*) et quae dicit. « Nascente, inquit, eo, exercitus

(*a*) Al et As *quae* (As: quia) *opera, si pensentur, quia a solo Deo et non ab aliquo alio, sicut est inc.* — (*b*) As et Edd. om. *quae;* Al *quae deus de eius.* — (*c*) Edd. *de miraculis dicens: Nascente eo exercitus.*

[1] Hierosolymit. Cf. *Homil. in Paralyt.* (P. G. 33. 1150). — [2] Cf. supra Fruct. II. part. 1.: *Analecta Franciscana* (AF) IV, 68 nota. — (P. L. 90, 1182 sq.); Alexandre, *Oracula Sibyllina,* II (Paris 1855), 66 sqq. 290 sqq. 302 sqq. Sackur, *Sibyllinische Texte und Forschungen,* (Halle 1898), 177 sqq.

angelorum a dextris, et a sinistris erunt, dicentes: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis,* veniet namque super eum vox dicens: *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite;* et sequitur. Erant ibi ex sacerdotibus Hebraeorum, qui audientes haec verba, indignati dixerunt ad eam: Ista terribilia verba sunt, sileat, haec regina! Respondens Sibylla dixit eis: O Iudaei, necesse est ista fieri, sed vos non creditis in eum. Dixeruntque: Nos non credimus, quia verbum et testamentum dedit Deus patribus nostris, et non auferet misericordiam suam a nobis [1]. Respondit eis iterum: Deus coeli generaturus est sibi filium, ut scriptum est; qui similis erit patri suo, et postea ut infans per aetates crescet, et insurgent reges in eum et principes terrae. In diebus illis erit Caesari Augusto celebre nomen, et regnabit in Roma, et subiiciet omnem terram sibi. Non multi, vel pauci, non tres, neque duo sunt Dii, sed unus Deus solus et immensus, qui fecit coelum, solem, stellas, et lunam, frugiferamque terram, et undam sive mare; qui autem illum honorant, vitam aeternam hereditabunt, perpetuumque ipsi hereditabunt paradisum, amoenissimum hortum, mortuorum vero resurrectio erit, et claudorum cursus velocissimus erit; surdi audient et caeci videbunt, loquentur non loquentes; et de panibus quinque et duobus piscibus marinis multa millia hominum saturabuntur, et colligent reliquias fragmentorum, et duodecim cophinos inde replebunt; in spem populorum veritatem docebit, ventos compescet verbo, mareque furens sedabit, pedibus mare calcans, ambulansque super undas, infirmitatem hominibus solvet, surgere faciet et mortuos, repellens multos dolores, et de pane uno solo et vino saturatio erit vivorum. Sed cum haec omnia fuerint perfecta, quae dixi, in ipso resolvetur omnis faex, et in manus impiorum postea veniet. Post haec convenient sacerdotes Hebraeorum contra Iesum; quia signa multa faciet, et comprehendent eum, dabunt autem Deo alapas infectis manibus, et impuro ore in ipsum spuent venenatos sputos. Dabit vero ad verbera simpliciter sanctum dorsum, et colaphos accipiens tacebit; ne quis agnoscat quod verbum, vel unde venit. Infimis loquetur et corona spinea coronabitur. Ad cibum autem fel, ad sitim ei acetum dabunt, et suspendent eum in ligno et occident. Ipsa enim, insipiens, tuum Deum non intellixisti ludentem mortalium sensibus, sed spinis coronasti, et horridum fel miscuisti. Templi vero velum scindetur medium, et media die nox erit tenebrosa in tribus horis, (vel secundum aliam litteram, dies erit tenebrosus per tres horas), et sortem mortis sumet tribus diebus, somno suscepto. Et tunc ab inferis regressus, ad lucem veniet. Primus resurrectionis principium mortalibus ostendet; quia die tertia resurget et ostendet se discipulis suis. Et ipsis videntibus, ascendet in coelum; et regni eius non erit finis. Dicent me insanam et mendacem Sibyllam, cum autem facta fuerint, tunc demum reminiscentur mei, et nullus postea me dicet insanam, sed Dei magam ». Haec Sibylla. De huius prophetiae versibus Sibyllae mentionem facit beatus Augustinus, quae de futuro et finali iudicio et de gloria beatorum prophetavit et de poenis damnatorum, et hoc in libro XIX [2] *De civitate Dei.* Praefatis ergo apparet dictis huius Sibillae, quod signa per Iesum erant fienda in testimonium suae deitatis.

Quinto hoc apparet, si attendatur, quod Christi nomine miracula facta sunt et fiunt, ut patet Luc. 10, 17, et in Actibus Apostolorum per totum. Quo sequitur, quod si fiunt Christi miracula, facta sunt et fiunt Christi nomine, et non possunt fieri nisi a Deo, sequitur, quod ipsa attestantur Christi divinitatem.

Sexto ostendit haec, vita ipsius Salvatoris, quae fuit sanctissima, utpote *sanctus sanctorum,* ut dicit Daniel [3], et super quem *requievit spiritus sapientiae, intellectus, consilii, fortitudinis, scientiae, pietatis et spiritus timoris Domini* per Isa. 11, 2. Idipsum Saraceni omnes asserunt Christum sanctissimum fuisse; quare et vera eius miracula, nec virtute diaboli, qui non potest, sed virtute Dei, qui est omnipotens, facta sunt. Sic ergo patet breviter ad quartum.

---

[1] Cf. Gen. 24, 27. — [2] Potius libr. XVIII. c. 23. (P. L. 41, 579). — [3] Dan. 9, 24.

2. Quibus praemissis et visis, ut necessariis, ad sequentia declaranda procedendum est. Videndum nunc consequenter, quae et qualia fuerunt Domini Iesu miracula, quia prima pars huius conformitatis dicit, quod Christus fuit *signis mirificus;* et succincte miracula recitando:

Miraculum stupendum et primum est Iesu incarnatio, de qua praedixerat Ierem. 31, 22: *Novum faciet Dominus super terram, femina circumdabit virum,* et Isa. c. ult. 8: *Quis audivit unquam tale, aut quis vidit huic simile* etc. Et quam fuerit hoc novum et insolitum mirum ac stupendum, quia conformitate III primi libri parte I eiusdem conformitatis dictum est multum [1], ad praesens aliter non discutio. Hoc tamen fuit stupendum, quia nunquam prius factum; insuper a solo Deo factum. Et quod homo sit Deus factus, hoc omnia mira transcendit. Secundum est. B. Mariae foecundatio, quia sine virili semine gravidata, et a corruptione omni praeservata. Quod signum praedixerat Isa. 7, 14: *Dabit vobis ipse Dominus signum; ecce virgo concipiet* etc. Tertium est Iesu a Virgine sine virginitatis detrimento egressio, ortus et nativitas; hoc est signum et prodigium simul in coelo sursum, idest Dei Filio, et in terra deorsum, ut praedixerat Ioel. 2, 30, scilicet in Virgine Maria, quae *terra dedit fructum suum,* scilicet Iesum benedictum filium sine corruptione sui generando. Quartum est Ioannis Baptistae in utero matris existentis visitati a Christo, in Mariae ventre manente, exsultatio, de quo etiam dictum est conformitate III [2]. Nunquam hoc fuit visum, ut puer nondum natus mundo, etsi in utero, gaudio perfusus exultaret, nec mirum: agnoscendo suum Dominum incarnatum. Quintum miraculum est Ioseph ab Angelo de Mariae integritate certificatio: non humano, sed divino oraculo certificatus (*a*) declaratus. Inter mira debet divina poni, quia nec prius auditum, quod tale testimonium de matre et filio exhiberetur a Deo per Angelum. Sextum luminis et divinae lucis in Christi ortu diffusio, iuxta vaticinium Isaiae cap. 11, 1 sqq.: *Claritas* enim *Dei circumfulsit pastores,* et alios, Luc. 3, 9. Septimum Angeli ad pastores sic mira allocutio dicentis, Luc. 2, 10: *Nolite timere, ecce annuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo* etc. Octavum est angelorum visibiliter apparentium Christo nato, Dei glorificatio et collaudatio, dicentium Luc. 2, 14: *Gloria in altissimis* (*b*) *Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis;* quae laus Deo reddita in nullius ortu legitur nisi Domini Iesu. Nonum miraculum est stellae Magis apparitio, quod miraculum solius Dei est; quia stella a Deo creata, et mirabilia peregit, ut dictum est conformitate III. primi libri parte I [3].

Decimum miraculum est Magorum adoratio, qui cum essent pagani et gentiles, ipsum ut Deum verum prae omnibus aliis adorarunt. Undecimum Simeonis et viduae Annae declamatio et testificatio de ipso Iesu, Deum et mundi redemptorem ipsum proclamantes. Duodecimum est ipsius Iesu, dum duodecim esset annorum, a matre et Ioseph in templo in medio doctorum repertio, quod mira pandit de divinitate Iesu, aetate et sapientia pensatis cum aliis. Tertium decimum est multorum mirorum a Christo in sua pueritia factorum; quae etsi in sacro Evangelio non ponantur, ponuntur in libro tamen *De Infantia Salvatoris* [4]; quae (*c*) etsi in aliquo apocrypha ponuntur, astruunt tamen Iesum verum hominem et Deum esse discurrenti. (*d*) Quartum decimum est miraculum super Christum baptizatum, Matth. 3, 16 sq. coeli apertio, Spiritus Sancti in specie columbae super Christum descensio, et vocis paternae insonatio dicentis eum Filium suum, in quo bene complacuit; quo nihil clarius ad comprobandum deitatem Domini Iesu. Quintum decimum est per dies 40 sine ullo cibo et potu in deserto permansio, Matth. 4, 2; hoc miraculum fuit magnum. Et si dicatur: Moyses fuit in monte cum Domino 40 diebus et 40 noctibus, Exod.

(*a*) Edd. om. *certificatus declaratus.* As om. *declaratus.* — (*b*) As *excelsis.* — (*c*) Edd. om. *etsi in aliq. apocrypha* (Al om. *apocr.*) *ponuntur.* — (*d*) As et Edd. *discutienti.*

[1] A F IV, 82 seqq. — [2] L. c. 90 seq. — [3] L. c. 92. — [4] Cf. Evangelium apocryphum: *De...... Infantia Salvatoris,* ap. Tischendorff, *Evangelia apocrypha,* (Lipsiae 1876), 113 sqq.

24, 28, Elias ambulavit in fortitudine cibi sibi dati ab angelo 40 diebus. Quod horum fuit maius miraculum? Respondetur, quod Christi. Ratio, quia Moyses semper fuit quodammodo in gloria, et sic supra vires elevatus humanas, ut patet Exod. 24, 1 sqq. Elias vero virtute cibi praeassumpti tanto tempore stetit. Christus vero gloriam prae solito in hoc ieiunio in portionem inferiorem non refudit et suae gloriae dulcedinem. Nec accepisse cibum ante deserti ingressum legitur. Insuper de comedendo nec Moyses, nec Elias fuit tentatus, sed Christus, quare hoc maius miraculum fuit quam illud. Sextum decimum est Apostolorum ad sui discipulatum assumptio (*a*) et vocatio, qui verbo a Christo prolato statim omnia reliquerunt, et aliqui non solum bona fortunae, sed etiam naturae, sicut Ioannes, et Iacobus patrem et matrem; hoc extitit miraculum singulare, et divinum, et Dei solius virtute, qui cor mutat ut libet. Decimum septimum miraculum est aquae in vinum mutatio, Ioan. 2, 3 sqq. de quo dicit ipse Ioannes, quod fuit primum signum factum a Domino, quo *manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli eius.* Nam subita creaturae mutatio arguit Dei potentiam, prout dicit Ambrosius. Decimum octavum miraculum est a templo bis vendentium et ementium et aliorum eiectio, Ioan. 2, 14 sqq. et Matth. 21, 12. Hoc miraculum B. Hieronymus inter magna computat miracula Salvatoris, ut enim dicit super Matthaeum [1]: « Inter omnia signa, quae fecit Christus, hoc videtur mirabilius, quod unus homo, scribis et Phariseis contra se saevientibus et videntibus lucra sua destrui, potuit ad unius flagelli verbera tantam eiicere multitudinem, mensasque subvertere et cathedras confringere et alia facere, quae infinitus non fecisset exercitus. Igneum enim quoddam atque sidereum radiabat ex oculis eius et deitatis maiestas relucebat in facie »; hoc Hieronymus. Decimum nonum miraculum est de manibus civium suorum eum praecipitare volentium evasio, Luc. 4, 29 sq. Quo ostendit se de subiecta creatura posse facere quodlibet; et cogitationes malorum contra Deum nihil valere, et Deum esse insuperabilis virtutis, sapientiae et potestatis.

Vigesimum miraculum est leprosi, et aliorum leprosorum verbo et tactu mundatio, Matth. 8, 2 sq. Marc. 1, 40 sqq. et Luc. 5, 12 sqq. de aliis leprosis curatis, Luc. 17, 12 sqq. leprosos Iesus tetigit, quos imperio curavit dicens: *Volo mundare,* non ut indigeret tactu talium in curando, sed ut tales tangere et eis servire non dedignaremur. Vigesimum primum est servi centurionis absentis curatio, Matth. 8, 5 sqq. et Luc. 7, 1 sqq. ubi tam ex verbis centurionis, quam ex virtute Christi ostensa, a Deo esse hoc miraculum indicavit. Vigesimum secundum miraculum est socrus Petri subita a febribus, quas maximas patiebatur, elevatio et liberatio, Matth. 8, 14 sq. Marc. 30 sq. et Lucae 4, sq. imperando febri, liberata est. Vigesimum tertium a daemonibus obsessorum ereptio et salvatio, Matth. 8, 16 Marc. 1, 32 sqq. Luc. 7, 40 sq. et de aliis daemoniacis pluribus in aliis locis Evangelii habetur; et quot fuerint daemones patuit in porcis subintratis, quos exeundo ab hominibus intrantes, necaverunt. Et quod Dei solius virtute hoc perageretur, Christus ipse disputans contra Iudaeos, Matth. 12, 24 sqq. et Luc. 11, 12 sqq. ostendit. Vigesimum quartum miraculum est, paralytici erectio solo verbo, Matth. 9, 2 sqq. Marc. 2, 5 sqq. et Luc. 5, 20 sqq. cui ut Deus primo peccata, secundo curationem indulsit et sanationem. Vigesimum quintum miraculum est, hydropici sanatio, Luc. 14, 4 quem apprehensum sanavit et dimisit. Vigesimum sextum miraculum est filiae principis suscitatio Matth. 9, 18 sqq. Marc. 5, 22 sqq. et Luc. 8, 41 sqq. cuius tenendo manum et dicendo, ut surgeret a mortuis, surrexit. Vigesimum septimum est haemorrhoissae a sanguinis fluxu Christi fimbriam tangendo vestimenti salvatio, Matth. 9, 20 sqq. Marc., 5, 25 sqq. et Lucae 8, 43 sqq. Vigesimum octavum est filii viduae a mortuis revocatio; cui imperando, ut surgeret, Luc. 7, 12 sqq. statim a mortuis resurrexit. Vigesimum nonum est potestatis operandi miracula Apostolis et discipulis

---

(*a*) Al om. *assumptio et.*

[1] *Comment. in Ev. Matth.* III, c. 21. (P. L. 26, 152).

traditio et collatio, Matth. 10, 1 et Luc. 9, 1, ubi astruit potestatem divinam in concedendo aliis, ut mira valerent exercere.

Trigesimum miraculum est filii reguli febre incipientis mori, Iesu absente, solo verbo sanatio, Ioann. 4, 47 sqq. Trigesimum primum miraculum est discipulorum, ne a maris agitatione submergerentur, pluries liberatio, Matth. 8, 24 sqq. Marc. 37, 4 sqq. Luc. 8, 23 sqq. Trigesimum secundum miraculum est Christi super aquas deambulantis libera incessio, Matth. 14, 25 sqq. et Marc. 48 sqq. Trigesimum tertium est miraculum Petri, Christi iussu super aquas deambulantis, et demum titubantis in periculo submersionis positi a Christo sublevatio, Matth. 14, 28 sqq. Trigesimum quartum miraculum est caeci a nativitate ad lumen deductio, et plurium aliorum, ut habetur de primo Ioan. 9, 1 sqq. et de aliis habetur Matth. 9, 28 sqq. 12, 22 et Luc. 18, 35 sqq. Trigesimum quintum miraculum est hominis muti et daemoniaci curatio, Matth. 9, 32 et de alio Matth. 12, 22. Trigesimum sextum miraculum est hominis habentis manum aridam ad Iesu praeceptum extensio et operatio, Matth. 12, 10 sqq. Marc. 3, 1 sqq. Luc. 6, 6 sqq. Trigesimum septimum miraculum est bina vice de paucis panibus saturatio multorum millium hominum, Matth. 14, 16 sqq. 15, 32 sqq. Marc. 6, 35 sqq. Luc. 9, 12 sqq. et Ioan. 6, 5 sqq. Trigesimum octavum miraculum est filiae Chananaeae a daemonio absens oppressae liberatio, Matth. 15, 22 sqq. Marc. 7, 25 sqq. Trigesimum nonum miraculum est surdi et muti a Domino subita curatio, Marc. 7, 32 sqq.

Quadragesimum miraculum est lunatici a daemonio oppressi ad statum sanitatis reductio, Matth. 18, 14 sqq. Marc. 9, 16 sqq. et Luc. 9, 38 sqq. Quadragesimum primum miraculum est mulieris curvatae erectio, Luc. 13, 11 sqq. Quadragesimum secundum miraculum est Iesu in monte coram tribus discipulis transfiguratio, Matth. 17, 1 sqq. Marc. 9, 1 sqq. et Luc 9, 28 sqq. Quadragesimum tertium miraculum est hominis in (*a*) grabato per 38 annos manentis subita sanitatis concessio, Ioan. 5, 5 sqq. Quadragesimum quartum miraculum est mulieris in adulterio deprehensae dimissio, Ioan. 8, 3 sqq. ubi magnum ostendit miraculum, dum scribendo in terra, omnes accusantes eam, abscesserunt. Quadragesimum quintum miraculum est stateris in piscis ore repertio, Matth. 17, 26. Quadragesimum sextum miraculum est turbae civitatis Ierusalem obviam Domino Iesu accessio (*b*), Matth. 21, 8; sic enim commovere corda hominum et voluntates divinae virtutis solius est signum. Quadragesimum septimum miraculum est puerorum in templo hosanna exclamatio Matth. 21, 9. Quadragesimum octavum miraculum est Lazari quatriduani et foetentis iam mortui ad vitam revocatio Ioann. 11, 1 sqq. Quadragesimum nonum miraculum est ficulneae a Christo maledictae desicatio, Matth. 21, 19 sqq.

Quinquagesimum miraculum est Magdalenae, Zachaei, et aliorum ad statum perfectionis deductio, quorum mutatio solius est dexterae Excelsi, de quibus habetur Luc. 7, 37 sqq. et 19, 2 sqq. Quinquagesimum primum est sacramenti Eucharistiae institutio; hoc inter maxima Christi miracula est praecipuum, attentis conversione et aliis, quae fiunt in hoc altissimo sacramento. Quinquagesimum secundum miraculum est in sua captione Iudaeorum ad terram deiectio et prostratio, Ioan. 18, 6. Quinquagesimum tertium miraculum est auriculae a Petro abscisae reintegratio Ioan. 18, 10 [1]. Quinquagesimum quartum miraculum est solis in media die quasi obscuratio, Matth. 27, 45. Quinquagesimum quintum miraculum est latronis Christo convitiantis ad ipsum conversio, Luc. 23, 49 sqq. Quinquagesimum sextum miraculum est terrae motio, lapidum scissio, veli divisio, et sepulchrorum apertio, Matth. 27, 51 sq. (*c*). Quinquagesimum septimum miraculum est mortuorum resurrectio, Matth. 27, 52. Quinquagesimum octavum est a corpore Christi mortuo sanguinis et aquae emanatio, dum latus eius esset lancea a milite perforatum, ut habetur Ioan. 19, 34. Quinquagesimum nonum

(*a*) Al et As om. *in*. — (*b*) Al *incedentis*. — (*c*) As transposuit 55 mirac. et 56.

[1] Potius Luc. 22, 51.

miraculum est Christi a sepulchro clauso egressio et ipsius Domini Iesu a mortuis resurrectio, Matth. 28, 1 sqq. ac Angelorum apparitio ibidem.

Sexagesimum miraculum est Christi ad discipulos, ianuis clausis, ingressio, Ioan. 20, 19. Sexagesimum primum est ipsius Iesu in coelum ascensio, Luc. ult. 51 et Act. 1, 9 et Marc. 16, 19. Ultimum in sacro eloquio miraculum est Spiritus sancti super Apostolos descensio, et linguarum omnium per Apostolos locutio, Act. 2, 4.

3. Multa alia miracula fecisse Dominum Iesum circa multos ostendit Matth. cap. 8, 9, 11, 12, 15 et Luc. 4, 5 et 7. Uno iussu suo infinitos mortuos resuscitasse sancta Caecilia in sua asserit *Legenda;* vide in *Passionario Sanctorum* [1]. Et ait Evangelista Ioannes in fine sui Evangelii [2]: *Sunt et alia multa quae fecit Iesus,* non dicit: dixit, sed *fecit, quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere eos, qui scribendi sunt libros,* quibus beati Ioannis verbis patet Dominum Iesum innumera effecisse miracula. Sed tam pauca sunt posita ab Evangelistis magno mysterio et magna de causa, prout, ipso Christo duce, in opere *De factis et verbis* ipsius pandam [3]; quibus apparet miraculis quod Christus est veraciter Deus, ut praefatis astruitur. Et quia, ut dicit B. Gregorius [4], miracula Domini Salvatoris sic accipienda sunt, ut in veritate credantur esse facta, et per mysterium et significationem nobis alia innuant, quid Dominus praefatis miraculis daret intelligi, esset videndum; sed quia hoc esset nimis prolixum hic talia ponere, ad praesens dimitto; quia in praefato opere *De factis et verbis Christi* dicetur, ipso auxiliante. Praefatis ergo patet Dominum nostrum Iesum Christum, non solum clarum fuisse mundo et divulgatum verbo et vita, sed etiam signis et prodigiis, prout dicit prima pars huius conformitatis, videlicet: *Iesus signis mirificus,* et clarificus.

Et quia ipse Salvator dixerat, Ioan. 14, 12, quod credentes in eum opera, quae ipse egit, et ipsi facerent ac maiora: hinc est, quod non solum ipse miracula operatur continue per se, cum omnia gubernentur, regantur et producantur eius influxu et virtute, sed etiam per sanctos agit miracula, quorum precibus inclinatur et stupenda assidue peragit. Hoc luculenter patet in sanctis, qui non solum in vita, sed post decessum, non solum ubi iacent, sed ubicunque invocentur debite, Deus inflexus eorum dignis petitionibus, mira effecit in hoc mundo degentibus. Nonne invocatione sanctorum, sicut (*a*) ad eorum tumulos caeci illuminantur? leprosi mundantur? daemoniaci liberantur? diversis infirmitatibus detenti curantur? Nullum denique genus morbi reperitur, quod eorum orationibus non propellatur a Deo. Et quod maius est, ad vitam mortui revocantur. Quod (*b*) fit, ut manifestetur (*c*), quam fuerint et sint Deo cari, et accepti et quanta eorum sit gloria apud Deum ostendatur, ac ad Dei gloriam redundet ut primi opificis et solius, qui talia operatur, etsi sanctorum interventu. Et cum haec miracula omni tempore et loco praesertim inter Christianos fiant a Christo, etsi sanctorum intercessionibus, maximum argumentum nostrae fidei praestatur a Deo, ut de ipsa et in ea contentis a nullo possit recte dubitari, secureque Domino dicere valeamus: Domine si error est, a te decepti sumus. Nam ista tantis signis et miraculis et prodigiis confirmata sunt et talibus quae non nisi per te et a te fieri possunt, ut dicit Richardus I *De Trinitate* [5]. Dicamus ergo Domino et Salvatori nostro cum Psalmista, Psal. 85, 10: *Magnus es tu et faciens mirabilia, tu es Deus solus, qui es benedictus in saecula.* Amen. Sic ergo patet succincte prima pars declarata, videlicet: **Iesus signis mirificus** ex iam dictis.

(*a*) As Edd. *seu.* — (*b*) Edd. *quo.* — (*c*) As Edd. om. *manifestetur.*

[1] I. e. Legend. SS. Mart. Cf. Leg. S. Caeciliae ap. Surium, *Historiae seu Vitae Sanctorum,* sub 22 nov.; t. XI, (Taurini 1879), § 11, pag. 644. — [2] Ioan. 21, 26. — [3] Cf. Fruct. XII. part. I. A F IV, 577; ibid. pag. XIII. — [4] *Homil. 2. in Ev. n. 1.* (P. L. 76, 1082). — [5] Cap. II. (P. L. 196, 891).

Secunda pars primi fructus et conformitatis secundi libri, et tertiae decimae in ordine, videlicet:

Franciscus divulgatur.

Expositio.

Magister summus et verax omnium, Salvator noster, Dominus Iesus Christus, sicut ad approbationem suae fidei et doctrinae virtutem Apostolis et aliis contulit signa et prodigia faciendi, ut quod docerent, signis monstrarent, ut habetur Matth. 10, 1, 8 sqq.; Luc. 9, 1 sq.; Marc. 3, 15 et ult. 17 sq., et hoc ipsum dicunt Augustinus [1] et doctor Isidorus [2]: sic ad authenticationem sanctorum ab ipso directorum concessit signa facere, ut patet de Moyse directo in Aegyptum a Deo cum signis, Exod. 4, 1 sqq. de propheta contra Ieroboam misso a Deo, III. Reg. 13, 3 sqq.; de Elia idipsum (*a*) patet: Eccli. 48, 1 sqq, et in III et IV Regum; et sic de aliis. Idipsum patet de Apostolis, Actus, per totum, et de aliis sanctis, ut de beato Laurentio, Abbate Antonio, Hilarione, Benedicto, et sic de aliis. Quibus, ut fides certa daretur, coruscare miraculis clementer impartiri dignatus est. Qua in re, cum ex secunda conformitate primi libri parte secunda [3] clareat beatum Franciscum destinatum a Domino specialiter fuisse ad poenitentiam praedicandam, passionis Christi memoriam fidelium mentibus implantandam ac vitam Christi oblitteratam renovandam: hinc est, quod ipse Deus et Salvator reddere volens beatum Franciscum celebrem, sibique in hoc etiam conformem, beato Francisco gratiam tribuit miracula faciendi se voluntati beati Francisci inclinando et eius precibus; ut quod fideliter optaret, ipse actor omnium, Deus, benigne illico exerceret, ut vita non solum beati Francisci doctrinam authenticam redderet, sed et signa ipsa a Deo eius facta supplicatione, veram et sanctam depromerent et clamarent. Decebat enim Dominum Deum invocatione et meritis inclinari ad operandum miracula ac beati Francisci precibus: si pensetur, quod ipsum dirigebat ad revocandum (*b*) mundum, ac mundani plus signis credunt quam verbis; ut patuit in Iudaeis, de quibus dicit Apostolus, I. Cor. 1, 22, quod ipsi *signa petunt*. Per Franciscum poenitentia erat praedicanda. Exigebatur ergo, quod forti motivo homines, poenitentiae fructum parvipendentes, ad agendum poenitentiam impellerentur; quare et signis: sicut habetur Act. 2, 38. Crucis memoria prae solito inferenda cordibus Christianorum deposcebat per beatum Franciscum, praedicatorem crucis, signo crucis mira fieri, ut sic ad crucis amplexum fideles traherentur, visa crucis efficacia, ac beatum Franciscum, cum non ad minora patranda prae aliis mitteretur, immo quasi ad maiora, ne inferior aliis directis diceretur, venustari decebat (*c*) claritate signorum. Verum praedicationem Apostolorum credulam reddidit mundo operatio signorum, Marc. ult. 20, quare et beati Francisci talium patratio acceptabilem facere habebat. Insuper Christus beatum Franciscum in aliis et demum in fine conformem sibi reddere placuit, quare et in exhibendis suis precibus signis, similem eum sibi statuit et christiformem. Et quod eum clarum reddere talibus signis et miraculis mundo Christo placuerit, patere potest, si pensetur, quomodo fuerit benignus Dominus beato Francisco.

(*a*) Al om. *idipsum — aliis.* — (*b*) As et Edd. *renovandum.* — (*c*) As *dicebat.*

[1] *De Civ. Dei,* l. XII, c. 5. (P. L. 41, 856). — [2] *Sentent.* l. I. c. 14 (P. L. 83, 791). — [3] A F IV, 59 seqq.

1. Primo spiritus angelicos misit ipsi beato Francisco obsequendo, ut enim dicit *Legenda maior* parte V [1]: Quodam tempore, cum beatus Franciscus corporis aggravatus infirmitatibus pro spiritus recreatione aliquam harmoniam (*a*) optaret audire, nocte quadam, ipso vigilante ac de Deo meditante, repente Angelus Domini astitit citharam pulsans, armoniam mirabilem (*b*) faciens, atque suavissimam melodiam; quem vir sanctus, etsi visu non deprehenderet, ex motu ipsius citharoedi agnovit. Tantaque fuit illo dulcisono carmine suavitate repletus, ut aliud putaret se saeculum commutasse. Sibique ac sociis post primae regulae approbationem Angelus Domini cibaria ministravit, dum in loco essent deserto, et hora esset refectionis, ut dicit IV pars *Legendae* [2]. — Sic etiam, cum impeditus in accessu ad Soldanum de Sclavonia ad Italiam rediret, in ingressu navis Angelus Domini apparuit, et pro ipso et socio cibaria cuidam dedit, quae non pro ipsis solum, sed et pro omnibus in navi existentibus sufficientia fuerunt, divina gratia cooperante ut dicit IX pars *Legendae* [3]. — De sancto Iacobo, cum beatus Franciscus rediret, essetque infirmus ac cuperet quamdam comedere aviculam et hoc fratri Bernardo, socio, dixisset, statim Angelus Domini in specie equitis cuiusdam affuit, sibique unam aviculam portavit bene paratam dicens: « Accipe, serve Dei, quod tibi mittit Dominus »; de qua cum comedisset, recepit vires, infirmitate fugata [4].

Secundo malignos spiritus ipsi beato Francisco subiiciendo. Beatus enim Franciscus diabolum cum ipso confligendo manu ad manum superavit, ut dicit X pars *Legendae* [5]. In eremo de Sartiano diaboli tentationem eidem immissam, carnis tormento reiecit, ut dicit V pars *Legendae* [6]. A civitate Aretii daemones, cives ad mutuam caedem incitantes expulit, ut dicit VI pars *Legendae* [7]. Et quia de prostratione diaboli a beato Francisco et subiectione dictum est fructu et conformitate VII in secunda parte primi libri [8], ideo de hoc nihil aliud ad praesens. — Qualiter vero ab hominibus pepulerit statim dicetur. Unum sufficiat hoc dicere, scilicet: quod diabolus ipse beati Francisci praesentiam ad tres dietas ferre non poterat; sed continuo abscedebat, dum per tantum spatium sibi appropinquasse beatum Franciscum agnosceret, sicut ipse diabolus retulit, de quo dicetur in hoc libro II° conformitate XXI in ordine, parte II [9].

Tertio Christus beato Francisco concessit mira agere in elementis. Et primo in elemento ignis. Invitatus a muliere prava, clausa et absconse posita in camera in palatio Imperatoris Frederici, de actu nefario, beatus Franciscus dum super prunas ardentes se totum (*c*) posuisset, dixit mulieri, quod in tali lecto esset secum; ab igne tandem surgens in nullo fuit laesus aut adustus [10]. — Idipsum, cum beatus Franciscus invitatus a muliere saracena, quando perrexit ad Soldanum, fecisset, se nudum super prunas ardentes iacendo, in nullo se laesit. Mulier ipsa hoc videns, ad Dominum est conversa [11]. Ferro ignito signo crucis edito a beato Francisco ac eidem mandante, ut sibi nullatenus noceret, nec ignis ardorem, nec molestiam sensit, ut dicit pars V *Legendae* [12]. — Cuiusdam fratris, etsi culpam commisisset, tamen poenitentis

(*a*) Al *mirabilem, faciens remedium sibi.* — (*b*) Al add. *laetam.* — (*c*) Edd. *nudum.*

[1] S. Bonav. *Leg. Mai.* c. 5. n. 11. — [2] Cap. 4. n. 1. — [3] Cap. 9. n. 5. cf. A F IV, 480; III, 9, 38. — [4] Thomas de Cel. *Tract. de Mirac.* c. 5. n. 34. cf. *Leg. Mai.* 9, n. 5. — [5] Cap. 10, n. 3. — [6] L. c. n. 4. — [7] L. c. n. 9. — [8] A F IV, 156-64. — [9] Cf. ibi. et AF III, 27-9. — [10] Fruct. X. pars II; A F IV, 477-8; MS. Coll. S. Ant. fol. 68v. — [11] Fruct. X p. II. A F IV, 482; *Actus b. Francisci* c. 27, 9-15. — [12] N. 9; cf. II Cel. II, c. 125, (al. III, 102) n. 166.

caputium abstractum a reliqua parte habitus, ad terrorem aliorum fratrum mandavit iactari in ignem; cum ibidem per spatium fuisset, in nullo est ab igne laesum aut tactum, ut dicit VI pars *Legendae*[1]. — In comitatu Fulginei quidam solitus beatum Franciscum recipere, rogavit eum, ut domum benedicendo cruce signaret; quod et fecit beatus Franciscus. Quae temporis in processu ab hostibus igne vallata, nunquam potuit comburi; sed sola vetustate consumpta est[2]. — Secundo in elemento aeris. Aer obscurus, ipso ambulante per paludes Venetiarum cum socio et aliis, factus est clarus eius verbo, ut dictum est supra in primo libro[3] et V pars dicit *Legendae*[4]. Montis Alvernae confinia a nube obscura et grandinis tempestate post receptionem stigmatum liberavit, ut dicit XIII pars *Legendae*[5]. Sic indigenas Castri de Graecio (*a*) poenitentiam agentes eius suasu, a peste luporum et grandinis tempestate liberavit[6]. In loco de Arone (*b*) cum esset siccitas et sterilitas maxima, facta praedicatione, cum beatus Franciscus dixisset populo, quod quilibet manibus elevatis diceret unum *pater noster* et unam *ave maria*, statim aer dedit pluviam consolabilem et terra tantam copiam illo anno frugum, ut dicerent omnes nunquam tam copiosam messem se vidisse[7]. — Tertio in elemento aquae. In loco de Trabe Bonantis in Marchia fontem aquae mutavit in vinum[8]. In Eremitorio (*c*) sancti Urbani signo crucis aquam convertit in vinum optimum[9]. Interampne (*d*) acetum in vinum commutavit praecipuum; de his dicetur infra conformitate XXII. Aquam de petra bibendam oratione cuidam, cuius vehebatur asello in montibus produxit Alvernae, ut dicit VII pars *Legendae*[10]. Aqua maris immobilis stetit sub navi Gaietae, quamdiu orare placuit et populo praedicare[11]. — Quarto in elemento terrae. Domum enim cuiusdam medici noviter factam et a summo usque deorsum scissam in civitate Reatina, de sero, ab ipso medico ex beati Francisci capillis positis infra scissuram, de mane reintegravit, ut nullum signum scissurae in ea penitus videretur, ut dicit VII pars *Legendae*[12].

Quarto Christus benedictus mira beatum Franciscum agere voluit in arboribus. Nam Senis, in loco antiquo, beatus Franciscus baculum suum in terra de sero infigendo, de mane invenit vegetasse et in arborem pulcherrimam excrevisse; quae usque hodie semper virens, et cum foliis perseverat[13]. Reate, dum accessisset ob medelam oculorum, et propter multitudinem populi, quae ad ipsum appropinquantem ad civitatem accedebat, citra per duo miliaria in quadam ecclesia remansit, ubi cum staret, et populus ad ipsum accedens, declinando ad vineam sacerdotis, ipsam quasi totam dissipasset, et hac de causa sacerdos doleret se beatum Franciscum in sua ecclesia recepisse; beatus Franciscus hoc spiritu cernens, sacerdotem praefatum interrogabat dicens: « Quot salmas vini redderet vinea, quando melius fructificaret »? Respondit: « Duodecim ». Tunc dixit ei beatus Franciscus: « Rogo te, pater, ut patienter sustineas me in hac tua ecclesia commorari propter quietem, quam reperio, et per-

(*a*) Al *Gerchio*. — (*b*) As *Areno*, Edd. *Axone*, Ed. IIa add. *alias Aixno*. — (*c*) Horum 4 miraculorum ordinem invertit Al. ponens in fine illa S. Urbani et Interamnis facta. — (*d*) Edd. *Interamnis*.

[1] N. 11. — [2] Cf. *Miscellanea Francescana* II, (Foligno 1887), 43; VI, 1895, 7. — [3] Fruct. I p. II, et fruct. X p. II. AF IV, 38, 479 s. — [4] *Mai.* c. 5, n. 12. — [5] L. c. 13 n. 7. — [6] *Leg. Mai.* c. 8. n. 11. AF IV 512. — [7] Cf. p. 14 l. 12-15. — [8] Fruct. XI. p. II. AF IV 512. — [9] *Leg. Mai.* c. 5 n. 10; cf. Fruct. XXII, p. II. — [10] N. 12. — [11] *Leg. Mai.* c. 12 n. 6. AF IV, 477. — [12] N. 11. — [13] Fruct. XI p. II, AF IV, 518. Wadding, *Annales Ord. Min.* ad an. 1216 n. 29; I, 256 s. edit. II.

mitte omnibus recipere de uvis quantum volunt. Et ego ex parte Domini nostri Iesu Christi tibi promitto, quod viginti salmas recolliges (*a*) isto anno de vino». Et sic factum est: nam paucos botrulos sacerdos recolligens et ponens in torculari, tantum divina gratia excreverunt meritis beati Francisci, ut iuxta promissum viginti salmas vini optimi recolligeret [1].

Quinto concessit Christus beato Francisco facere mira in animalibus. Et primo in minimis, videlicet in formicis. In castro enim Citernae (*b*) dum vellet praedicare, et cuidam quercui vellet haerere, vidit ipsam plenam formicis; statim mandavit, ut omnes abscederent, quod et factum est: ac populo adstanti mandavit, ut locum formicis recedentibus darent; quod factum est, nec aliqua deinceps ad dictam arborem aliquando est reversa [2]. — Secundo in ranis. Cum in quadam Ecclesia beatus Franciscus praedicaret, quae posita erat iuxta quandam aquam, ubi erat multitudo maxima ranarum, adeo clamore suo cracitantes, ut eius praedicationem audiri bono modo non sinerent, eis imperavit silentium, et statim tacuerunt; et tamdiu donec vice alia esset ad dictum locum reversus, ubi cum de silentio tamdiu ab eis servato didicisset, data licentia Deum laudandi eis, illico cantum suum pristinum reassumpserunt. — Tertio in natatilibus. In lacu Reatino sibi piscis magnus et vivus oblatus, ab ipso in aqua iuxta navim positus, ut recederet applaudendo sancto Francisco diu stetit, nec recessit nisi ab eo benedictione accepta et licentia [3]. — Quarto in brutis animalibus. Immitia animalia ad mansuetudinem deduxit. Lupum (*c*) ferocissimum apud Eugubium adeo ad mansuetudinem deduxit, ut lupus cum civibus et ovibus velut agnus conversaretur, ut dictum est libro I conformitate X parte II [4]. — Castrum de Graecio (*d*) a vexatione luporum clementer liberavit, ut dicit VIII pars *Legendae* [5]. — Oves a beato Francisco salutatae iuxta Senas, statim ad ipsum, relinquentes pascua, cucurrerunt una cum agnis ac ad ipsum levantes capita et lumina intendentes sibi magnum applausum fecerunt: de quo fratres et pastores simul sunt admirati [6]. — Apud sanctam Mariam de Portiuncula ovem oblatam sibi instruxit taliter, ut cum fratres in Ecclesia cantarent, et ipsa Ecclesiam ingrediens sine alicuius informatione flectebat genua, balatus vocem emittens ante altare Virginis; ac si eam salutare gestiret. Insuper cum corpus Domini in missa elevaretur flexis curvabatur poplitibus, ad venerandum Dominicum corpus omnes indevotos suo exemplo inducens [7]. — Agnus sibi oblatus in Urbe sic fuit ab ipso nutritus, quod datus dominae Iacobae de Septem Soliis, cum ipsa ad Ecclesiam eunte ibat, cum stante stabat, et cum redeunte redibat. Et si quando ipsa domina tempestive ad matutinum non surgeret; ipsam cornibus (*e*) et balatibus excitabat [8]. — Apud Graecium lepusculus sibi vivus praesentatus, pluries in terra dimissus (*f*), semper in sinum beati Francisci saltabat. Sed tandem patris iussu per fratres ad loca solitudinis deductus, abscessit [9]. — In insula laci Perusini quidam cuniculus viro Dei oblatus, cum caeteros fugeret, manibus eius in sinu domestica securitate se commisit [10]; haec omnia habentur in VIII parte *Legendae maioris*. — Apud castrum Trevii populo in platea congregato, dum beatus

(*a*) Al om. *isto anno — recolligeret.* — (*b*) As *Cisterne.* — (*c*) Al om. *lupum — deduxit.* — (*d*) Al *Gerchio,* et similiter infra. — (*e*) As Edd. *corniculis.* — (*f*) Edd. *cum pluries in terram dimisisset.*

[1] *Actus B. Francisci,* c. 21, n. 11. — [2] Fruct. X p. II. AF, IV, 476, 509. — [3] *Leg. Mai.* c. 8. n. 8; I Celan. c. XXI n. 61. — [4] AF IV, 474-6. *Actus* 23. — [5] N. 11. — [6] L. c. n. 7. — [7] L. c. n. 7. — [8] L. c. — [9] L. c. n. 8. — [10] L. c. n. 8.

Franciscus praedicaret, asinus quidam indomitus et lasciviens terruit populum per plateam discurrendo. Et cum non posset ab aliquo capi et teneri, beatus Franciscus coram omnibus sibi dixit: Frater Asine, sta in quiete, et dimitte me praedicare populo; statim asinus caput posuit inter crura, et in silentio magno stetit[1].

Quinto in volatilibus. Inter castrum de Canaria et Mevaneum avibus in multitudine divino nutu ibidem congregatis beatus Franciscus praedicando, Deus ostendit istud miraculum, ut quiete starent et immobiles, ac rostris apertis et luminibus in ipsum directis, se libenter eius verba audire declararent; ac benedictione percepta, in crucis modum se dividentes, versus quattuor orbis partes iere[2]. — In Castro Alviani (*a*) hirundinibus eius praedicationem garritu et cantu impedientibus, coram omnibus praecepit, ut tacerent usque ad praedicationem finitam: quod et fecerunt[3]. — In loco de Arrone dum beatus Franciscus populo, qui de civitatibus et castris convenerat et villis ad litanias faciendas pro siccitate et terrae sterilitate, praedicaret, tanta multitudo advenit hirundinum, quod in modum tentorii populum texit, tanquam nubis; et sic steterunt usquequo praedicatio finiretur[4]. — In paludibus Venetiarum avibus pluribus repertis, imperavit Deum laudare, quod et fecerunt. Sed cum suo cantu divinum, quod dicebat officium cum socio, perturbarent, imperato silentio, tacuerunt. Sed officio finito, et licentia a viro Dei rehabita, aviculae cantum suum reassumpserunt, ut dicit VIII pars *Legendae*[5]. — Ad montem Alvernae cum sociis pergenti multitudo avium diversarum obviam facta est cum hilaritate et cantu et ioco alarum ad ipsum concurrentes. Et aliquae ponebant se super caput eius, aliae super spatulas, aliae super genua, aliae super manus gaudium de ipsius ad montem praefatum accessu gestientes[6]. — In lacu Reatino avis fluvialis sibi data, et multotiens ab ipso dimissa, noluit recedere, nisi benedictione recepta (*b*)[7]. — Senis phasianus (*c*) sibi oblatus, sed pluries dimissus noluit recedere: immo a sancto datus cuidam nobili, noluit comedere, donec esset perlatus ad ipsum[8]. — Falco in monte Alvernae ibidem nidificans, beato patri singulari fuit iunctus amicitia, suo cantu de nocte, sanitatis tempore, eum excitans tempestive; tardius vero dum ipse pater infirmaretur[9]. — In loco de Reate, dum staret beatus Franciscus, aves, quae pectorubei dicuntur, veniebant ad mensam et de pane ab ipso accipiebant; sed ibidem nidificantes et pullos parientes, postquam eos aluerunt, ad sanctum et fratres detulerunt, ipsosque dimittentes recesserunt, quos fratres nutriebant. Sed maior eorum, invidens aliis escam ab eis accipiebat. Quod cernens vir sanctus, dixit Fratribus: Iste maior invidens fratribus non permittit eos, quae dantur accipere; sed mala morte morietur, nec de ipso gatti comedent. Et sic factum est: nam dum vellet bibere in quodam vitro (*d*) submersus est; et abinde extractus et gattis proiectus, de ipso comedere renuerunt[10]. — Plura alia miranda Deus ostendit in beato Francisco in natatilibus et volatilibus, sed dicta sufficiant.

2. Sexto concessit Christus beato Francisco facere mira in hominibus. Et primo homines plures a daemonio liberando. In Castro Sancti Gemini uxorem

(*a*) As *Alamani.* — (*b*) Al add. *vel accepta.* — (*c*) Codd. *Fagianus.* — (*d*) As Edd. *urceo.*

[1] Wadding, *Annales,* ad an. 1213 n. 6. (I², 153). — [2] *Leg. Mai.* c. 12 n. 3; AF IV, 588. — [3] *Leg. Mai.* c. 12. n. 4. Cf. AF IV, 474. — [4] Cf. p. 12, l. 12-6. — [5] *Leg. Mai.* c. 8. n. 9. — [6] L. c. n. 10. — [7] L. c. n. 8. — [8] L. c. n. 10. — [9] L. c. — [10] II Cel. II, c. 18. n. 47 (III, c. 23).

cuiusdam, qui eum hospitio susceperat, daemoniacam solo visu (*a*) liberavit [1]. — In Civitate de Castello quamdam a furibundo daemone virtute obedientiae ipsum diabolum eiiciendo curavit [2]. — Fratrem inobedientem, diabolum super se habentem sessorem, dum eidem misisset dicendo, quod praelato suo se subderet obedientia, et Beati Francisci meritis fuit a diabolo insidente liberatus et clementer ereptus [3]. — In loco Montis Casalis prope Burgum Sancti Sepulchri reperit beatus Franciscus quemdam fratrem, qui potius a diabolo videbatur occupatus quam infirmitate naturali. Nam se aliquando in terra proiiciebat et spuebat, aliquando se contrahebat caput inter crura ponendo, et sic diversimode complicabat. Quod audiens beatus Franciscus, accepta fecta (*b*) panis, de quo tunc edebat, ac signo crucis facto super eam, misit dicto fratri quam, ut gustavit, statim liberatus fuit [4].

Secundo homines a diaboli tentatione eripiendo et praeservando. Fratrem Leonem, socium suum, magnam patientem non carnis, sed spiritus tentationem, in monte Alvernae aliquam benedictionem in cedula quadam scriptitando et eidem tradendo liberavit [5]. — Fratrem Rufinum a diabolo de praedestinatione et praescientia deceptum eripuit, ut dictum est secunda parte conformitatis VIII primi libri [6]. — Fratrem quendam antiquum devotum, nolentem ex verecundia suam pandere tentationem, dicendo eidem beatus Franciscus, quod nolebat eum amplius tali tentatione teneri, liberum reddidit ab eadem [7]. — Fratrem alium in loco de Reate gravi tentatione vexatum, cum cuperet pro sui liberatione de unguibus beati Francisci habere: dum hoc spiritu ipse beatus pater videret, ungues tondendo et fratri tradendo illico eum liberavit [8]. — Fratrem alium in loco sanctae Mariae de Portiuncula a diabolo arreptum, quia contra fratrem meditabatur ulcisci, dum beatus Franciscus eum ad dicendum suam culpam induxisset, ab hoste eripuit [9]

Tertio homines leprosos ad mundandum (*c*) reducendo. Quemdam leprosum Dei blasphemum et sanctorum, cui fratres non valebant ob blasphemiam servire, eidem oratione praemissa serviendo ac lavando eum, sanum reddidit. Et quod maius est, ad Christum post paucos dies mortuum transmisit, de quo inferius dicetur [10]. — Quemdam alium leprosum, os pariter et maxillam morbo habentem depastum, cum beati Francisci pedes osculari vellet prae devotione, sed a beato Francisco plaga illa osculo benigno contacta, statim sanavit (*d*) [11]. Miram enim circa leproso beatus Franciscus a Deo obtinuit gratiam eos liberandi: cum circa ipsorum obsequium non solum ipse intenderit prius, sed et fratres primitus voluit intendere et mandavit [12].

Quarto contractos extendendo. In civitate Tuscanella filium cuiusdam militis a nativitate contractum, ipsum manu elevando, extendit ac erexit [13]. — In civitate Reate praebendarium nomine Gedeon ad preces intercedentium signando cruce, incolumi-

(*a*) As Edd. *iussu.* — (*b*) Edd. *bucella.* — (*c*) As Edd. *munditiam.* — (*d*) Al *sed a b. F. pl. illa cum tactu statim sanata est;* Edd. om. *sed.*

[1] *Leg. Mai.* c. 12. n. 10. (I Cel. c. 25. n. 69; *Tract. mirac.* c. XVI. n. 155); cf. A F IV, 510. — [2] *Leg. Mai.* l. c. (I Cel. c. 25. n. 70). — [3] *Leg. Mai.* c. 11. an: 11. — [4] *Leg. Mai.* c. 12. n. 11. (I Cel. c. 25. n. 68). — [5] *Leg. Mai.* c. 11 n: 9; II Cel. II, 20 (al. II, 18) n. 49. *Opuscula S. P. Francisci,* 124, 198 sqq. — [6] A F IV, 198 sq.; cfr. *Chron. 24 Gen.*: A F III, 48 s. — [7] II Cel. II, c. 78 (al. III, 64) n. 118. — [8] II Cel. II, c. 13 (al. III, 11) n. 42. — [9] *Actus,* c. 26. — [10] *Actus,* c. 28. — [11] Bonav. *Leg. Mai.* c. 2. n. 6. — [12] *Specul. Perfect.* Lemmens c. 12; Sabatier c. 44. I Cel. n. 39. — [13] *Leg. Mai.* c. 12. n. 9; cf. A F IV, 477.

tatem a contractione concedendo similiter erexit [1]. — In Aprutio, dum praedicaret beatus Franciscus in ecclesia sanctae Mariae de Cevaro (*a*), quidam nanus, nomine Albertus de Campli (*b*), cum esset sic contractus, quod erectus ambulare non posset, et mutus et gibbosus ac mole nimia capitis gravatus, beato Francisco fuit oblatus, cui beatus Franciscus compatiens, propriis manibus repressit gibbum, et caput praemens debite coaptavit, et cum super pedes erigeret, sanum et loquentem patri suo reddidit.

Quinto turgidos homines ad statum debitum comprimendo. In episcopatu Reatino puerum turgidum adeo, quod crura propria videre non posset, tactu manum superfluitatem comprimendo, sanavit [2].

Sexto homines conglomeratos extendendo. In civitate Ortense puerum conglomeratum, ut caput pedibus portaret applicatum, et ossa quaedam fracta haberet, signo crucis facto, eum protinus extensum sanum effecit [3].

Septimo membra habentibus arida pristinum vigorem infundendo. Mulierem siccas et aridas habentem manus, signando cruce ad sanitatem reduxit, quae sanata sibi cibum paravit [4].

Octavo orbatis lumine oculorum visus claritatem concedendo. In castro Mevanii puellae caecae, sputo ter oculos liniendo, eam illuminavit [5]. In civitate Ortana presbyterum nomine Tasurum caecum, signo crucis facto super oculos, illuminavit. Militem quendam dominum Ioannem de Abbassafoliis (*c*) privatum lumine, ad statum claritatis deduxit. In civitate Narniensi mulieri caecitate percussae, crucis signo lumen rependidit [6]. Bononiae puerum habentem maculam super unum oculorum et sic obscaecatum, dum signasset, lumen limpidius de illo quam de alio videri fecit [7].

Nono in partu periclitanti facilitatem pariendi largiendo. In comitatu (*d*) Aretii mulier cum pluribus diebus laborasset in partu et iam morti foret vicina, frenum equi, cui insederat beatus Franciscus, homines cum devotione super ipsam ponentes, illico peperit cum salute [8].

Decimo a diversis infirmitatibus multos erigendo. In Castro Plebis cum multi diversis infirmitatibus laborarent, quidam homo habens beati Francisci chordam, qua fuerat aliquando accintus, ibat per domos chordam in aquam ponendo et dando infirmis ab infirmitatitibus sunt liberati [9]. Panis etiam tactus, seu etiam benedictus a beato Francisco, infirmi datus, multos a variis morbis liberavit [10].

Undecimo discordes homines ad concordiam reducendo: Potestatem Asisii cum episcopo discordantem, cum nullus pacem et concordiam posset ponere, beatus Franciscus duobus sociis mandando, ut congregatis omnibus coram potestate et aliis, canticum Fratris Solis, quod ipse composuerat cum devotione cantarent. Quod cum fecissent, tanta copia lacrimarum est potestas perfusus, ut statim ad episcopum per-

---

(*a*) As *Cerano;* Edd. *Cenaro.* — (*b*) As *Cuplicum.* Edd. *Campuli;* cf. A F IV, 530. — (*c*) As *Abasafiollis.* — (*d*) As. *civitate.*

---

[1] *Leg. Mai.* c. 11. n. 5. — [2] *Leg. Mai.* c. 12. n. 9; A F IV, 476. — [3] *Tract. mirac.* c. 17. n. 179. *Leg. Mai.* c. 12. n. 9. — [4] *Leg. Mai.* c. 12. n. 10. — [5] *Leg. Mai.* c. 12. n. 10; A F IV, 474. — [6] *Leg. Mai.* c. 12. n. 10. *Tract. mirac.* c. XIV. n. 121. — [7] *Leg. Mai.* c. 12. n. 10. — [8] *Leg. Mai.* c. 12. n. 11. I Cel. c. 22. n. 63. — [9] *Leg. Mai.* c. 12. n. 11. sine nomine viri; I Cel. c. 22 n. 64, ubi vocatur: Gualfreducius. — [10] *Leg. Mai.* l. c. I Cel. c. 22. n. 63.

geret se culpabilem redderet et perfectam concordiam cum ipso deinceps haberet [1]. — Civitatem Senensem cum adiisset cum fratre Massaeo, reperit eam divisione ad sui exterminium laborare, et civium mutuam caedem et iam duos occisos; quam, sua praedicatione mirabili cives ad pacem reducendo et concordiam, ab exitio sui liberavit [2]. — Discordia et bello intestino civitatem Aretii laborantem, daemonibus suo iussu recedentibus, ad concordiam reduxit [3].

Duodecimo pravis et malis maledicendo et ad mortem deducendo. Ministro Bononiae fratri Ioanni de Laschiaccia (*a*), qui bis studium Bononiae contra eius voluntatem posuerat, beatus Franciscus maledixit; qui statim infirmabatur et cum supplicaret, ut maledictionem revocaret, respondit beatus Franciscus: Christum maledictionem ipsam in coelis confirmasse. Demum ex alto descendit gutta sulfurea, quae totum eius corpus miserabiliter consumpsit [4]. — Cuidam porcae, quae agniculum occiderat, ipsa nocte natum, apud monasterium Sancti Verecundi de Episcopatu Eugubii maledixit, ne ullus ex ea comederet homo vel bestia; et statim coepit infirmari et per triduum angustiata doloribus mortua, nulli fuit esca famelico [5].

Tertio decimo homines ad Christi amorem accendendo. Abbas sancti Iustini de Perusio, cum iuxta promissum beatus Franciscus pro eo Dominum exorasset, tantam suavitatem et caliditatem spiritus accepit, qualem nec quantam prius ante acceperat [6]. — Fratrem Massaeum orando beatus Franciscus intra sua brachia assumendo, non solum a terra elevavit per spatium sed tantam spiritus consolationem infudit eidem et calorem Domini, qualem, nec quantam unquam fuerat expertus [7]. — Virum cuiusdam mulieris, qui ipsam in Dei servitio perturbabat, cum pro eo Dominum exorasset, in alium hominem commutavit adeo, ut vir ipse non solum uxorem libere Christo deservire permitteret, sed ipse una cum ipsa usque ad mortem Domini beneplacitum adimpleret; et die eodem, ambo ad Christum ex hac vita feliciter decesserunt [8]. — Fratrem Bernardum suo exemplo et verbo mutavit ad relinquendum omnia et Christi sub suo ducatu vitam prosequi [9]. — Fratrem Pacificum, mundanis deditum, verbo induxit, et viso miraculo, ad mundi contemptum et Dominum prosequendum [10]. — Sic et innumeros alios, de quibus longum esset narrare; de quibus dictum est pro parte libro primo, parte prima conformitatis VIII [11]. Quis enim unquam fuit cum beato Francisco locutus, qui non fuerit eius verbo et vita mutatus? — Patuit in Soldano, quem ipse adeo mutavit, ut et devotionem ad ipsum praecipuam haberet, et in ultimo, ut dicetur conformitate XXXVIII parte secunda ad Christum convertit. — Sic et beata Clara verbis beati Francisci inducta fuit ad Christi connubia peroptanda [12]. — Dominus Ioannes Gaietanus de Ursinis, pater domini Papae Nicolai tertii, videns beatum Franciscum inter pauperes comedentem, statim et ipse idipsum fecit [13], et sic de aliis.

(*a*) As *Lachiaccia*.

[1] *Specul. Perf.* Sabatier c. 101. — [2] *Actus* c. 11. n. 11 sqq.; cf. A F IV, 194, 477. — [3] *Leg. Mai.* c. 6. n. 9; cf. A F IV, 476. — [4] *Actus* c. 61; cf. A F IV, 440. — [5] Bonav. l. c. c. 6 n. 6. — [6] L. c. c. 10 n. 5; cf. A F IV, 59, 589. — [7] *Actus* c. 13 n. 4. sqq. — [8] II Cel. II. c. 9 (al. 7) n. 38. — [9] Bonav. *Leg. Mai.* c. 3. n. 3. — [10] L. c. c. IV, n. 9; A F IV, 5, 7, 14, 36; 57, 143 s, 285 s, 479. — [11] IV, 178 seqq. — [12] IV, 351 seqq. *Leg. S. Clarae*, c. 1, n. 5 sqq. *Acta SS.* Aug. II. 755. — [13] Cf. Wadding, *Annal.* ad an. 1222, n. 2. (II², 35); Pater Nicolai III, qui ipse antea Ioannes Gaietanus de Ursinis appellabatur, erat tamen Matthaeus Rubeus de Ursinis; cf. A F III, 710.

5. Vita ergo beati Francisci speculum sicut (*a*) fuit perfectionis, sic et attrahens omnes ad bonum et ad Christi vestigia prosequenda. Et prae aliis miraculis hoc putandum (*b*) est, quia sicut anima pretiosior est corpore, sic melius est eam sanare quam corpus; quare et maius cor mutare, quam corporis infirmitates diluere; quod tamen Christus fecit, et beati Francisci faciebat dilectione et prece.

Quartodecimo a vulneribus liberando. In Civitate Castelli puerum parvulum, gravi ulcere vulneratum, oblatum a matre, ut super vulnus signum crucis imprimeret, quod cum fecisset et fasciam superligasset, mane sanatum, et carnem superexcrevisse in modum rosae rubeae, quae semper stetit in signum miraculi, mater repperit [1].

Quintodecimo a superexcrescente carne, scilicet struma expurgando. Apud Ortas quemdam habentem strumam magnam inter scapulas ad instar panis, signando cruce; statim fuit liberatus, ut nec signum aliquod remaneret [2] (*c*).

Sextodecimo hydropisim propellendo. In confinibus comitatus Aretji puerum octo annorum hydropicum, a matre praesentatum et sic inflatum, quod pedes stando minime videre valeret, beatus Franciscus dum orasset, et manum super eius ventrem posuisset, statim sanavit [3]. Et hoc dicitur factum post impressionem Stigmatum.

Decimo septimo a morbo caduco eripiendo. Quemdam puerum in districtu civitatis Parmae in Caneano (*d*) habentem morbum caducum, rogatus a matre, beatus Franciscus inde transiens, scripsit litterulam et dedit matri, ut filio daret. Quod cum fecisset, liberavit, qui postea fuit conversus in monasterio sancti Henrici de Parma.

Decimo octavo homines immisericordes ad misericordiam revocando. In Spoleto quidam erat homo valde avarus, qui nunquam fratribus eleemosynam dabat, sed eis maledicebat et opprobria inferebat. Quod audiens beatus Franciscus, dixit fratri Andreae de Senis, qui erat eleemosynarius, quod aliquam extorqueret ab eo eleemosynam. Cumque frater ille apud virum praefatum precibus importunis instaret, ut amore Dei ipsi eleemosynam largiretur, infestatus (*e*) ille ut lapidem sic eleemosynam sibi proiecit; et frater laetus beato Francisco portavit. Quam beatus Franciscus accipiens cuilibet fratri aliquantulum de ipsa dedit dicens: Quilibet vestrum dicat pro isto peccatore ter *Pater noster*, et roget Deum, ut ipsum (*f*) ad viam veritatis reducere dignetur. Mirum certe! nondum fratres a coena surrexerant, et ecce homo ille venit ad locum fratrum contritus et ad pedes beati Francisci se proiiciens, veniam petiit et caecum se hactenus fuisse confessus est, ac ex tunc factus est homo devotus et eleemosynarius ac benefaciens fratribus [4].

Decimo nono fratres sua oratione reficiendo. In capitulo generali Assisii celebrato, ubi fuerunt fratres ad sex milia, precibus et meritis beati Francisci, subito et improvise a Deo omnia sunt copiosissime ministrata. Cui capitulo affuit beatus Dominicus cum octo suis fratribus, et miraculo viso, fuit valde stupefactus et aedifica-

(*a*) Al, Edd. *sic*. — (*b*) Edd. *putatum*. — (*c*) Al *sic quod signum aliquod non* (sic postea correctum) *remaneret*. — (*d*) As *Caneiano*, Edd. *Caueiano*. — (*e*) As *infestatus tandem, ut si lapidem proiceret, sic elemosynam sibi proiecit;* Edd. *infestus tandem ut lapidem proiceret, sic el.* — (*f*) Al om. *ipsum*.

[1] L. c. ad an. 1224. n. 24. (II[2] 97). — [2] *Tract. Mirac.* c. 17. n. 178. cf. A F IV, 515. — [3] *Leg. Mai.* c. 12. n. 9. Quod in episcopatu Reatino accidisse dicitur. Cf. supra p. 16, l. 8-90. — [4] Cf. Wadding, an. 1213, n. VII. Cf. Passerini, *I Fioretti del glorioso Messere Santo Francesco*. Firenze 1903, p. 298. Additamentum V.

tus [1]. — Vice alia, cum vellet charitative cum fratribus, quos ad diversas dirigebat partes et longinquas, comedere, cum non essent nisi tres panes inventi, ipsos dividendo in tantum excreverunt, quod triginta fratribus fuerunt sufficientes; de residuo canistrum (*a*) est repletum. — In insula laci (*b*) Perusini beatus Franciscus fecit unam quadragesimam, habens secum duos panes parvulos, de quibus solum medietatem comedit unius, ut Christo Domino miraculum de integritate ieiunii remaneret [2]. — Cibaria beato Francisco directa per angelum in mari Sclavoniae, in tantum excreverunt, ut pluribus diebus ipsa sufficerent, etiam nautis et aliis copiose [3].

Vigesimo a mortis periculo reservando. Fratrem Moricum de ordine prius Cruciferorum, supplicem factum sibi, beatus Franciscus, antidoto facto de micis et oleo lampadis, quae coram Virginis ardebat altari, et eidem transmisso, dum gustasset, ad sanitatem perfectam reduxit [4]. — Animalia morbida in episcopatu Reatino (*c*), post suscepta stigmata, lotura aquae manuum et pedum beati Francisci aspersa, illico sunt sanata [5].

Vigesimo primo a mortuis resuscitando. In *Legenda fratris Bernardi de Blesa*, habetur [6], quod frater cuiusdam militis, qui miles beatum Franciscum hospitio receperat, cum esset in aqua suffocatus, nec eius corpus posset reinveniri; beato Francisco orante, et corpus repertum et homo a mortuis est resuscitatus. — In civitate Interamne (*d*), ut mandatum est solemni memoriae tempore domini Papae Nicolai tertii per publicum notarium et testes, per ipsum resuscitatus est quidam, nomine Ioannes, super quem murus cadens, eum exstinxit (*e*), et tunc erat decem annorum. Cuius casum audiens beatus Franciscus, et cum a parentibus lamentabiliter plangeretur, ad domum eius accessit, et intrans per partem posteriorem, ut non videretur, dictum puerum mortuum accepit ac super se ponens, eum vocando proprio nomine, a mortuis suscitavit, sibique praedixit, quod filios nunquam haberet, et sic evenit [7]. — Alium dicitur suscitasse, scilicet filium parvulum cuiusdam nobilis, qui eum ad prandium invitaverat, qui ceciderat in cacabo [8], et consumptis carnibus, praeter ossa quasi nihil remanserat. Sed quomodo eum ad vitam perduxerit, dictum est supra libro primo secunda parte conformitatis X, vide ibi (*f*) [9]. De isto in loco authentico non reperitur dictum: et scriptum in pluribus locis reperi. Sed de nullo praefatorum dominus frater Bonaventura in *Legenda maiori* facit mentionem. Et (*g*) quid fuerit in causa ignoro, cum tamen de primo dictus frater Bernardus de Blesa facit mentionem, et secundum de scriptura publica notarii reperi Florentiae transcriptum.

(*a*) As Edd. ***capisterium***. — (*b*) Al om. ***laci***. — (*c*) Al ***Aretino***. — (*d*) Sic Edd. sed Al ***In civ. Int... ut... et testes, per ipsum resuscitatum quendam nomine Ioannem s. q. m. cad. ipsum extinxit, et*** etc. — (*e*) As ***extraxit***. — (*f*) As ***vide ibi, et scriptum in pluribus locis inveni. ed de nullo***. Edd. ***vide ibi; de isto in loco auth. non reperi, sed depictum et scriptum in pl. loc. inveni. Sed de nullo*** etc. — (*g*) Sic As et Edd. Al vero om. ***Et quid — mentionem***. Tunc prosequitur: ***et secundum descripta publici notarii reperi Florentiae transcriptum***.

---

[1] *Actus*, c. 20: A F IV, 58, 386. — [2] *Actus*, c. 6. — [3] *Leg. Mai.* c. 9. n. 5; A F IV, 480. — [4] L. c. c. 4. n. 8. — [5] *Tract. mirac.* c. 3. n. 18; « in provincia Reatina ». — [6] A F III, 678 ubi submersus « filius unicus » militis dicitur. — [7] Documentum notarii edidit e MS. Coll. S. Antonii, f. 63r. P. Leon. Lemmens ap. *Archivum Franciscanum historicum* (AFH) I, 1908, 254-5; miraculi veritatem contra Faloci, ap. *Miscell. Franc.* VIII, 149 sq. defendens. Cf. Bonav. *Leg. Mai. Mirac.* II. n. 6. Wadding, ad an. 1213 n. 10 (I[3], 154). — [8] Cacabus = olla; cf. Ducange s. v. — [9] A F IV, 483 sq. Wadding ad an. 1222 n. 10, (II[2], 38)

Vigesimo secundo post mortem, mortuos eidem obediendo. Frater Petrus Catanii, de quo dictum est libro primo, conformitate VIII parte secunda, tertius[1] frater ordinis de primis et Vicarius beati Francisci, et ipso vivente beato Francisco, post dimissionem generalatus officii, fuit ipse frater Petrus electus generalis minister. Cum, inquam, dictus frater Petrus ante mortem beati Francisci de hoc mundo migrasset ad Christum ac infinitis coruscaret miraculis in loco sanctae Mariae de (*a*) Portiuncula sepultus, ac per hoc multitudo maxima ad dictum locum omni die gentium adveniret, fratrumque quietem perturbarent, hac de causa beatus Franciscus, non invidens gloriae sancti, sed providere volens quieti fratrum ex adventu saecularium et frequentia, ad ipsius sepulchrum accedens, coram omnibus fratribus dixit: « Frater Petre, tu semper fuisti mihi obediens in vita; volo, ut sis etiam nunc post mortem. Quare, ut fratres in quiete hic permaneant, mando tibi per veram et sanctam obedientiam, quod de cetero nullum signum miraculorum facias[2] ». Et statim frater Petrus a signis cessavit, nec deinceps ullum aliquando fecit.

Perpende, quaeso, lector prudens praefatorum, qualis meriti apud Christum fuerit gloriosus vir Franciscus, cuius imperio parent, qui sunt defuncti, mortui revocantur ad vitam, a mortis faucibus eripiuntur in mortis periculo constituti, morbi omnes abscedunt, elementa deserviunt, volatilia afficiuntur, immitia subduntur, arbusta crescunt, animalia irrationabilia obediunt, homines immutantur. Auctor omnium Deus assistit (*b*) in votis, et benigne angeli subministrant ac hostes daemones superantur, fugiunt et confunduntur. Quibus datur intelligi beatum Franciscum per omnia Deo fuisse subditum, cui omnis Creatoris factura obedit ad nutum, ac ad statum innocentiae divina gratia ex obedientia talium et in talibus quodammodo iam fore redactum. Attende, vir devote, ad quem sanctificationis apicem anima fuit beati Francisci perfectione a Christo deducta, cuius corporis partes tot signa pertulerunt. Capilli beati Francisci, immissi in muro, fracturam reintegrant, oculi a daemone fratrem liberant, tempora (*c*) ferrum ignitum temperant, aures divina audiunt iussa et angelicam percipiunt melodiam, os tangendo osculo oris, corrosi plagam sanat, vox fratrem solvit rigidum a diabolo effectum, verbum omni virtute et efficacia plenum in benedicendo et maledicendo, in commonendo et praecipiendo, manus leprosum mundant (*d*), frigore morientem tactu igniunt, et caecos illuminant, ac plura faciunt miranda. Scriptura fratrem, scilicet Leonem, a leone, scilicet temptatione liberavit, et a morbo caduco. Ungues tentationem propellunt, sputum puellam illuminat, amplexus fratrem Ricerium consolatione summa replet et fratrem Massaeum indicibili foecundat consolationis divinae suavitate. Habitualis tunica domum, in qua manet, ab incendio in castro Montis Acuti praeservat[3]. Chorda infirmos curat, lotura manuum et pedum

(*a*) Edd. *S. M. de Angelis.* — (*b*) As *adest suis votis.* — (*c*) Al *tympora... temperavit.* — (*d*) As potius *mundavit,* et infra *ignivit.*

[1] A F IV, 203, ubi « secundus frater et filius ac socius b. Francisci dicitur ». Cf. I Cel. c. 10, n. 25; *Tres Socii,* c. 8. Sic et Hier. Golubovich, O. F. M. *Biblioteca Bio-bibl. della Terra Sancta* I, (Quaracchi 1906), 120 seqq.; cf. Ed. Alenconiensis, O. M. Cap. *Epistola S. Franc. ad Ministrum Generalem,* Romae 1899, 26 seqq. — [2] Cf. A F IV, 204. — [3] Wadding, ad an. 1208 n. 5, (I², 47). Anno 1502 a Monte Acuto Florentiam in ecclesiam FF. Minorum « ad Omnes Sanctos » dictam, translatus est. G. B. Ristori, *Notizie storiche dell' abito di S. Francesco d' Assisi che si conserva nella Chiesa d' Ognissanti,* (Firenze 1882).

animalia languida et morti proxima vivificat. Frenum equi, cui insederat, naufragantem in partu solvit; panis ab eo tactus dissolvit diaboli vexationem (*d*) in fratre. Iussu daemones fugiunt, ranae tacent, aves cantant et iubilant; pedes dominae Iacobae, velut alteri Magdalenae lacrimis irrigati, misericordiam et gratiam impetrant tangenti, ac corpus ipsius contactum devotis remedia confert sanitatis. Sic ergo Franciscus sanctificatus fuit in anima, sanctificatus fuit in corpore, ut non solum membra singula mira effecerint, sed et locus, ubi quievit et quicquid tetigit, mira exercendo, sanctificationem et virtutem a beato Francisco eis relictam, depromunt. Et quia omnia beati Francisci, tam membra, quam iussa, tam loca, quam tacta, ab ipso virtutem et efficaciam possidebant, ad ipsum omnia afficiebantur. Angeli, homines, bruta, parva animalia, sicut cicada, quae per octo dies cum eo stetit in loco sanctae Mariae, et demum vocata super manum eius volavit ac deinde licentiata recessit. Cum ipso libenter stabant volatilia; eum suo cantu, gestu, et modo laetificabant, sicut patuit in philomena (*e*) quae in saepe consistens, per totam diem alternatim cum beato Francisco cantante cantavit, et beato Francisco comedente super eius manum saltavit ac comedit, et benedictione accepta, recessit. Et demum homines utriusque sexus, omnis aetatis, status et conditionis ipsum videre, audire et tangere peroptabant; sicut patuit, quando primo Bononiam accessit, et quando per castrum Burgi Sancti Sepulchri transivit, quando Senis accessit et concordavit in eadem dissentientes, sicut superiora declarant de omnibus supradictis, et ostenditur in speciali quando ivit Reate, cui omnes cives obviam quasi venientes, ut declinaret eorum applausum, extra civitatem ad duo miliaria citra permansit. Idipsum evenit Gaietae, ut totus populus ad ipsum pergeret et beatum se reputaret, qui posset eum tangere. Et de multis similibus exempla possent adduci, quae omittenda sunt, causa brevitatis.

Quibus declaratis, apparet Dominum Iesum Christum beato Francisco, ut sui perfecto cultori in cunctis condescendere, omnemque creaturam eidem subdere, ac mirificando miraculis non solum in hoc conformen sibi eum praebere, sed ut destinatum ab ipso eum mirificis signis prodere, notabilemque et divulgatum mundo vita et doctrina et signis omnis homo sciret et clamaret. Et sicut Adae, Deo non parenti, omnis creatura rebellis exstitit, sic beato Francisco, omnia praecepta divina implenti, creatura omnis famulata est, ut iam dicta depromunt, ut dictum de primo patre omnium in beato Francisco sit postmodum adimpletum: *Omnia subiecisti sub pedibus eius, et constituisti eum super omnia opera manuum tuarum* [1], et ipse merito posset dicere illud, quod cantatur in evangelio sui festi, et est verbum Christi: *Omnia mihi tradita sunt a patre meo* [2], ut enim pandunt iam dicta, non solum supercaelestia, utpote spiritus supercaelestes, sed sub caelestia (*f*) elementa, aves, arbores, natatilia, et animalia tam irrationabilia, quam rationabilia. Et quod maius est Dominus Deus, Dominus omnium, beato Francisco et parere et complacere complacuit. Praefatis ergo declarata est secunda pars huius primae conformitatis secundi libri, et tertiae decimae in ordine, videlicet *Franciscus divulgatur,* scilicet signis et virtutibus.

(*a*) As *temptationem vel vexationem.* Al *temptationem* (postea vero deletum est) *vexat.* Edd. tantum *vexationem* — (*b*) Edd. *Philomela.* — (*c*) Al *supercaelestia.*

---

[1] Psalm. 8, 7. — [2] Matth. 11, 27.

FRUCTUS ET CONFORMITAS SECUNDA ET IN ORDINE DECIMA QUARTA: Iesus Pastor Sollicitus. — Franciscus Animatur.

Expositio primae partis: **Iesus pastor sollicitus.**

Amor et dilectio, quam habuit Deus ad genus humanum, etsi ostensa fuerit in veteri testamento, utpote circa hominis primi institutionem, tot beneficia circa ipsum exhibendo, ut dictum est libro I, conformitate II parte prima[1]; circa eius peccati punitionem, non exterminando sed ad poenitentiam reservando, et mitissime eum puniendo; circa hominis regulationem et ordinationem per legem et praecepta, et quae sunt ad divini cultus operationem; circa hominis ad bonum inductionem et irradiationem per sanctos prophetas, et sic de aliis a Deo hominibus exhibitis et circa hominem patratis, prae omnibus tamen amor divinus commendatur ex operibus Domini Salvatoris nostri Iesu Christi, cuius charitatis immensitas, zelus, amor et dilectio, sicut non valet ad summum corde percipi, sic nec lingua narrari. Etsi balbutiendo haec prima huius conformitatis pars dicere satagat, cum promat et inquit: *Iesus pastor sollicitus,* brevi verbo et compendioso multa retexit de divino amore. Et pro huius evidentia et declaratione est videndum, quid velit depromere, cum dicitur: *Iesus pastor sollicitus,* et tunc videbitur clare, quantum nos dilexit et diligit, ac eius amor quam vehemens sit et fuerit et hoc, si discutiatur primo, quam sollicite salutem nostram procuraverit, et si, quod pastor verus extiterit(*a*), declaretur. Amorem, inquam, divinum et zelum et sollicitudinem pro nostra salute astruunt multa a Christo facta et operata.

1. Primum est eius mirifica incarnatio, quae non solum, quid accepit et qualiter, scilicet miseram carnem nostram pensando, claret de eius amore, sed propter quid venit et carnem assumpsit cogitando, cum teste symbolo Nicaeno, *propter nos et propter nostram salutem descendit de caelis, et incarnatus est* etc. et Luc. 9, 56 dicit ipse Salvator: ***Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.***

Secundum est ab ipso nostrarum poenarum susceptio dicente Isaia 53, 12: ***Ipse peccatum** multorum tulit,* id est poenas peccati. Et I Pet. 2, 24. Et *ipse pertulit peccata nostra,* id est poenas peccatorum nostrorum *in corpore suo,* ut per easdem poenas, sicut et per mortem salutem nostram procuraret; et ideo subdit Petrus[2], quod peccata nostra, id est poenas, portavit; et causa: *ut peccatis mortui, iustitiae vivamus.*

Tertium est eius inter homines conversatio. *In terris visus est* ait Baruch. 4[3] *et cum hominibus conversatus est.* Conversatus est inter nos homines, et ut verus homo crederetur, et sua vita homines traheret ad salutem, ut vita et conversatione benevola ac humili incitaret ad salutem et bonum; unde de conversatione eius cum publicanis et peccatoribus murmurantibus Pharisaeis respondit: *Non egent, qui sani sunt medico, sed qui male habent. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores ad poenitentiam,* Matth. 9. 13.

Quartum est eius praedicatio et assidua informatio. Doctrina enim Salvatoris, quid intendit, nisi totum hominem ordinare ad Deum, ad se et ad proximum; ut vitia dimittat, virtutes arripiat, vitet poenam inferni et consequatur salutem; ut patuit libro I pluribus conformitatibus. Ac Christi praedicatio non erat interpolata, sed assidua; quia quotidie docens de regno Dei, Matth. 21[4]. Non in uno loco, sed ubique, quia *civitates circuibat et castra.*

(*a*) Al *ex ceteris.*

[1] AF IV, 60 seqq. — [2] L. c. — [3] Potius 3, 38, i. e. ult. vers. cap. 3. — [4] Potius Matth. 26, 55.

Matth. 6[1]. Et turbis in una patria eum retinere volentibus, dixit[2]: *Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei, quia ad hoc missus sum.* Et qualis erat eius praedicatio inquit, quia de regno Dei, et quali audacia: *sicut* inquit *potestatem habens,* Matth. 7. 29; et quali verbo, Ioan. 7. 46: *Nunquam sic locutus est homo,* et Ioan. 6. 64, dicit: *Verba, quae ego loquor vobis, spiritus et vita sunt.* Et Ioan. 5, 24 dicit: *Qui verbum meum audit, et credit ei, qui misit me, habet vitam aeternam.*

Quintum est discipulorum suorum ad praedicandum directio et transmissio, et ex hoc comprehenditur Dominum Iesum Christum zelum maximum et amorem habuisse, velut pastorem ad oves; qui non solum per seipsum salutem praedicavit, sed etiam discipulos ad praedicandum (*a*), ut sic omnium salus haberetur, direxit. Misit enim primo apostolos duodecim, ut habetur Matth. 10, 1 sqq. et Luc. 9, 2. Postmodum, quia *messis* erat *multa, et operarii pauci*[3], septuaginta duos discipulos[4] alios. Et quod ad salutem, patet, inquit ipse, dicens: *Appropinquavit,* (scilicet si creditis) *in vobis regnum Dei*[5].

Sextum est miraculorum operatio. Egit Christus et fecit *opera, quae nullus alius fecit,* ut ipse dicit Ioan. 14[6]. Et si principaliter egit ad ostendendum suam divinitatem, fecit, et ad sanandum nostram spiritualem infirmitatem. Christus enim, (ut dicunt doctores), nullum curavit (*b*) ab infirmitate corporali, quem prius ab aegritudine animae et spirituali non sanaverit, dicente ipso, Ioan. 7, 23: *Totum hominem,* id est animam et corpus *salvum feci,* ut in praecedenti conformitate, parte I, patet de curatis a Christo. Sic ergo miracula operando, potius salutem animae quam corporis procuravit.

Septimum est daemonum repulsio et subiugatio. Principium nostrae damnationis invidia fuit diaboli; et qui impediret nostram salutem, erat ipse diabolus. Christus igitur, non solum a corporibus et a pluribus hominibus eum repulit, (ut sancta Evangelia docent), sed generaliter a genere humano elongavit eum, in abyssum recludendo, ut dicit Ioannes Apoc. 19, 20, genus humanum ab eius manibus liberando, et adeo ipsum sua passione debilem reddidit, ut neminem vincat nisi volentem, hostem ergo nostrum deprimendo, removendo et subiugando salutem nostram procurasse ac zelum ad nos habere summum ostendit.

Octavum est laborum et discursuum perceptio. Quot enim labores assumpsit, quot discursus peregit! Lege evangelium et vide Iesum fatigatum ex itinere sedere supra fontem, Ioan. 4, 6, discurrere de Iudaea in Galilaeam, Ioan. 4, 3, circuire vicos, civitates et castra. Matth. 9, 35. Quorum tolerantia ostendit, et salutem nostram appetere quaerere et procurare, et nos maxime diligere, ratione enim sui praefata non sumpsit, sed nostri.

Nonum est mortis susceptio. Si enim homo nihil pretiosius habeat seipso, hinc est, quod dando animam suam, idest suam vitam exponendo pro proximo, maiorem charitatem non potest habere, ut dicit ipse Salvator Ioan. 15, 13. Et quia ipse dedit semetipsum pro nobis, passione ergo et circumstantiis passionis ostendit, quantum nos dilexit, nam *proprio filio* Pater *non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum,* Rom. 8, 32.

Decimum est mortis peccati abiectio Christus pro nobis mortuus est, *ut peccatis mortui iustitiae vivamus,* ait beatus Petrus primae Canonicae cap. 2, 24. *Lavit* enim *nos a peccatis nostris in sanguine suo,* Apoc. 1, 5. Mortuus est enim, ut *non regnet* (*c*) *peccatum in nostro mortali corpore,* Rom. 6, 12. Et quia *liberati* nunc sumus *a peccato; servi autem facti Deo,* Rom. 6, 22 quare per hoc merito docemur Christum nos dilexisse.

Undecimum est, nostra per Christum facta Patri reconciliatio, Rom. 5, 10: *Cum inimici essemus, reconciliati sumus per sanguinem Filii eius.* Nam Pater coelestis reconciliavit nos sibi per Christum, I ad Corinthios (*d*)[7]. Placuit enim in ipso et per ipsum *reconciliari omnia,*

(*a*) Al add. *misit.* — (*b*) Al As om. *curavit.* — (*c*) Al *non regeret, neque regnet.* — (*d*) Al hic iam inseruit *omnia q. in c. s. et in terra.*

[1] Potius Matth. 9, 35. — [2] Luc. 4, 43. — [3] Matth. 9, 37. Luc. 10, 2. — [4] Luc. 10, 1. — [5] Luc. 10, 9. — [6] Potius Ioan. 15, 24. — [7] Potius II Cor. 5, 18.

quae in caelis sunt et quae in terris etc. Collos. 1, 20. Ipse enim est *mediator Dei et hominum* I Thim. 2, 5. Sic ergo reconciliando, suum ad homines affectum declarat.

Duodecimum est sacramentorum institutio. *Operatus est salutem nostram in medio terre*[1], sacramenta instituendo, quibus purgamur a vitiis, in gratia firmamur et per ipsam salutem consequimur aeternam. Et licet quodlibet sacramentum prodat Dei ad nos dilectionem operando, praecipue tamen est sacramentum Eucharistiae, ubi Deus et homo Christus Iesus datur homini in cibum et salutem mentis et corporis, et in abolitionem peccatorum, si debite sumatur; considerando praedicta, non amorem remissum sed intensissimum Dei ad nos ostendunt.

Tertium decimum est ad caelum generis humani subvectio et deductio. Nonne ipse Salvator non solum genus humanum a diaboli potestate eripuit; sed ipsum, peccato primorum parentum privatum regno caelorum, ad ipsum iter pandendo deduxit nobis hereditatem, quam amiseramus, restituendo?

Quartum decimum est Spiritus Sancti et gratiae collatio et emissio, qua emissione homo purgatur a vitiis, ad bene operandum inducitur et adiuvatur, ac dona ipsius Spiritus diversimode hominibus conceduntur; prout declarat Apostolus, I Cor. 12, 8 sqq. Quibus pignus datur hominibus salutis aeternae, prout dicit Apostolus[2].

Quintumdecimum est divina inspiratio, qua non solum trahit, sed traxit (*a*) homines ad poenitentiam: *Misericordia Dei ad poenitentiam te adducit,* Rom. 2, 4. Qua inspiratione apostolos traxit a mundo ad sui discipulatum, Matth. 4, 18 sq. Matthaeum a teloneo, Matth. 9, 9, Magdalenam a peccato, Luc. 7, 37 sqq. et sic de aliis.

Sextum decimum est vitiorum detestatio. Ipse enim Dominus Iesus, ut verus medicus animarum vitia detestando et pravitatem ostendendo, docuit summopere ea praecaveri, tanquam ab impedientibus via salutis aeternae, ut de his sufficienter dictum est conformitate X primi libri, prima parte[3].

Decimum septimum est peccatorum condonatio. Ipse enim ut verus amator quid egit? Certe peccata donavit hominibus, (ut patet in paralytico, Matth. 9, 5 sqq.), Magdalenae, Luc. 7, 47 sqq., mulieri in adulterio deprehensae, Ioan. 8, 11, et sic de aliis; quare sic dimittendo, salutem hominis procurasse dignoscitur.

Decimum octavum suppliciorum aeternorum demonstratio. Plerumque timor servilis coercet nonnullos a peccatis, poena considerata peccatis parata. Quare Salvator, ut ad bonum provocaret timore poenarum, magnitudinem poenae expressit, videlicet ignis aeterni, consortii daemonum, Matth. 25, 41, stridoris dentium et frigoris, Matth. 8, 12, et sic de aliis, ut dictum est libro primo conformitate X parte prima[3].

Decimum nonum est exemplorum declaratio. Christus enim nobis se exhibuit in exemplum omnis perfectionis. Quare, si ad bonum volumus exercendum pervenire, Christum ut exemplar perfectissimum attendamus, ipso dicente, Matth. 11, 29: *Discite a me,* hoc est exemplar in monte constitutum, ut ad ipsum respicientes operari perfectionem possimus.

Vigesimum est oratio. Christus non pro se, sed pro me oravit (*b*), et pro credentibus, Ioan. 17, 9 *exauditus est pro sua reverentia,* Hebr. 5, 7. Si cupis ergo salutem consequi, Patrem roga per Christum, quia *quicquid petieritis Patrem in nomine meo,* inquit ipse, Ioan. 16, 23, *dabit vobis.* Multi sunt alii modi in sacro Evangelio expressi, quibus ostenditur Salvatorem nostrum Dominum Iesum Christum amorem praecipuum habuisse ad nos, ac salutis nostrae zelum infuisse eidem, quibus pastor noster bonus et sollicitus arguitur evidenter, et nostram salutem optasse et perfecisse; et sic patet in generali quodammodo expositio huius primae partis: *Iesus pastor sollicitus.*

(*a*) Al om. *traxit — a mundo.* — (*b*) As Edd. om. *et pro credentibus.*

---

[1] Psalm. 73, 12. — [2] Eph. 1, 14. — [3] A F IV, 457 sqq.

2. Sed videndum est amodo in speciali et particulari. Ad quod videndum sunt tria declaranda

Primum quod ipse fuit (*a*) primo conditiones veri habens pastoris, et hoc respectu ovium. Pastor enim debet primo suas oves diligere. Et ipse dicit de se ipso, Ioan. 10, 15, in signum dilectionis: *Animam meam pono pro ovibus meis.* — Secundo ostium ad pascua progrediendi aperire. Et ipse dicit Ioan. 10, 9: *Ego sum ostium, per me, si quis introierit salvabitur, et ingredietur et egredietur* etc. — Tertio eis praedicare. Et ipse dicit Ioan. 10, 3: *Oves meae vocem meam audiunt, et ego cognosco eas* etc. — Quarto ad pascua educere. Et ipse dicit Ioan. 10, 9: *Per me salvabitur, et ingredietur et egredietur, et pascua inveniet* scilicet gratiam et gloriam. — Quinto anteire oves (*b*). Et ipse dicit Ioan. 10, 14, 27: *Oves sequuntur me,* scilicet quia eas praecedo vitae exemplaritate. — Sexto sanare et salvare. Et ipse dicit Matth. 15, 24: *Missus sum ad oves, quae perierant domus Israel.* Et Ioan. 10, 10: *Ego veni, ut vitam habeant, et abundantius habeant.* — Septimo de pabulo providere. Et ipse dicit Ezech. 34, 13 sq: *Pascam eas in montibus Israel, in rivis et in cunctis sedibus terrae, in pascuis uberrimis pascam eas* etc. Et de se dicit Ioan. 10, 9: *Si quis per me introierit, pascua inveniet.* — Octavo lupis se opponere. Et ideo dicit Ioan. 10, 12: *Mercenarius, cuius non sunt oves propriae, videt lupum, et dimittit oves et fugit, et lupus rapit, et dispergit oves;* sequitur [1]: *Non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manibus meis.* — Nono separare, et distinguere, scilicet oves ab haedis, et discernere inter oves et oves. Et ipse dicit de se Matth. 25, 32: *Separabit eos ab invicem, sicut separat pastor oves ab haedis.* Et Ioan. 10, 26 dicit: *Vos non estis de ovibus meis* etc. — Decimo oves sibi coniungere et non dividere. Et ipse dicit, Ioan. 10, 16: *Alias oves habeo, quae non sunt de hoc ovili, et illas oportet me adducere, et fiet unum ovile et unus pastor.* — Undecimo pro ovibus vitam exponere. Et ipse dicit, Ioan. 10, 15: *Animam meam pono pro ovibus meis.* — Duodecimo custodire et ad vera pascua perducere. Et ipse dicit: *Oves meae in aeternum non peribunt,* Ioan. 10, 28; et sequitur: *Ego vitam aeternam dono eis.* Praedictis apparet, quod conditiones veri pastoris insunt Domino Iesu, prout scriptura ponit, quia et ipse est verus pastor et sollicitus.

Dicitur etiam veraciter pastor Christus ad instar pastorum veteris testamenti, quos perfectione et virtutibus excessit. Fuit pastor Abel, Gen. 4, 2. Quem Christus excessit innocentia, quia innocentissimus et sine macula. Fuit pastor Iabel (*c*), Gen. 4, 20. Hunc superavit Christus in discretione, quia sapientia est Dei Patris. Fuit pastor Isaac, Gen. 26, 14. Hunc excessit mentis sublevatione, quia anima eius fuit Deitati iuncta. Fuit pastor Iacob, Gen. 31, 4. Hunc Iesus excessit prudentia, Luc. 2, 47. Fuit pastor Ioseph, Gen. 37, 13. Hunc excessit agnitione, quia omnia novit, Ioan. 6, 65. Fuit pastor Ana, *qui invenit aquas calidas,* Gen. 36, 24. Hunc superavit in compassione. *Misereor* (inquit) *super turbam* etc., Matth. 15, 32 [2]. Fuit pastor Moyses, Exod. 3, 1. Hunc superat mentis tranquillitate, ipso dicente, Matth. 11, 29: *Discite a me; quia mitis sum et humilis corde.* Fuit pastor David, I. Reg. 17, 28, 34. Hunc defensione superavit; quia *nemo accipiet de manu mea,* Ioan. 10, 29. *Et quos dedisti mihi, non perdidi quemquam ex eis,* Ioan. 17, 12 [3]. Fuit pastor Cyrus, Isa. 44, 28. Praedictum excessit voluntatis Patris adimpletione. Fuit pastor Amos 1, 1; ipsum superavit peccatorum et scelerum correctione; quia *data est* ei *omnis potestas,* Matth. ult. 18. Et potestatem dedit ei iudicium facere, Ioan. 6. [4]. Fuerunt pastores filii Rechab, II Paral. 2, 55. Hos excessit obedientia: *Factus obediens usque ad mortem* [5]. Fuit pastor Iaziz [6], qui praeerat ovibus David. Et hunc excessit suum auxilium im-

(*a*) Edd add. *pastor.* — (*b*) As *animare* correxit in: *ante ire.* Edd. *animare.* — (*c*) Al *Abraham.*

[1] Ioan. 10, 28. — [2] Ad litteram Marc. 8, 2. — [3] Item ad litt. Ioan. 18, 19. — [4] Potius Ioan. 5, 22 seqq. — [5] Phil. 2, 8. — [6] I Paral. 27, 31.

pendendo, sine quo nihil potest operari meritorie: et sic de aliis pastoribus. Et quia fuit eis non solum similis, sed eos superexcedens, merito pastor fuit. Et quia ad pastorem sollicitudinem pertinet habere de ovibus, ut patet in Iacob, Gen. 31, 40: *Somnus recedebat ab oculis meis* etc., et hanc sollicitudinem habuisse Christum iam dictum est et probatum, sequitur, quod ipse est et fuit pastor bonus et sollicitus.

Non solum Christus fuit pastor bonus et solicitus, sed forma et exemplar, ut dicit beatus Gregorius [1]: qualis debeat esse quilibet praelatus, qui pastor est, ut 7. q. 1. *Sciscitaris* [2]. Pastor enim cuiuslibet ecclesiae est praelatus. Sed pastor iste, ut non deviet a summo pastore, debet esset totus compositus virtutibus et ordinatus (*a*) moribus, et in sensibus Christi exemplo, et prout iura volunt, debet enim esse ornatus. — Primo quoad manus, scilicet, ut non sit percussor, dist. 45 [3] per totum: sed eleemosynarius et hospitalis, dist. 44 [4] per totum, exemplo Christi, qui nullum legitur percussisse, nisi corripiendo in templo flagellis, et de templo suo indigna facientes expellendo [5], immo percussus non emisit vocem, etsi reprehenderit percutientem se in maxilla iniuste, Ioan. 18, 23, quia in iudicio erat et iniuste percutiebatur; et ideo dicit beatus Petrus I. Pet. 2, 23: *Qui cum malediceretur non maledicebat, et cum pateretur non comminabatur,* etc. Eleemosynarius fuit, nam dicit Ioan. 7, 37: *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat* etc. — Secundo quoad gulam, ut non sit vinolentus, sed sobrius, dist. 35 per totum [6]. Et Christus dicit, Lucae 21, 34: *Attendite vobis, ne graventur corda vestra crapula et ebrietate et curis huius saeculi.* — Tertio quoad linguam, ut non sit litigiosus, dist. 45 [7] per totum; sed docere alios, dist. 36: *Qui in Ecclesiasticis,* exemplo Christi, qui docebat eos de regno Dei, Matth. 21, 23. Nec contendit, immo oppositum docuit, Matth. 5, 25, 40 sqq. — Quarto quoad appetitum, quia non cupidus, dist 47 per totum, exemplo Christi, Matth. 8, 20, qui nihil habere voluit, nec etiam, ubi caput suum reclinaret. — Quinto quoad discretionem et considerationem, quia debet esse prudens et in diversis scientiis et scripturis eruditus, dist. 35 [8] per totum. Et hoc dicto Christi, Matth. 10, 16: *Estote prudentes sicut serpentes,* exemplo eius, qui fuit prudentissimus, ut habetur Luc. 2, 47. Unde mirabantur, et *stupebant super prudentia et responsis eius* doctores in templo. — Sexto quoad mensam; quia mensa non debet resplendere vasis argenteis vel aureis, sed fidei meritis, dist. 41, *Episcopus.* Nec fabulae ibidem esse debent, sed lectio sanctae scripturae. dist. 44, *Pro reverentia* (*b*) [9]. Exemplo Christi, qui vasa talia non habuit, immo tempore cenae habuit catinum, Marc. 14, 20, ac in mensa existens (*c*) semper aliquid ad informationem dixit: ut patet Luc. 7, 40 sqq., quando instruxit Simonem Pharisaeum et alios de Magdalena; et Luc. 14, 1, 7 sqq., quando intravit principis Pharisaeorum domum sabbato manducare panem, et sequitur: *Dicens ad invitatos parabolam* etc. — Septimo quoad exercitium, quia non venator, dist. 34, *Quorumdam.* Sed debet intendere orationi et praedicationi, dist. 88, *Episcopus nullam.* Exemplo Christi, qui pernoctabat in orationibus Luc. 6, 12 et de mane tempestive veniebat in templum et docebat, Ioan. 8, 2. — Octavo quoad sollicitudinem, debet vigilanter et sollicite regere sibi commissos, dist. 100. *Rationis.* Sollicitus enim debet esse tanquam pastor circa gregem suum, dist. 81, *Oportet.* Sibi non debet inesse sollicitudo temporalium, quae suffocant spiritualia, dist. 49, *Hinc,* ante medium [10], sed sollicitudo pia egenorum, dist. 87, *Divinae;* circa defensionem pauperum, redemptionem oppressorum, dist. 84. c. 1 [11]. Exemplo Christi, qui videns turbam magnam ad se venisse, sicut sollicitus dixit apostolis, dicentibus quod ipsam dimitteret: *Date* (inquit) *vos illis manducare,* et sequitur, quod dedit de quinque panibus suffi-

(*a*) Al *ornatus.* — (*b*) As, Edd. *pro regula.* — (*c*) Al add. *et similia.*

[1] *Homil. in Ev.* l. I, homil. 14. (P. L. 76, 1127). — [2] *Decret. Grat.* cau. VII, q. 1. — [3] L. c. p. 1. — [4] Potius *Dist.* 41. p. 1. — [5] Ioan. 2, 15. — [6] Potius *Dist.* 44. p. 1. — [7] Magis *Dist.* 46. — [8] Potius *Dist.* 36-7. — [9] L. c. *pro rev.* — [10] *Dist.* 49, *Hinc etenim* (Cf. *Dist.* 23). — [11] L. c. *Pervenit.*

cienter quinque milibus hominum, Mar. 14 [1]. Ac de salute omnium sollicitus dicitur, Matth. 9, 36, quod *videns turbas, misertus est eis, quia erant languidi et iacentes sicut oves non habentes pastorem;* et sequitur cap. 10, 1, quod apostolos misit ad praedicandum et languores curandum etc. — Nono quoad vitationem. Debet enime sollicite vitare saeculares, ne praeoccupatus curis negotiorum saecularium, Dei verbo non possit vacare, 11 q. 1. *Te quidem.* Exemplo Christi, qui satiatis quinque millibus hominum, et *turba dimissa, ascendit in montem solus orare,* Matth. 14, 24, ac turbis et scribis et Pharisaeis *relictis, abiit foras extra civitatem in Bethaniam;* et ibi docebat de regno Dei, Matth. 21, 17.

Decimo quoad supportationem. Quia adversa patienter sufferre debet. Quia pastoris et praelati patientia plus laudatur in adversitate, quam quies in religione, 7 q. 1. *Suggestum.* Exemplo Christi, qui tot verbis iniuriosis lacessitus et iniuriis, nihil respondit, ut habetur Matth. 27, 12, et dicit Luc. 21, 19: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* — Undecimo quoad habitationem. Quia domus eius iuxta ecclesiam debet esse, ut aptior contemplationi, dist. 41. *Episcopus,* exemplo Christi, qui summo diluculo ibat ad templum, Ioan. 8, 2; et Matth. 21, 23, stabat per totam diem in templo etc. Et triduo remansit in templo, dum esset annorum duodecim, Luc. 2, 46. — Duodecimo quoad parentes. Officia ecclesiastica propinquis non debet committere, dist. 49 [2]. *Decenter;* nec in suam, vel parentum proprietatem convertere, 12, q. 1. *Episcopus.* Exemplo Christi, qui petentibus filiis Zebedaei sessionem regni, eos increpavit, nec concessit, Matth. 20, 20 sqq. Et tamen fratres eius erant. — Tertiodecimo quoad mores. Debet esse interius virtutibus ornatus, dist. 40 per totum. Exterius vero conformatione morum exemplo Christi, qui interius fuit plenus donis Spiritus Sancti, Isa. 11, 2, *Et requiescet super eum Spiritus Domini etc.;* et Ioan. 1, 32 sqq. Spiritus non est datus ei ad mensuram; exterius se hominibus conformabat, conversando et manducando cum omnibus, Matth. 9, 10 sq. et Luc. 7, 36, et sic mandavit apostolis, Matth. 10, 11 sqq. et Luc. 10, 7. — Quartodecimo quoad conversationem; quia vita singularis. Non sufficit subditis aequalem ducere vitam, sed sicut est honore super alios, sic et vita debet esse praestantior, 8, q. 1. *Nec sufficere;* exemplo Christi, qui etsi conversaretur cum omnibus, fuit tamen separatus vita ab aliis, quoad vitia et peccata, unde dicebat, Ioan 10 [3]: *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

Quintodecimo quoad societatem; quia clericos maturos et religiosos et viros tam in cubiculo, quam in ministerio debet habere socios propter bonum testimonium, 2, q. 7, *Cum pastoris.* Exemplo Christi, qui etsi pauperes sibi sociavit, Matth. 4, 18, et 10, 12 sqq., fuerunt tamen homines sanctitate prae aliis insignes, utpote repleti Spiritu Sancto. Act. 2, 4. — Sextodecimo quoad providentiam. Debet oppressis et pauperibus sollicite providere, ut dictum est, et eos defendere, dist. 84 (*a*), *Episcopus;* et de personis idoneis, qui populo praedicent providere *extra. de off. ordi.* [4] *Inter caetera.* Debet enim pascere temporali subsidio, 16, q. 1, *Nulli Episcoporum;* et tempore opportuno exemplo Christi animam suam pro ovibus ponere, 7, q. 1. *Suggestum* et ca. *Sciscitaris,* et ca. *Adversitas* [5]. Debet etiam pascere Eucharistiae sacramento, *de conse.* dist. 2. *Non prohibeat.* — Decimoseptimo quoad doctrinam debet subditos docere; quia non sufficit vita innocens, nisi adsit doctrina, dist. 44, c. 1, et in ca. seq. et dist. 43. *Ephesiis,* et 8, q. 1. *Audacter,* et etiam conversationis exemplo 11, q. 3. *Praecipue,* exemplo Christi, qui praedicabat quotidie, et ad praedicandum Apostolos ordinavit et misit, Matth. 10, 1 sqq. Luc. 9, 1 sqq. et 10, 1 sqq. — Decimo octavo quoad subditos. Quia debet eos fovere ut filios suos, *extra. de excessibus praelatorum* cap. 1. Exemplo Christi, qui apostolos suos filiolos vocabat. In signum teneritudinis Ioan. 13, 33, ac amicos,

(*a*) Codd. et Edd. *83* (pro 84).

[1] Potius Matth. 14, 14 sqq. — [2] Potius 89, *Decenter.* — [3] Potius Ioan. 8, 46. — [4] Cap. 15. — [5] Ibid. c. 48.

Ioan. 15, 14 sq., in signum amoris; et ut suos Patri commendavit. Ioan. 17, 9. — Decimo nono quoad imitationem. Quia debet facta bonorum sequi, dist. 15[1]. *Non est.* Etiam facta minorum, 24, q. 3. *Si habes;* exemplo Christi, qui dicit, Luc. 2, 49: *In his quae patris mei sunt, oportet me esse*, et Ioan. 8, 29: *Quae placita sunt ei, facio semper.* Et de imitatione sua et aliorum dicit apostolis de sua, Matth. 11, 29: *Discite a me* etc. Aliorum, Matth. 24, 32: *Ab arbore discite parabolam etc.* et Luc. 10, 37: *Vade, et tu fac similiter.*

Vigesimo et ultimo quoad iudicium. Quia iustus non debet ex vindicta punire et corrigere, dist. 86, *Si quid.* Et pronior ad miserandum, quam ad puniendum debet esse, dist. 45, *Licet;* exemplo Christi, Ioan. 8, 3. sqq., qui mulierem in adulterio deprehensam non punivit ira sed misericordia, dicens: *Vade, et amplius noli peccare*, et Matth. 9, 13, dicentis: *Discite quia misericordiam volo et non sacrificium* etc. Praedictis ergo apparet, qualis debet esse pastor ecclesiasticus exemplo Christi, qui sic fuit. Quare apparet Christum Dominum nostrum non solum sollicitum, sed verum esse et fuisse pastorem. Et ideo bene dicebat beatus Petrus in can. I, cap. 2, 25: *Eratis enim sicut oves errantes; sed conversi estis ad pastorem, et episcopum animarum vestrarum,* et ideo vere et recte de seipso dicebat, Ioan. 10, 11: *Ego sum pastor bonus.* Patet igitur breviter expositio huius primae partis, videlicet: *Iesus pastor sollicitus.*

Cuius veri pastoris exemplo, ad instar pastoris materialis, sit quilibet praelatus. Primo, ut portet panem et sal in sacculo, id est panem vitae assidue degustet, et habeat in agendis sal discretionis. — Secundo aqua utatur pro poculo, id est divina sapientia, quae est aqua viva, Ioan 4, 10. — Tertio herbas virentes comedat, id est, exempla munda et documenta (*a*) exhibenda possideat. — Quarto canes pro custodia ovium teneat, id est linguam eruditam in erudiendo et consulendo. — Quinto viliter induatur et chordam habeat pro cingulo, id est nihil curet de terrenis et carnem domet. — Sexto requiescat sub tecto parvulo, id est, hic dicat se non habere manentem civitatem et ad patriam anhelet. — Septimo stramenta habeat pro lectulo, id est rigide vivat. — Octavo folia sibi pro umbraculo ab aestu meridiano provideat, id est verba scripturae semper inspiciat, ne a calore luxuriae maculetur. — Nono caulas habeat pro defensione vel defensaculo et receptaculo, quia sub Dei protectione se ponat et proiiciat. — Decimo teneat virgam pro baculo; se corrigat disciplina et baculum crucis iugiter astringat et innitatur eidem. — Undecimo fistula oves congreget et laetificet, id est sono laudationis, orationis et praedicationis. — Duodecimo habeat fundam cum calculo ad lupum percutiendum, idest iustitiam exerceat in se, ut cum David Goliath[2], id est diabolum, lupum rapacem fuget et conterat, et sic hic mercenarius non dicetur, sed verus pastor, sollicitus et bonus, cui Dominus dabit mercedem pro opere in praesenti et in futuro.

Declarata ex dictis est prima pars huius secundae conformitatis secundi libri, et quartaedecimae in ordine, videlicet: **Iesus pastor sollicitus.** Expedienda est igitur amodo pars secunda, videlicet: *Franciscus animatur.*

Secunda pars secundi fructus et conformitatis secundi libri, et quartaedecimae in ordine, videlicet:

Franciscus animatur.

Expositio.

Beatissimi patris Francisci amorem et dilectionem ad Christum et affectum, etsi omnia vitae ipsius gesta prodant et declarent, tamen aliqua apertius depromunt, videlicet: Primo pro amore Iesu mundi totalis abdicatio. — Secundo servitii leprosis

(*a*) As. Edd. *dogmata.*

[1] Potius, *dist.* 40. — [2] I Reg. 20, 10.

prompta exhibitio. — Tertio ipsius Christi crucifixi beato Francisco facta apparitio. — Quarto iniuriarum et vilipensionis propter Christum voluntaria susceptio. — Quinto passionis Christi assidua deploratio. — Sexto trium ecclesiarum iuxta Christi mandatum reparatio. — Septimo vitae Christi et evangelii acceptio et professio. — — Octavo paupertatis arctissimae amplexio et dilectio. — Nono crucis meditatio, gloriatio et praedicatio. — Decimo pro Christo mortis cupitae (*a*) ter ostensio. — Undecimo Francisci a Christo multiplex visitatio. — Duodecimo beato Francisco a Christo facta in indigentiis benigna subventio, et in omnibus condescensio ac beati Francisci a Christo facta stigmatizatio, et sic de aliis, de quibus dictum est in sermone facto pro secundo prologo in primo libro [1] de declaratione istius totius operis, et de his dicetur inferius in locis multis. Et quod amor Christi ad beatum Franciscum ostensus sit, ut hoc opus ostendit non solum in ultimo scilicet passione, sed etiam in actibus pluribus vitae sibi similem reddendo et conformem, ut praecedentes conformitates ostendunt et sequentes, praecipue tamen beati Francisci ad Christum amorem ostendit et affectum singularem animas diligendo et ipsarum salutem optando et procurando, quam salutem Christi exemplo inductus est et animatus procurare, prout haec pars secunda huius conformitatis declarat, vel declarare intendit. Cum enim Christus pro salute ovium suarum, ut bonus pastor dederit animam suam: hoc animatus Franciscus salutem animarunn ferventissime procuravit; amorem, quem ad Christum habuit, reciprocavit et convertit ad animas ipsius sanguine pretioso redemptas.

1. Sed quod beatus Franciscus habuit amorem et zelum ad animas et quantum, ex multis deprehendere possumus.

Primo ex sua destinatione. Ad animarum enim salutem fuit a Deo destinatus, sicut dicit IV pars *Legendae maioris*. Et ostensum est in libro primo conformitate II, parte secunda [2] quare beatus Franciscus Christo conformis voluntate hoc dilexit et egit.

Secundo ex eius ad Christum dilectione. Christi enim non se putabat amicum, nisi animas foveret, quas ille sanguine pretioso redemit, ut dicit IX pars *Legendae* [3].

Tertio ex suo discursu factus evangelicus praeco, ut dicit IV pars *Legendae* [4], ob animarum zelum civitates circuibat et castra, ad Christum convertens animas sua vita et praedicatione.

Quarto ex eius gemitu et ploratu. Cum enim cerneret animas Christi sanguine pretioso redemptas inquinari aliqua sorde peccati, tanta miserationis teneritudine deplorabat, ut eas tamquam mater in Christo quotidie parturiret, ut dicit pars VIII *Legendae* [5].

Quinto ex eius processu. Quia « non sibi soli vivere, sed aliis proficere, vult Dei zelo ductus », ut dicit IV pars *Legendae* et XII. Et sic accepit divina revelatione [6].

Sexto ex eius affectu et desiderio. Cum Christo enim salutem sitiebat omnium salvandorum, ut dicit XIV pars *Legendae* [7]. Nam cum animarum salutem viscerosa

(*a*) Al *mori cupire*. As *mori cupite mori*.

[1] AF IV 3-22. — [2] L. c. 69 sqq. S. Bonav. *Leg. Mai.* c. 4. n. 2. — [3] L. c. c. 9 n. 4. — [4] C. 4 n. 5. — [5] L. c. c. 8 n. 1. — [6] C. 4 n. 2; c. 12. n. 1. Sed textus est ex Iuliani Spirensis *Officio S. Francisci*, ad Laudes, Antiph. I; cf. eiusdem *Leg. S. Franc.* n. 23: Acta SS. Oct. II, n. 251, p. 593. — [7] N. 1.

pietate appeteret et fervida emulatione zelaret, suavissimis se dixit repleri odoribus et quasi unguento pretioso liniri, cum sanctorum fratrum per orbem distantium odorifera fama multos audiret ad viam veritatis induci.

Septimo ex eius affatu et eloquio. Praedicationis eius verba ad quid erant? Certe, ut dicit III[1] pars *Legendae*, ad poenitentiam homines invitantia. Et in IV parte *Legendae*[2] dicitur, quod: « praedicationis eius fervore succensi plurimi utriusque sexus in coniugali pudicitia Domino famulantes, secundum formam a Dei viro acceptam, novis se poenitentiae legibus vinciebant, quorum vivendi modum idem famulus Dei ordinem fratrum de poenitentia nominandum decrevit ». Convertebantur etiam virgines ad perpetuum caelibatum. « Multi etiam, non solum devotione compuncti, sed perfectionis Christi desiderio inflammati, omni mundanorum varietate contempta, Francisci vestigia sequebantur. Et causa »? Quia homo videbatur alterius saeculi, quippe qui mente ac facie in caelum semper intentus omnes sursum trahere conaretur, ac eius eloquia non risu erant digna, nec inania, sed virtute Spiritus Sancti plena, medullas cordis penetrantia, ut in vehementem stuporem audientes converterent et obstinatorum mentes efficacia virtuosa mollirent.

Octavo ex habitu. Cum enim in habitu formam gereret Crucifixi, homines tam ruditate, quam forma ad bonum videntes incitabat[3].

Nono ex convictu. In V[4] parte *Legendae* sic dicitur: « Modos adinveniebat abstinentiae potioris, et quotiedie (*a*) exercitatione crescebat; licetque iam perfectionis culmen attingeret, ut semper incipiens, aliquid innovabat, afflictionibus carnis puniendo libidinem. Egrediens tamen exterius, propter verbum evangelii conformabat se suscipientibus ipsum in qualitate ciborum, cum tamen, ad interiora digressus (*b*), districte servaret rigidam abstinentiae parcitatem ». Sequitur: « sicque seipsum austerum sibi, humanum proximo, subiectum evangelio Christi per omnia reddens, non solum abstinendo, verum etiam manducando praebebat aedificationis exemplum.

Decimo ex eius in exemplis dandis conatu. Ut enim omnes converteret, omnibus se in exemplum virtutum exhibuit, unde in IX parte *Legendae*[5] « saluti animarum nihil praeferendum esse dicit (*c*), eo maxime probans, quod Unigenitus Dei pro animabus dignatus fuerit in cruce pendere; hinc sibi in oratione luctamen, in praedicatione discursus et in exemplis dandis excessus. Unde quoties austeritas nimia reprehenderetur in ipso, respondebat se datum aliis in exemplum. Licet enim innocens caro eius, quae se iam sponte subdebat spiritui, nullo propter offensas indigeret flagello, tamen exempli causa renovabat illi poenas et onera, *custodiens* propter alios *vias duras*. Dicebat enim: *Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem in meipso non habeam*[6] et proximis virtutum exempla non monstrem, parum prosum aliis, mihi autem nihil ».

Undecimo ex oratione. Cum enim, ut dicit X pars *Legendae*[7], orationis vi mentis semper esset intentus in oratione, « tamen auditus est a fratribus ipsum pie observantibus, aliquoties clamorosis gemitibus apud divinam pro peccatoribus interpellare

(*a*) Sic As, Edd. et Bonavent.; sed Al *continue*. — (*b*) Edd. et Bonav. *regressus*. — (*c*) As, Edd. et Bonav. *dicens*.

[1] N. 2. — [2] N. 6 et 7. — [3] *Leg. Mai.* c. 2. n. 6; cf. c. 5 n. 1. — [4] N. 1. — [5] N. 4. [6] I Cor. 13, 1. — [7] N. 4.

clementiam »; multosque sua convertit oratione, sicut de latronibus patuit I libro conformitate XI, parte secunda [1].

Duodecimo ex fratrum ad praedicandum emissione. Statim enim, ut fratres ad numerum habuit octonarium, cupiens universitatem fidelium ad poenitentiae lamenta vocare, eos in modum crucis dividendo, ad quatuor partes orbis, ipso etiam eunte, direxit, ut dictum est I lib. XI conformitate parte secunda [2].

Tertio decimo ex sua benedictione. Benedictionibus omni acceptione dignissimis accumulabat fratres illos, qui verbo vel opere ad Christi amorem inducerent peccatores. Sic et per oppositum maledictionem imprecabatur his, qui suo malo exemplo destruunt et confundunt, quod per alios sanctos fratres Deus aedificat, ut ostendit VIII pars *Legendae* [3].

2. Quartodecimo et quoad hoc ultimo, zelus ad animas ostenditur beati Francisci, et salutem non solum omnium optasse, sed procurasse ex sacrae indulgentiae, quam a Christo impetravit, adiuvante beata Maria, et a Papa Honorio III obtinuit impetratione. Cum enim ipse beatus Franciscus cum Christo Salvatore omnium desideraret salvationem, et ubique esse non posset, nec fratres dirigere pro omnium salute, ac in mundo isto adesse semper non posset, quia mortalis, cogitavit modum et viam, quo omnes homines salutem possent obtinere ex remissione omnium peccatorum suorum. Et hanc reperit, videlicet, a Christo impetrare indulgentiam pro aliqua certa die anni, ut faciendo aliquid, videlicet, intrando ecclesiam sanctae Mariae de Angelis dictam de Portiuncula de Assisio, quam ipse reparaverat et ordinem fratrum minorum ibidem ipse inceperat, die secunda augusti incipiendo a vesperis primae diei usque ad vesperas secundae diei, per diem scilicet naturalem 24 horarum, cum confessione et peccatorum contritione, omnium peccaminum reciperet absolutionem. Et quod cogitavit, opere perfecit; dictam indulgentiam, ut optaverat, a Christo impetrando et obtinendo, ac etiam a papa. Verum, quia beatus Franciscus noluit a papa bullam de hac indulgentia, nec Christus permisit eum accipere, volens bulla sacrorum stigmatum suorum beato Francisco impressorum, istam indulgentiam confirmari, ut diabolus asserere habuit, ut dicetur. Quia ergo (*a*) nonnulli ipsam veram nolunt credere, praemisso modo, quo beatus Franciscus eam a Christo obtinuit et a papa, et quo etiam ad diem, demum circa ipsius authenticationem et veritatem insistam, eam probando viis pluribus fore verissimam [4].

Cupientes scire modum, quo beatus Franciscus, sicut socii beati Francisci sanctitate praeclari et veritate, videlicet, fratres Bernardus de Quintavalle, Leo, Petrus Cathanii, Angelus de Reate, Philippus Longus, Massaeus Marignani et Gulielmus retulerunt cuidam civi de Assisio, nomine Michaeli Bernardi de Spello [5], qualiter beatus

(*a*) Edd. *Quia ob hoc nonnulli.*

[1] A F IV 505 sqq. *Actus* c. 29. — [2] A F IV 494 sq. *Leg. Mai.* c. 3 n. 7. — [3] N. 3. — [4] Cf. AFH I 31-44 et *Fr. Francisci Bartholi de Assisio Tractatus de Indulgentia S. Mariae de Portiuncula*, ed. P. Sabatier, Paris 1900. — [5] Quamquam hisce innuere videatur Pisanus, se relationem Michaelis Bernardi (Sabatier, *Bartholi*, p. LXXXII-VI) hic sequi, hoc non quadrat, sed suam relationem ex illa M. Bernardi, diplomatis Fr. Conradi, episcopi Assisiensis (l. c. p. XC-XCVI), et capitulorum 5-10 Tractatus Fratris Francisci Bartholi (l. c. p. 13-25) conflat, modo phrases, modo verba tantum omittens, nihil novi addens.

Franciscus indulgentiam S. Mariae de Assisio obtinuit, primo a Christo, postmodum a papa Honorio tertio, est iste. Dum beatus Franciscus staret in cella sua apud sanctam Mariam de Portiuncula et « Deum ferventissime pro peccatoribus exoraret, apparuit sibi Angelus Domini, dicens: quod iret ad ecclesiam, quoniam Christus et beata Maria cum magna multitudine angelorum ipsum expectabant. Quo cum perexisset, et Christum cum matre vidisset, quae stabat a dextris eius cum multitudine Angelorum, cecidit in faciem suam prae timore et reverentia. Et tunc Dominus noster, Iesus Christus, beato Francisco prostrato in terra ante eius conspectum et matris, locutus est et dixit illi: « Francisce, multum sollicitus es cum tuis sociis pro salute animarum. Postula ergo, quod vis circa salutem gentium et consolationem animarum et honorem Deitatis et reverentiam: quia datus es in lucem gentium et reparationem Ecclesiae terrestris ». Et ipse iacebat quasi raptus in conspectu deitatis. Et tandem *reversus ad cor*[1] et confortatus, dixit: « Sanctissime Pater noster, supplico ego miser peccator, quatenus digneris facere hanc gratiam humano generi, quod concedas veniam et indulgentiam omnibus et singulis venientibus ad locum istum et introeuntibus in ecclesiam istam, omnium peccatorum suorum integraliter (*a*), de quibus confessionem fecerint sacerdoti et mandatum susceperint. Et supplico beatae Mariae matri tuae, advocatae humani generis, quatenus pro huiusmodi petitione me adiuvare et apud tuam piissimam et clementissimam Maiestatem intercedere dignetur ». Et ipsa regina caelorum, humillima et beatissima, inclinata precibus beati Francisci, statim coepit supplicare Filio suo dicens: « Altissime Deus, omnipotens, supplico humiliter Deitati tuae et intercedo, quatenus dignetur Maiestas tua se inclinare precibus beati Francisci famuli tui ». Et ipsa divina maiestas statim locuta est dicens: « Satis grande est, quod petisti; sed maioribus dignus es, frater Francisce, et maiora habebis, et ego petitionem tuam et orationem admitto. Sed volo, quod vadas ad meum Vicarium, cui dedi potestatem ligandi atque solvendi in caelo et in terra, et petas ab eo ex parte mea dictam indulgentiam.

Duodecim socii beati Francisci, qui erant in cellis suis, omnia praefata audiebant, videntes lumen magnum in ecclesia et multitudinem angelorum in circuitu. Sed timore perterriti, ausi non erant ecclesiam intrare, nec cellas exire. Statimque Christus cum multitudine angelorum et matre caelum adiit. Beatus Franciscus, mane sociis convocatis, praecepit praefata ne alicui dicerent; et sumpto fratre Massaeo de Marignano pro socio, ad dominum papam Honorium, tunc cum curia Perusii existentem, accessit et coram dicto domino Honorio se praesentans dixit: « Sancte pater, nuper ad honorem beatae Virginis, matris Christi, reparavi vobis unam ecclesiam. Supplico ergo Sanctitati vestrae, ut ponatis ibi indulgentiam absque oblationibus ». Qui respondit: hoc convenienter non posse fieri; « quoniam qui indulgentiam petit, oportet quod ipsam indulgentiam mereatur, ponendo manum adiutricem. Sed indica mihi, quot annos vis, quod de indulgentia ponam ibi ». Cui beatus Franciscus respondit: « Sancte pater et domine; placeat Sanctitati vestrae non dare annos, sed animas ». Et dominus Papa: « Quomodo vis animas »? Beatus Franciscus respondit: « Sancte pater, volo, si placet Sanctitati vestrae, quod quicumque venerint ad ipsam Ecclesiam confessi

(*a*) As Edd. *universaliter et generaliter*.

[1] Cf. Psalm. 84, 9.

et contriti, et sicut expedit absoluti per sacerdotem, absolvantur a poena et a culpa in caelo et in terra, a die sui baptismatis usque ad diem et horam introitus ecclesiae supradictae ». Et dominus papa respondit: « Multum est, quod petis, Francisce, nec est curiae Romanae consuetudo talem indulgentiam exhibere ». Tunc beatus Franciscus respondit: « Domine, quod peto, non ex parte mea, sed ex parte illius peto, qui misit me, Dominus Iesus Christus ». Tunc papa, intulit ter dicens publice: « Placet mihi quod habeas ». Domini tamen cardinales, qui tunc aderant, responderunt: « Videte, domine, si huic talem indulgentiam exhibetis, ultramarinam destruitis, et indulgentia beatorum Petri et Pauli ad nihilum redigetur et reputabitur ». Respondit dominus papa: « Dedimus et concessimus eam sibi; non possumus, nec expedit id destruere, quod factum est. Sed modificemus eam, quod tantum ad diem naturalem se extendat ». Tunc vocavit papa beatum Franciscum et dixit sibi: « Ecce ex nunc concedimus tibi, quod quicumque venerit et intraverit dictam ecclesiam bene confessus et contritus, sit absolutus a culpa et a poena; et hoc valere volumus singulis annis in perpetuum, tantum per diem naturalem, a primis vesperis includendo noctem, usque ad vesperas sequentis diei ». Tunc beatus Franciscus inclinato capite egrediebatur de palatio. Et dominus papa videns eum abire, vocans eum, dixit: « O simplicione, quo vadis? quid portas tu de huiusmodi indulgentia »? Et beatus Franciscus respondit: « Tantum sufficit mihi verbum vestrum. Si opus Dei est, ipse suum opus habet manifestare; de huiusmodi autem ego nolo aliud instrumentum, sed tantum sit charta beata Virgo, notarius sit Christus, et testes sint angeli ». — Ipse autem recedens de Perusio et rediens Assisium, in medio viae, in loco, qui dicitur Colle, ubi erat hospitale leprosorum (*a*), cum socio aliquantulum obdormivit. Excitatus vero, post orationem vocavit socium suum et dixit sibi: « Frater Massaee, dico tibi ex parte Dei, quod indulgentia mihi a summo pontifice exhibita, est confirmata in caelis ». In his autem omnibus diem determinatam beatus Franciscus non habebat nec a Christo, nec a papa.

Sed diem determinatam modo subsequenti a Christo obtinuit beatus Franciscus et a papa. Cum esset beatus Franciscus in cella, quae erat in horto post ecclesiam sanctae Mariae, hoc anno de mense ianuarii nocturno tempore, quasi media nocte, et ecce (*b*) sathan venit ad eum iuxta cellam. Et cum beatus Franciscus esset in oratione, dixit ei: « Francisce, quare tu vis mori ante tempus? Quare stas ad talia faciendum? Nescis tu, quod dormire est potius alimentum vitae corporis? Tu iuvenis es, cui dormire et quiescere potissimum est, et alias tibi dixi, quod tu iuvenis es, et poteris aliter facere poenitentiam de peccatis tuis. Ad quid ergo affligis te in vigiliis et orationibus »? Et beatus Franciscus spoliavit se tunica sua et femoralibus, et exivit de cella et intravit per grossam et clausam saepem, et ingressus est silvam durissimam et spinosam, quae erat iuxta praedictam ecclesiam Sanctae Mariae. Et cum ipse beatus Franciscus esset in medio silvae, carne tamen spinis concremata et sanguinolenta, dixit ad se: « Melius est inaestimabiliter, quod sic agnoscam passionem Salvatoris Domini Iesu Christi, quam obtemperem blanditiis deceptoris ». Et statim fuit in medio silvae lumen maximum; et in maximo gelu, sicut in mense ianuarii flores rosarum apparuerunt, et coetus angelorum innumerabilis apparuit tam in silva, quam in ecclesia, iuxta quam erat silva praedicta. Et tunc angeli una voce

(*a*) Al, As add. *in quo*. — (*b*) Al, As *et ecce;* (uti M. Bernardi l. c. LXXXIII).

dixerunt beato Francisco: « Accedas velociter ad Salvatorem et ad matrem eius stantes in ecclesia ». Tunc beatus Franciscus se invenit indutum vestimento novo; quomodo vero et qualiter, ipse ignoravit. Et tunc apparuit via recta quasi de serico et ornata ad eundum in dictam ecclesiam. Et ipse beatus Franciscus accepit de rosario duodecim rosas rubeas et duodecim albas, et ivit statim per viam illam in dictam ecclesiam Sanctae Mariae, et accessit ad altare et posuit ibi rosas, quas secum detulerat. Et tunc vidit Dominum Iesum Christum stantem et beatam Virginem, matrem eius a dextris eius, cum magna multitudine angelorum. Et beatus Franciscus locutus est dicens: « Sanctissime Pater noster, ordinator caeli et terrae, digneris ordinare propter magnam tuam clementiam (*a*), diem ipsam indulgentiae, assistente ad haec beatissima Virgine, matre tua, humani generis advocata ». Cui Christus respondit: « Volo, quod sit dies illa, in qua beatus Petrus fuit a vinculis absolutus, incipiendo a secundis vesperis illius diei, usque ad vesperas sequentis diei, includendo noctem ». Et sic divina maiestas statuit, a vesperis primae diei augusti, includendo noctem, usque ad vesperas secundae diei eiusdem mensis (*b*), ut quicumque venirent eo die contriti et confessi de peccatis suis, de quibus memores exsisterent, quod remissa sint eis omnia peccata (*c*), quae per eos commissa sunt a die baptismatis, usque ad diem introitus ipsius ecclesiae Sanctae Mariae nominatae. Et ipse beatus Franciscus ait: « Sanctissime pater noster, qualiter fiet, quod istud veniat in scientiam et credulitatem humani generis »? Et ipse Dominus noster ait: « Francisce, hoc fiet Deo favente et prosperante, et auxilium praebente gratia sua; tu tamen habes ire Romam ad vicarium meum, quem constitui, cui potestatem dedi ligandi atque solvendi, ut ipse faciat patefieri, prout ei videbitur expedire ». Et ipse beatus Franciscus dixit: « Qualiter credet mihi vicarius tuus? forte non credet mihi peccatori ». Et ipse Dominus omnipotens dixit beato Francisco: « Deferas tecum testes aliquos de sociis tuis, qui audierunt, et rosas rubeas et albas, quas de mense ianuarii collegisti in silva in afflictione et disciplina corporis tui, et in eo numero rosarum, qui (*d*) tibi videtur expedire. Praedicta omnia audierunt frater Petrus Cathanii, frater Rufinus Siphii, frater Bernardus Quintaevallis (*e*), et frater Massaeus Marignani et socii, qui stabant in cellis suis extra ecclesiam in horto, ubi est cella beati Francisci. Et tunc beatus Franciscus de illis rosis, quas detulerat de silva, accepit tres rubeas et tres albas ad honorem sanctissimae et individuae Trinitatis et ad laudem Dei et beatae Mariae Virginis. Et deinde cantus angelorum insurrexit maximus, et cantaverunt: *Te Deum laudamus.*

Post haec, in mane beatus Franciscus reaccepit tunicam suam et accessit ad illos tres socios suos et dixit illis: « Praeparate vos ad veniendum mecum Romam ». Et imposuit eis silentium de his, quae audierant. Et illi fuerunt frater Petrus Cathanii, frater Bernardus Quintaevallis et frater Angelus de Reate. Et ceperunt iter ad eundum Romam, aliis sociis in loco relictis. Et ingressi civitatem Romanam, direxerunt gressus suos versus ecclesiam lateranensem, et ibi invenerunt papam Honorium successorem Innocentii, vicarii Domini nostri (*f*) Iesu Christi. Cui beatus Franciscus omnia supradicta pro parte Domini retulit. Et de his perhibuerunt testimonium tres fratres supradicti et illis sex flores rosarum, tres albi et tres rubei, superius nominati. Et

(*a*) Edd. *misericordiam.* — (*b*) Sic As, Edd. (et Bartholi c. 8); Al denuo: *Augusti includendo noctem, ut quic.* — (*c*) Edd. om. *peccata.* — (*d*) As, Edd. *quod tibi videbitur.* — (*e*) As, Edd. *de Quintavalle.* — (*f*) As *vicarium Domini I. Chr.*

ipse papa Honorius, aspiciens in mense ianuarii flores rosarum ita recentes et tam acuti odoris et coloris, dixit: « Vere hoc est bene mirabile et potius deitatis quam humanitatis, et scimus, quod verum est testimonium eorum. Nos tamen, dixit papa, loquemur cum fratribus nostris et audiemus in consilio secreto responsa eorum, et deliberabimus, quid super his sit faciendum. Et tunc iussit familiae suae, ut reciperetur beatus Franciscus cum sociis suis in loco congruo et honesto, et necessaria darentur pro velle fratribus suis. Et mandavit beato Francisco, quod die sequenti diluculo esset coram eo. Et sicut dominus papa mandavit, sequenti die diluculo exstitit coram eo dicens: « Digne Christi vicarie, adimpleatis circa materiam praedictam voluntatem regis caelestis et matris eius, cuius vocabulo ecclesia Angelorum sive Sancta Maria (*a*) de Portiuncula nuncupatur ». Et ipse papa respondit dicens: « Frater Francisce, asseras coram omnibus fratribus nostris et dicas, quae voluntas regis caelestis et matris ipsius, licet alias dixeris tu et fratres tui ».—Et beatus Franciscus respondit dicens: « Voluntas eius est, ut a vesperis primae diei augusti, usque ad vesperas secundae diei dicti mensis, quicumque introierit (*b*) ecclesiam Sanctae Mariae de Angelis, sive de Portiuncula, Assisinatis dioecesis, remittantur sibi peccata sua omnia, a die sui baptismatis citra, de quibus recordatur, et in poenitentia seu confessione memoriam fecerit et mandatum susceperit a sacerdote, corde contrito et humiliato, et absolutus fuerit per ipsum sacerdotem post mandatum susceptum ». Et dominus papa respondit: « Frater Francisce, magnum est quod petis, sed postquam rex caelestis, Dominus Iesus Christus, ad instantiam beatae Virginis, matris eius, tuam orationem exaudivit, nos scribemus episcopo Assisinati, Perusino, Tudertino, Spoletano, Fulginati, Nucerino et Eugubino, quod conveniant ad locum Beatae Mariae de Angelis, sive de Portiuncula, prima die augusti, et notificent cum sociis suis indulgentiam, quae tibi placuerit ». Et sic beatus Franciscus, acceptis litteris summi pontificis, cum sociis ad praedictos episcopos venerunt (*c*), et fecerunt litteras praesentari. Et procuravit ipse beatus Franciscus, quod in die prima kalendarum augusti omnes praedicti episcopi ad dictam ecclesiam convenirent.

Et factum fuit pergulum ligneum, in quo omnes dicti episcopi ascenderunt simul cum beato Francisco, et cum magna multitudo gentium ibi esset circa pergulum congregata, quasi in media tertia, dixit beatus Franciscus ad episcopos (*d*): « Quis vestrum vult dicere et praedicare et indulgentiam nuntiare? » Et ipsi episcopi convenerunt in unum et dixerunt intra se: « Nos, frater Francisce, habemus sequi tuam voluntatem secundum tenorem litterarum papalium ». Et beatus Franciscus dixit: « Licet non sim dignus, volo aliqua dicere et praedicare in conspectu gentium istarum, et annuntiabo indulgentiam de mandato regis caelestis, quae fit ad instantiam beatae Virginis, matris Christi. Et vos de mandato summi pontificis, vicarii ipsius, auctoritatem praebeatis et annuntiabitis una mecum. Et surrexit beatus Franciscus et praedicavit adeo benigne et utiliter, ut videretur angelus caelestis et non homo carnalis. Et perfecto sermone, denuntiavit indulgentiam, videlicet, ut quicumque veniret ad ipsam ecclesiam Sanctae Mariae de Angelis, et ingressum haberet (*e*), a vesperis primae diei augusti usque ad vesperas secundae diei dicti mensis, tam de nocte quam de die, includendo noctem sicut diem, remittuntur (*f*) sibi omnia peccata sua,

(*a*) As, Edd. om. ***Sancta Maria.*** — (*b*) As ***intraverint in.*** Edd. ***intraverit in.*** — (*c*) Sic Codd. Edd. Bartholi, Conr. et Bern. — (*d*) As ***inter episcopos.*** Edd. ***ipsis episcopis.*** — (*e*) Edd. ***venerit... habuerit.*** — (*f*) As, Edd. ***remittantur.***

postquam confessionem fecerit, a die baptismatis usque ad praedictum diem (et hoc (*a*) locum habeat in quolibet anno in perpetuum), de quibus recordatur et non recordatur. Audientes vero episcopi indignati sunt et scandalum passi sunt de hoc, quod dixerat beatus Franciscus. Ad quem dixerunt: « Licet papa mandavit (*b*) nobis, quod sequeremur circa hoc voluntatem tuam, non fuit tamen suae opinionis, quod sequeremur in hoc, quod congruum non est; unde annuntiabimus (*c*) indulgentiam decem annorum ». Et sic exsurrexit episcopus Assisinas, volens (*d*) dicere de decem annis; et dixit, quidquid dixit beatus Franciscus, et aliud non potuit (*e*) dicere; et sic consequenter omnes alii episcopi. Et ad hoc fuerunt multi testes, tam de Perusio quam de aliis civitatibus et castris de contrata, videlicet: dominus Suppolinus Ugollini, presbyter, dominus Andreas de Monte Mellino de Assisio, frater Neapoleo (*f*) de Armenzano, dominus Ioannes Gualterii, pater domini Ioannis (*g*), dominus Ioannes Petri Tibalducii (*h*), dominus Brundus Lamanfri (*i*) et universaliter (*k*) multi alii de contrata, qui hic non sunt scripti: qui omnes fuerunt praesentes dictae annuntiationi indulgentiae per beatum Franciscum et per praedictos episcopos ». Praefatis ergo apparet, quomodo beatus Franciscus dictam indulgentiam a Domino Iesu Christo obtinuit primo, et postea a papa, et quoad diem.

3. Restat igitur videre, quia bulla non habetur de hoc, de veracitate huius sacrae indulgentiae. Ubi sciendum, quod veritas huius sacrae indulgentiae multis apparet viis, et testimoniis comprobatur.

Et primo divinorum. Istam enim esse veram indulgentiam ostendit Deus, ut patet ex supradictis a sanctis fratribus attestatis. De modo huius indulgentiae a beato Francisco obtentae, patet (*l*) multis miraculis. — Et primo miraculo eam pro aliis beato Francisco concedendo. Nunquam talem enim indulgentiam Christus alicui sanctorum dedit et concessit, sed soli beato Francisco, ubi ostendit affectum piissimum ad animas et beatum Franciscum prae aliis sanctis sibi dilectissimum et acceptissimum. — Secundo miraculo rosas de mense ianuarii producendo, et beato Francisco ostendendo et tradendo, ut domino papae deferret in testimonium indulgentiae, ab ipso beato Francisco datae et concessae. — Tertio miraculo summi pontificis, ad beati Francisci petitionem, impetratione indulgentiae, voluntatem inclinando et flectendo; hoc fuit singulare et divinum, ut dominus papa talem dederit indulgentiam ipsi beato Francisco. — Quarto miraculo ipsam indulgentiam a papa concessam in coelo confirmando, et diem pro tali indulgentia sic miraculose determinando et statuendo. — Quinto miraculo beatum Franciscum suis sacris stigmatibus consignando, teste enim diabolo, stigmatum impressio bulla fuit approbationis illius sacrae indulgentiae [1]. — Sexto miraculo uno ore septem episcopos, contra velle ipsorum, loqui faciendo in huius indulgentiae pronuntiatione. — Septimo miraculo eam sic per orbem divulgando. Iuxta enim quod promisit de notificatione

(*a*) Al, As om. *hoc*. — (*b*) Edd. *mandaverit*. — (*c*) Edd. *denuntiabimus*. — (*d*) As, Edd. om. *volens*. — (*e*) As, Edd. *nec aliud pot.* — (*f*) Edd. *fr. Napoleo* (Bartholi p. 25, Conrad. et Bernard. p. LXXXVI p. XCV: *Dominus Neapoleo*). — (*g*) Sic Codd. et Edd. (Bartholi et Conr. *Gualterii pater Domini Hieronymi*). — (*h*) Item; (Barth. Conr. *Tubaldutii*). — (*i*) Item; (Barth. *Blandus Lamanstri;* Conr. *Blundus Lamassi*), Bern. *Pende Tubaldini* (!); Bartholi et Conr. alios quoque addunt. — (*k*) Sic Al et Edd.; As *similiter*. — (*l*) Al, As om. *patet*.

[1] *Bartholi*, c. 37, p. 78. Cf. infra p. 46-7.

huius indulgentiae, sic fecit; non enim fratrum praedicatione, sed divina operatione haec indulgentia in mundo toto est divulgata. — Octavo miraculo plura signa faciendo et exercendo; plures enim, ut dicetur [1], daemoniaci ad indulgentiam sunt deducti, et intrantes ipso die ecclesiam S. Mariae sunt liberati. — Nono ipsam pro defunctis applicatam acceptando, defunctos a poenis purgatorii eripiendo et absolvendo, ut dicetur [2]. — Decimo miraculo diabolum ad veritatem dicendam de hac sacra indulgentia cogendo et arctando, ut dicetur [3]. — Undecimo sanctos Dominicum et Petrum ad testificandum mittendo et destinando, ut dicetur [4]. — Duodecimo miraculo contritis et confessis, ipsam ecclesiam pro indulgentia accipienda intrantibus, omnia peccata plenarie dimittendo et relaxando, ut ostendetur [5]. His duodecim miraculis, ut duodecim testimoniis divinis, veritas huius indulgentiae a Deo est declarata.

Confirmatur veritas huius indulgentiae secundo, testimoniis Virginis gloriosae, quae non solum in impetratione ipsius indulgentiae a Christo beatum Franciscum iuvit, sed et aliis signis ipsam veracissimam complacuit demonstrare. « Anno Domini 1303 (*a*) [6], cum populus, ut moris est, ipsa nocte indulgentiae circa ecclesiam excubaret, motus magnus et tumultus subito consurrexit, ita quod ipsi fratres, qui in pergulo, quod prope portam loci est, quiescentes, simul excitati, causam tanti rumoris et tumultus scire cupientes, et cum undique circumspicerent, nil aliud viderunt nisi columbam albissimam volatu celeri circuire bene per quinque vices ecclesiam. Unus vero ex fratribus ipsis, videlicet frater Franciscus Cecci (*b*), volens factum amplius indagare, intravit in ecclesiam et fratrem Conradum sanctae memoriae de Offida, qui nunc gloriosus miraculis in loco de Insula requiescit [7], circa altare orantem invenit; cui et dixit: « Pater carissime, sicut auditis, tumultus et clamor magnus, tanquam si aliquod miraculum sit, insurrexit in populo, sed causam eius non vidimus ». Qui respondit: « Filii, volo ut ea, quae tibi pandam, secrete teneas, et usque in diem mortis meae nulli hominum unquam manifestes. Vidi, inquit, Virginem gloriosam, reginam caeli, inaestimabili claritate, nimiaque luce circumfusam et puerum Iesum in brachiis tenentem, de sublimitate caelorum descendere. Qui puer dulcissimus omnem populum, qui ex devotione praesens est, sine intermissione propriis manibus benedixit ac suam gratiam impertivit, et haec est causa commotionis et tumultus, quem audistis ». — Anno Domini 1326, in die indulgentiae, dum quaedam sancta domina staret « sub quadam quercu ante ecclesiam Portiunculae existente, vidit ante fratrum processionem cantantium, Christum et beatam Virginem cum maxima multitudine angelorum cantantium et iubilantium alta voce. Cumque Christus et beata Virgo, simul cum angelis dictam ecclesiam introissent, et fratres post eos intrare coepissent, tunc visio disparuit, nec ulterius vidit [8] ». — Anno Domini 1326 (*c*) frater Gregius (*d*) de Urbeveteri [9], confessus primo, dum iret versus dictam ecclesiam, « Christum stantem ante ianuam dictae ecclesiae et beatam Mariam iuxta eum vidit. Et ipsa, inclinato capite, filio suo regratiabatur de tanta gratia, quam fecerat peccatoribus. Vidit etiam beatam Virginem respicientem in ecclesiam et dicentem haec verba:

(*a*) Al *1233*. As *1033* (!). Edd. *MCCXXXIII;* Bartholi. *MCCCIII.* — (*b*) As *Franciscus Toti,* Edd. *Fr. Franciscus,* sine alio nomine; Bartholi, *Coctii.* — (*c*) Codd. et Bartholi sic; Ed. II. *MCCCXXVII.* — (*d*) As *Gregorius,* Al *Gregius;* in hoc *or* postea suprascriptum est. Edd. *Gregius.* Bartholi, c. 35, *Gregius de Sancto Severo de Urbeveteri.*

[1] Infra p. 43 sqq. — [2] Infra p. 48 sqq. — [3] Infra p. 43 sqq. — [4] Infra p. 38. — [5] Infra p. 39 sqq. — [6] *Bartholi,* c. 20, p. 41 sqq. — [7] AF IV, 233 sq. 504. — [8] *Bartholi,* c. 27. — [9] L. c. 35.

« In loco isto est thesaurus vitae aeternae ». — Anno Domini 1326, pridie kalendas augusti, quidam peregrinus de Treveri Alamaniae[1] venit Assisium ad indulgentiam, et cum ad civitatem tarde pervenisset, non potuit intrare; sed ad unum paleare divertens, ibidem stetit. Sed cum audiret « pulsari in loco fratrum ad matutinum, surrexit, ut diceret horas suas; et ecce quaedam domina pulcherrima apparuit iuxta eum, habens puerum Iesum in brachio et in alio cereum, qui illuminabat totum locum. Quam agnoscens esse beatam Mariam, ait ad eam: « O Domina mea, roga (*a*) filium tuum pro me ». Et Domina nihil respondit. Iterum ille precibus dixit: « O Domina mea, mater misericordiae, miserere mei ». Et domina ad eum: « Non respondebo (*b*) tibi hic, sed respondebo tibi hinc ad tres dies in ista mea ecclesia ». Et his dictis, disparuit. Qui de mane Assisium intrans, venit ad locum et confessus est, praedicta fratri Engilberto de Colonia per singula enarravit, et devote indulgentiam habuit ».

T e r t i o probatur veritas indulgentiae testimonio S a n c t o r u m (*c*). Et primo sanctorum Dominici et Petri martyris de ordine Praedicatorum[2]. — Tempore papae Bonifacii VIII, multi utriusque sexus ad numerum 120, de Sclavoniae partibus veniebant ad (*d*) indulgentiam Sanctae Mariae de Portiuncula, et cum ad portum devenissent Anchonae, in terram descendentes, visitaverunt ecclesias praedictae civitatis. Sed ad ecclesiam Praedicatorum accedentes, quidam de fratribus videns eos, interrogavit: quo pergerent, et quare tot simul venissent. Qui responderunt: se velle accedere Assisium ad indulgentiam Sanctae Mariae de Portiuncula. Et frater ait: « O simplices, cur tot laboribus et caloribus vos exponitis? Ibi non est tanta indulgentia, sicut dicitur, nec fratres Minores de ipsa indulgentia possunt aliquod privilegium demonstrare. Sed hic in nostro loco est indulgentia magna »; sicut patet per litteras quas ostendit eis. Et conclusit: « Consulo, ne ad indulgentiam Sanctae Mariae vadatis, sed cum ista ad propria (*e*) redeatis ». Illi vero, tam propter laborem, quam verbis pravis dicti fratris Praedicatoris versus mare per iter, quo venerant, redire coeperunt, ut navi inventa ad propria remearent. Una tamen mulier ex ipsis dixit circumstantibus: « Etsi omnes ad verbum unius hominis iam tantum sanctum (*f*) laborem parvipenditis, ego sola, etiam si nulla sit ibi indulgentia, ob reverentiam beatae Virginis Mariae et beati Francisci, illuc pergam ». Et recedens ab aliis per viam quae ducit Assisium, quasi per duo milliaria ad quemdam collem errando pervenit. Et se circumspiciens, quemdam virum senem canitie venerandum, barbaque prolixa in habitu fratrum Praedicatorum, iuxta se stantem vidit. Quam ille allocutus est, dicens: « Noli timere, quia bonum iter tuae animae aggressa es, et societas tua, subito adveniens, revertetur ». Cumque sic sermocinaretur, et ecce tota illa societas virorum ac mulierum, mutata animi voluntate, apparuerunt venientes; quos cum ipsa mulier esset intuita dixit: « Vere isti sunt socii mei, quos reliqui ». Et accedentes gavisi sunt, quod eam repperissent. Quibus senex, qui stabat cum ipsa muliere, dixit: « Parum requiescite, et verbum vobis exhortationis proponam ». Et inter alia haec intulit, dicendo: « Utile consilium revertentes habuistis, quia indulgentia Sanctae Mariae, ad quam itis, est magis certa et magis vera (*g*), quidquid homines dicant nescientes, quam aliquis

(*a*) As, Edd. om. *roga — domina mea mater.* — (*b*) As, Edd. *respondeo.* — (*c*) Ed. III (1590) om. omnia exempla, *sanctorum — Fr. Conradus* p. 39, l. 39. — (*d*) As, Edd. add. *dictam.* — (*e*) As add. *vadatis vel r.* — (*f*) As, Edd. *factum.* — (*g*) As, Edd. add. *coram Deo.*

[1] L. c. c. 38. — [2] *Bartholi,* c. 18.

possit sermonibus explicare, quia praesens fui, quando eam papa Honorius indulgentiam beato Francisco concessit, et quando eam in caelis Deus confirmavit ». Et his dictis, cunctis videntibus et mirantibus, dictus frater senex disparuit et evanuit ab oculis eorum. Quo facto, de hiis quae viderant, colloquentes et gaudentes Assisium devenerunt, ea quae Deus circa eos fecerat et ostenderat, tam fratribus quam aliis enarrantes. Mulier vero, quae ab iis recesserat, ut praedicitur, in Assisio infirmata graviter et ibidem, indulgentia percepta, vitam finivit. Et cum eius societas eam tradidisset sepulturae, ad propria redire coeperunt. Cumque, iam ascensa navi, navigare coepissent, et ecce mulier illa iam defuncta, non sine admiratione omnium, apparuit ambulans super aquas maris. Omnibus illa dixit: « Nolite timere! ego illa vestra sum socia, quam in Assisio sepelistis; sed idcirco Deus misit me ad vos, ut vobis innotescerem veritatem (*a*) indulgentiae iam perceptae, qua etiam mediante, ego absque omni poena purgatorii regna caelestia sum ingressa ». Quibus dictis, cunctis qui aderant videntibus, ab oculis eorum est sublata. Ipsi vero ad propria sunt reversi, narrantes mirabilia, quae circa eos Dominus fuerat operatus. Quidam vero ex ipsis, alio tempore ipsius indulgentiae venerunt Assisium, qui ad confirmationem primi miraculi, aliud quod viderant in mari, fratribus et aliis retulerunt.

Quaedam mulier [1] de Alamania ad indulgentiam (*b*) Sanctae Mariae de Portiuncula veniens, coram aliquibus fratribus et aliis multis ac Merlino, cive de Assisio, qui eius verba interpretabatur, ad altare beati Francisci cum iuramento subsequens miraculum de indulgentia narravit, dicens in hunc modum: « Ego iam a multis annis ad istam indulgentiam habui propositum veniendi, sed usque in hunc diem distuli pluribus distractionibus praepedita (*c*). Et cum mihi expensas et alia vitae (*d*) necessaria praeparassem, ad locum fratrum Praedicatorum, qui erant in terra mea, veni et a confessore meo (*e*) confessionem petens audiri, causam sibi prius mei itineris exprimendo. Qui indignatus, nec me audire voluit, nec dare licentiam veniendi; quia hic (*f*) indulgentiam tantam omnino denegabat. Cumque abirem versus domum meam, corde nimium conturbato, duos fratres Praedicatores versus locum tendentes obvios habui, qui dixerunt mihi: « Cur tantum appares conturbata? » Quibus cum causam exposuissem, dixerunt mihi: « Ne amplius contristeris, sed nobiscum revertaris ad locum; et tibi pro tua consolatione procurabimus confessorem ». Quod et feci. Et confessore per ipsos vocato, prout volui, confessionem feci. Et post haec, me presente, plures ex fratribus vocari fecerunt, et unus ex duobus dixit: « Fratres, indubitanter hoc scitote, quod indulgentia Sanctae Mariae de Angelis prope Assisium vera est et certa et coram Deo maior, quam ab aliquibus dicatur. Et ut me verum dicere credatis, noveritis me sanctum Dominicum, et istum socium meum sanctum Petrum martyrem esse. Et his dictis, (*g*) me et omnibus fratribus videntibus, disparuerunt et ab oculis nostris (*h*) ambo sublevati sunt. Et ego, tanto viso miraculo, iter mox aggressa sum, et sicut in praesentiarum cernitis adimplevi ». — Frater Conradus [2], qui suscitavit quinque mortuos, multoties istam indulgentiam praedicavit et asseruit veram; et sic esse, ut ipse frater Conradus dixerat, diabolus asseruit. — Frater sanctus Ioannes de

(*a*) As, Edd. et Barth. *virtutem.* — (*b*) As, Edd.: *indulgentiam praefatam veniens.* — (*c*) As *impedita.* — (*d*) As, Edd. *viae.* — (*e*) Edd. *et confessori meo causam mei itineris expressi. Qui.* — (*f*) Al *huiusmodi... tantam.* — (*g*) As add. *coram* et postea om. *videntibus.* — (*h*) As, Edd. *meis;* (Barth. *nostris*).

[1] *Bartholi,* c. 17. — [2] De Offida; cf. *Bartholi* c. 37, p. 75, l. 18. et infra p. 45, l. 29.

Alverna authentice deposuit coram testibus dicens [1]: « Ego frater Ioannes de Alverna confiteor me audivisse a fratribus Benedicto de Aretio, qui fuit socius beati Francisci et ab ipso sanctissimo patre indutus et receptus ad ordinem, Angelo de Burgo, sancto fratre Conrado de Offida, Graziano, socio sancti fratris Aegidii, Rainerio de Aretio, socio supradicti fratris Benedicti, Andrea de Burgundia, Matthaeo milite, Aegidio Capecio (*a*) de Assisio, Ioanne et Thoma de Assisio, Angelo de Perusio, Iacobo de Fallerono, Iacobo de Massa, Thoma de Trevio, Augustino de Roma, qui omnes fuerunt excellentissimi in sanctitate et veritate et omnes fuerunt cum sociis beati Francisci, quod ipsi scilicet audierunt a fratre Massaeo, socio praecipuo beati Francisci, quomodo ipse fuit cum sanctissimo (*b*) patre beato Francisco ad pedes summi pontificis, videlicet, domini Honorii, et quod summus pontifex liberalissime concessit indulgentiam saepedictam (*c*) in loco S. Mariae de Angelis. Aliorum etiam sanctorum est attestata haec indulgentia testimonio, ut statim dicetur.

Veritas huius indulgentiae probatur quarto testimonio aliorum, scilicet sociorum beati Francisci. — Primo fratris Massaei, a cuius ore supradicti habuerunt; de quibus dicit frater Ioannes de Alverna: ‚Qui frater Massaeus ivit Perusium et fuit cum beato Francisco, quando dictam indulgentiam a papa Honorio petiit et obtinuit' [2]. — Secundo sociorum beati Francisci, videlicet fratris Bernardi de Quintavalle, fratris Petri Cathanii et fratris Angeli de Reate, qui Romae fuerunt cum beato Francisco, quando papa Honorius diem indulgentiae determinavit. Et ipsi reddiderunt testimonium summo pontifici, quomodo Christus beato Francisco dictam indulgentiam concesserat [3]. — Tertio fratris Leonis, socii beati Francisci, qui dixit domino Iacobo Capoli (*d*) de Perusio [4], prout dictus dominus Iacobus fratri Angelo, ministro provinciae Sancti Francisci, coram pluribus fratribus retulit, quod ipse frater Leo habuit ab ore beati Francisci veritatem indulgentiae per modum subsequentem (*e*). Dixit enim beatus Franciscus fratri Leoni, quod ipse petiit a domino papa, quod faceret sibi indulgentiam in anniversario consecrationis ecclesiae. Et papa respondit: quantum vellet; et dixit papa de uno anno et de tribus, et venerunt usque ad septem. Et beatus Franciscus non erat contentus. Dixit iterum papa: quantum vellet. Respondit: « Volo, si placet, sancte pater, ut propter beneficia, quae Deus in illo loco fecit, indulgentiam omnium peccatorum, ut non habeant ultra brigam aliam ». Et papa respondit: « Et ego concedo, quod ita sit ». Et cum scivissent cardinales, dixerunt papae: quod revocaret eam, quia erat in praeiudicium terrae sanctae. Et papa respondit: « Nullo modo revocabo, postquam concessi » (*f*). Et dixerunt: « Arctate eam quantum potestis ». Et tunc dixit papa: quod valeret tantum per unam diem et noctem, vel a vesperis ad vesperas. Et cum exiret a papa beatus Franciscus post concessionem, audivit vocem dicentem sibi: « Francisce, scias, quod haec indulgentia, sicut data est tibi in terra, ita confirmata est in caelo ». Et dixit beatus Franciscus: « Teneas secretum hoc usque circa mortem tuam, quia non habet locum adhuc, quia haec indulgentia occultabitur ad tempus, sed Dominus trahet eam extra, et manifestabitur ». Sed dictus dominus Iacobus, volens magis certificari de hoc, inter-

(*a*) As *Capacio;* Edd. *Cappocio.* — (*b*) As, Edd. *beatissimo;* tunc Edd. *sancto.* — (*c*) As *supradictam.* — (*d*) Barth. *Cappoli.* — (*e*) Al add. *declarantem.* — (*f*) As, Edd. *promisi.*

[1] *Bartholi,* c. 14; ibid. p. LIX-LXIII — [2] *Bartholi,* item c. 14 et c. 12. — [3] Cf. supra p. 34 sq. — [4] Est testimonium Iacobi Coppoli, *Bartholi,* c. 13, ibid. p. XLIX-LIII.

rogavit iterum fratrem Leonem, et frater Leo respondit: quod ita erat, sicut dixerat sibi. — Quarto fratris Petri Cathanii, qui Michaeli de Spello, ut dictum est supra [1], quomodo beatus Franciscus acquisivit primo a Christo et postea a papa Honorio, coram multis fratribus enarravit. — Quinto fratris Martini (*a*), nepotis fratris Massaei, qui ab ore dicti fratris Massaei, avunculi sui, habuit, quomodo beatus Franciscus indulgentiam S. Mariae habuit a papa Honorio in Perusio [2]. — Sexto fratris Benedicti de Aretio, qui ab ore habuit fratris Massaei [3]. — Septimo fratris Rainerii de Aretio, qui ab ore habuit fratris Massaei, qui fuit socius beati Francisci, quando indulgentiam sibi concessit papa Honorius [4] (*b*). — Octavo Petri Zulphani, qui interfuit consecrationi ecclesiae Beatae Mariae, et audivit beatum Franciscum praedicare coram supradictis septem episcopis, et habebat quamdam cedulam in manu et dixit: « Ego volo vos mittere omnes ad paradisum, et annuntio (*c*) vobis indulgentiam, quam habeo ab ore summi pontificis. Et vos omnes, qui venitis hodie, et omnes, qui venerint annuatim die tali, bono corde et contrito, habeant indulgentiam omnium peccatorum suorum ». Haec iste dixit coram fratre Angelo, ministro provinciae Sancti Francisci, et pluribus aliis fratribus [5]. — Nono cuiusdam fratris Praedicatoris, de quo statim dicetur, qui Venetiis in loco ipsorum (*d*) Praedicatorum, coram multis fratribus habuit asserere, quod dicta indulgentia erat verissima, nam ipse fuit praesens, et erat domicellus cuiusdam cardinalis, quando beatus Franciscus ipsam indulgentiam a papa Honorio impetravit; et dixit hoc etiam multis dominabus, quibus a fratribus suis erat dissuasum de ipsa indulgentia [6]. — Decimo testimonio illorum virorum, de quibus dictum est supra [7], quod interfuerunt praedicationi beati Francisci et septem episcoporum, quando dictam indulgentiam primo beatus Franciscus, et postea ipsi divino miraculo denunciaverunt. Et praedicta omnia publico instrumento pro maiori parte sunt habita et ordinata. Multi (*e*) alii sunt de ista indulgentia testes, sed sufficiant praedicti.

Veritas huius sacrae indulgentiae probatur quinto testimonio beati Francisci. Cum enim beatus Franciscus impetravit eam a Christo, et ipsam habuit, ut socii sui audierunt, et tres summo pontifici domino Honorio hoc attestati sunt, et a domino Honorio in Perusio (*f*) ipsam beato Francisco obtinente, beatus Dominicus dixit se adfuisse, ut dictum est supra [8], et alius frater Praedicator, tunc domicellus cuiusdam cardinalis [9], et frater Massaeus, qui fuit eius socius; ac beatus Franciscus ipsam coram septem episcopis veram et certam, a papa sibi concessam, et quoad diem, et alia. Et beatus Franciscus, quod de ipsa indulgentia (*g*) dixit, nunquam revocavit. Et post hanc praedicationem Christus eum canonizavit, suis signis stigmatizando. Et Ecclesia ob sanctitatem et miracula catalogo sanctorum adscripsit. Hoc ergo pensato et solo, sine quocumque alio, fidem dare debet quilibet fidelis de veracitate huius sacrae indulgentiae.

(*a*) Sic As, Edd.; Al *Marini*. — (*b*) As, Edd. om. *qui fuit — Honorius*. — (*c*) Al *annunciabo*. — (*d*) As, Edd. *fratrum*. — (*e*) As om. *Multi — praedicti*. — (*f*) Al *Perusio impetrasse et obtinuisse B. Dominicus dixit*. As *Perusio obtinuisse impetrando B. Dominicus dixit*. — (*g*) Al, As add. *ubi non esset vera dixit*.

[1] Pag. 31. *Bartholi*, p. 94 s. — [2] L. c. p. 30, 94. — [3] *Bartholi*, c. 12 et c. 45, p. 95 cf. *Diploma Fr. Theobaldi* episcopi l. c. LXXVIII. — [4] *Bartholi*, c. 12; cf. p. XLV sqq. — [5] *Bartholi*, c. 11; cf. p. LIV sq. — [6] L. c. c. 19. — [7] Cf. supra p. 36. — [8] Cf. supra p. 39, l. 1; *Bartholi*, c. 17 (et 18). — [9] L. c. c. 19.

Sexto veracitas huius sacrae indulgentiae probatur testimonio summorum Pontificum. Primo domini Honorii, qui eam beato, Francisco in Perusio ab eo petenti concessit, et nunquam revocare voluit, nec revocavit. Atque Romae, viso miraculo rosarum, et confirmavit iam datam, et diem statuit, pro obtentu (*a*) dictae indulgentiae. — Dominus papa Martinus IV, dum cum sua curia esset Perusii [1], superveniente tempore indulgentiae, multi de familia domini papae a (*b*) camerario ipsius papae licentiam accedendi ad ipsam petierunt. Camerarius hoc videns, ad dominum papam Martinum accessit, et tunc actualiter cum domino papa erat dominus frater Matthaeus, frater Minor, cardinalis, de Aquasparta, etsi tunc non esset cardinalis, sed lector curiae. Et dixit domino papae: « Beatissime pater, quasi omnes de familia vestra petunt licentiam accedendi ad indulgentiam ». Et dominus papa: « Placet nobis, quod omnes vadant; et ipsam indulgentiam confirmamus. Et si ibi non est, eam ibidem ponimus per praesentes ». Coram multis haec dixit, et coram dicto fratre Matthaeo. Et de hoc voluit fieri privilegium, sed frater Matthaeus noluit exemplo beati Francisci quod fieret, quod domino papae multum placuit, ob imitationem beati Francisci. — Dominus papa Alexander IV, praesupponendo dictam indulgentiam veram, statuit, quod de pecunia, quae offeretur dicto tempore in ipsa ecclesia sanctae Mariae capella sua, scilicet papae, videlicet ecclesia beati Francisci de Assisio deberet refici et manuteneri [2]. — Dominus (*c*) papa Alexander IV, praesupponendo dictam indulgentiam esse veram, concedit custodi Assisii, quod ipse possit dare omnibus fratribus auctoritatem audiendi confessiones advenientium, ac si essent accedentium sacerdotes parochiales, et cum eadem auctoritate [3]. — A domino papa Iohanne XXII, 1320, quaesitum fuit (*d*) de indulgentia sanctae Mariae de Assisio [4], qui iuxta constitutionem Clementis V de indulgentiis, respondit: « Nos ad illam indulgentiam non ponimus os nostrum ». — Dominus papa Gregorius XI [5], praesupponens indulgentiam veram, mandavit per bullam suam specialem, quod mercimonia vendi in ecclesia beati Francisci nullatenus a fratribus permitterentur tempore indulgentiae. Hoc ipsum approbarunt alii summi pontifices, qui eidem Honorio successerunt, qui usque ad tempora praesentia, videlicet 1390 (*e*), ad numerum 25 [6] ascendunt, qui si cognovissent eam falsam vel dubiam, eam impugnassent, suspendissent, vel revocassent: quod tamen non fecerunt. Ac, cum de fide et salute agitur: qui veritatem occultat, iram Dei super se provocat, XI, quaest. 3. « Quisquis » et cap. « Nolite timere ». Et qui veri-

(*a*) Al ***per obtentum.*** — (*b*) As om. ***a cam. ipsius pape.*** — (*c*) Edd. add. ***Item idem Dom.*** — (*d*) Edd. add. ***quid diceret.*** — (*e*) Al om. ***videlicet 1390.***

[1] Est cap. 41 *Bartholi,* secundum quem curia tunc « in Urbe Veteri » residebat. Martinus IV et ibi, et Perusii fuit; cf. Potthast, *Reg. Pontif.* n° 21738 et 21176. — [2] Istiusmodi bulla vel rescriptum Alexandri IV nunquam exstitit; *Bartholi,* p. CLXX. — [3] Sbaralea, *Bullar. Franc.* II, 307 n. 443. Potthast, l. c. n. 17380. *Bartholi,* p. 103-4. Sed ista bulla, Custodi ecclesiae S. Francisci Assisii directa, nihil penitus de Portiunculae ecclesia vel indulgentia dicit. Cf. *Bartholi,* p. CLXIII sq. — [4] *Bartholi,* c. 42. — [5] Eubel, *Bull. Franc.* VI, n. 1205, p. 483. Bartholi, p. 110 sq. — [6] Licet ergo Cod. Alv. annum 1390 omiserit, hic numerus 25, ab eo retentus, annum 1390 rectum esse demonstrat. Tunc tempore schismatis occidentalis Bonifacius IX (1389 Nov. 2.-1404, Oct. 1), Romae residens, inde ab Honorio III (1216-27), XXVIus papa fuit; Clemens vero VII, Avenionensis, item post Gregorium XI mortuum (1378, Mart. 27) electus (1378, Sept. 20-1394, Sept. 16) XXVus fuit. — Cf. AF IV, p. XI not. 5.

tatem non defendit, quam defendere convenit, proditor est veritatis, XI, quaest 3. « Nolite timere » Et ‚utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur', *de regulis iuris*, libro V. « Qui te scandalizaverit [1] ». Ac veritas praefertur consuetudini, quiaChristus non dixit: Ego sum consuetudo, sed (*a*) veritas [2] dist. 8, « Veritate » et 4 capitulis sequentibus. Et cum (*b*) Romanus Pontifex sit caput omnium ecclesiarum, dist. 96. « Constantinus », et iudex omnium, « de mai. et obed. ». « Solite [3] »; hinc est, quod ad ipsum pertinet de huiusmodi indulgentia videre et iudicare. Et cum ab anno 1224 et ultra, quo fuit per Honorium data haec indulgentia, nullus pontificum aliquid de ista indulgentia attentaverit, hinc est quod cum in Sexto, *de regulis iuris* [4] dicatur: ‚Qui tacet, consentire videtur', dicti summi Pontifices de ista sacra indulgentia nihil dicentes, ipsam approbarunt.

Approbatur haec indulgentia septimo testimonio septem episcoporum, scilicet Assisinatis, Perusini, Eugubini, Nucerini, Fulginatis, Spoletani et Tudertini, qui oppositum proponentes dicere ad veritatem et beatum Franciscum, linguam ipsorum (*c*) dirigendo Verbum Patris, Dominus Iesus Christus, qui ipsam indulgentiam dedit, idipsum dixerunt, quod in veritate erat, et beatus Franciscus dixerat. Quorum testimonium tam ratione personarum et officii quam miraculi, a Deo (*d*) in ipsorum lingua operati, est testimonium multum authenticum et ponderandum, quorum attestationem multi, qui audierunt praesentialiter, postmodum authentice deposuerunt (*e*).

Octavo veritas istius indulgentiae ostenditur testimonio daemonum infernorum, qui etsi invite, tamen veritatem huius indulgentiae prodiderunt a Deo constricti. Ubi sciendum, quod 1308 vigesima secunda februarii, in vigilia S. Mathiae (*f*) apostoli, quidam frater Iacobus, sacerdos et capellanus ecclesiae sancti Iacobi de Sancto Rafello (*g*) prope Bononiam, vir acceptabilis et fide dignus prae magna devotione et eius honestate, frater Benvenutus de tertio Ordine beati Francisci, frater Laurentius de Sancta Agnete, dominus Petrus Lellus (*h*) et Paulus apothecarius, omnes viri devoti et fide digni, sociati sunt Bononiae, ut irent Ravennam ad indulgentiam sancti Iohannis Evangelistae. Cumque illuc pervenissent, hospitati sunt in domo cuiusdam dominae, divitis et honoratae et publice cognitae a civibus et multis forensibus, nomine Santesae. Et simul cum eis tredecim (*i*) viri de civitate Bononiae hospitati erant (*k*). Cenantibus autem omnibus praedictis viris, et praedicta cum eisdem, coepit ipsa domina loqui litteraliter, ita ordinate et sapienter et profunde de multis et variis sententiis, ut omnes audientes attentos redderet, eorumque mentes converteret in stuporem. Unus vero ex discumbentibus, nomine Iacobus de Bononia, conversus ad praefatum fratrem Iacobum sacerdotem, prae nimia admiratione dixit ei: « Audi (*l*) quomodo ista mulier loquitur ». Qui respondit (*m*): « Audio et vehementer admiror. Sed quia idiota sum, nec ipsam valeo intelligere, nec eius sermonibus profundis respondere ». Et illa respondit statim: « Bene credo, quod nescitis mihi respondere, quia si essent hic omnes sapientes ordinis Minorum, qui hodie sunt meliores et sapientiores de mundo, et si essent hic omnes meliores et sapientiores ordinis Prae-

(*a*) Edd. add. *dixit ego sum ver.* — (*b*) Al, As om. *cum.* — (*c*) As *ipsorum dirigente verbum dominus Iesus Christus.* Edd. *dirigente verbo patris Domino Iesu Christo qui.* — (*d*) Al *et* (pro *in*). — (*e*) Ed. 1590 hinc omnia omisit: *deposuerunt — Ex dictis apparet;* i. e. omnia alia testimonia usque ad XIIm incl. — (*f*) Edd. *Matthaei* (falso). — (*g*) As, Edd. *Rofello.* — (*h*) Edd. *Lessus.* — (*i*) As, Edd. add. *boni.* — (*k*) As, Edd. om. *hospitati erant.* — (*l*) As, Edd. *audis.* — (*m*) Al om. *qui respondit.*

[1] Lib. V, tit. 41. c. 3. — [2] Cf. Ioan. 14, 6. — [3] Cap. 6. — [4] Regula XLIII.

dicatorum, sola confunderem omnes per scripturam » Tunc ait illi sacerdos: « Estne melior ordo Minorum quam Praedicatorum ordo? » Respondit: « Ita est ». Interrogavit, ubi didicerat talia. Respondit: « In schola caeli empyrei, de quo scilicet caelo eiectus (*a*) fui cum Lucifero et multis aliis propter unam solam cogitationem, in quam omnes consensimus. Nam sanctissimus Michael assumpsit praelium contra nos et finaliter habuit victoriam contra nos et de nobis, et omnes nos expulit de caelo. Quidam tamen ex nobis proiecti fuimus in hunc aerem, ubi multos peccare facimus, alii praecipitati in inferiores partes terrae, alii vero protinus in profundum inferni sunt submersi ». Dixit sacerdos: « Sunt illi profundati in ultimam partem inferni? ». Respondit daemon, qui in illa erat muliere: « Non sunt; sed falsi Christiani sunt infra eos et etiam infra omnes infideles, qui omnes tenent pedes super capita ipsorum falsorum christianorum. Et omnia stercora et omnes aliae immunditiae de contratis omnibus fluunt super eos, eo quod non cognoverunt gratiam vocationis ipsorum. Et sicut prae omnibus creaturis fuerunt singulari vocatione et gratia sublimati, ita in infernum sunt magis profundati et maioribus poenis afflicti quam omnes daemones et omnes animae infideles ». Ex his ergo cognoverunt omnes, qui aderant, vere esse daemonem qui per mulierem loquebatur. Post cenam autem, vocans eam dictus sacerdos, scilicet frater Iacobus, invitavit eam, ut sederet aliquantulum iuxta eum. Quae renuens, ait illi: « Non sum digna hoc agere, quia vos estis sacerdos Domini consecratus ». Dixit illi sacerdos: « Unde me nosti fore sacerdotem? ». Respondit illi daemon: « Quia circa festum sancti Michaelis cantastis primam missam Bononiae, et ego fui ibi praesens. Et frater Iacobus de Pozali (*b*) ibidem praedicavit in domo Devotorum. Et frater Gulielmus de Cortimilio (*c*) fuit magister (*d*) vester in eadem missa. Et frater Petrus de Ravenna et frater Gulielmus de Britonorio (*e*) fuerunt cantores ». Sicque omnes ministros et totum processum et exitum ipsius missae per ordinem cum ceteris circumstantiis verissime enarravit. Dixitque iterum sacerdoti: « Vos fuistis novem vicibus ad quamdam indulgentiam, quae est in valle Spoletana iuxta Assisium et tertia vice duae vestrae sorores fuerunt vobiscum, atque vos in itinere plurimum afflixerunt ». Et addidit: « Vos etiam audistis pluries dictum fratrem Iacobum de Pozali (*f*) praedicantem Bononiae, quod sanctus Macharius voluit facere inter Deum et diabolum concordiam. Et Dominus dixit Machario: « Si diabolus vult dicere culpam suam, parcam ei ». Reversus Macharius ad diabolum, retulit sibi verba illa, quae dixerat Dominus. Respondit diabolus: « Nunquam dicam culpam meam, imo ipse Crucifixus genuflectere debet coram me et dicere mihi culpam suam, quia ipse tot annos fecit me stare in inferno ». Tunc dixit Macharius: « Vade sathana »! Et expulit ipsum. Ille vero nunquam apparuit ei. Et sic dictus daemon multa, quae contigerant, per ordinem illi sacerdoti verissime explicavit. Post haec, audientibus omnibus aliis, dixit ei praedictus sacerdos: « Est vera illa indulgentia, pro qua venimus huc Ravennam »? Qui respondit: « Vos bene scitis hoc, quia audistis praedicari illud Bononiae a domino fratre Iohanne ordinis Praedicatorum, doctore theologiae et episcopo Bononiensi [1]. Dixit enim quod erat indulgentia trium annorum et CXX dierum. Et verum est, quod dixit. Sed hora indulgentiae non est, nisi in

(*a*) As *eiecta.* — (*b*) As *Pazoli.* — (*c*) Edd. *Contimilio.* — (*d*) Edd. *minister.* — (*e*) As *Bertenorio.* — (*f*) As *Poczali.*

[1] Ioh. Savelli, O. F. Praed. episcopus Bononiensis, 1299-1302, fuit. Eubel, *Hier. Cath.* I, 144.

media nocte. Illa hora vocabo vos. Tunc canonici ostendent sollemniter reliquias et praedicabunt indulgentiam culpae et poenae. Sed ipsi mentientur per gulam, quia non est (*a*) nisi tantum, quantum audistis Bononiae praedicari. Sed ecce praedico vobis, quia post vos scilicet, illuc veniam ». Et sicut praedixit, sic vocavit eos et ivit post eos, atque ipsi viderunt et audierunt ad litteram, sicut dixit. Tunc ait illi sacerdos praedictus: « Quomodo est ibi ita parum de indulgentia, cum beatus Ioannes personaliter consecravit illam ecclesiam tali nocte ». Respondit diabolus: « Verum est, quod beatus Iohannes consecravit eam. Tamen ibi non est plus de indulgentia; et non videatur vobis parum, quia si aliquis deberet tanto tempore stare in purgatorio, per illam indulgentiam liberaretur a poenis ». Loquentibus illis verba praedicta, quidam de familia vel circumstantibus iuravit per sanguinem Christi turbato animo. Et statim illa domina infremuit terribiliter in seipsa et videbatur se totam velle laniare. Dixit ergo illi sacerdos: « Quare sic fremuisti et clamasti? » Et percutiens manum mulieris dixit: « Noli offendere Christianam ». Et tunc daemon statim cessavit ab illo fremitu et clamore et ait: « Ego horreo et miror de peccatore illo, qui ita inverecunde et irreverenter nominavit sanguinem Crucifixi, qui tam dilexit peccatores, quod pro salute et ipsorum redemptione totum sanguinem suum voluit effundere et facere quasi unum balneum de ipso sanguine, in quo ipsi a peccatis omnibus lavarentur, cum tamen unam guttam illius sanguinis ad redemptionem totius humani generis suffecisset». Et ait: « Quando nominatur sanguis Crucifixi et quando pulsatur campanella, quam portat clericus ante sacerdotem ferentem corpus Domini Iesu Christi infirmo, omnes daemones inferni se genuflectunt, sicut scriptum est[1]: *Omne genu flectatur* etc. Et cum ille peccator ita irreverenter et vituperabiliter ipsum sanguinem nominavit, propterea de ipsis facimus maximum macellum in inferno, quia sic vituperant sanguinem Iesu Christi Crucifixi ». Tunc ait sacerdos: « Volo, quod dicas mihi de illa indulgentia, de qua dixisti, quod ivi ad eam novem vicibus, et si verum dixisti, et si est talis et tanta, qualis et quanta a fratribus Minoribus praedicatur». Respondit daemon: « Vos nunquam hoc scietis per me. Vos enim audistis ter illum fratrem Conradellum (*b*) de Offida, ordinis Minorum, loquentem de ipsa indulgentia, qui suscitavit quinque mortuos[2] et vos fuistis praesens quando suscitavit unum ex illis, et sepulchrum illius defuncti iam tertio visitastis. Ipse enim est magnus dominus in caelo. Et sicut de illa indulgentia dixit, ita est ». Dixit ei iterum sacerdos: « Volo omnino scire veritatem ab ore tuo, quia non sum contentus de his verbis ». Respondit daemon, cum magno clamore dicens: « Vos nunquam scietis hoc a me, nec aliquis alius. Etiamsi Crucifixus descenderet et deberet perire totus mundus ». Sacerdos autem dixit ei: « Quid est illud, quod tu plus times super omnia ». « Passio Domini Iesu Christi », respondit daemon, « et est sanguis Crucifixi ». Dixit ergo ei sacerdos: « Adiuro ergo te per ipsum Crucifixum et passionem eius et sanguinem pretiosissimum, cuius una gutta sufficiebat ad totius mundi salutem, ut dicas nobis expresse, si illa indulgentia est, sicut dicitur ». Sentiens igitur daemon per istam adiurationem, ab ore devoti sacerdotis prolatam, vehementius se adstrictum, cum furore magno et iracundia sic respondit: « Usque modo feci tibi honorem dicendo *vos*, sed de cetero non loquar sic, sed dicam (*c*) *tu* ». Hoc autem dicens videbatur

(*a*) As et Edd. *est tantum ibi nisi quantum*. — (*b*) As *Conradum;* Edd. *Corradellum* — (*c*) As add. *tibi*.

[1] Phil. 2, 10. — [2] A F IV, 234.

corpus illius mulieris totum lacerare, talesque mugitus tam horribiliter (*a*) emittebat, quod omnes stupentes et timentes clamando dicebant: « Terra publice tremit sub nos ». Videbatur enim, quod terra vellet aperiri et omnes deglutire. Signantes ergo se signo crucis, statim securitatem ceperunt, omni timore et tremore penitus abiectis et effugatis. Et daemon vero exclamans fortissime, sacerdoti sic ait: « Facis mihi violentiam. Non possum tacere, cogit me Crucifixus. In illo loco est indulgentia culpae et poenae ». Sic enim hoc verbum violenter quatuor vicibus altissima voce replicavit: « Quod si unus homo occidisset omnes homines de mundo manu propria, et ad locum ipso die indulgentiae vere contritus et confessus accederet, statim in ingressu loci illius mundaretur ibi (*b*) anima eius ab omni peccato, sicut anima pueri baptizati, perfecto (*c*) baptismo, mundatur. Et si quis haberet unum solum denarium de alieno, et teneret illum scienter et malitiose, nihil ei valeret illa indulgentia ». Et addidit dicens: « Perdita [1] est illa indulgentia Sepulchri de ultra mare, propterea Crucifixus voluit, propter amorem, quem habuit ad Christianos, ut esset citra mare, et iste stomachosus ita fuit amicabiliter coniunctus cum Crucifixo et transformatus in ipsum, quod Dominus voluit per eum salvos facere Christianos ». Ad hoc respondens sacerdos, arguit daemonem dicens: « Quare tu vocas beatum Franciscum stomachosum? ». Respondit daemon cum magno clamore: « Quia ipse fuit conceptus de semine viri et mulieris, sicut et ceteri homines, et tamen humiliavit se in tantum, quod propter singularem assimilationem Crucifixi, quam in anima et corpore suo gessit, meruit plus quam omnes homines exaltari. Licet tamen beatus Iohannes sit maior sanctus, qui sit in paradiso post matrem Domini Crucifixi, tamen ille stomachosus cum fratribus suis, vexillo explicato, praecedit in caelo post apostolos omnes sanctos. Ipse enim obtinuit illam sedem gloriosam Luciferi, principis nostri, et ideo non possumus ipsum non solum proprio nomine nominare, sed magis odimus eum, quam omnes alios sanctos, imo cognoscentes ipsum esse in illa dicta sede Luciferi sublimatum, plus cruciamur et affligimur ab illa gloria sua et sublimitate, quam ab igne infernali ». Dixitque daemon iterum sacerdoti absque ulla quaestione: « Ego diu habitavi in ista muliere cum magna pace et quiete, et non prohibeo ei, quin vadat ad missas et ad praedicationes et indulgentias, nec in morte molestabo eam, quia quiete fui cum ipsa. Quarto autem die ante mortem suam separabor ab ea, et nunquam alicui de mundo manifestavi, quod essem in ea, nisi tibi ». Fuerat enim daemon ultra XVIII annos in ea, et de hoc nullus perpenderat unquam. Dixit ergo illi sacerdos: « Quare tantummodo mihi hoc dixisti? ». Respondit daemon: « Quia Crucifixus me manifestare coegit tibi meipsum, ut veritatem illius indulgentiae tibi simpliciter (*d*) manifestarem ». Post haec interrogavit eum sacerdos: « Quare beatus Franciscus non accepit privilegium de ipsa indulgentia? ». Tunc illa mulier operatione daemonis percussit sibi latus cum manu et palmas ambarum manuum, videlicet palmas unius manus, cum digitis alterius manus, et pedes. Quod admirans sacerdos dixit: « Quid significat hoc quod fecisti? ». Et respondit daemon: « Duo sunt tantummodo signati in caelo, scilicet Crucifixus et ille stomachosus. Sciens igitur Crucifixus se

(*a*) Al *committebat*. — (*b*) As, Edd. om. *ibi*. — (*c*) Al *perfecte*. — (*d*) Sic As, Edd. et Barth.; Al *simpliciter*.

[1] « Perdita est illa indulgentia Sepulchri de ultra mare » in fonte i. e. ap. Fr. *Bartholi*, c. 36 p. 76 non habetur.

daturum illi stomachoso bullam suorum stigmatum, non permisit ipsum aliud privilegium accipere vel bullam, manu hominis fabricatam. Nam sicut rex non committit alicui annuli sui bullam, nisi propter aliquod magnum factum, ita Crucifixus, quando salvare voluit populum suum, noluit illi stomachoso concedere aliud signum, nisi bullam suorum stigmatum ». Iterum dixit ei sacerdos: « Quid erit de illis, qui detrahunt illi indulgentiae et retrahunt multos, ne vadant illuc, sicut sunt multi religiosi et (*a*) multi alii? ». Respondit daemon: « Melius esset eis, ut traherent unum asinum per caudam de Ravenna usque Mediolanum, quia de his facimus maius macellum in inferno, quam fiat de pecudibus et aliis animalibus Bononiae ». Post haec autem sacerdos et socii voluerunt ire ad requiescendum. Et appropinquantes camerae, ubi iacere debebant, cum magna abominatione dixerunt: « Sentimus magnum foetorem ». Respondit statim daemon cum magno risu: « Non miremini de hoc, quia in illa camera congregati sunt omnes daemones de illa (*b*) contrata in forma diversorum animalium, si forte possint aliquid lucrari cum his, qui venerunt ad indulgentiam ». Illi vero viri cum fervore fidei facientes super illos daemones signum crucifixi, ipsos cum foetore penitus effugarunt.

Eodem anno in mense augusti sequenti, idem sacerdos revertens de dicta indulgentia Sanctae Mariae de Angelis, transivit per Ravennam. Cumque illuc pervenisset, quidam ex sociis suis duxit eum cum ceteris sociis suis ad locum fratrum Praedicatorum. Intrantes autem claustrum, invenerunt ibi sedecim fratres Praedicatores simul invicem colloquentes. Qui cum interrogassent eos, unde venirent, respondebant dicentes: « Nos ivimus Assisium pro indulgentia, et nunc revertimur Bononiam ». Dixerunt aliqui ex illis fratribus Praedicatoribus: « Sanctus Franciscus fuit bonus homo, sed nescimus si vera est indulgentia, quae dicitur esse ibi ». Respondit statim unus illorum fratrum Praedicatorum: « Si verum est, quod Deus est in caelo, et illa indulgentia vera est. Si autem non est vera, Deus non est in caelo ». Tunc alii Praedicatores turbati contra ipsum dixerunt: « Quomodo tu loqueris fatue, et qualiter scis tu hoc? ». Respondit ille Praedicator: « Scio hoc per testimonia certa, quae vidi illorum (*c*), qui fuerunt praesentes, quando beatus Franciscus obtinuit eam a papa Honorio ». Videns praedictus sacerdos, quod illi Praedicatores erant ita turbati contra illum, qui dixerat veritatem, dixit eis: « Quare ita turbamini et detrahitis huic verae (*d*) indulgentiae, cum fratres Minores non se intromittant de illa, quam dicitis esse Perusii »? Respondit frater Praedicator: « Omnes fratres (*e*) de Perusio mentiuntur per gulam, qui dicunt illam indulgentiam esse ibi, quia ita est ibi indulgentia, sicut per stratas civitatis. Sed ipsi introduxerunt hoc solummodo causa destruendi illam, quae vere est in Sancta Maria de Angelis ». Tunc vehementius scandalizati illi Praedicatores alii (*f*), surrexerunt omnes turbato animo et recedebant, comminantes illi fratri praedicto et dicentes: « In malum tuum protulisti verba haec ». Quod audiens praefatus sacerdos, vocavit eos dicens: « Venite et audite unum valde notabile verbum, quod habui hoc anno de ista indulgentia ». Reversis igitur omnibus, qui recedebant, narravit idem sacerdos totam seriem supradictam, sicut habuerat ab illo daemonio eodem anno. Illi autem Praedicatores super his, quae dicebantur a sacerdote, vehementer fuerunt

---

(*a*) As, Edd. om. *et multi alii.* — (*b*) As, Edd. *ista.* — (*c*) As, Edd. *certa quia vidi qui fuerunt.* — (*d*) Al om. *verae.* — (*e*) As, Edd. add. *Praedicatores.* — (*f*) As, Edd. om. *alii.*

territi et compuncti. Dixeruntque sacerdoti et sociis (*a*) eius: « Nos vere credimus nunc ibi veram (*b*) esse indulgentiam poenae et culpae, sicut vos dicitis; et hoc esset praedicandum per totam civitatem (*c*) ». « Quare ergo impeditis salutem tot animarum retrahendo eas a tanto bono et huic indulgentiae detrahendo? » Responderunt illi Praedicatores dicentes: « Nos promittimus Deo et tibi, quod nunquam detrahemus nec retrahemus aliquem ab ista indulgentia. Sed quotquot poterimus inducere ad eundum illuc, fideliter inducemus [1] ». — Praefatis igitur apparet veritas huius indulgentiae. Patet etiam, quomodo stigmata beati Francisci sunt bulla huius sacrae indulgentiae. Et sicut per ecclesiam stigmata infuisse beato Francisco est authenticum, ut dicetur III conformitate III libri parte secunda, sic istam indulgentiam esse veram est tenendum. Multa in supradictis apparent de statu et excellentia ordinis S. Francisci, de quibus dicetur III libro conformitate VII.

Authenticatur etiam indulgentia haec alio daemonis testimonio, videlicet ex eius expulsione hac sacra indulgentia ab homine. In Marchia Anchonitana in Prorico mulier quaedam, cuiusdam fratris nostri soror, a daemonibus vexabatur, et instrumenta legebat, ut notarius. Qui diabolus interrogatus, cur sic eam vexaret, respondit, quod propter nullum peccatum mortale, quod esset (*d*) in ea, sed ut clareret, quanta esset indulgentia Sanctae Mariae de Portiuncula, ubi merito beatae Virginis et indulgentia mulier illuc ducta, esset liberanda et nullo alio sanctorum remedio. Adiecit: « Hoc cogimur dicere ad laudem Virginis, utilitatem populi et confusionem nostram, quia illa indulgentia perdidimus omnes animas, quas lucrati sumus et possedimus magno tempore ». Et addidit: « Heu, heu, quia verecundiam nostram et periculum cogimur propalare, ex quo illi, qui debent eam praedicare, non praedicant ». Et adiecit, quod ipsa indulgentia maior erat, quam dicatur et credatur. Ipsa mulier sic vexata, ducta Assisium, introducta violenter in Sanctam Mariam de Angelis ipso die indulgentiae, a diabolo usque ad testudinem elevata et in pavimento proiecta, ut crederetur mortua, sana surrexit et libera [2].

Confirmatur veritas istius indulgentiae nono testimonio defunctorum, qui se hac indulgentia purgatos declaraverunt ac pergere ac perrexisse statim ad regna caelorum. Nam quod perceptione huius indulgentiae in proximo morientes ad regnum caelorum, purgatorium non tangentes, sint ingressi, dictum est supra de muliere de Sclavonia, quae sociis in mari apparuit et se regna caelorum virtute indulgentiae, Assisii perceptae, statim intrasse (*e*) declaravit [3]. — Soror Adriana de Cortona, cum percepta indulgentia, ex labore tanto habito [4], decessisset, sancta Margarita de Cortona, dum pro dicta sorore lacrimando oraret, vocem audivit dicentem: « Non plores ulterius animam sororis Adrianae, quia merito indulgentiae, quam suscepit in sancta Maria de Angelis absque omni poena purgatorii (*f*) beatorum gloriam est adepta ». — Consanguineus cuiusdam fratris ordinis nostri, de Sancto Severino, confessus ad indulgentiam Sanctae Mariae de Assisio perrexit, qua percepta, non multo post infirmatus decessit. Sed cum frater sollicitus esset de ipsius statu scire, quadam nocte sibi praefatus eidem (*g*)

(*a*) As *suis*. — (*b*) As, Edd. *plenam*. — (*c*) Edd. add. *Tunc sacerdos*. Bartholi inserit *Tunc dixit illis sacerdos: Quare etc.* — (*d*) Al *est*. — (*e*) As, Al repetunt *se*. — (*f*) Al om. *absque* (Barth. *ab*) — *purgatorii*. — (*g*) Sic Codd. et Edd.

[1] *Bartholi*, c. 37. — [2] *Bartholi* c. 31. — [3] *Bartholi* c. 18; cf. supra p. 38 sq. — [4] *Bartholi* c. 32 ubi p. 64 ille « tantus labor » explicatur: « compressione quassata » scil. turbae maximae.

in luce quadam apparuit, quae dictum fratrem, quocumque pergeret, antecedebat. Et locutus est statim dicens: se esse animam talis consanguinei sui et « propter indulgentiam Sanctae Mariae de Angelis, ad quam ivi, remissa sunt mihi omnia peccata mea. Sed ad caelum non statim evolavi, sed teneor in quibusdam poenis propter quamdam restitutionem, quam facere tenebar et non feci. Dicas matri meae, quod restituat, et ego statim ad caelum ibo. Et signum erit, quod amplius tibi non apparebo [1] ». — Quaedam domina de Alamania, ab alia domina ad indulgentiam Sanctae Mariae de Portiuncula transmissa, cum rediret domum et prope esset ad unam dietam, infirmata est ad mortem. Omnibus sacramentis susceptis, ridere coepit et sic decessit. Cum vero domina, quae ipsam miserat, eius mortem audiret a socia, et de ipsa cogitans se sopori dedisset, apparuit ei dicta defuncta, dicens: sibi esse optime. Interrogata cur riserit, respondit: quod risit, quia plus quam viginti angeli ad exitum suum venerant, qui ipsam ad gaudia paradisi (*a*) deduxerunt. Et his dictis, disparuit [2]. — Duo nostri ordinis fratres de Alamania [3] venerunt ad indulgentiam, sed unus ex labore Perusii infirmatus est. Et cum audisset a medico se moriturum, se fecit deferri usque Assisium, et indulgentia percepta, eodem die defunctus est. Cumque socius eius oraret post completorium cum lacrimis coram altare beati Francisci, et de socio mortuo, quo carebat, conquereretur, statim defunctus frater apparuit, indicans se esse in poenis. Et cum socius diceret: « Ergo non est vera indulgentia » respondit ille: « Imo est verissima; sed (*b*) propter quamdam restitutionem, quam facere debebam, priusquam essem frater, quam (*c*) non feci, patior. Acquire ergo dictam summam pecuniae, ut facias erogari, et ego aliter postea tibi apparebo ». Qui frater statim currens ad custodem Assisii, etsi hora esset indebita, omnia narravit. Et custos dictam summam pecuniae fecit pauperibus dari. Et sequenti die, hora, qua primo oraverat, dum oraret, vidit tres viros nimio splendore micantes venientes versus altare beati Francisci. Quibus appropinquantibus (*d*), cernit unum esse beatum Franciscum, secundum beatum Antonium, tertium vero socium suum, qui gratias referens socio suo de restitutione, dixit ei: se ire ad gloriam, et quod post triginta dies ipsum sequeretur; quod et factum est. Nam cum rediret versus suam provinciam, die trigesima in Mediolano mortuus (*e*), Deo spiritum reddidit.

Non solum haec indulgentia profuit pergentibus et ipsam suscipientibus, ut dictum est, sed etiam d e f u n c t i s, pro quibus est suscepta, profuit ad ipsorum liberationem plenariam a cunctis poenis purgatorii, ut scribenda declarant; et nonnulli post mortem eam a suis petiere adiri, qua percepta, poenis evasis, paradisum introiere. — In civitate Venetiarum quidam clericus fuit, qui summo desiderio flagrabat istam indulgentiam adire et, cum iam necessaria parasset ad iter, graviter infirmatus, ad mortem devenit. Et advocans quemdam de amicis suis, de quo prae ceteris amplius confidebat, dixit ei: « Quia prae omnibus amicis et consanguineis semper plus te dilexi, ideoque (*f*) te rogo, quod, si Deus me ab hac vita subtraxerit vel vocare decreverit, ut accepta expensa et omnibus quae pro via mihi paraveram, vadas Assisium ad indulgentiam, statim votum meum adimplendo, quia ad ipsam indulgentiam

(*a*) Al om. *paradisi.* — (*b*) Edd. *Sed hoc est propter.* — (*c*) Edd. *et non feci;* om. *patior.* — (*d*) Al *qui appropinquantes.* — (*e*) As, Edd. om. *mortuus.* — (*f*) Edd. *ideo.*

[1] *Bartholi* c. 30. — [2] L. c. C. 34 (valde abbreviatum). — [3] L. c. C. 39, ubi « Duo nostri fratres de longinquis partibus » tantum dicuntur.

summe pergere optabam ». At ille ait: « Esto securus, quia omnia, quae mihi dixeris, faciam, et amplius quam hortaris ». Non multo post clericus ipse infirmus moritur, et ille amicus, immemor promissi, aliis ad viam se disponentibus, segnius ac remissius coepit agere (*a*), apud se hoc mente pertractans: « Si non modo, alio anno saltem hoc possum (*b*) perficere, quod promisi ». Cumque ita cogitaret, et ecce qui defunctus fuerat, sibi in somnis adstitit dicens: « Quomodo tu, qui mihi semper fidelis fuisti, tam infideliter contra me agere disponis? Surge velociter et cum societate iam parata perfice vota mea ». Qui statim expergefactus et quodammodo timore correptus (*c*), cum aliis viam aggressus est. Et cum iam transacta indulgentia reverteretur, iterum qui defunctus fuerat, multa luce circumfusus sibi apparuit, dixitque ei: « Dominus tibi benedicat pro labore, quem pro me cepisti. Nam eadem hora, qua ecclesiam intrasti, omnem poenam purgatorii liber evasi et vado ad gloriam paradisi [1] ». — Frater carnalis cuiusdam mulieris ad mortem deveniens, planctum voce lamentabili coepit agere, dicens: « Heu mihi, quia non securus, sed turbatus morior ac desolatus, quia indulgentiam Sanctae Mariae de Angelis, quam devote visitare decreveram, non percepi ». Cui soror: « Frater, noli timere, quia si supervixeris, votum tuum poteris adimplere. Si autem Dominus ab hac vita te vocare voluerit, ego in persona propria, et in proximo festo ipsius indulgentiae, pro te votum tuum adimplebo ». Et his dictis, qui infirmus erat, non multo post tempore defunctus est. Et soror eius, ut promiserat, ad indulgentiam accessit. Et ecce eadem nocte, qua ecclesiam intravit, qui defunctus erat, eidem apparuit dicens: « Soror mea carissima, tibi reddo gratiarum uberrimas actiones, quia illa hora, cum ecclesiam Dei Genitricis pro me, ut promiseras, intrasti, de gravissimis poenis extractus purgatorii, coeli ianuam sum ingressus. Et beati illi, quibus a Deo datum est istam sacram indulgentiam devota mente visitare ». Et his dictis, amplius non comparuit [2]. — In regno Siciliae quaedam mulier, filio orbata, pro eius anima ad Sanctum Iacobum accedere proponens, filius mortuus ei apparens dixit: « Bona (*d*) via, quam pro me facere disponis, in magnum refrigerium et consolationem mihi est. Sed si me vis ab omni poena liberare, viam tuam perfice et cum reversa fueris, ad indulgentiam Sanctae Mariae de Angelis venire non differas, et mox ab omni poena liberabor. Et ut verum me dixisse comprobes, respice et vide, quae tibi demonstrabo ». Et ostendit sibi locum Sanctae Mariae de Angelis foris et intus et omnem circa regionem, videlicet civitatem Assisii et vallem Spoletanam. Et post ab oculis eius disparuit. Illa vero evigilans et dicta loca memoriter tenens, ad Sanctum Iacobum cum perrexisset, deinde venit Assisium. Et cum (*e*) iuxta monstrata in visione a filio, tam de loco Sanctae Mariae quam de Assisii civitate et valle Spoletana (*f*), omnia invenit, fuit velut amens prae stupore effecta, et omnia narrans guardiano Sanctae Mariae et fratribus, tandem, indulgentia ipsa die percepta pro filio, dum ad propria remearet, iterum apparuit ei filius laetus et gaudens, dixitque ei: « Mater mea carissima, certissime te scire volo, quod illa hora et tempore, quando ecclesiam Sanctae Mariae de Angelis pro mea liberatione ingressa es, statim ab omnibus

(*a*) Al om. *agere*. — (*b*) Al *possem*. — (*c*) Al *correctus*. — (*d*) As, Edd. *dicta via*. Bartholi, *bona est via*. — (*e*) Edd. om. *cum*. — (*f*) As, Edd. om. *omnia invenit*.

[1] *Bartholi*, c. 21. — [2] Deest hoc ap. *Bartholi;* cf. ibi p. CLXIX.

poenis liberatus paradisum introivi »[1]. — Nobilis domina de Francia (*a*), cum pro anima filii sui ad indulgentiam Sanctae Mariae de Angelis ivisset, ad domum reversa, filium reperit iuxta puteum stantem et dixit matri: quod usque tunc fuerat in magnis poenis; « sed hora, qua pro me ecclesiam Sanctae Mariae intrasti, ab omni poena tractus, caeli gaudia iam percepi. Sed ad indulgentiae huius sacrae confirmationem et tuam consolationem permissus sum hoc tibi intimare ». Et statim, his dictis, amplius non comparuit. Quibus perceptis, praefata mulier anno sequenti ad indulgentiam hanc iterato pervenit[2]. — Circa annos Domini 1308 quidam nobilis miles de regno Apuliae, Franciscus nomine, cum quodam rustico, mercenario suo, et societate alia, ad indulgentiam Sanctae Mariae de Angelis venit. Et percepta indulgentia, cum rediret cum dicto rustico et societate alia, contigit praefatum rusticum gravem infirmitatem et pedum dolorem incurrere. Qui, tanquam dolens et poenitens de bono quod fecerat, dixit militi: « Utinam istam viam tecum non fecissem, quia iam expendi pecuniam et vobis omnibus recedentibus, ego solus hic pauper et infirmus in exilio remanebo ». Cui miles respondit: « Non te poeniteat boni, quod fecisti. Sed si omnino te poenitet, da mihi indulgentiam, in eo statu sicut in Assisio recepisti pro anima fratris mei, nuper defuncti, et ego coram omni (*b*) societate tradam tibi pecuniam, quam per viam expendisti, et insuper te expensis meis, equo meo impositum, usque ad domum meam te reducam ». Qui gaudens, stultum pactum cum milite fecit, et statim, pecunia accepta, inito pacto, totam indulgentiam, sicut eam Assisii acceperat pro anima fratris sui defuncti, militi dedit. Sed cum die altero miles cum rustico equo vecto (*c*) et alia societate sua iter perageret, frater militis, qui defunctus erat, clara luce visibiliter sibi eodem die apparuit atque dixit: « Frater carissime, hodie tibi immensas gratiarum actiones (*d*) refero (*e*), quia indulgentia sancta, quam devotus pro me comparasti, animam meam ab omni poena purgatorii liberavit. Et, ut verum me dicere comprobes, scias talia et talia facta in domo tua, quae dum vera repereris, scias me per sanctam indulgentiam, quae est Matris Christi, a poena liberum et ad Deum transire ». Et his dictis, amplius non est visus. Miles ad domum perveniens, cuncta reperit, prout frater eius mortuus praedixerat, et miles, recitando quae acciderant omnibus, conclusit dicens: « Nunc scio firmiter et indubitanter indulgentiam Sanctae Mariae de Angelis esse veram et coram Deo approbatam, per quam frater meus dilectus caeli gaudia introivit »[3].

Adstruitur d e c i m o veritas huius indulgentiae d i v i n a r e v e l a t i o n e e t i n d u c t i o n e, ut personae irent seu vadant (*f*) ad istam indulgentiam, quod Deus et (*g*) fecit, continue inspirando hominibus et mulieribus, ut ad ipsam pergant. Quorum accessus inspirationi divinae debet attribui, cum nec privilegio ad hoc inducantur, nec fratrum praedicatione, quia raro vel nunquam fratres ipsam, ut deberent, praedicant, et tamen divina gratia et inspiratione faciente, ubi impedimenta absint guerrarum, in maxima multitudine fideles illuc vadunt. Attamen quibusdam modo singulari Deus inspiravit, ut irent; et veritatem huius indulgentiae sua revelatione declarare complacuit. — Anno Domini 1286 (*h*) quaedam mulier nobilis de Bononia venit Assisium ad

(*a*) Hoc exemplum habetur in MSS. et Edd.; contra dicta ap. *Bartholi*, pag. CLXIX, not. 2. — (*b*) Edd. *tota societate*. — (*c*) Al, As *vectum*. — (*d*) As, Edd. *gratias*. — (*e*) Al repetit *tibi*. — (*f*) Edd. om. *seu vadant*. — (*g*) Edd. *etiam facit;* As *et facit*. — (*h*) Al *1028* (!).

[1] *Bartholi*, c. 24. — [2] *Bartholi*, c. 25. — [3] *Bartholi*, c. 29.

indulgentiam Sanctae Mariae de Angelis, et cum per aliquos dies (*a*) permaneret, ipsa hora qua indulgentia incipiebat et consequenter (*b*) per totam noctem, propter nimiam pressuram, quam formidabat, decrevit non ire illuc, scilicet ad ecclesiam Sanctae Mariae, sed in hospitio remanere cum ancilla, sed de mane valde diluculo, cessante pressura, pro obtinenda indulgentia et visitare ecclesiam cum sua ancilla illuc adire. Et cum sic, ut decreverat, fecisset, ac se sopori dedisset, vocem audivit clamantem et dicentem sibi: « Surge, tempus est, ut ad indulgentiam descendas ». Et statim expergefacta, praesumens, quod sua ancilla eam vocasset dixit: « Quid clamas? Numquid tempus est, ut ad indulgentiam descendamus? ». Sed ancilla respondit dicens: « Domina ego non vocavi vos, necdum tempus est eundi ». Cumque iterum quiesceret, secundo eamdem vocem audivit dicentem: « Surge et vade ad indulgentiam, quia tempus est ». Et ipsa, ut prius ancillam vocavit. Quae respondit: se illam non vocasse, nec adhuc tempus esse. Tandem ad tertiam vocis excitationem, non interrogando de aliquo ancillam (*c*), dixit ei: « Surge, eamus, quia tempus est ». Cumque ipsa cum ancilla sua versus Sanctam Mariam de Angelis descenderet, per totam illam viam nullum penitus invenerunt; sed in introitu et ostio ecclesiae Sanctae Mariae, quemdam fratrem invenerunt (*d*), senem in habitu candido, vultu honorabilem, stare conspexit (*e*), qui statim sibi dixit: « Si vis hanc gratiam et indulgentiam percipere, spolia et denuda te his vestibus tuis, quia aliter intrare non poteris ». Quo audito, dum (*f*) stupefacta staret et tanquam adulta et maritata denudare se verecundaretur, ipse frater eum cingulum, quo cincta erat, apprehenderet (*g*), mox vidit se non solum mente sed et corpore immutatam, tanquam si esset puella parvula duorum annorum. Et ipsa coepit admirari et dicere intra se: « Quid de te est factum? Quomodo sic tenera et parva tantam viam facere poteris et Bononiam reverti »? Et sic se tanquam parvulam sine verecundia denudavit. Et ipse frater eam in ecclesiam Sanctae Mariae de Angelis introduxit. In cuius parte dextera fontem baptismatis sibi (*h*) ostendit dicens: « Sicut in fonte baptismatis ab omni peccato lota fuisti et emundata, sic et in ista ecclesia nunc ab omni sorde peccati lota et mundata consistis ». Et his dictis, frater ipse loquens secum, statim ab oculis suis sublatus est. Cumque conspiceret se suis vestibus consuetis indutam, in medio ecclesiae Sanctae Mariae de Angelis pressuris populorum undique circumdatam se invenit, ubi prius nullus videbatur adesse. Quod cernens, Deo et beatae Mariae, cuius indulgentia esse cognoscitur, et beato Francisco, cuius meritis de remissione peccatorum omnium certificata fuit (*i*), gratias egit[1].

Quidam peregrinus (*k*) de Senis in persona alterius Assisium pergens, nocte indulgentiae fratri Francisco Bartholi de Assisio, lectori Sanctae Mariae, laetissime narravit dicens: « Quidam peregrinus seu persona fuit, quae non credebat hic tantam esse indulgentiam, videlicet cunctis peccatis. Et dum staret in quodam suo horticello apparuit ei beatus Franciscus cum papa et cardinalibus. Et beatus Franciscus fa-

(*a*) As, Edd. add. *ibidem*. — (*b*) As *continue;* Edd. *communiter*. — (*c*) Al, As add. *sed;* Al *dicens*. — (*d*) As, Edd. *invenit*. — (*e*) Al, As *stare et* (hoc vero in Al postea deletum) *conspexit*. Edd. om. *et consp*. — (*f*) Sic As; Al *quo aud. et stup. staret*. Edd. *quo aud. stupefacta stabat*. — (*g*) Sic As, (Bartholi) et Edd. quae tantum add. *: Ipse* vero *fr.;* Al *Ipse frater cum cingulo, quo cinctus erat, eam apprehendens, mox vidit, sed... sed*. — (*h*) Al, As *mihi,* pressius fontem sequentes. Edd. *sibi*. — (*i*) Al, As *esset*. — (*k*) As *bigamus* (!); Edd. *Bighinus,* (Bartholi: *bizocus vel bighinus*).

[1] *Bartholi,* c. 28.

ciebat signa, per quae innuebat, quod bullam noluerat de ista indulgentia. Et unus de cardinalibus surrexit et legit in quodam libro haec verba: « Indulgentia a poena et a culpa, sicut data est in terra, ita confirmata est in caelo »; et vertit chartam aliam dicti libri et legit idem, et sic consequenter vertendo chartas, semper idem legebat; unde ille de ista indulgentia certificatus fuit et magnam habuit consolationem [1]. — Frater Illuminatus [2], episcopus Assisii, habuit a quodam peregrino, cui a multis erat dissuasum, ne indulgentiam Sanctae Mariae de Portiuncula adiret, quia non erat vera, sed apparente sibi quodam in specie diaconi, albis induto, ter dicente sibi, ‘quod vera erat indulgentia et quod secure iret’, ad indulgentiam venit et omnia enarravit.

Undecimo approbatur huiusmodi indulgentia et vera docetur miraculorum operatione. Cum multi de Marchia Anconitana irent ad Sanctam Mariam de Angelis ad indulgentiam, et quoddam castrum pertransirent [3], iuvenes baractarii (*a*) illius castri ab eis, quo pergerent, requisierunt. Et cum causam itineris eis indicassent, unus illorum, eos deridendo et manu (*b*) a se protensa, dixit: « Tam vera et tam certa est indulgentia ad quam pergitis, sicuti verum est et certum me istam hirundinem, quae garriendo circumvolat, habere manu mea ». Vix enim verba finierat, et ecce hirundo, quae prius in alto desuper volabat, cunctis qui aderant aspicientibus, eius in manu resedit. Quo facto, illi derisores confusione ac rubore suffusi, stabant stupefacti; illi vero peregrini, a Domino confortati, iter suum ad indulgentiam cum gaudio perfecerunt. — Quidam (*c*) Gherardus de Fighino, cum quamdam diligeret mulierem, nec ipsam habere posset, contigit dictam mulierem ad indulgentiam Assisium adire. Quod cernens dictus Gherardus usque ad Assisium eam est insecutus, sperans eam habere in ingressu Sanctae Mariae de Angelis. Et cum mulier praedicta ad ecclesiam iret, ipse Gherardus, nec eam vidit, nec ecclesiam ullo modo, prohibitus, intrare potuit. Quo miraculo viso, confessus diligenter peccata sua, postea intravit, et non multum post saeculum relinquens, factus est frater Minor [4].

Comprobatur duodecimo veritas huius indulgentiae non credentium punitione. Mulier quaedam de Padua confessa est semel proprio sacerdoti omnia peccata sua, et cum sacerdos interrogaret, quare sic generaliter est confessa, respondit: ‘quia volebat ire ad indulgentiam Sanctae Mariae de Assisio’. Et sacerdos miser: « Si est vera indulgentia, quam dicis, imprecor (*d*), quod ego vivus non exeam de loco isto ». Statim miser ante dictam dominam et loquelam amisit et expiravit [5].

Praefatis igitur duodecim testimoniis patet istam indulgentiam Sanctae Mariae esse verissimam. Quae omnia sunt affirmata et coram testibus dicta et probata. Quae quilibet fidelis, dum attente ponderat et diligenter, indubie credat hanc indulgentiam et ore veram censendam et, ut habeatur, toto opere prosequendam. Multa autem alia a Deo sunt facta ad istius indulgentiae confirmationem, sed pro opere praesenti praedicta sufficiant.

(*a*) Edd. *baratarii*. — (*b*) Al *ad se*. — (*c*) As, Edd. *Girardus nomine* infra vero: *Gerardus*. — (*d*) As om. *imprecor*; Edd. om. *imprecor quod*.

---

[1] L. c. c. 36. — [2] L. c. c. 22. Fr. Illuminatus de Theate O. F. M. episcopus Assisiensis fuit 1273-1282. Eubel, *Hier. cath.* I, 114. — [3] Bartholi c. 23. Ubi tamen nihil dicitur de Marchia Anconitana. Baratarii = nebulones mali vel viles — [4] *Bartholi* hoc non fert; cf. Ibid. p. CLXIX. — [5] *Bartholi*, c. 40, (valde contractum).

1. Ex dictis ergo apparet de sollicitudine, amore et zelo beati Francisci ac desiderio, quod habuit ad salvandas animas, et quomodo Christi exemplo animatus est ad procurandum omnium salutem, quod super omnia ostendit huius sacrae indulgentiae impetratio, quae annuatim et in perpetuum fidelibus pie accedentibus datur, nec ab ipsa separatur sexus, nec conditio, nec aetas. Quia omnibus tam mulieribus quam viris, tam pauperibus quam divitibus, tam Italicis quam Ultramontanis, tam Barbaris quam Latinis, et sic de singulis nationibus hominum, tam senibus quam pueris et iuvenibus, dummodo sint contriti et confessi, ut decet, ipsa indulgentia a Deo datur. Quare, etsi multis aliis beneficiis, Dei gratia faciente, humano generi a beato Francisco exhibitis, homines beato Francisco quamplurimum obligentur, utpote:

Quia: primo mundum renovavit, ut patuit libro I conformitate VIII parte secunda et conformitate X et XI [1].

Secundo vitam perfectam demonstravit, ut patuit libro I conformitate IX parte secunda de regula evangelica, quam servavit [2].

Tertio mundum contemnendum declaravit, libro I conformitate VI [3], et dicetur in huius II libri conformitate IV parte secunda.

Quarto Iesum prosequendum indicavit, cuius amore omnia despexit; ac post ipsius vestigia toto nisu perfectionis incessit, ut ostendetur in hoc II libro, et in III libro conformitate II, parte secunda.

Quinto (*a*) mundum sua vita et doctrina illuminavit, de quo dicetur conformitate XIII huius II libri.

Sexto daemones subiecit et suppeditavit (*b*), de quo dictum est libro I conformitate VII [4], et dicetur in isto II, conformitate IX.

Septimo generis humani exaltatione, et hoc in sua persona tot et tanta a Deo percipiendo, et specialiter stigmata. De quo dicetur conformitate III libri I.

Octavo per se et suos fratres signa in orbe perpetravit; propter quae non solum in una parte, sed in omnibus, ratione liberationis a morborum malis, sed etiam exemplorum exhibitorum ab ipsis debent Deo et beato Francisco fideles gratias exhibere, de quibus dictum est libro I conformitate VIII [5] et libro II conformitate I [6], et dicetur libro III conformitate IX et X.

Nono in gloria caelesti sublimavit, de quo dicetur libro III conformitate VIII.

Decimo purgatorium evacuavit, libro III conformitate V.

Undecimo suorum devotorum personas et animas protegit et ad gloriam perducit, libro III conformitate X.

Duodecimo, quae cupit genus humanum obtinere, beati Francisci meritis a Deo dantur, sicut libro III conformitate IX et X dicetur. Sed super omnia obligatum reddit beato Francisco huius sacrae indulgentiae impetratio: Tum quia nullus sanctorum hoc unquam exhibuit generi humano, nec procuravit. Tum quia non partem hominis procuravit salvari, sed totum hominem per dimissionem totalem omnium peccatorum. Tum quia non uni genti, aetati vel conditioni, sed omnibus. Tum quia non pro uno semel et tempore, sed una die singulis annis, et perpetuo. Sic ergo tanto beneficio procurato per beatum Franciscum, quia salutem procuravit omnium, si

(*a*) Al add. *et suppeditavit.* — (*b*) Al om. hic *et suppeditavit.*

[1] AF IV, 175 sqq. 464 sqq. 493 sqq. — [2] L. c. 369 sqq. — [3] L. c. 138 sqq. — [4] L. c. 156 sqq. — [5] L. c. 175 sqq. — [6] L. c. supra pag. 15 sqq.

homines volunt (*a*), omnes homines, qui sunt, fuerunt et erunt, prae aliis sanctis beato Francisco obligantur et tenentur, nec est aliquis peccator tam sceleratus, nisi qui totaliter ignorat de ista indulgentia, qui excusationem habeat, si damnatur, aut non obtineat veniam suorum peccatorum; sed pure confiteatur et ad hanc pergat indulgentiam, et salutem obtinebit perfectam. Magnum quippe est et fuit, quod unus pauperculus, modicus et despectus, tot mundo bona protulerit et dederit, quod signum est acceptationis maximae beati Francisci apud Deum et a Deo (*b*), et sui ferventissimi amoris et charitatis ad salutem omnium hominum praesentium et futurorum. Dicta beneficia a beato Francisco hominibus reddita magna indigerent declaratione, sed ad praesens reserare omitto causa brevitatis, quia ex dictis in praecedentibus et dicendis in sequentibus apparebit eorum expositio et magnitudo ipsorum. Sic ergo patet, quomodo debet intelligi secunda pars huius XIV conformitatis istius II libri: *Franciscus animatur*, et hoc per respectum ad omnes fideles et fratres suos generaliter.

5. Restat ergo videre, quomodo beatus Franciscus, ad instar Christi, ut *pastor* se habuit ad fratres et animatus fuit ad faciendum omnia, quae ad verum pertinent pastorem et praelatum.

Ubi sciendum, quod beatus Franciscus, ut bonus praelatus et pastor, fratres suos velut oves a Christo eidem traditas: Primo in loco tuto collocavit, quia in vita evangelica observanda fundavit, ut dictum est conformitate IX libri I [1].

Secundo ad pascua uberrima minavit, quia appetere aeterna et sola et Crucifixi meditari mirifica incitavit, ut dicit IV pars *Legendae* et VII [2].

Tertio ab insidiis diaboli conservavit, sicut patuit de fratre Rufino per diabolum depravato, quem ad viam veritatis reducendo a diabolo liberavit [3]. Et de fratre inobediente, subacto habenis diaboli, quem suo monitu eripuit [4], et sic de aliis.

Quarto refecit et cibavit non solum doctrina, ut dictum est in I libro [5], sed et cibo corporali, ut dicetur in isto libro II conformitate XII, ut patuit in capitulo generali, Assisii celebrato, ubi quinque milia et ultra fratrum Deus cibavit meritis beati Francisci, ut dicit IV (*c*) pars *Legendae* [6].

Quinto placibilem et affabilem in condescendendo se exhibuit, sicut patuit quando cum fratre, qui multa abstinentia deficiebat, comedit, ut dicit V pars *Legendae* [7]. Et de alio fratre infirmo, quem duxit ad vineam ad comedendum uvas, et, ut ruborem tolleret, ipse prior comedit. Quibus comestis, frater infirmus fuit ab infirmitate sanatus [8].

Sexto separavit, scilicet malos a bonis, ut (*d*) patuit de fratre, quem expulit ab ordine, qui bene comedebat et nihil operari volebat, et sic de aliis [9].

Septimo facta suorum fratrum et ovium cognovit, sicut dicetur huius II libri conformitate XVI. Nam introitum et exitum fratrum omnium novit, ut patuit in descriptione fratris Minoris, quem debere esse dixerat ad instar sociorum suorum [10],

(*a*) Edd. om. ***si hom. volunt.*** — (*b*) Edd. om. ***et a Deo.*** — (*c*) Codd. Edd. ***V pars.*** — (*d*) As, Edd. ***hoc.***

[1] A F IV, 373 sqq. — [2] *Leg. mai.* c. 4. n. 3; c. 7. n. 2. — [3] AF IV, 198 sq. — [4] *Leg. mai.* c. 11. n. 11. — [5] *Fruct.* XII, p. 2, pag. 580 sqq. — [6] *Leg. Mai.* c. 4, n. 10. — [7] L. c. c. 5, n. 7. — [8] II Cel. II 133 (al. III, 110), 176. *Specul. Perfectionis* ed. Lemmens c. 26; ed. Sabatier, c. 28. — [9] II Cel. II, (al. III, 22). c. 45 n. 75; cf. *Leg. Mai.* c. 7. n. 3. — [10] Cf. AF IV, 618. *Specul. Perf.* Sabat. c. 85.

scilicet fratris Bernardi et Rufini et sic de aliis. Cognovit facta fratris Leonis, Rufini, Bernardi et Eliae, et sic de multis aliis.

Octavo sanavit spiritualiter doctrina et verbis, sicut patuit in novitio, qui ordinem exire volebat [1], et de fratre Rufino [2] etc.; ac corporaliter, sicut dictum est I conformitate huius libri II [3].

Nono per viam rectam et perfectam deducendo conduxit, exemplar omnium virtutum ipsis praebendo in cunctis actibus suae vitae.

Decimo ad se benigne evocavit, et hoc dum arcana divinorum, prout videbat saluti ipsorum expedire referendo et reserando (*a*) eis palam fecit, sicut de multis patet in *Legenda*, utpote de dilatatione ordinis, de inclinatione summi pontificis, et sic de aliis, quae Deus ipsi revelando eis edicebat.

Undecimo pro eis exoravit, ut IV et X pars *Legendae* ostendunt [4]. Deum enim oravit pro tentatione fratris Bernardi, Rufini, pro fratre Elia, et sic de aliis, ut dicetur conformitate XI huius II libri.

Duodecimo suam vitam pro eis posuit, unde, ut praeberet se eis exemplarem, vitam austerrimam usque ad mortem semper duxit, ut patebit conformitate XIII huius libri II. Quibus apparet beatum Franciscum verum et bonum fratrum fuisse pastorem et praelatum.

Insuper ipse ad instar materialis pastoris (*b*), spiritualiter accipiendo, in sua pera, id est in sua mente gessit et pectore: *Panem* vitae scilicet Christum cum summa devotione frequenter communicando, ut dicit IX pars *Legendae* [5]; *Sal* summa discretione ut auriga virtutum omnia exercendo, ut dicit V pars *Legendae* [6]. *Aqua* pro potu ad litteram fuit usus, ut dicit V pars *Legendae* [7]. Sed spiritualiter *aqua sapientiae* fuit a Deo potatus intelligentiae scripturarum, ut dicit II pars *Legendae* [8] Herbis virentibus cum suis fuit usus, scilicet exemplis sanctorum et specialiter Christi, ut dicit IV pars *Legendae* [9], et Apostolorum, ut dicit IX pars *Legendae* [10], quorum exemplo vixit, ut dicit III pars *Legendae* [11], et martyrum triumphos aemulabatur, ut dicit IX pars *Legendae* [12]. *Canes* habuit, quia ipse cum suis praedicationis officium iniunctum, ut dicit IV pars *Legendae* [13], exercuit fideliter et ferventer. *Viliter* ad litteram *indutus* fuit, ut dicit V (*c*) pars *Legendae* [14], et VII [15], et chorda cinctus. *Sub tecto pauperculo* quoad vixit reclinavit, ut dicit VII pars *Legendae* [16], et conformitate IV huius II libri dicetur. *Stramenta* pro lectulo habuit, scilicet terram in (*d*) cubitando. Et sic sub caelo nihil habere voluit, nec corpori suo indulsit; imo circa mortem de nullo dixit se debere dicere culpam suam, nisi quia fratrem scilicet corpus, quod sponte se spiritui subiecerat, male tractaverat [17]. *Aestum meridianum et diabolicum* declinavit omnium contemptu et despectione, ut dicit VII pars *Legendae* [18]. Et sic nulli viventi onerosus fuit. *Baculum* tenuit, quia iustissimus fuit Deo, sibi et proximo, quod erat debitum, reddendo. *Caulas* habuit, quia in fide (*e*) catholica cum suis firmissime tenuit et docuit; *fistulam* tenuit, scilicet devotae orationis, eidem vindicando, quidquid in ipso

(*a*) Edd. *saluti ipsorum utile esse reserando, eis.* — (*b*) Al *Insuper tempore ad instar ruralis pastoris.* — (*c*) Edd. falso: *IV pars.* — (*d*) As, Edd. om. *in.* — (*e*) Edd. *fidem.*

[1] A F IV, 435. — [2] L. c. 198 sq. — [3] Supra p. 00. — [4] *Leg. Mai.* c. 4 et c. 10. — [5] N. 2. — [6] N. 1 sqq. — [7] N. 1. — [8] N. 1 sqq. — [9] Cf. Col. 2, 9. — [10] N. 2. — [11] N. 1. — [11] N. 5. — [12] N. 1 sqq. — [13] N. 2. — [14] N. 1. — [15] N. 3. — [16] N. 2. — [17] Cf. II Cel. II, 160 (al. III, 137), 211. — [18] N. 1 sq.

erat, ut dicit X pars *Legendae* [1]. *Calculum* habuit, quia Christo totus unitus fuit et coniunctus, ut dicit pars IX *Legendae*.

Sic ergo beatus Franciscus non mercenarius exstitit, sed bonus et verus pastor erga oves suas, id est fratres a Deo sibi traditos et commissos.

Quibus omnibus patet declarata secunda pars huius II conformitatis, videlicet: *Franciscus animatur*, et generaliter et specialiter.

FRUCTUS ET CONFORMITAS TERTIA ET IN ORDINE DECIMA QUINTA.

Iesus Stola Clarificus. — Franciscus Sublevatur.

Expositio primae partis: **Iesus stola clarificus.**

Dominus et Redemptor noster (*a*) Iesus Christus, cum ab instanti suae conceptionis perfectus Deus fuerit et perfectus homo, animaeque suae non solum est plenitudo Deitatis communicata, sed et omnis plenitudo gratiae collata, ut habetur Ioan. 1, 14 et III *Sententiarum* distinctione 13 [2], ac omni beatitudine essentiali in portione superiori beatificata, ut distinctione 2 [3] habetur. Sed permaximum miraculum fuit talem beatitudinem non redundasse ad portionem inferiorem, et consequenter corpus suum non beatificasse beatitudine accidentali, ipsum stolis beatitudinis vestiendo. Hinc est, quod Salvator noster, sicut Deitatem suam adstruere voluit diversis argumentis et viis, sic et animam suam fuisse beatitudine recreatam, non solum ostendendo suam Deitatem aperte animam beatificantem et consequenter suam animam beatitudine principali et essentiali beatificatam, sed et humanitatem scilicet corpus suum aliquando beatificatum stolis gloriosis et beatitudine accidentali non per unam dotum beatificarum, sed insimul omnibus adunatis. Erat enim revera decens, ut ipse Dei Filius suam Deitatem nude et aperte aliquando et quibusdam ostenderet, iuxta dictum beati Augustini [4], ut vitam ostenderet, in qua post hanc victuri sumus, ac praemium actuum et operum virtuosorum; quo non solum ad credenda, sed ad peragenda ardua a Deo iniuncta homo animaretur. Hanc enim suam Deitatem nude et aperte in veteri testamento ostendit Moysi, non quando eam petiit, Exod. 33, 13, sed postea, ut habetur Numer. 12, 8. Hoc enim ei munus a Deo concessum est, ut Deum videret sicuti est. Quae contemplatio cunctis filiis in fine promittitur, ut dicit Augustinus 12 cap. *Super Genesim ad litteram* [5] et in *Epistola ad Paulinam* [6]. Fuit etiam Isaiae communicata, Isa. 6, 1 sqq. ubi Glossa [7]: *Deum nemo vidit unquam* oculo corporis, sed potest eum videre oculo cordis, sicut vidit eum Isaias [8]; unde: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* [9]. In novo testamento vidit beatus Paulus in raptu, de quo habetur II Corinth. 12, 4; unde beatus Augustinus in quaestione penultima *ad Orosium* sic dicit [10]: « Ob id raptus fuerat Paulus in tertium caelum idest in intellectualem visionem, ut Deum non per corpus, non per similitudinem corporis, sed sicut est ipsa veritas, cerneret ». Ad id profecto pervenerat Paulus, ut Deum sic in vita ista videret, sicuti sancti post hanc vitam. Idem dicit l. XII cap. 28 *Super Genesim ad litteram* [11] et in *Epistola ad Paulinam, de videndo Deum.* Beatus etiam Stephanus

(*a*) Al repetit *Dominus*.

[1] N. 1. — [2] Hac dist. magis quam 14, uti codd. et Edd. habent. — [3] *Lib. Sent.* III dist. II. — [4] Cf. *De Genesi ad litt.* l XII, c. 28 (P. L. 34, 478). — [5] Cap. 28. (P. L. 34, 478). — [6] *De vid. Deo*, c. 10-11. (P. L. 33, 607). — [7] Ordin. in Ioan. 1, 18, (cf. P. L. 114, 358). — [8] Is. 6, 1 sqq. — [9] Matth. 5, 8. — [10] Inter opera S. Aug. quaest. 63 (P. L. 40, 752). — [11] Cfr. supra nota 4 et 6; et *De vid. Deo* c. 13 (P. L. 33, 610).

vidit, Actuum 7, 55, ubi Glossa: Quidam electorum, adhuc in hac vita detenti, mundato oculo cordis videre meruerunt gloriam, ut hic Stephanus et Paulus raptus ad tertium caelum, sed Paulus vidit, ut vident beati, quare et Stephanus. De beata Virgine pie credendum est etiam, quod viderit, praesertim dum in eius utero moraretur Iesus Christus, quia privilegia gratiarum aliis concessa, non sunt ab ipsa deneganda, prout dicit Hieronymus in *Sermone de Assumptione:* Hodie etc. [1] et, Bernardus in *Epistola ad Lugdunenses* [2]. De beato Benedicto idem (*b*) asserere videtur beatus Gregorius II *Dialog.* [3], et de quibusdam aliis est pie credendum, ut per raptum ad huiusmodi visionem pervenerint in praesenti constituti, ut dicit Augustinus in *Epistola ad Paulinam, de videndo Deum* [4]. Et si dicatur, hoc videtur repugnare illi, quod scribitur, Exodi 33, 20: *Non videbit me homo et vivet,* respondet Augustinus in *Epistola ad Paulinam* [5]: quod non intelligitur, quod non vivat praesenti vita et in corpore mortali, sed accipitur vivere pro actu vitae sensitivae et imaginativae, qua homo debet mori, considerata visionis excellentia, non Dei omnipotentia. Contra praedicta est illud Ioan. 1, 18: *Deum nemo vidit unquam;* et Apostolus dicit [6], quod *lucem habitat inaccessibilem, quam nemo hominum vidit, nec videre potest.* Respondet beatus Augustinus I *libro de Trinit.* cap. 5 [7], quod Apostolus hoc pro tanto dixit, quod illi «qui vident Deum, ultra homines sunt» idest ultra hominis pura naturalia constituti, et in *epistola ad Paulinam* [8] dicit, quod «*Deum nemo vidit unquam* [8], vel in hac vita, sicuti est, vel in alia vita, sicuti visibilia ista, quae corporali visione cernuntur». Et potest dici iuxta glossam allegatam de Isaia [9], quod nemo vidit unquam oculo corporis, nec videre potest, ut dicit Apostolus [10].

1. Hanc visionem ipse Deus et Salvator noster in praesenti constituto vel constitutis communicando, quia non est visio permansiva in aliquo, cui est communicata nisi in sua anima, sed transiens, plura et singularia dona ipsum sic videnti elargitur.

Primum est gratificationis; gratia enim viae communiter non sufficit elevare et disponere mentem ad tam arduam visionem; nec est sibi proprium et essentiale, quia sic quilibet videret, vel videre posset Deum; quare vel alia gratia requiritur, vel prioris augmentum, et hoc de communi lege et Dei omnipotentia pensata. — Secundum est perfectae purgationis; «Deus enim a solis purgatissimis mentibus videtur», ut dicit Augustinus, I *De Trinitate* [11]; quare homo, tali visione sibi data, ab omni scoria et rubigine purgatur peccati et fit vas purissimum. — Tertium est fomitis suppressionis; pro tunc enim anima non incitatur ad malum, nec retrahitur a bono, immo oppositum, cum sibi omne bonum demonstratur. — Quartum est singularis sanctificationis, accipiendo sanctificationem pro singulari Dei in anima habitatione, iuxta illud Psalmistae [12]: *Sanctificavit tabernaculum suum, Deus in medio eius* etc. — Quintum est in gratia confirmationis; quia, tali visione stante, quod peccet non est intelligibile. — Sextum est certificationis de permanentia in gratia et forte etiam de perseverantia finali. Paulus enim, qui habuit huiusmodi visionem non permanentem, sed transeuntem, dixit ad Rom. 8, 35, 38 sq. *Quis nos separabit a charitate Christi?* Et respondebat dicens: *Scio quod nec mors, nec vita* etc. *poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Iesu.* — Septimum est copulationis; tali enim visione homo cum Deo unus spiritus efficitur adeo, ut ab ipso dividi, ut dicit Apostolus [13], et separari ab illo non possit. — Octavum est consolationis. Psalmus [14]: *Adimplebis me laetitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua* etc. — Nonum

(*a*) Al om. *idem.*

[1] Inter opp. S. Hieronymi (P. L. 30, 138). — [2] P. L. 182, 234. — [3] Cap. 16 et 35 (P. L 66, 164 sqq.: 198 sqq.). — [4] Cap. 13. (P. L. 33, 610). — [5] L. c. (I. L. l. c.). — [6] I Tim. 6, 16 — [7] Potius c. VI (P. L. 42, 826). — [8] Cap. 11. (P. L. 33, 609). — [9] Cfr. supra not. 7. — [10] I Tim. 6, 16. — [11] Cap 2. (P. L. 42, 822). — [12] Psalm. 45, 5. — [13] Rom. 8, 39. — [14] Psalm. 15, 11.

est transformationis perfectae, ut dicat cum Apostolo, Gal. 2, 20: *Vivo ego, iam non ego, vivit vero in me Christus.* — Decimum est illuminationis; audit enim et videt cum Apostolo, II Corinth. 11 [1], *arcana verba, quae non licet homini loqui.* — Undecimum est cupitae dissolutionis; cupit enim cum Paulo dissolvi et esse cum Christo [2]. — Duodecimum est gloriae consequendae subarrhationis; signum enim est gloriae post hanc vitam accipiendae, cui talis visio a Deo in praesenti conceditur, ut patet de praedictis, quibus Dominus concedere dignatus est.

Et si dicatur: Nonne Lucifer vidit Deum? Respondetur, quod non visione hac, de qua loquimur, sed alia; quia haec est, quae beatificat, etsi transeunter tales, et permanenter (*a*) beatos, quam non habuit ipse Lucifer, nec Angeli ante confirmationem in gratia. Multa alia talibus videntibus proveniunt, ut dicetur (*b*) libro III conformitate VII. Sed ad praesens dicta sufficiant. Haec ergo visio, sicut a nobis naturaliter desideratur, ita a quolibet; ut detur eidem a Deo, ipse Altissimus debet deprecari et dici (*c*), cum psalmo [3]: *Ostende nobis faciem tuam et salvi erimus. Facies enim tua plena est gratiarum,* Esther 15, 17. Hac ergo habita visione, homo certificatur de credendis, agendis et obtinendis, quare nihil ei incredibile, nihil formidabile, nihil durum et asperum est visum, ut patuit in praefatis et aliis, qui viderunt. Verum, quia dicta visio non conceditur omnibus, et animam Christi fuisse beatam ab instanti suae conceptionis credendum erat ab omnibus, ac oculi nostri et sensus solum corporalia apprehendunt et sentiunt, hinc est quod cum beatitudinem animae Christi oculo corporali videre non possumus, sicut nec ipsam animam; per corpus ergo suum, id est per corporis dotes eam beatam demonstrare decebat, ut per effectus huiusmodi, qui ab anima beata et sola procedunt, ad beatitudinem eius animae deveniremus, et sic faciendo de beatitudine accidentali notitiam haberemus ipsius Christi.

2. Declarare ergo eidem placuit suae beatitudinem animae per corporis dotes. Et quia dotes beatificantes corpus sunt quatuor, videlicet: subtilitas, agilitas, claritas, impassibilitas, corpus enim gloriosum quatuor praefata habebit. Quia enim nunc est grossum, tunc erit subtilissimum, omnia sine laesione penetrans. Quia enim ponderosum et grave, tunc erit agillimum et perget quocumque libuerit, quasi in momento. Quia obscurum est, erit clarissimum, utpote sole splendidius. Quia vero nunc subiectum est passionibus, tunc erit impassibile, quia a nullo pati valebit. Et haec quatuor dotes, sive sint ab anima, sive ab alio, adstruunt tamen animam beatam. Et Salvator noster per praefata animam suam esse beatam reseravit, non simul in vita, etsi post, sed nunc unam, nunc aliam declarando.

Dote subtilitatis usus est, prout dicit Hugo de Sancto Victore, quando, virginitate servata et virginitatis intacta clausura, a virginis utero clauso exivit de beata Maria nascendo [4]; etsi sanctus Thomas dicat [5], quod non fuit per dotem subtilitatis, qua tunc sit usus, sed miraculo novo. — Agilitatis dote usus est, quando supra aquas ambulavit, ut docent evangelia [6]. Aqua enim non est indurata sub eius plantis, sed in sua permanente dispositione, Salvator super eam ambulavit. — Impassibilitatis dote, sequendo dictum Hugonem [7], usus est, dum panem transsubstantiavit in corpus suum. Unde corpus Christi, etsi mortale esset in se, quando ipsum discipulis tradidit, et passibile, licet corpus Christi esset mortuum pro tunc, si esset et fuisset in sacramento; quia omne absolutum, quod infuisset eidem extra sacramentum, inesset eidem dum esset sub sacramento, sed non omne respectivum; tamen

(*a*) Al add. in marg. *facit;* As *transeat per tales et permanet in beatis.* — (*b*) Al om. *ut dicetur.* — (*c*) Al *dicere.*

[1] Potius II Cor. 12. 4. — [2] Philip. 1, 23. — [3] Psalm. 79, 4. — [4] Cf. Hugo de S. V. *De B. M. Virg.* c. 3 (P. L. 176, 872). Potius Gregorius, 26 *Homil. in Ev.* n. 1 (P. L. 76, 1197). — [5] *Sum. Theol.* p. III. q. 28, art. 2. — [6] Matth. 14, 25. Marc. 6, 48. — [7] *De Sacram.* l. I. p. 8, c. 3. (P. L. 176, 463).

si corpus Christi, id est hostia consecrata percuteretur, in ignem poneretur, et sic de aliis passionibus, nihil corpus Christi pateretur. Ratio, quia impassibile est sub sacramento contentum. Et sic dote impassibilitatis suum corpus adornavit, modo iam dicto, sub sacramento locando, et ut a nihilo possit affici extrinseco concedendo.

Claritatis vero dote usus est, quando in monte Thabor coram tribus apostolis transfiguratus, species eius, ut dicit Lucas [1], apparuit altera, non in quantitate, sed in qualitate, quia, ut dicit Matth. 17, 2: *Facies eius apparuit ut sol, vestimenta eius alba sicut nix.* De qua dote et de qua transfiguratione loquitur prima pars huius III conformitatis istius II libri dicens: *Iesus stola clarificus.* Et quia haec indiget debita expositione, ideo pro huius declaratione sunt aliqua videnda et inquirenda.

Primum est, quod cum evangelium Matthaei [2] dicat, quod Christus *transfiguratus est,* [videndum est] (*a*), quid est transfiguratio et quomodo debet intelligi haec transfiguratio facta. Et pro huius indagatione sciendum, quod transfiguratio, ad vim vocabuli eundo, est in figuram alterius transitio et mutatio. Sed figura in sacro eloquio dicitur dupliciter. Aliquando accipitur pro quantitate, Sapien. 7, 1: *In ventre matris meae figuratus sum caro.* Aliquando dicit qualitatem, et sic accipit Aristoteles [3], ponens eam in quarta specie qualitatis, et de hac loquitur Apostolus primae Corinth. 7, 31, dicens: *Praeterit figura huius mundi;* et quandoque accipitur figura pro signo, I Corinth. 11 [4]: *omnia in figuram,* idest in signum, *contingebant illis.* Sed de hac nihil ad propositum. Salvator ergo, quando transfiguratus est, quantitatem nec corporis, nec faciei mutavit, sed bene qualitatem, quia in aliam figuram, scilicet beatam, mutatus est. Sic ergo patet, quomodo in figuram aliam Salvator transfigurando se est mutatus.

Secundum est, quare voluit se transfigurare? Et licet dictum sit in parte, tamen hoc voluit exercere, ut dictum est, ut beatitudinem animae suae demonstraret, per beatitudinem ad tempus corpori collatam, quae ex animae beatitudine procedit; quia non potest bene intelligi, quod corpus sit beatum, et anima non, etsi e converso fuerit in Christo.

Et quia in Deitate ipsius animae nostrae, in humanitate corpora nostra suam beatitudinem debent habere, quid esset beatitudo nostra, sanctis apostolis tali transfiguratione declaravit. Idipsum peregit, quia ipse praemiserat, ut patet Matth. 17, 24: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum* etc. et ut dicit Gregorius [5]: « Magnum est abnegare, quod (*b*) habet; sed valde multum est abnegare, quod est »; et Ambrosius istum passum evangelii exponens dicit [6]: « Arduum quippe est crucem tollere, animam periculis, mortique corpus offerre, negare quod sis, cum velis esse, quod non sis »; et subdit: « Moralis et bonus magister, ne quis desperatione frangatur, aut taedio, praemium voluit ostendere, quid in futuro adsit mercedis ostendendo ». Insuper quia dixerat, Matth. 16, 28: *Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo,* et cum ipse sit veritas, Ioannis 15 [7], quod promiserat operi demandavit (*c*). Demonstravit enim et in sua fore virtute se beatificare et beatitudinem pro libito [assumere] et sicut placet (*d*).

Tertium videndum est, cur coram tribus discipulis et non pluribus se transfiguravit; quia dicit Evangelium [8], quod *Iesus assumpsit Petrum, Iacobum et Ioannem,* et non alios. Respondetur: — Primo, quia sufficiens est testimonium duorum, vel trium. — Secundo propter mysterium Trinitatis praedicandum per istos tres apostolos, tribus linguis principalioribus; quia Petrus Latinis, Romae enim obiit; Iacobus Hebraeis, et Ioannes Graecis.

(*a*) Al, As, Edd. om. *videndum est.* — (*b*) Al om. *habet — quod.* — (*c*) Edd. *opere implevit.* — (*d*) Edd. *pro lib. assumere;* om. *et sicut placet.* Al, As om. *assumere.*

---

[1] 9, 29. — [2] 17, 2. — [3] *De Praedicam.* c. IV. — [4] Potius I Cor. 10, 11. — [5] *Homil.* 32 (P. L. 76, 1233); aliqua immutata verba. — [6] *Expositio in Ev. Lucae,* l. VII (P. L. 15, 1699). — [7] Est Ioan. 14, 6. — [8] Matth. 17, 1.

Tertio, ut doceret, quod ardua et secreta pluribus non sunt revelanda. — Quarto, ut hos prae aliis authenticos redderet, utpote qui esse debebant columnae Ecclesiae in mysterio Trinitatis. — Quinto, si omnes assumpsisset, quare et Iudam indignum. Si alios et non ipsum, occasionem ex dimissione ad malefaciendum ei praebuisset, ut dicit Damascenus [1].

Quartum quaerendum, in quo loco facta est huiusmodi transfiguratio. Et respondet evangelium [2], quod in monte excelso et seorsum, scilicet in monte Thabor. Ubi primo innuit, quod id Christus fecit, ut ostenderet, quod Deus sua et se reserat illis, qui a strepitu sunt remoti mundanorum, sicut Moysi in monte Sinai, Exodi 20, 1 sqq. et 33, 1 sqq., et Eliae in monte Horeb, III Regum 19, 8 sqq. et discipulis in monte, Matth. 5, 1 sqq. Secundo, ut daret intelligi, quod non in istis inferioribus, sed in superioribus gloria nostra est quaerenda et beatitudo, sed a terrenis oportet consurgere, qui caelestia vult intueri et habere.

Quintum quaerendum et videndum, quomodo facta est haec transfiguratio. Respondetur, quod Iesus *transfiguratus est ante eos* [3]. Vide coram quibus. Quia *ante eos* sanctos apostolos hoc egit, ut testes essent; et ut animaret eos ad similem beatitudinem peroptandam, *transfiguratus est ante eos.* Nota quod Deus fecit hanc transfigurationem. Sed dicitur passive *transfiguratus* et hoc respectu humanitatis et corporis debet intelligi, non respectu animae ac Deitatis. Iam enim erat in anima, et anima fecit vere in corpore. Sed quomodo? Dicit Evangelium [4]: *Facta est facies eius altera,* non quantitative, sed qualitative, quia *ut sol;* quia beata et gloriosa. *Resplenduit* enim *facies eius ut sol,* immo plus quam sol. Sed (*a*) non habuit exemplum clarioris luminosi, ideo posuit sol.

3. Sed hic sunt aliqua dubia. Primum dubium. Ubi fuit ista claritas in subiecto? Respondet Alexander de Ales (*b*), III parte *Summae* parte prima, quaestione 21 [5] (*c*), quod subiective fuit in corpore, sed in veste fuit ab exteriori a superinfuso faciei splendore [6].

Secundum dubium. An talis claritas fuerit gloriosa? [7]. Respondetur quod sic, etsi ad tempus assumpta. Ut enim dicit Lucas, cap. 9, 31, visus est in gloria magnifica; et testantibus doctoribus Hieronymo [8], Chrysostomo et Remigio super hunc locum, in gloria visus est futurae postea resurrectionis, in qua post iudicium apparebit electis.

Tertium dubium. Cur Dominus, volens ostendere beatitudinem sui corporis, plus apostolis reseravit per dotem claritatis, quam per alias dotes? [9] Respondetur, quod alias dotes, videlicet duas ostenderat. Primam, scilicet subtilitatem, nascendo; secundam, scilicet agilitatem, super aquas ambulando, Matth. 14, 25: quare restabat (*d*) hanc ostendere, scilicet claritatem. Hoc idem peregit, quia ad claritatem omnes aliae dotes sequuntur. Lux enim sine sui corruptione, corpora penetrat diaphana, et sic est subtilissima. Fit subito et multipliciter in medio, et sic agillima. Non inficitur transiens per infecta, et sic impassibilis, ut dicit Alexander [10], tertia parte quaestione 21 (*e*); quare ostendendo de claritate, consequenter et de aliis ostendit. Sic ergo claritas illa fuit ab interiori producta, scilicet claritas corporis; et fuit vera, quia aliter fuisset non visio, sed illusio; et fuit gloriosa, ut dictum est.

Quartum dubium. Quomodo potuit stare ista claritas cum colore priori? Respondetur [11], quod color est quid materiale respectu lucis; quare propositum. Similiter in quibusdam lapidibus pretiosis simul stant color et splendor, ut docet experientia. Hoc etiam potest facere Deus.

(*a*) Edd. *Et quia non.* — (*b*) Sic As, Edd.; sed Al *de Alexandria* falso. — (*c*) Codd. et Edd. *q. 214.* (*d*) As, Edd. add. *per.* — (*e*) Codd., Edd. *q. 219.*

---

[1] *Homil. in transfig. Domini* (P. Graec. 96, 558). — [2] Matth. 17, 1. — [3] L. c. — [4] Luc. 9, 29. — [5] *Summa Theologiae,* Pars III. qu. 21: *De transfiguratione Christi.* — [6] L. c. Membrum III; solutio. — [7] L. c. Membr. IV. — [8] *Com. in Matth.* l. III. c. 17 (P. L. 26, 122-3); cf. Hilarius *Com. in Matth.* c. 17 (P. L. 9, 1014); Chrysostomus, *Ad Theodorum lapsum* I. (P. Gr. 47, 292). — [9] L. c. membr. VII. — [10] L. c. et membr. cit. — [11] Cf. L. c. membr. II.

Quintum dubium. Quomodo talis claritas gloriosa potuit stare in corpore mortali? Respondetur [1], quod cum dotes sint distinctae et Deus omnipotens (a) potuit pro tempore dare unam sine alia.

Sextum dubium. Quomodo tanta claritas, cum esset centies lucidior sole (ut dicit Hilarius [2] et Haimo [3]), non illuminavit totum mundum? Respondetur [4]: Primo quod illa claritas voluntarie est in corpore Domini expressa; et per consequens, cui voluit manifestavit. Secundo quia, ut docet experientia, lucerna non illuminat, nisi sit in situ debito locata. Quare nec claritas illa, quia non in situ apto posita, mundum illuminabat. Tertio hoc fuit factum, virtute divina retrahente lucis huius radios. Ut enim dicit Augustinus in *Epistola ad Paulinam* [5]: « Sicut in nostra potestate est videre corporalia, sic in potestate spiritualium est, ut ea videamus, vel non ». Quare propositum.

Septimum dubium. Quomodo, cum oculi nostri in sua claritate fixa acie solem intueri nequeant, oculi apostolorum tantam lucem videre quiverunt? Respondet Alexander [6] III parte, id est quaestione 21 (b): quod solem non possumus videre, non ratione splendoris, sed caloris dissolventis humidum radicale pupillae oculi. Sed claritas gloriosa non est visus diverberativa et dissolutiva, sed magis confortativa, fortificativa et delectativa, et sic ipsam videre potuerunt. *Facies* ergo *facta est ut sol, vestimenta eius alba ut nix.* Et quia nihil albius est nive, nec splendidius sole, exemplum evangelista ponit de ipsis. Et sic patet quomodo est facta transfiguratio.

4. Sed videndum est quid ad hanc transfigurationem est secutum; et sancti evangelistae Matthaeus et Lucas ponunt plura.

Et primum est duorum prophetarum ad Christum adventatio et accessio. Nam et: *ecce apparuerunt Moyses et Elias cum eo loquentes.* Pro horum declaratione sunt aliqua dubia removenda (c).

Primum dubium. An Moyses vere resurrexerit? Respondet Alexander in tertio, locis praeallegatis [7], quod non; sed bene fuit ibi eius anima, nec fuit necesse ibi eius corpus, quia virtute divina apparuit apostolis. Potest etiam dici, quod sicut angeli in corpore assumpto nobis apparent, vel in similitudine corporali, sic et ipse apparuit: quia corporeis oculis spiritum videre non possumus. Potest etiam dici, Dei omnipotentia pensata, quod in proprio corpore potuit apparere.

Secundum dubium. Qualiter apparuerunt? Respondetur secundum Lucam capitulo 9, 31 sq., quod: *visi sunt in maiestate,* scilicet Christi; nam sequitur, quia apostoli *vigilantes viderunt maiestatem eius et duos viros, qui loquebantur cum eo;* quare ipsi gloriosi in se non erant, sed sic in gloria apparebant ex redundanti gloria maiestatis Christi.

Tertium dubium. Cur hi duo, scilicet Moyses et Elias, apparuerunt? Respondetur primo, ut Christus ostenderet se non egisse contra legem, prout dicebant Pharisaei, sed secundum legem, in cuius signum legislator apparuit Moyses, ac legis aemulator Elias. Secundo, ut ostenderet se vitae et mortis imperium habere, Moysen de limbo et Eliam de paradiso extrahendo. Tertio, ut reseraret illum se esse, quem lex et prophetae proclamaverunt, et legis et prophetarum omnia implesse et implere venisse.

Quartum dubium. Cur Christus voluit hos duos suae transfigurationi adesse? Respondetur, quod hoc egit, ut de sua gloria et beatitudine animae, et pro tunc corporis, testes haberet authenticos, tam de veteri testamento, quam de novo: Moysen et Eliam de veteri,

(a) As, Edd. *cunctipotens.* — (b) Codd., Edd. *q. 224.* — (c) As, Edd. *renovanda.*

[1] L. c. membr. V. — [2] *Comment. in Matth.* c. 13 (P. L. 9, 1014). — [3] *Homil. de temp.* 34. (P. L. 118, 222-3). — [4] Cf. l. c. membr. VI et IX. — [5] P. L. 33, 597-8. — [6] L. c. membr. IX, solutio. — [7] Membr. VIII.

apostolos tres de novo, ut sic evidenter doceret se esse nostrum glorificatorem, testibus utriusque testamenti tam sollemnibus.

Quintum dubium. Quare Enoch non venit sicut Elias? Respondet Alexander loco praeallegato [1], quod Christus in hac transfiguratione voluit gloriam resurrectionis et opus redemptionis futurae exprimere, et quia solum explicite fuit tradita et credita post diluvium, id est Abrahae primo et sic deinceps, et Enoch fuit ante, quando solum implicite credebatur; quare ipse non fuit adductus. Similiter Moyses omnia, quae fuerunt in primo statu, Dei scivit revelatione; quare pro illius temporis teste sufficiens erat.

Secundum ad hanc transfigurationem subsecutum est Moysi et Eliae cum Christo allocutio. Evangelium dicit, quod loquebantur cum eo, sed quod Matthaeus non dicit, Lucas [2] dicit, quod dixerant *excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem.* Quo verbo ostenditur, quod ipsi eum dulcissime et humillime exorabant, quod passionem, etsi acerbam et diram, subire tamen vellet pro humani generis redemptione et salute. O cum quanta reverentia loquebantur cum eo, utpote cum Rege et Deo suo! Sed adverte, quod in hoc actu Christus se ostendit: Primo verum Deum vivorum et mortuorum, istos sic ad se adducendo. Secundo, ex fine redemptorem omnium, quia de hoc loquebantur. Tertio omnipotentem, Moysen de inferni limbo deducendo. Quarto beatificatorem, quia viderunt eum beatum et in maiestate sua. Ad quam visionem secuta (*a*) est ipsorum duorum quasi glorificatio, quia fuerunt gloria Christi et maiestate pleni; ideo dicit Lucas [3], quod *visi sunt in maiestate,* idest gloria Christi. Sicut enim superinfusione lucis fit homo lucidus saltem exterius, sic in proposito.

Ad quod subsecutum est magnum gaudium ipsorum. Primo quia viderunt eum, quem tanto tempore videre peroptaverunt. Secundo viderunt eum in decore. Tertio quia ipsi ex Christi gloria recreati sunt aequaliter. Abraham videndo diem eius, gavisus est [4]; quanto magis isti!

Tertium subsecutum ad transfigurationem est Petri ad Christum singularis prolocutio et responsio, ut dicit evangelista [5]. Sed hic sunt aliqua dubia. Et primum dubium. Quomodo Petrus et apostoli cognoverunt Moysen esse et Eliam, quos nunquam prius viderant? Respondetur, quod hos cognoverunt in luce illa ineffabili claritatis Christi; visi enim sunt in gloria et maiestate Christi. Quo sequitur, quod in gloriae lumine obtecta prius revelantur. Sequitur etiam, quod non solum gloria homo illuminatur, sed etiam recreatur. Petrus clamat, visa gloria, dicens: *Domine, bonum est nos hic esse,* etsi in via; multo fortius in patria, ubi est aeterna beatitudo. — Secundum dubium. Quare Petrus non dixit sibi et sociis construere tabernaculum, sed solum Iesu, Moysi et Eliae? Respondetur, quod Petrus, ut dicit Lucas [6], dormierat, et evigilans a somno, stupefactus dixit haec, nesciens quid diceret. Secundo potest dici, quod beatus Petrus construendo Christo tabernaculum, sibi construebat et sociis. Tertio potest dici, quod sibi et sociis non dixit tabernaculum construi, quia se et eos non putabat tanti meriti, sicut illos esse, quos in maiestate videbat. — Tertium dubium. An Petrus iuste peteret? Respondetur, quod non; quia nesciebat, ut dicit Evangelium [7], quid diceret. Item Christo et sanctis non sunt facienda tria tabernacula, sed unum, quia una fides et una Ecclesia, cuius ipse est caput. Similiter beatitudo non debet appeti pro praesenti, sed pro futuro. Et ideo, quia nesciebat quid diceret, Christus suae quaestioni nihil respondit. — Quartum dubium. Quare non fuit in hoc a Christo illuminatus, ut sciret, quid loqueretur? Respondetur, quod lux illa divina irradiat, ubi vult, quos vult, et quantum vult. Sic dedit eis notitiam de Moyse et Elia, et non de aliis. Homo insuper

(*a*) Codd., Edd. *secutum.*

[1] L. et membr. cit. — [2] Luc. 9, 31. — [3] L. c. — [4] Cf. Ioan. 8, 56. — [5] Matth. 17, 4. — [6] Luc. 9, 32. — [7] L. c.

naturaliter alienatur, dum supra se elevatur; et ideo in uno a Domino fuit adiutus, scilicet ut videret gloriam Dei; in alio suae naturae dimissus, scilicet inquirendo. Apparet etiam, quod Deus non quae scit, beatis revelat. — Quintum dubium. Si quod Petrus petit, numquid corporaliter, vel spiritualiter erat intelligendum? Respondetur, ut credo, spiritualiter: sed ne (*a*) fuit impletum? Respondetur, quod partim non, quia fides Trinitatis non faciet tria tabernacula, sed unum; quia tres personas in una essentia confitetur. Item Christum sanctis non aequat, nec e converso, quare tabernaculum facit ipsi soli et non aliis, quia una est Ecclesia. Partim vero est completum; quia tria tabernacula, tres status sunt in Ecclesia, scilicet: primus clericorum, signatus per Christum; secundum coniugatorum, signatus per Moysen; tertius religiosorum et virginum, signatus per Eliam.

Quartum subsecutum ad transfigurationem est apostolorum obumbratio. Dicit Evangelium [1], quod *nubes lucida obumbravit eos.* Sed quae fuit et quid haec nubes? Respondet Beda [2], quod Spiritus Sanctus, sicut et columba; et sicut in baptismo Christi fuit tota Trinitas, sic et hic: Pater in voce, et Spiritus Sanctus in nube, et Filius in persona propria transfiguratus. Sed quid egit haec nubes? Respondet Evangelium, quod *obumbravit eos,* id est, circumfulsit; ab effectu dicuntur obumbrati; vestivit eos et operuit, ut ostenderet eis gratiam divinam infusam, ut quod eis fiebat, potius gratiae divinae tribueretur, quam ipsorum meritis; vel potest dici *obumbravit,* idest, refrigeravit, nam refrigerium magnum praestavit eis, ut quod Petrus dixit, *bonum est nos hic esse,* tali sit expertus obumbratione. Vel aliter potest dici, quod *obumbravit eos,* ut daret intelligi, quod sancti apostoli, quibus Dominus loquebatur, erant ut nubes: levis per separationem a terrenis; alta (*b*) per sequestrationem ab omni sensuali delectatione; clara, quia totus homo in intimis erat recollectus: quae tria requiruntur in eo, cui loquitur Dominus: sicut fuit in Moyse, cui in nube locutus est Dominus in monte, Exod. 2, 21.

Quintum subsecutum ad transfigurationem est paterna informatio. Sic obumbratis vox intonuit: *Hic est Filius* etc. Sed quid Pater loquitur obumbratis? Certe: *hic est Filius meus dilectus, in quo bene complacui; ipsum audite* [3]. Ubi ostenditur: Primo Christi nobilis conditio; quia: *hic est Filius meus.* Secundo summa perfectio, quia *in eo mihi bene complacui.* Tertio vera instructio, quia *ipsum audite.* Et sic patet, quod Christus est verus Deus, quia *Filius meus*, scilicet Dei Patris; gratia plenus et virtutibus, quia *in eo mihi complacui;* veridicus in verbo et doctrina, quia *ipsum audite.* Sed cur non dixit: Ipsum sectamini et eius opera; sed solum *ipsum audite?* Respondetur, quod apostoli iam ipsum sequebantur. Christus prius egit et postea docuit; et quia doctrina non discrepabat a vita. Inducendo ergo apostolos ad (*c*) audientiam doctrinae, fecit consequenter et vitae imitationem.

Sed sciendum est, quod apostoli primo obumbrantur, secundo informantur, tertio prosternuntur, quia Deus: Primo gratiam infundit, quae mentem refrigerat, humectat devotione et cor mollificat, quae tria intelliguntur in nube. Secundo aperit intellectum, ut homo percipiat Christi doctrinam, conditionem et vitam. Tertio prosternit, quia ostendit, quod homo de seipso nihil debet praesumere, quantumcumque visitetur a Deo donis, quia nihil est, sed de Deo.

Sextum ad transfigurationem consecutum est apostolorum prostratio: quia *ceciderunt* non retro, ut reprobi, sed *in facies suas* [4], sicut a Deo electi. Sed quare ceciderunt? Certe, quia humana fragilitas celsitudinem non sustinet divinae allocutionis. Daniel non sustinuit allocutionem angelicam, sed cecidit et elanguit [5], quanto magis divinam; sic et apostoli ceciderunt.

(*a*) Al *quare non.* — (*b*) As, Edd. *opaca.* — (*c*) Al *per.*

[1] Matth. 17, 5. — [2] *Expos. in Ev. Matth.* c. 17 (P. L. 92, 81). — [3] Matth. 17, 5. — [4] Matth. 17, 1. — [5] Dan. 10, 8.

Septimum subsecutum est ipsorum discipulorum a Christo contactus et confortatio. *Eos tetigit* dicens: *Nolite timere;* tetigit, ut se Dei virtutem ostenderet. Et confortavit eos dicens: *Surgite et nolite timere.* Nihil est formidandum, nihil timendum, Christo praesentialiter assistente. Ex praedictis patet, quod isti tres benedicti Apostoli multa in hac transfiguratione a Christo habuerunt. Primo, quia fuerunt a Christo specialiter adamati, quia *eos assumpsit.* Secundo acceptati, quia *duxit eos.* Tertio sublevati, quia *in montem excelsum* etc. Quarto gloriam Christi contemplati, quia *transfiguratus est ante eos.* Quinto advocati et pro testibus deputati, quia *ante eos.* Sexto illuminati, quia *facies* Christi eis *resplenduit ut sol.* Septimo iucundati, quia faciem Christi in iubilo, id est, in gloria viderunt. Octavo de gloria corporis, qualis erit, certificati, quia faciem Christi ut solem viderunt et *vestimenta alba* etc. Nono consolati: clamat Petrus: *Bonum est hic nos esse.* Decimo refrigerati ab ardore cuiuscumque noxii, quia nube obumbrati. Undecimo a Patre aeterno (*a*) informati, dum eum audiunt dicentem: *Hic est* etc. *ipsum audite.* Duodecimo contra omnia adversa roborati, quia tacti sunt a Christo sua manu. Sic ergo, quid boni hac sacra transfiguratione sanctis provenerit Apostolis, Moysi et Eliae, ex iam dictis patet.

Octavum subsecutum ad transfigurationem est Moysi et Eliae abscessio. Evangelium dicit, quod apostoli *oculos levantes, neminem viderunt, nisi solum Iesum;* quo sequitur praedictos abiisse. Sed quo abierunt? Respondetur, quod unusquisque ad locum suum perrexit. Moyses ad limbum patrum, et Elias ad Paradisum deliciarum; et pie credendum est, Moysem patribus et Eliam Enoch narrasse, quae gesta sunt; ac gaudio credendum est sanctos praefatos patres perfusos, Christi futuram et in brevi cognoscentes passionem et consequenter eorum ab inferis liberationem.

Et nota magna miracula facta esse in hac transfiguratione: Primum de faciei Christi qualitativa immutatione et vestimentorum. — Secundum de Moysi et Eliae apparitione. — Tertium de nubis diffusione. — Quartum de Patris locutione. — Quintum de gloriae subtractione. — Sextum de praedictorum abscessu scilicet Moysi et Eliae subtractione.

5. Sed prae aliis miraculis est multiplex et vera informatio de Domini nostri Iesu Christi conditione tribus apostolis facta.

Sancti enim apostoli ex serie gestorum in hac transfiguratione viderunt et agnoverunt ipsum Dominum Iesum esse:

Primo summae benevolentiae, quia ab eo acceptati sunt ad sui visionem: dicit Evangelium, quod Christus *assumpsit Petrum, Iacobum et Ioannem.* Secundo magnae sapientiae, quia eos *in montem seorsum duxit.* Hoc egit, ut dicit Remigius, ut doceret, quia necesse est omnibus, qui contemplari Deum desiderant, ut non in infimis voluptatibus iaceant, sed amore supernorum semper ad caelestia erigantur. Remotis enim a terrenis Deus sua reserat, ut patet de Moyse, Exod. 20, 1 sqq., de Elia, III Reg. 19, 9 sqq., et de discipulis, Matth. 5, 1 sqq. Tertio exemplum omnis perfectionis et sanctimoniae. Origenes hunc passum exponens transfigurationis, dicit moraliter: « Cum aliquis transcenderit sex dies, videt Iesum transformatum ante oculos cordis sui. Diversas enim habet verbum Dei formas, apparens unicuique, secundum quod expedire videnti cognoverit ». Haec Origenes. Sed cum Christus sit forma omnis perfectionis, ex decretali: *De verborum significatione:* « Exiit qui seminat [1] », et Matth. 19, 21: *Si vis perfectus esse,* sequitur: *Veni sequere me,* et Exod. 25, 40 dicitur: *Fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est;* hac causa Christus in montem ascendit et ibi est transfiguratus. Quarto multae sufficientiae. Cum enim omnia Christus sit, ut dicit Ambrosius; quare ad eum, prout quilibet indiget, accedenti confert. Si enim pauper es, dives

(*a*) As, Edd. *a caelo.*

[1] Sext. Decr. l. V. tit. XII. c. III.

est; si infirmus, medicus est, et sic de aliis, ut hoc innuat omnia praebere, quibus indigemus: cuilibet in forma sua, secundum Origenem, est transfiguratus et transfiguratur. Quinto plene beatum, etsi a portione inferiori et a corpore subtraxerit. In hac transfiguratione se beatum ostendit utroque homine, ideo transfiguratus est. Sexto nostrum beatificatorem. Ad quod ostendendum, ut dicunt Hieronymus et doctores, transfiguratus est. Septimo veracissimum, promissa observando; dixerat enim Matth. 16, 28: *Sunt quidam, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis in regno suo;* et sic effecisse ostenditur, quia transfiguratus est. Octavo remuneratorem sufficientissimum suorum imitatorum in praesenti et in futuro: hac de causa transfiguratus est. Unde si eius discipuli esse in praesenti voluerimus, in futuro praemium reportabimus. Nono in convictu gratiosissimum; si enim cum ipso stare et conversari delectabimus, nobis gloriam suam pandet: coram similibus, dicit Evangelium, transfiguratus est.

Decimo adversa patientibus iustissimum ostendit satisfactorem; tribuit enim eis *mensuram bonam et confertam* [1], quia transfiguratus est ante eos. Undecimo ad bonum excitatorem, ostendendo praemium, incitat ad laborem et bonum. Quod et fecit, quia transfiguratus est. Duodecimo mirandorum operum effectorem; hoc patet, quia transfiguratus est, et cum aliis patet hoc, quae ipse exercere dignatus est. Tertio decimo prudentissimum, quia ante eos velut testes transfiguratus est, nec cuilibet ut prudens pandit sua, sed paucis. Quarto decimo Deum et hominem: Deum tam miraculo transfigurationis, quam paterna insonatione; hominem, quia transfiguratio ipsa non fiebat in Deitate, sed in assumpta corporis proprietate et veritate, quia transfiguratus est. Quinto decimo luciformae et clarae refulgentiae, quia centies sole splendidior, ut dicit Hilarius [2] et Haimo, facies eius clarior facta est; quia, inquit Evangelium, *resplenduit facies eius ut sol.* Sexto decimo in ipsius Deitatis et beatificae humanitatis visione, etsi principaliter et completive in Deitate, nostra est beatitudo ordinata, in cuius signum *facies eius* principaliter *resplenduit ut sol.* Decimo septimo nostrae mentis quietatorem, quia si visio humanitatis ad tempus beato Petro concessa, cogit eum exclamare: *Bonum est nos hic esse,* a fortiori visio Deitatis ipsius, quae non accidentalis, sed essentialis, beatifica visio declaratur. Decimo octavo mirae efficaciae; cum sole splendidior centuplo eius fuerit beata facies, egit sua virtute, ut non a toto mundo tantum lumen, sed a solis tribus discipulis, Moyse videretur et Elia. Decimo nono summae omnipotentiae. Secundum enim Ambrosium, *Homilia ultima super Ioannem:* Ad horam Moyses a Christo fuit resuscitatus; et idem dicit Hieronymus, etsi doctores Alexander [3] et Thomas [4] in corpore alio, ad tempus assumpto, dicunt quod apparuit; divinae tamen potentiae, quod factum est, tribuitur.

Vigesimo rerum imperatorem, quia Deum se ostendit, istos videlicet Moysen et Eliam ad se adducendo. Vigesimo primo nostrum consolatorem. Optaverant Moyses et Elias Iesum videre; viderunt et consolati, ut Abraham, exstiterunt. Vigesimo secundo affabilem in locutione. Evangelium dicit: et ipsi loquebantur cum eo et ipse cum eis [5]. Vigesimo tertio super omnia desiderabilem. Patet, quia beatificat alios sua beatitudine; anima enim Moysi quodammodo repleta fuit Christi gloria, quia in eius maiestate modo supra declarato fuit visa; ac secum stantes ad libitum valet beatificare, quod summe a cunctis optatur. Vigesimo quarto dignae reverentiae et venerationis. Loquebantur enim cum Iesu Moyses et Elias, ac sibi reverentiam, ut Deo ipsorum, exhibebant. Vigesimo quinto sanitatis et dulcissimae degustationis. Clamat Petrus: *Bonum est nos hic esse.* Remigius: « visa Petrus Domini maiestate adeo delectatus est, ut cuncta temporalia oblivioni traderet et ibi in perpetuum vellet manere ». Si autem Petrus tunc sic accensus est, quanta erit suavitas et dulcedo videre regem in decore suo? Sic angelorum choris interesse et sanctorum? Vigesimo sexto mentis gratifica-

---

[1] Luc. 6, 38. — [2] *Com. in Matth.* c. 17 (P. L. 9, 1012 sq.) — [3] *Sum. Theol.* III, qu. 21, membr. 8. — [4] *Sum. Theol.* III, qu. 45, art. 3 ad 2. — [5] Marc. 9, 3.

torem. In cuius signum nubes lucida, id est gratia, obumbrat. Vigesimo septimo nostrum illuminatorem. Hoc protestatur lumen, quo apostoli cognoverunt Moysen et Eliam, quos ante non viderant. Vigesimo octavo requiem post laborem; quod ostenditur nubis obumbratione et recreatione. Vigesimo nono exstinctorem cuiuslibet noxii et incentivi. Nubes obumbrat lucida et rorida ipsos apostolos.

Trigesimo omnium creatorem. Pater de caelis clamat, apostolis audientibus, eum suum esse Filium et consequenter Deum omnium factorem. Trigesimo primo nostrum mediatorem, quia Filius est dilectus. Trigesimo secundo sufficientem redemptorem et satisfactorem. Pater dicit, quod in eo ipse complacuit. Trigesimo tertio veracem doctorem et informatorem. Pater apostolis imperat eum audiendum. Trigesimo quarto divinalis notitiae declaratorem. Ipse Pater clamat hac in transfiguratione, Spiritus Sanctus in nube obumbrat, et Filius se transfigurans dictorum accipit attestationem et habet. Trigesimo quinto iustissimum, cuique suum tribuendo. Moysen ad limbum dirigit et Eliam ad Paradisum, et sic loca propria utrique assignat. Trigesimo sexto curialissimum (*a*) et permanentissimum, in cuius signum cadentes apostolos sublevat, dicens: *Surgite.* Trigesimo septimo piissimum. Compassus apostolis ad ipsos pergit, tangit et erigit prius prostratos. Trigesimo octavo discretissimum. Patet, quia suam gloriam ostendit et retrahit, prout sua indicat discretio. Trigesimo nono liberalissimum; nam sua dona largitur, quantum ex se, cunctis generibus: Petro, id est, praelatis et clericis; Moysi, id est, coniugatis; Iacobo, id est, poenitentibus; Ioanni, id est continentibus et virginibus; Eliae, id est contemplativis; et sic cunctis est paratus significatis per dictos quinque, dona suae gratiae et gloriae condonare.

Quadragesimo providentissimum, quia quae viderant, non reseranda (*b*) pro tunc apostolis demandat. Et hoc primo secundum Hieronymum: ne rem incredibilem populo rudi et grosso divulgarent; secundum Hilarium, quia sancti apostoli nondum Spiritum Sanctum receperant et sic sufficientes non erat testes. Potest etiam dici, quia si ipsi divulgassent, alii apostoli, qui nondum erant Spiritu Sancto confirmati in gratia, se agnoscentes non admissos ad hanc visionem, fuissent turbati et scandalizati. Sic ergo praefatis apparet qualem se ostenderit Christus in sua transfiguratione cunctis fidelibus, in persona trium apostolorum, Moysi et Eliae; et consequenter ex dictis patet expositio huius primae partis, videlicet: *Iesus stola clarificus.*

6. Verum, quia omnis Christi actio, nostra est instructio, in hac transfiguratione sunt multa peracta ad nostram eruditionem, ex quibus plura nobis saluberrima documenta dantur.

Primum documentum datur in hoc, quod post octo dies haec transfiguratio est facta, inclusive. Quo spiritualiter signatur, quod transfiguratio animae in Deum in praesenti, non fit nisi post octo dies, id est desertionem quinque sensuum, et memoriae, intellectus et voluntatis virtutibus feratur in Deum. Nisi enim a praedictis quinque alienatus, et memoria, intellectu et voluntate in Deum feratur, non potest in Deum transfigurari. Transfiguratio insuper nostra perfecta et completa fiet post octo dies: post septimam aetatem resurgentium in gratia, quae erit beatorum in patria regnantium, quando *Deum videbimus et similes ei erimus,* prima Ioan. 3, 2.

Secundum documentum datur in hoc, quod dicit Luc. 9, 28, quod *assumpsit Petrum, Iacobum et Ioannem, et ascendit in montem, ut oraret;* quod quando volumus orare, loca remota sunt requirenda. Christus volens orare ascendit in montem hunc Thabor, qui, teste Matth. 17, 1, erat *excelsus et seorsum.* Et Christus dicit, Matth. 5 [1]: *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum* etc.

(*a*) As, Edd. ***essentialissimum.*** — (*b*) Al ***reservanda.***

[1] Id est Matth. 6, 6.

Tertium documentum datur in eo, quod dicitur[1]: *Et dum oraret, facta est facies vultus eius altera;* quod prae omnibus orationi instandum est propter multa, de quibus dicetur conformitate XI huius II libri. Sed ad praesens succincte tangam ea, ut patet ex his, quae in Evangelio ponuntur. Primo homo mente elevatur (*a*) in Deum et transfiguratur. Paulus rapitur ad tertium caelum, Act. 9[2]. Iesus dum orat, fit eius facies altera. Secundo mens expurgatur et mundatur. Moyses orat pro populo, et peccatum relaxatur, Exod. 39[3]; pro plagis Aegyptiorum, Exod. 8 sqq.; et pro lepra Mariae, et removetur (*b*), Num. 12, 13. Ac publicano oranti peccata donantur, Luc. 18, 13 sq. Et in oratione apparet Moyses, qui assumptus de aquis interpretatur[4], quia homo a peccato mundatur. Tertio homo consolatur, II Machab. 1, 8: *Oravimus et exauditi sumus* etc. Et Esther 14, 1 sqq.: *Afflicta oravit* et orare fecit, et a tribulatione liberata est. Et sic apparet Elias, qui Deus et Dominus interpretatur, quia ipse Deus removendo afflictionem, dat consolationem, II Corinth. 1, 4. Quarto recreatur. Orantibus apostolis Spiritus Sanctus venit super eos, Act. 2, 1 sqq. et. 4, 31, quia Spiritus Paraclytus id est consolatorius dicitur, Ioan. 16, 7. Quare Petrus clamat: *Domine, bonum est nos hic esse.* Quinto illustratur. Danieli oranti panduntur occulta, Dan. 2, 19 sqq.; et Petro oranti, Act. 11, 5 sqq. revelata sunt multa. Et hoc ostenditur, quia facies Iesu apparet ut sol. Sexto decoratur. Iudith surgens ab oratione et se induens etc. pulcherrima apparuit, Iudith. 9[5]. Sic et anima; unde Evangelium dicit: *Vestimenta eius* efficiuntur *alba ut nix.* Septimo refrigeratur. Elia orante nubes surgens de mari, dando pluviam, terram irrigavit, III Reg. 48, 42 sqq. Moyse orante serpentes igniti absorpti sunt, Num. 21, 7 sqq. Evangelium dicit, quod *nubes obumbravit.* Octavo certificatur de futuris: patet in Daniele, cui oranti revelata est relaxatio populi sui, Dan. 9, 11. Et Elisaeo datus est spiritus etc. IV Reg. 3, 15. In huius signum dicit Evangelium, quod vocem audiunt. Nono humiliatur, cognoscendo suam infirmitatem et Domini maiestatem. Daniel cecidit in terram[6], et David, II Reg. 7, 11[7]. Ideo dicit Evangelium, quod *ceciderunt in facies suas* etc. Decimo divino timore vallatur. Manasses post orationem agit poenitentiam, II Paral. 33, 12. Et Evangelium dicit, quod *timent* etc. Undecimo inspirationibus divinis tangitur. Paulus, Act. 24, 23, 11, orans fit in stuporem mentis et audivit arcana etc. Evangelium dicit, quod Christus tangit eos. Duodecimo contra diabolum securatur. Moyse orante, Amalech debellatur[8]. Sic et Samuele, I Reg. 7, 10, Philistiim. Et sic Ionathas, I Reg. 20, post orationem viriliter prosternit hostes. Evangelium dicit, quod Christus talibus dicit: *Nolite timere.*

Sed ut oratio Deo sit accepta, tres comites debet habere. Primo cognitionem propriae miseriae, et hoc est Petrus. Secundo vitae praesentis et omnium illecebrarum abdicationem, in Iacobo. Tertio summam Dei dilectionem, et tunc est Ioannes. Sed debet fieri octava die, quia oratio adiuvatur ieiunio et eleemosyna, Tob. 12, 8, revocatione mentis a terrenis, operatione virtuosa, divinorum factorum meditatione, gratiarum exhibitione pro beneficiis perceptis, conscientiae mundificatione facta per confessionem cum lacrimis, incendio et Dei amore, ut exercitet se et ferveat et, praefatis habitis, obtineat iam dicta oratio.

Quartum documentum datur, dum dicit Evangelium, quod *Iesus assumpsit Petrum, Iacobum et Ioannem;* quod de nostris meritis non est praesumendum, sed de divina gratia. Christus est, qui nos assumit ad opera bona, non nostris meritis, sed sua et sola misericordia ac gratia. Ideo dicit, quod Iesus in huius signum *assumpsit* apostolos.

Quintum documentum datur, cum dicitur, quod *assumpsit Petrum, Iacobum et Ioannem;* quod tria genera hominum prae aliis diligit Deus, scilicet obedientes in Petro, castos in Ioanne, et pauperes spiritu in Iacobo, qui supplantator interpretatur etc.; et consequenter

(*a*) Al *elevetur* et tunc *transfiguretur.* — (*b*) Al *renovatur.*

[1] Luc. 9, 29. — [2] Potius II Cor. 12, 2 sqq. — [3] Exod. 17, 1 sqq. — [4] Exod. 2, 10. — [5] Iud. 10. — [6] Dan. 8, 17. — [7] Est II Reg. 12, 16. — [8] Exod. 17, 11.

oppositos ad praefatos odit. Inobedientes, patet in Saul [1]; impudicos, patet de necatis in diluvio [2] et sodomitis [3]; ac divites avaros, quos despexit, ut cantat Maria: *Et divites dimittit inanes* [4].

Sextum documentum datur cum dicitur, quod *assumpsit* et *in montem duxit;* quod fit, quando sentis mentem tuam a terrenis educi, inspirationibus et exhortationibus et sic de aliis, ad bonum provocari; tunc scito Iesum esse, qui te in montem ducit.

Septimum documentum, cum dicit Evangelium, quod *duxit in montem*. Nam *mons, in quo beneplacitum est Deo inhabitare* [5], est Christus, quia in eo habitat *omnis divinitatis plenitudo,* Coll. 1 [6]; et *est praeparatus in vertice montium* etc. Isa. 2, 2. Ad hunc montem ascendunt et perveniunt tria genera hominum. Primo rite operantes in praelatione, in Petro. Secundo vitae activae deservientes, in Iacobo. Tertio vitae contemplativae insistentes, in Ioanne. Sed nota, quod Christus est mons *excelsus,* quia *super omnes Deos;* sed *seorsum,* quia ab omni peccato separatus. Ad istum montem, scilicet ascensum eius per imitationem, nullus potest pervenire, nisi ipse nos assumat, quia pravitas nostra tanta est, quod sicut bonum agere a nobis non possumus, sic nec Christum sequi, nisi ipse nos assumat, vel *Pater* caelestis *traxerit eum* [7]. Tria tamen genera prae aliis eum sequuntur, videlicet sancti praelati in Petro, viri religiosi in Iacobo, et matrimonio rite utentes in Iohanne, qui secundum Hieronymum uxorem habuit.

Octavum documentum datur in eo, quod dicitur in Evangelio, quod *transfiguratus est ante eos.* Iesus enim multiformis est, ut dicit Origenes, quare et diversis se transfigurat diversimode. Malis apparet iratus, quia eos damnat. Peccatoribus pius, quia eos convertit et indulget. Iustis gratiosus, quia suam gratiam copiose infundit. Sanctis humilis et benignus, quia condescendit eorum precibus. Contemplativis totus desiderabilis et gloriosus. Infirmis virtus, dum eos sanat. Ignorantibus vera sapientia, quia eos instruit. Afflictis consolatio et laetitia. Angelis et beatis rex gloriae, quia eos glorificat; et sic de aliis statibus et conditionibus hominum, quibus apparet in figura, prout cuilibet viderit expedire.

7. Verum, quia sanctum Evangelium Christum dicit transfiguratum ante quinque homines videlicet Petrum, Iacobum et Ioannem, Moysen et Eliam, et per hos quinque homines quinque status hominum intelligendo; per Petrum statum primum, scilicet a peccato recedentium, qui agnoscens interpretatur; per Iacobum statum poenitentium, qui supplantator interpretatur; per Ioannem tertium statum, scilicet in bono proficientium, qui interpretatur, in quo est gratia; per Moysen statum activorum et misericordiae operibus intendentium; per Eliam, qui Deus interpretatur, statum contemplativorum, intelligendo, videndum est: quomodo Iesus, sicut sunt in conditione distincti status praedicti, sic diversimode se eis transfiguret.

Et primo videndum est, quomodo se Petro, per quem a peccato exeuntes intelliguntur, transfiguret. Ubi sciendum, quod cum Petrus agnoscens interpretatur, de peccato recedentes per ipsum merito intelliguntur. Qui considerantes peccatum, quam sit Dei offensivum, quam vilem reddat hominem, quibus bonis privet, quia praesentibus et futuris, et sic de aliis peccati malis conditionibus, debet se a peccato excutere et a mortuis resurgere, et dicere Domino cum psalm. [8]: *Iniquitatem meam cognosco* etc. *tibi soli peccavi* etc.

Sed adverte, quod si de peccato vult debite exire, debet per septem dies transire, ut die octava eidem se Dominus transfiguret. Isti septem dies sunt videlicet: Primus peccati cognitio, ut cogitet, quid est peccatum et quam vile. Secundus dies est pudor de peccato, et procedit ex primo; quia cognoscendo peccati vilitatem, tunc pudet hominem de ipsius commissione. Tertius est horror et peccati abominatio, et procedit ex secundo. Quartus dies

[1] I Reg. 15, 11. — [2] Gen. 7. — [3] L. c. 19. — [4] Luc. 1, 53. — [5] Psl. 67, 17. — [6] Potius Col. 2, 9. — [7] Ioan. 6, 44. — [8] Psl. 50, 6.

est dolor, quia dolet se ipsum commisisse. Quintus dies est status peccati detestatio, et procedit ex praefatis. Sextus dies est propositum confitendi. Septimus dies est confessio. Quibus praemissis Dominus Iesus tali se transfigurat, id est apparet aliter, quam primo; nec immerito, quia cum per peccatum obtenebretur anima et per confessionem dilucidetur, hinc est, quod aliter sibi Deus apparet post confessionem, quam ante. Ante enim totus formidabilis et iudex apparebat, sed post transfigurat se, et apparet totus placabilis et benignus et misericors, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.

Sed quid agit Christus tali, significato per Petrum? Veluti Petro. Primo enim tali inspirat, ut a peccato exeat, quia ex se hoc nesciret, et tunc eum assumit. Secundo quia ex se, dato quod inspirationem perpenderet, non posset exire, eum extrahit, et sic ducit. Tertio *in montem* ducitur per Christum, quia de valle miseriae peccatorum ad montem verae agnitionis peccatorum ducitur. Quarto *seorsum* ducitur, quia ipsum a peccatis per confessionem separat. Et sic praefatis praemissis, bonus Iesus (ut dictum est) se transfigurat, misericordem et benignum peccatori se ostendendo. Quo viso, peccator clamat cum psalm.[1]: *Nisi quia Dominus adiuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea.* Et illud psalmi[2] dicentis: *Tu es, Deus, qui facis mirabilia.* Qua transfiguratione Christus tali apparet facie, ut sol, animam totam illuminando, iuxta illud Eph. 4[3]: *Eratis enim aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino.* Et illud Gen. 19, 23: *Ortus est sol super terram* etc. Ibi vestimenta Christi alba, quia ipse Christus agnus sine macula, et animam vestimento albo (*a*) induit, id est sine macula eam facit. Et sic verificatur illud Canticorum 4, 7: *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te.* Et vestimenta eius sicut nix sunt, ut angeli, Matth. ultimo, 3. Apparet tali, quod cum ipso sit Moyses, qui assumptus de aquis interpretatur, quia tunc cognoscit, quod Dei munere et gratia, non suis viribus, Christus eum de aquis peccatorum assumpsit. Et tunc homo cognoscit et videt cum Christo esse Eliam, qui Deus interpretatur, quia cum cognoscit Deum verum, dicens cum psalmista[4]: *Deus meus es tu, gloria mea et exaltans caput* (*b*).

Ac multa in tali anima consequenter ostenduntur per Evangelium. Ipsa enim anima, tali transfiguratione, cum praefatis: Primo divinam gustat dulcedinem, quae ante Marath aquas, id est amarissimas[5], scilicet peccatorum, degustarat. Et clamat dicens: *Domine, bonum est nos hic esse.* Secundo praeparat se divina gratia, ut Deo placeat. Et quomodo? Faciendo, quantum in se, tria tabernacula. Primum est suae fiduciae in Deum proiectio, et fit soli Christo, et ipsi soli debet fieri. Secundum est propriae miseriae et insufficientiae Deo continue detectio et manifestatio, et sic fit Moysi, id est sui consideratione. Tertium est divinae clementiae appetitus, affectio et imploratio, et fit Eliae, id est divinae bonitati. Tertio nube obumbratur, id est divina gratia vallatur. Ex quo enim Deus videt, quod homo de se diffidit et solum in se ponit et habet fiduciam, tunc *scapulis suis*, id est gratia animam obumbrat; nam Dominus nube levi, id est gratia ingreditur Aegyptum, Isa. 19, 1, id est animam, ut eam adiuvet. Quarto vox de caelo clamat, quia vox Domini tunc est in anima. Et quae est vox ista, nisi manifestatio bonitatis Dei? Et quid tunc tali voce dicitur? *Hic est Filius meus* etc. Tunc enim tali a Deo dicitur illud psalmi 2, 7: *Filius meus es tu* per gratiam, *ego hodie genui te.* Ratio, quia in *charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans tui*[6]. Quinto cadit homo, id est totaliter de se diffidit; et si ante putabat se aliquid esse, tunc videt se nihil, et cum psalmista dicit: *Ego sum vermis et non homo*[7] etc. *Ego ad nihilum redactus sum et nescivi*[8] etc. Et sic cadit in faciem, quia de se non confidendo, amplius non audet, ut Moyses, Exo. 3, 6, faciem suam ad Deum levare. Et sequitur: Sexto tunc timet valde, quia tunc timor et tremor venit super eum, considerata divina maiestate,

(*a*) Al *azimo.* — (*b*) Edd. add. *meum.*

[1] Psl. 93, 17. — [2] Psl. 76, 15. — [3] Est Eph. 5, 8. — [4] Psl. 3, 5. — [5] Cf. Exod. 15, 23. — [6] Ierem. 31, 3. — [7] Psl. 21, 7. — [8] Psl. 72, 22.

quam offendit. Et quia homo considerando tantam maiestatem, quam offendit, deficeret prae dolore, iuxta psalm.[1]: *Defecit in dolore vita mea* etc. ideo ipse Salvator: Septimo tangit eum confortando, ne diffidat, dicens illud Gen. 15, 1: *Noli timere, quoniam ego protector tuus sum.* Octavo eum alloquitur consolando, dicens: *Dominus Deus tuus ego sum*[2]. Nono ut surgat demandat, id est, ut totam vitam veterem dimittat. Et quia potestas diaboli, a qua est per Christum liberatus, magna est, et homo vitam veterem dimittendo posset eum formidare, ideo Christus: Decimo dicit ei: *Nolite timere.* Quare? Quia *data est mihi omnis potestas in caelo et in terra,* Matth. ultimo, 18. Et quid sequitur tunc? Quod anima intellectus oculos levando, solum Iesum videt, quia ipsa tunc omnium terrenorum cogitatione dimissa, nihil nisi de Christo solo cogitat, scilicet quomodo eum habeat et possideat, dicendo assidue[3]: *Iesu fili David, miserere mei.* Ex praefatis apparet, quomodo Deus et Dominus Iesus Christus transfigurat se Petro, id est homini a peccato exeunti, per Petrum significato.

Secundo videndum est, quomodo Christus transfigurat se Iacobo, id est poenitentiam agentibus, qui supplantare vitia nituntur. Ubi sciendum, quod Christus non se transfigurat talibus, nisi post septem dies, quia poenitentia septem circumstantias, per septem dies significatas, debet habere, ut Deo placeat. Primo ut sit voluntaria. Secundo fervida. Tertio discreta. Quarto continua. Quinto devota et humilis. Sexto Deo placita. Septimo intentione solida et recta. Hi sunt septem dies, quibus pertransitis, talis poenitentiam exercens:

Primo a Deo et Christo assumitur ad instar Iacobi, qui a Deo specialiter tunc diligitur. Secundo per Christum *in montem* ducitur, quia a terrenis sublevatur. Tertio in *excelsum* ducitur, quia caelestia incipit rimari. Quarto *seorsum* statuitur per segregationem affectus ab his, quae sibi ante placuerant. Post quae Christus transfigurat se tali, quia primo ante poenitentiam apparebat implacabilis et severus, exigens usque ad *novissimum quadrantem*[4]; sed post poenitentiam apparet homini in alia forma, utpote parcens et donans. Patet, quia poenam aeternam, peccato debitam, ob poenitentiam in temporalem convertit et mutat, et consequenter tali facies eius apparet ut sol, quia animam suo calore incendit, ut agat ferventer. *Vestimenta* apparent *alba,* quia ob poenitentiam animam Deus a peccato purgat dicens[5]: *Ego* Dominus, *qui deleo iniquitates tuas,* et purgatam ostendit, et sic totam albam. Apparet Moyses, quia in mente poenitentium apparet puritas, per Moysen significata. Elias etiam adest, quia tunc est aviditas in tali Deo serviendi, figurata per Eliam.

Sed quid consequitur poenitens ex tali transfiguratione et praefatis? Certe plura. Primo anima securatur de peccati dimissione, quare clamat dicens: *Domine, bonum est nos hic esse.* Secundo tria tabernacula facit, quia Deo reddit, quod debet, sibi et proximo. Tertio obumbratur nube, quia refrigeratur in corpore respectu vitiorum. Quarto vox Domini auditur dicentis: *Hic est filius meus dilectus,* quia inter electos computatur. Quinto cadit, quia non de se praesumit, sed de Deo sperat et confidit; vel cadit per humilitatem, se nihil reputando. Sexto quod cadit in faciem, quia se reputat maximum peccatorum. Septimo ad eum Christus accedit per singularem in eo habitationem, qui ante peccato fuerat repulsus. Octavo tangit eum, quia ex recessu vitiorum facit animam suam poenitentiam agnoscere. Nono loquitur, inspirationes sacras infundendo. Decimo surgere praecipit, quia ipsam in corpore peccati amplius esse non sinit. Undecimo ipsam liberam a diabolo esse proclamat, dicens: *Nolite timere.* Duodecimo videt Iesum mente, quia cognoscit eum in se habitare, et sic habitando ipsum solum videt, quia nulli, nisi ipsi soli inhaeret. Et cum Ecclesiastico, cap. 24, 12, clamat dicens: *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Et sic apparet, quomodo Iesus poenitentibus, significatis per Iacobum, se transfigurat.

Videndum est tertio, quomodo proficientibus in bonum, significatis per Ioannem, se transfigurat; et modo consimili in praecedentibus Dominus Iesus talibus se transfigurat post septem dies. Qui enim volunt in bonum proficere, septem dies pertransire eis est necessarium.

---

[1] Psl. 30, 10. — [2] Exod. 20, 5. — [3] Marc. 10, 47 — [4] Matth. 5, 26. — [5] Is. 43, 25.

Prima dies est perfecta mundi abdicatio. Secunda dies sui totalis abnegatio. Tertia humilitas in conversatione. Quarta patientia in adversis. Quinta est operatio perfecta. Sexta est oratio intenta. Septima fidelitas sincera.

Sed post hos dies: Primo *in montem* ducitur per cogitationem, quae ad alta ducit. Secundo in *excelsum*, quia ad Dominum Deum cogitandum. Tertio *seorsum*, ut ipsum separatum ab omnibus viventibus et euntibus agnoscat. Sed transfiguratur tunc, quia per fidem Iesus animam inhabitans apparet, quod *Dominus virtutum* [1] ipse est et omnium scientiarum origo [2]. Apparet sua *facies ut sol*, quia sua Deitas quam magna sit, tali incipit apparere aliqualiter. *Vestimenta* apparent *alba*, id est depurata a conditionibus omnium creaturarum. Quarto tunc circa Christum apparet Moyses, quia videt et cognoscit ipsum solum esse sine defectu; sic et Elias stat cum ipso, quia agnoscit, quod ipse solus est Deus verus [3].

Ad quam transfigurationem in cordibus proficientium: Primo oritur indeficiens desiderium, ut Christo velut summo bono coniungatur; ideo dicit: *Domine, bonum est nos hic esse.* Secundo Deo se totum subiicit et subiugat triplici voto: mandatorum observatione; paupertatis, ut ipsum solum habeat; puritatis, ut sic ipsum in se habere possit; et sic construit tria tabernacula. Tertio nube obumbratur, id est gratia assidue adiuvatur. Quarto vox auditur etc., quia tunc dilectus suam vocem facit audire [4] per dulcedinem, quam immittit. Quinto cadit in terra, quia se indignum magis magisque praedicat de omni sibi a Deo facta consolatione. Sexto cadit in faciem: considerato tanto Dei superexcessu, non audet faciem ad caelum levare. Septimo accedit ad eum Christus, quia tunc ei anima coniungitur. Octavo tangit eum, quia dum ei anima coniungitur, tota renovatur. Nono loquitur, quia ipsum (*a*) de sua lege instruit et de his, quae a Patre audivit. Decimo surgere praecipit, quia suo spiritu per devotionem immissam stare in se non permittit. Undecimo eam assecurat de permansione in se, dicens: *Nolite timere.* Duodecimo videt Iesum solum, quia ultimate ostendit se animae salvatorem et beatificatorem post praesentem vitam. Sic ergo patet, quomodo proficientibus Dominus Iesus, per Ioannem significatis transfiguratur.

Videndum est quarto, quomodo **activis** per **Moysen** significatis, qui oves dominicas velut Moyses pascunt in deserto praesentis vitae, transfiguratur. Ubi advertendum, quod talibus, uti in praecedentibus est dictum, post septem dies transfiguratur, quia oportet tales (*b*) exercitari in septem operibus misericordiae corporalibus: cibando, potando, vestiendo, colligendo, visitando, redimendo et sepeliendo; et in septem spiritualibus, quae sunt: corrigere, castigare, ferre, dimittere, solari, docere, orare. — Quibus velut septem diebus praemissis a Christo: Primo *in montem* ducitur, quia Dei virtute firmatur. Secundo in *excelsum*, quia attendere mercedem inenarrabilem sibi promissam iubetur. Tertio *seorsum*, quia ut labores talis vitae possit suscipere, consolatio ei absconse infunditur. Quarto Iesus ei transfiguratur, quia in forma pauperis, cui opem fert, se demonstrat, iuxta illud Matth. 24 [5]: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Apparet ei Christi *facies ut sol*, quia etsi in forma pauperis talia suscipiat, ipse tamen est Deus verus. *Vestimenta alba*, quia cum miram (*c*) reddat (*d*) innocentiam (*e*) in forma, quam (*f*) misericordia facit, apparet, et sic in alba videt Moysen loquentem, quia eius facta imitatur. Eliam etiam videt, quia Dei zelo inflammatur.

Qua transfiguratione ostenditur: Primo, quod talis status est valde meritorius, scilicet activorum, quare clamat: *Domine, bonum est nos hic esse.* Secundo facit tria tabernacula, quia primo corpus, secundo animam, tertio totum coniunctum Deo offert, suo imperio et voluntati subiiciendo. Tertio obumbratur nube, quia eius gratia augetur et crescit; quare et

(*a*) Al *ipsam.* — (*b*) Edd. *activum.* — (*c*) Al, Edd. *misericordiam.* — (*d*) Edd. II *reddatur.* — (*e*) As, Edd.; Al vero *mis. reddat ei, qui misericordiam facit in forma apparet.* — (*f*) Edd. II *qua.*

[1] Psl. 23, 10. — [2] Cf. I. Reg. 2, 3. — [3] Cf. Psl. 85, 10. — [4] Cf. Cant. 8, 13. — [5] Cf. Matth. 25, 40.

in mente refrigeratur. Quarto vox auditur illa, videlicet[1]: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum.* Quinto cadit in terram, quia Deo de tanto beneficio sibi et praemio praeparato regratiatur. Sexto in faciem cadit, dum indignitatem pensat operis atque praemium praeparatum. Septimo Iesus ad eum accedit, quia ante in forma aliorum Christum recipiebat, tandem in forma sua recipit; sicut de Martino monacho legitur et beato Gregorio, qui Christum receperunt, etsi in aliena forma. Octavo eum tangit, dum sibi praesto esse inspirationibus divinae dulcedinis se ostendit. Nono loquitur, quia quam sit bona misericordia et fructuosa ostendit. Decimo surgere praecipit, quia incepta mandat prosequi sine intermissione usque ad finem. Undecimo securat, quia spem dat et fiduciam de gloria obtinenda. Duodecimo videt solum Iesum, quia opera misericordiae, etsi circa proximum sunt, propter solum Deum debet esse intentio facientis; quare, ut ei soli placeat, agere debet. Sic ergo apparet, quomodo Dominus Iesus transfiguratus apparet activis per Moysen significatis.

Restat ergo quomodo contemplativis per Eliam, qui fuit in montem Horeb et caelum ascendit per turbinem, significatis, se Iesus transfigurat. Et advertendum, sicut dictum est: post septem dies fit transfiguratio, id est dimissionem omnium sensuum et sensibilium, appetibilium, imaginabilium, corporalium, phantasmatum et figuralium. Vel per septem dies intelligitur: Primus in vita activa exercitatio. Secundus mentis mundatio. Tertius animae ad seipsam reductio. Quartus est devota oratio. Quintus est mentis quietatio. Sextus est gratiarum actio. Septimus est fervens ad Deum dilectio. — Hi septem dies debent pertransiri, id est haberi ab homine, qui ad contemplationem ascendit, ut Christum videat transformatum. Quibus habitis, Iesus ducit eum *in montem*, id est ad contemplationem, qui est status altior antedictis. Secundo in *excelsum*, id est sui contemplationem, qui est excelsus Dominus. *Seorsum*, quia tunc anima tota in se recolligitur ad Deum, et a creaturis alienatur. Et sic tandem Iesus transfiguratur, quia ei apparet totus amabilis, desiderabilis et laudabilis. Ad quod sequitur, quod facies Christi sit ut sol, quia in tali contemplationis excessu anima posita, tota a Deo, ut a sole iustitiae, illuminatur; fiunt alba vestimenta, quia tota purificatur; loquitur cum Moyse, quia liberatur a peccato speciali modo per praeservationem, Deo iungitur et copulatur, et sic stat cum Elia.

Qua apparitione Christi tali facta, dicit Evangelium, quod ipse: Primo a Deo recreatur, dicens cum Petro: *Domine, bonum est nos hic esse.* Secundo Deo dedicatur, et sic in ipso fit triplex tabernaculum, scilicet Patri et Filio et Spiritui sancto; cum iuxta dictum Christi: omnes ad eum veniant, et faciant mansionem[2]. Tertio nube obumbratur, quia quam sit obscura omnis creatura respectu Dei declaratur. Quarto vox auditur, quia de aeternis (*a*) informatur, ut filius a patre. Quinto cadit, scilicet ab omni affectu mundano. Sexto cadit in faciem, quia (*b*) unitatem in sancta Trinitate adorat et veneratur. Septimo ad eum Christus accedit, quia semper novis de se consolationibus visitat. Octavo accedit et tangit eum; quam sit magna dulcedo divina experientia novit et sentit. Nono loquitur, ad suam gloriam continue invitando. Decimo surgere imperat, ut in nullo citra Deum amplius spem ponat. Undecimo assecurat dicens, quia *meliorem partem*, ut Magdalena, *elegit, quae non auferetur ab ea*[3]. Duodecimo et ultimo Iesus apparet solus ei, id est, quies et animae perfecta beatitudo, etsi in praesenti, a fortiori pro futuro, quando post mortem ad gloriae montem assumitur et levatur. Sic patet ergo, quomodo Iesus transfiguratur Petro, Iacobo, Ioanni, Moysi et Eliae spiritualiter intelligendo, ut docet Evangelium.

8. Nonum documentum datur, cum dicit Evangelium, quod facies Iesu apparet ut sol; quod si volumus illuminari, ad Christum iuxta consilium psalmistae[4] accedamus. Ratio, quia facies eius, id est Deitas resplendet ut sol, interna penetrando et illuminando. Sed si vis

(*a*) Al *ecclesiasticis.* — (*b*) As, Edd. *quia viventem in saecula adorat.*

[1] Matth. 25, 34. — [2] Cf. Ioan. 14, 23. — [3] Luc. 10, 42. — [4] Psl. 33, 6.

illuminari, sint vestimenta alba, id est actus vitae depurati a peccato per confessionem, et praeservati. Ratio, quia Sapientia, idest iste sol, qui resplendet, in animam malevolam non intrat, nec habitat in corpore subiecto peccatis[1].

Sed quae lumina oriuntur in anima ab isto sole? Certe plura. Primum lumen est respectu contemptibilium, quia omnia mundana suo exemplo sunt contemnenda; et sic Moyses loquitur, de aquis assumptus. Secundum lumen est respectu appetibilium, quia divina sunt appetenda; et sic loquitur Elias, quia Deus est solus appetendus. Tertium lumen respectu operabilium, scilicet respectu Dei, sui et proximi: Petrus dicit bonum esse, et tria tabernacula facienda. Quartum lumen est respectu sensibilium et sensuum refrenandorum, et sic nubes obumbrat. Quintum lumen est respectu observabilium praeceptorum, talis vocatur Filius dilectus: *Ipsum audite* etc. Sextum lumen est respectu mortificabilium et mortificandorum, scilicet sui corporis macerandi; quia debet in terram cadere. Septimum lumen est respectu formidabilium et evitandorum, scilicet inferni; quia timere debet etc. Octavum lumen est respectu sperabilium (*a*), scilicet divini adiutorii; quod est petendum et semper adest, ideo Christus tangit. Nonum lumen est respectu contemplabilium, scilicet divinorum; Christus dicit: *Surgite*, scilicet ab his ad illa. Decimum respectu sedium aeternalium; tunc apparet Christus solus, quia ipse solus est beatitudo, a quo cetera lumina, ut a sole, procedunt.

Decimum documentum datur, quia cum Deum naturaliter videre optemus, utpote beatitudinem nostram, et ipsa stet in Dei visione; si Deum vere videre volumus, septem habere nos decet. Primum est gratia Dei; sine ipsa enim nihil potest mereri dignum vita aeterna, nec ad Deum videndum sine ipsa potest homo ex naturalibus assurgere. Oportet ergo quod Iesus, id est sua gratia et praeveniendo et subsequendo assumat. Paulo dictum est post raptum: *Sufficit tibi gratia mea* [2]. Et *Stephanus plenus gratia* [3] vidit gloriam Dei. Ad quod desiderandum Christus assumpsit apostolos; non ipsi seipsos. Secundum necessarium, quod a mundo simus mente separati; haec visio oratione habetur. Paulus orando, sic et Petrus, factus est in extasi. Sic et, *Iesu orante, aperti sunt caeli* [4]. Et oratio est mentis elevatio in Deum. Ideo debet ascendere ad hoc desiderandum et cum Iesu in monte orare. Lucas dicit, quod *ascendit orare* [5], et sic transfiguratus est. Tertium quod exigitur, est mandatorum observatio. In Petro hoc ostenditur, qui audiens vel obediens interpretatur. Ad tales venit Pater et Filius, et mansionem facit [6]. Isaias obediens dicit [7]: *Ecce ego, mitte me;* vidit Dominum etc. Isai. 6. Quartum necessarium est carnis maceratio. Ratio quia spiritualibus viris, non carnalibus datur, quia ut dicit Salvator [8]: *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt;* quare nec Deum videbunt. Iacobo supplantatori datur; Iacob, nervo putrefacto, videt Deum, Gen. 33, *facie ad faciem* [9]. Quintum necessarium est mentis puritas, Matth. 4, 8, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt;* hoc patet in Ioanne purissimo, qui *in cena recubuit super pectus* Iesu [10], et raptus fuit in paradisum. Ezechiel vidit visionem Dei [11]. Ioannes Baptista vidit Spiritum Sanctum, Ioan. 1, 32. Sextum est humilitas, scilicet necessaria; quia cum humilibus conversatio eius et sermocinatio [12]. Hoc patet in Moyse, qui fuit humillimus et mitissimus, Num. 12, 8, qui vidit Deum. Septimum necessarium, est zelus et amor et dilectio Dei; quia anima virtute amoris transformatur, et sic dilectum cognoscit et videt, Ioan. 14, 21: *Si quis diligit me* etc. sequitur: *manifestabo ei meipsum.* Hoc signatur in zelantissimo Dei Elia, cuius verba erant ut *facula* [13] ignita, quia in monte Horeb vidit gloriam Dei, III Reg. 19, 8 ss. Praefata igitur necessaria sunt, ut Deus videatur in praesenti, ut in

(*a*) Al *separabilium;* As *stabilium.*

[1] Cf. Sap. 1, 4. — [2] II Cor. 12, 9. — [3] Act. 7, 55. — [4] Luc. 3, 21. — [5] Luc. 9, 28. — [6] Cf. Ioan. 14, 23. — [7] Is. 6, 8. — [8] Non Salvator, sed S. Paulus, cf. I Cor. 15, 50. — [9] Est Gen. 32, 25, 30. — [10] Ioan. 21, 20. — [11] Ezech. 1, 1. — [12] Cf. Prov. 3, 32. — [13] Cf. Eccli. 48, 1.

transfiguratione Apostoli, seu in futuro, ut beati videbunt et vident; quia talis dispositio in praesenti pro futuro est necessaria.

Sed quid ad talem visionem habitam in praesenti quis consequitur? Certe plura. Primum est, quod homo divina dulcedine inebriatur. Merito, quia videt pro parte omne bonum; Petrus clamat: *Bonum est nos hic esse.* Secundum donis Spiritus Sancti abundantius impinguatur; quia nubes obumbrat etc. Tertium de divinis secretis illuminatur, quia vocem audit etc. Quartum ab effectu terrenorum elongatur, quia cadit in terram in facie etc. nec videt terrena. Quintum continue divinis consolationibus recreatur, quia Iesus accedit et tangit eum. Sextum ad solum Deum habendum sitit et incitatur, quia non videt, id est non appetit nisi solum Deum, cuius adeptione perfecta ultimate quietatur et beatificatur.

Praefatis ergo tam spiritualiter quam historice et litteraliter patet, quomodo intelligitur prima pars huius fructus III et conformitatis huius II libri, scilicet: **Iesus stola clarificus.** Et iam dicta pro eius aliquali sufficiant expositione.

Secunda pars tertii fructus et conformitatis secundi libri, et quintae decimae in ordine, videlicet:

Franciscus sublevatur.

Expositio.

Huius secundae partis expositio, videlicet: *Franciscus sublevatur,* subsequenter ad primam partem, si debeat ratione (a) declarari, sic est intelligenda: Aestimandum enim non est, quod conformitas haec beati Francisci ad Christum velit dicere ipsum transfiguratum et beatum apparuisse fratribus suis in beatifica videlicet forma, sicut Christus Apostolis, quia hoc dicere esset omnino incongruum et non verum; sed haec conformitas vult dicere, quod sicut Christus (sicut dicit sanctus evangelista Lucas) orando, *facta est eius species,* scilicet forma, non quantitative sed qualitative *altera* [1] et in tali visus est, a discipulis, sic beatus Franciscus (ut dicetur) orando, virtute orationis et divina, *facta est eius species altera,* ad instar Christi sublevatus a terra. Et sicut Christus lucida nube circumdatus, sic et beatus Franciscus a fratribus est visus sublevatus in aera, in modum crucis brachiis extensis, nebula lucida quadam totus circumamictus et vallatus.

1. Sic ergo conformitatem hanc intelligendo, videndum est: Primo de proposito, quomodo in hoc Iesu est assimilatus sic, quod in oratione apparuerit et in effigie altera et nubecula lucida circumdatus.

Secundo videndum erit, quomodo ad istam transfigurationem suam dicitur et quibus pervenisse. Quibus visis, istius secundae partis, videlicet: *Franciscus sublevatur,* patebit serenatio et declaratio.

Unum tamen praemittendum puto, videlicet quod, cum contemplatio, ut dicetur, opus sit arduum, nec ad ipsam ex se homo assumitur et naturalibus, sed divina gratia, ac ipsa super ista sensibilia saltem homo elevatur: hinc est, quod non solum mentis elevatio, sed et corporalis mentali iuncta, potest merito dici ascensus in montem excelsum et seorsum et a Christo ductio in montem, quia dictum est [2], quod

(a) Edd. *recte.*

[1] Luc. 9, 29. — [2] Parte I, p. 57 sq.

naturalibus non fit viribus, sed gratia divina. Insuper, cum in tali contemplationis elevatione, sive fiat cum corporis elevatione sive non, anima singulari gratia et lumine prae solito illustretur, haec tamen illustratio animae aliquando apparet ab extra, non solum per elevationem corporis et in altum ductionis, sed per quamdam novam effigiem et speciem traditam corpori, quam Deus aliquando dat corpori, ut per hoc signum, quid fiat interius in anima cogitetur; aliquando vero non apparet talis semper, tamen patet quaedam sensuum alienatio, sic quod homo a contemplatione revertens, in suis sensibus non apparet statim vivax, sicut ante videbatur. Ratio, quia in contemplatione fit raptus communiter a sensibilibus et exterioribus ad interiora. Ad propositum, cum beatus Franciscus raptus fuerit multoties ad Deum, non sua virtute, sed Dei et gratia divina, hinc est, quod fuit conformis Christo, tali contemplationis excessu et elevatione, quantum ad montis ascensum, excelsum et seorsum; fueritque diversa effigie, forma demonstratus et specie, eidem Christo quoad hoc, quod facta est eius *species altera*, est similatus. Quo praemisso, de beati Francisci elevationibus et sursum in Deum actionibus, mentalibus transfigurationibus, et aliquando cum sequela extrinsecae transfigurationis, est succincte videndum.

Unde sciendum est, quod beatus Franciscus multotiens per excessum contemplativum ad superiora est devectus.

Et primo, quando una « dierum sequestratus oraret et prae nimietate fervoris totus esset absorptus in Deum [1] »: ecce elevatio mentalis. Quid consecutum est? Inquit *Legenda maior* parte I [2]: « Apparuit ei Christus Iesus veluti cruci confixus ». Sequitur de immutatione facta primo in mente et deinde in corpore: « Ad cuius aspectum *liquefacta est anima eius* [3] et memoria passionis Christi visceribus cordis ipsius a Deo impressa medullitus, ut ab illa hora cum Christi crucifixio veniret in mentem, vix se posset a lacrimis et gemitibus exterius continere ». Sequitur: « Intellexit per hoc, nempe vir Dei, illud evangelicum sibi dici: *Si vis venire post me, abnega temetipsum et tolle crucem tuam et sequere me* [4]. Sequitur [5]: « Induit ex tunc spiritum paupertatis et humilitatis sensum et affectum intimae pietatis ». Et quod sic effecerit, ostendit ibidem doctor (*b*) Bonaventura per exempla de servitio leprosorum et suorum erogatione in pauperes. Quibus apparet beati Francisci sublevatio et post elevationem, eius in virum alium transfiguratio.

Secundo, quando, ut dicit II pars *Legendae maioris* [6]: « Egressus ad meditandum in agro iuxta ecclesiam Sancti Damiani deambularet, ac eamdem, gratia et causa orationis, instigante se Spiritu, intrasset, prostratus ante imaginem Crucifixi, non modica fuit in orando spiritus consolatione repletus. Et cum lacrimosis oculis intenderet in dominicam crucem, vocem Domini de ipsa cruce ad se dilapsam corporeis audivit auribus, ter dicentem: « Francisce, vade repara domum meam, quae, ut cernis, tota destruitur ». Et sequitur de excessu: « Tremefactus, cum esset in ecclesia solus, stupet ad tam mirandae vocis auditum, cordeque percipiens divini virtutem eloquii, mentis alienatur excessu ». Sed qualiter apparuit transfiguratus? Sequiquitur: « In se tandem reversus, ad obediendum se parat et mandatum » perficiendum, ut dicitur ibidem.

(*a*) *Xs Dominus.*

[1] *Leg. mai.* c. 1 n. 5. — [2] L. c. — [3] Cant. 5, 6. — [4] Cf. Matth. 16, 24. — [5] *Leg. mai.* c. 1 n. 6. — [6] C. 2 n. 1.

Tertio, ut dicit ipsa II pars *Legendae* [1]: ‚Abiecta (*a*) beatus Franciscus pecunia in quamdam fenestram et velut pulverem ea contempta, patris furorem ex pecunia sentiens, in quadam occulta fovea stetit exorans Altissimum, ut de manibus *persequentium* eius *animam* [2] liberaret et pia quae inspiraverat voto (*b*), favore benigno expleret. Sequitur [3]: ‚Excessiva quadam completus laetitia et virtute indutus ex alto, relicta fovea, civitatem Assisii constanter intravit. Quem cum iuvenes cernerent facie squalidum et mente mutatum, ipsumque alienatum putarent a sensu, luto platearum et lapidibus impeterent‘, sequitur signum transfigurati hominis: « Famulus Domini nulla prorsus fractus aut mutatus iniuria, ut surdus in omnibus, pertransivit [4] ».

Quarto, ut dicit III pars *Legendae* [5], quando « in quodam solitario loco *annos* suos *in amaritudine recogitans* [6] deploraret, Sancti Spiritus in eum superveniente laetitia, certificatus est de remissione plenaria omnium delictorum suorum »; sequitur: « Raptus deinde supra se, ac in quoddam mirandum lumen totus absorptus, dilatato mentis sinu, quae circa se et filios suos futura erant luculenter aspexit ». Sequitur: ‚Post hoc reversus ad fratres confortavit eos, ordinis dilatationem in brevi fiendam praedixit‘.

2. Quinto, ut dicit IV pars *Legendae maioris* [7], transfiguratus est beatus Franciscus modo singulari et deifico. Cum enim « civitatem adiisset Assisii praedicaturus de mane, absentatus a fratribus, et in quodam tugurio in horto canonicorum pernoctaret in oratione more solito, media ferme noctis hora, quibusdam ex fratribus quiescentibus, quibusdam in orando perseverantibus, currus igneus mirandi splendoris per ostium domus intrans, huc atque illuc per domicilium tertio se convertit, supra quem globus lucidus residebat, qui solis habens aspectum, noctem clarefecit (*c*) ut diem. Obstupefacti vigilantes, excitati simul et exterriti dormientes, non minus senserunt cordis claritatem, quam corporis, dum ex virtute mirandi luminis alterius alteri conscientia nuda fuit. Intellexerunt concorditer omnes, videntibus invicem universis in cordibus singulorum, sanctum patrem absentem corpore, praesentem spiritu, tali transfiguratum effigie, supernis irradiatum fulgoribus et ardoribus inflammatum, supernaturali virtute in curru splendente simul et igneo sibi demonstratum a Domino, ut tanquam veri Israelitae post illum incederent, qui virorum spiritualium, ut alter Elias, factus fuerat a Deo *currus et auriga* [8] ».

Quibus verbis et aliis, quae ibidem subnectuntur, apparet simul de sublevatione beati Francisci et ipsius mirabili transfiguratione. Quae transfiguratio est et fuit valde mirabilis et stupenda ex pluribus, videlicet:

Primo ex sublevatione, quia in curru igneo. Secundo ex refulgentia, quia miri splendoris. Tertio ex figura, quia beatus Franciscus apparuit totus igneus. Quarto ex specie, quia lucidus et solis habens aspectum. Quinto ex situ, quia beatus Franciscus non erat ante, vel extra, sed supra currum residebat. Sexto ex loco, ad quem perrexit, quia de Assisio usque ad locum Sanctae Mariae in tali curru beatus Franciscus est ductus. Septimo ex eius introitu, quia per ostium loci fratrum introivit.

(*a*) Al *abiectam*... et deinde *pecuniam*. — (*b*) Codd., Edd. (et Bonav.) *vota*. — (*c*) As, Edd. (et Bonav.) *clarere fecit*.

[1] *Leg. mai.* c. 2 n. 1 sq. — [2] Cf. Pslm. 103, 30. — [3] *Leg. mai.* c. 2 n. 2. — [4] L. c. — [5] C. 3 n. 6. — [6] Isai. 38, 15. — [7] C. 4 n. 4. — [8] IV Reg. 2, 12.

Octavo ex motu, quia huc atque illuc perrexit, totum domicilium fratrum ter circuiens. Nono ex tenebrarum depulsione, quia noctem clarefecit (*a*) ut diem.

Decimo ex conspectione, quia omnes tam vigilantes quam dormientes excitati hoc viderunt. Undecimo ex incussione, quia territi sunt omnes. Duodecimo ex cordium alterius alteri revelatione, quia tali lumine alterius alteri conscientia nuda fuit. Tertiodecimo ex mentis Francisci ad cognoscendum cordium secreta et futura, plenaria illustratione, quia post visionem beatus Franciscus reversus ad fratres, de visione mirabili, quam viderant, coepit ipsos confortare, cordium ipsorum secreta rimari et de profectu ordinis futura (*b*) praedicere.

Quarto decimo ex notitiae traditione, quia Deus beatum Franciscum fratribus in tali effigie demonstrare placuit, ut cognoscerent:

Ex primo beatum Franciscum esse vere currum vitae (*c*). Ratio, quia quatuor rotis, id est quatuor virtutibus est deducta, videlicet iustitia ad Deum, fortitudine ad diabolum, prudentia ad mundi contemptum, et temperantia ad corpus, cuius pars anterior fuit charitas, boves sub hac stantes, velut sub iugo currum deducentes, amor fuit Dei et proximi. Ex secundo, videlicet ex refulgentia, in beato Francisco nullam inesse tenebram peccatorum, per ipsorum dimissionem plenariam usque ad quadrantem novissimum [1]. Ex tertio, scilicet ex ignitione, zelum fervidum, quem habebat ad animas. Ex quarto ipsum imitatorem per omnia solis iustitiae Christi Iesu.

Ex quinto in virtutibus aliis perfectissimum, quia in medio stetit ipsarum (*d*). Ex sexto unum factum cum divina sapientia spiritu, cuius mobilitate ferebatur ad placitum. Ex septimo viam beatum Franciscum sanctitatis et perfectionis, non ut fur et latro, sed ut verus Christi discipulus ab ostio Christo accepit (*e*) per ipsum semper incedendo, velut per ostium introducendo (*f*). Ex octavo in beato Francisco triplicem fuisse motum rectum ad Deum, reflexum ad proximum per condescensionem et informationem, et circularem in cunctis et ubique Deum inspiciendo et prosequendo dilectum. Ex nono beati Francisci ducatum tenentes tenebris errorum tegi non posse. Ex decimo datum Franciscum a Deo in directionem et lucem fidelibus. Ex undecimo (*g*) Francisci meritis occulta Dei patefieri hominibus. Ex duodecimo in beato Francisco stupenda Deum ostendisse prae aliis sanctis. Ex ultimo super beatum Franciscum Spiritum Domini in tanta plenitudine quievisset, quod post ipsius doctrinam et vitam erat eis et aliis proficisci tutissimum.

Sic ergo succincte apparet, quam mirabilis et stupenda fuit haec beati Francisci praefiguratio et transfiguratio. Numquam fuit auditum, quod lumine alicuius sancti sic illustrarentur homines, ut alterius alteri conscientia nuda esset, nisi de solo lumine a Deo beato Francisco infuso et concesso; et secreta cordium a sancto sic perscrutarentur et multorum praesertim simul, sicut hic legitur de beato Francisco.

Sexto beatus Franciscus transfiguratus a Deo fratri Silvestro, exsistenti presbytero saeculari et in saeculo, est demonstratus; quando vidit « civitatem Assisii a dracone magno circumdatam, cuius magnitudine toti regioni periculum imminebat, contuebatur post crucem auream ex ore beati Francisci procedentem, cuius sum-

(*a*) As, Edd. (et Bonav.) *clarere fecit.* — (*b*) Al om. *futura.* — (*c*) Al *vere currum ratione vitae, quae 4. rotis;* As corr. *currum verae vitae ratione quae.* — (*d*) Sic Codd. et Edd. — (*e*) As *accedit;* Edd. *accedere.* — (*f*) Edd. *introductum.* — (*g*) As om. *Ex duodecimo;* Edd. transpos. XI et XII.

[1] Cf. Matth. 5, 26.

mitas caelos tangebat, cuius brachia in latum (*a*) protensa, usque ad mundi fines videbantur extendi, ad cuius aspectum praefulgidum draco ille teterrimus et horridus penitus fugabatur ». Hoc videns vicibus tribus, saeculo cedens, factus est sanctus frater Minor, ut dicit III pars *Legendae* [1].

Septimo beatus Franciscus transfiguratus apparuit fratri Pacifico exsistenti saeculari, prout dicit IV pars *Legendae* [2]. Qui beatum Franciscum videns praedicantem, sub figura mirabili a Deo sibi est demonstratus. « Vidit enim ipsum duobus ensibus valde fulgentibus transversaliter in modum crucis exsistentibus consignatum, quorum unus a capite ad pedes, alius a manu in manum per pectus transversaliter tendebatur ». Qua forma seu beati Francisci transfiguratione visa, saeculo abrenuntians, factus est frater Minor. Vidit etiam hic frater Pacificus alia vice singulariter beatum Franciscum transfiguratum, quando vidit « magnum (*b*) Thau in eius fronte exsistere, quod colorum varietate distinctum faciem Francisci miro venustabat ornatu [3] ». Per has enim extrinsecas figuras et species, quibus beatus Franciscus sic aliis demonstrabatur a Deo, quid transfigurationis intus esset in anima, certe dabatur intelligi. Quia cum istae transfigurationes essent veraces, per signa haec, quid in anima eius esset, clare intelligi dabatur.

Octavo beatum Franciscum transfiguratum demonstravit ipse Deus summo pontifici domino Innocentio III, ut dicit III pars *Legendae* [4], quando vidit beatum Franciscum proprio dorso Lateranensem ecclesiam, ruinam minantem, sustentare, per quam transfiguratam similitudinem sibi sic ostensam a Christo, cognovit per vitam et doctrinam beati Francisci totam sustinendam esse Ecclesiam.

Nono beatus Franciscus similiter transfiguratus apparuit fratribus exsistentibus in capitulo apud Arelatem civitatem et praedicante beato Antonio de crucis titulo. Apparuit enim ad ostium capituli beatus Franciscus in aere sublevatus, extensis velut in cruce manibus fratribus benedicens, prout oculis corporeis frater Monaldus (*c*) vidit, vir utique sanctus [5]. Haec fuit mirabilis apparitio, considerata distantia, quia beatus Franciscus tunc erat in remotis, quia in valle Spoletana, et tamen se praesentem fratribus exhibuit in tali civitate Provinciae exsistentibus; pensata etiam forma, quia ad modum crucifixi demonstratus est, ut quid deberet esse in posterum, reseraretur. Fuit etiam singularis ex consolatione spiritus indita cunctis fratribus in dicto capitulo existentibus, ut, si non viderint beatum Franciscum transfiguratum, saltem tali spiritus consolatione, eis immissa a Deo, sic esse sentirent [6].

Decimo beatus Franciscus transfiguratus visus est a fratre Massaeo [7]. Cum enim beatus Franciscus cum fratre Massaeo pergeret versus Franciam, in itinere post refectionem habitam de frusticulis (*d*) panis vilissimi et potationem aquae de fonte, quamdam ecclesiam reperisset, « intrantes eandem beatus Franciscus post (*e*) altare se posuit ad orandum. Et ibi beatus Franciscus recepit visionis divinae tam excessivum fervorem ad paupertatis concupiscentiam totaliter inflammantem, quod videbatur ex facie et oris hiatu quasi flammas ardoris emittere. Et egrediens ad socium sic ignitus

(*a*) Edd. *altum*. — (*b*) Sic As, Edd. (et Bonav.); Al *signum*. — (*c*) As *Arnaldus*. — (*d*) As, Edd. *frustulis*. — (*e*) As *prope*.

[1] *Leg. mai.* c. 3 n. 5. — [2] C. 4 n. 9. — [3] L. c.; cf. A F IV, 5, 7, 14, 36 etc. — [4] C. 3 n. 10. — [5] L. c. c. 4. n. 10; I Cel. 18 n. 48; cf. A F IV, 37. — [6] L. c. — [7] *Actus*, c. 13 n. 8-13 sqq.; cf. A F IV, 14, 195 sq.

ore dixit: « Ha, ha, ha, frater Massaee, praebe mihi teipsum ». Et hoc fecit ter. Frater Massaeus hoc videns, stupuit, sed vice tertia dicente beato Francisco: « Praebe mihi teipsum », misit se totum intra brachia sancti patris. Tunc beatus Franciscus cum hiatu magno et Spiritus Sancti fervore, ac clamore valido reboando (*a*): « Ha, ha, ha », levavit fratrem Massaeum cum ipso flatu in aerem et impulit eum ante se, quantum posset esse unius hastae mensura. Quod videns frater Massaeus, stupuit valde de tam mirando sancti patris fervore, et retulit postea aliis sociis, quod in illo sancti Francisci amplexu et impulsu tantam dulcedinem et consolationem Spiritus Sancti persensit, quod nunquam in vita sua consolationem tam maximam meminerit se habuisse ». Qualis haec fuerit transfiguratio (*b*), fervor ignitus, vox clamorosa, Francisci faciei ardor, amplexus fratris cum elevatione, iactus socii cum consolatione spiritus immissa, declarant.

Undecimo beatus Franciscus transfiguratus per raptum mirabilem est inventus et a fratre Bernardo de Quintavalle et a fratribus. Loquentes enim, scilicet sanctus Franciscus et frater Bernardus de Deo, eos simul raptos per totam noctem in silva fratres invenerunt [1].

Duodecimo beatus Franciscus frequenter transfiguratus est, corpus sumendo dominicum. Ut enim dicit IX pars *Legendae* [2]: « Saepe communicabat et tam devote, ut alios devotos efficeret, dum ad immaculati Agni degustationem suavem, quasi spiritu ebrius, in mentis ut plurimum rapiebatur excessum ». Sed hic est advertendum, quod raptus, prout in proposito accipitur, ex vehementia devotionis fit, quando anima amore tota liquescit circa Deum, cui coniungi peroptat et ipsum habere desiderat; hinc est, quod sine transformatione animae in Deum fieri non potest, quare in omni raptu tali transfiguratus (*c*) est talis, qui ad caelestia rapitur. Et quod sic sit, saepe ab extrinseco apparet prae solito consopitio et suppressio sensuum, et quasi mortificatio virium corporis et sensuum.

Tertio decimo beatus Franciscus, prout dicit X pars *Legendae maioris* [3], fuit singulariter transfiguratus et ad divina raptus, ut quid « circa se ageretur exterius omnino nesciret ». Et hoc specialiter evenit, dum transisset « semel per Burgum Sancti Sepulchri, castrum videlicet populosum, subvectus asello propter debilitatem corporis, et obviam turbas habuisset in (*d*) eum prae devotione ruentes. Tractus autem et detentus ab eis, compressusque ac multipliciter attrectatus, insensibilis videbatur ad omnia et velut exanime corpus de his, quae facta sunt circa ipsum, penitus nihil advertit. Quod patuit, cum transito castro et turbis relictis, pervenisset ad quoddam domicilium leprosorum, quasi aliunde rediens caelestium contemplator solicite requisivit, quando appropinquarent ad castrum; mens quippe ipsius in caelestibus fixa splendoribus, varietatem non senserat locorum, nec temporum, nec occurrentium personarum [4] ».

Quarto decimo beatus Franciscus fuit multoties transfiguratus, ut dicit X pars *Legendae* [4], et hoc in oratione, ut dicetur in hoc II libro conformitate XI. A fratribus enim ipsum pie observantibus « visus est nocte orans manibus ad modum crucis protensis, ac toto corpore sublevatus a terra et nubecula quadam fulgente circumdatus, ut illustrationis mirabilis intra mentem mira circa corpus perlustratio testis esset ».

(*a*) As *roborando.* — (*b*) Al sic; sed postea corr.: *haec fuerit huius transfigurationis.* — (*c*) Al, As *transfiguratio.* — (*d*) Al om. *in—ruentes.*

[1] *Actus*, c. 30 n. 1. — [2] C. 9 n. 2. — [3] C. 10 n. 2. — [4] L. c.

3. Quinto decimo beatus Franciscus fuit raptus et transfiguratus cum suis fratribus et sociis. Nam cum semel esset cum eis et mandasset eis, ut de Deo quilibet loqueretur, prout Spiritus Sanctus suggerebat eisdem, et cum quilibet singillatim hoc (*a*) mandatum patris effecisset, « In medio eorum Dominus Iesus Christus apparuit in specie speciosissimi iuvenis, cum tanta dulcedine gratiae omnibus benedicens, quod tam sanctus pater, quam ceteri omnes fuerunt rapti et iacebant in terra quasi (*b*) mortui, de mundo isto nihil penitus sentientes ». Sed cum ad se rediissent, gratias agere Deo de tam impenso beneficio omnibus imperavit [1].

Sexto decimo beatus Franciscus raptus fuit et transfiguratus, dum in loco Sanctae Mariae de Angelis cum sancta Clara et socia et sociis comederet. Cum enim sancta Clara beatum Franciscum pluries rogasset, ut sibi hanc gratiam concedere dignaretur, ut cum ipso aliquando valeret comedere, habito cum sociis consilio, annuit et ordinavit, quod hoc esse deberet in Sancta Maria de Angelis, ubi ipsa beata Clara, mundo abrenuntians, caelesti sponso nupsit. Die ordinata, sancta Clara, una de sororibus sumpta pro socia, concomitantibus beati Francisci sociis, ad locum Sanctae Mariae de Angelis pervenit, et facta reverentia Matri Domini « ac loco circumquaque ex devotione lustrato, hora comedendi beatus Franciscus fecit mensam, sicut consueverat, in plana terra parari, et sedit ipse et beata Clara et unus de sociis suis cum socia sanctae Clarae, et omnes alii socii in mensa illa humili sunt locati. Pro primo autem ferculo incepit beatus Franciscus loqui de Deo tam suaviter et sancte, tam altissime et divine, quod ipse sanctus Franciscus et sancta Clara et socii omnes alii, qui in illa erant mensa, rapti sunt, tantaque abundantia gratiae Altissimi supervenit, quod ipsis sedentibus sic raptis, et oculis ac manibus in caelum directis, ignis maximus apparuit super ipsum locum, adeo quod Assisinatibus hominibus et de Bectonio (*c*) et de aliis locis circumquaque videretur, quod totus locus et ecclesia Sanctae Mariae de Angelis cum silva, quae tunc erat circa locum, comburerentur. Propter quod homines de Assisio credentes locum comburi, cum festinatione ad succurrendum venerunt ad locum. Sed eo pervenientes, viderunt cuncta illaesa pariter et intacta. Intrantes autem locum invenerunt beatum Franciscum cum beata Clara et cum omnibus sociis ad Deum raptos et ad mensam illam humillimam sedentes, omnes virtute indutos ex alto. Et tunc certitudinaliter adverterunt, quod ille erat ignis divinus, qui praedictos sanctos et sanctas divini amoris copiosis consolationibus inflammaverat. Unde recesserunt valde aedificati et consolati ». Beatus Franciscus et sancta Clara cum aliis divina consolatione refecti in anima, de cibo corporali parum aut nihil curarunt [2].

Decimo septimo beatus Franciscus raptus et transfiguratus visus fuit a quodam nobili, qui ipsum multoties hospitio receperat multum magnifice et cum devotione. Cuius conversationem per introitum ad ordinem cum beatus Franciscus appeteret, dicendo socio: quod ipse nobilis esset bonus frater Minor; cum ipse pro eo Dominum Iesum Christum devote oraret, vidente dicto nobili, Dominus Iesus Christus beato Francisco apparuit, dicens, audiente nobili praefato, quod orationem, quam pro dicti nobilis conversione fecerat, acceptabat. Et tunc beatus Franciscus, ut vidit

(*a*) Edd. om. *hoc*. — (*b*) Al, As om. *quasi*. — (*c*) As *Betonio*.

[1] *Actus*, c. 14. — [2] L. c. c. 15.

dictus nobilis, raptus et per spatium elevatus est a terra. Quae omnia, dum ipse nobilis conspexisset, omnibus pro Deo datis, factus est frater Minor sanctissimus [1].

Decimo octavo beatus Franciscus transfiguratus visus est a quodam fratre etsi aetate puero, prudentia tamen grandaevo. « Qui cum in quodam locello staret, contigit beatum Franciscum ad ipsum locum venire. Et quia beatus Franciscus ante alios ad quiescendum perrexit, ut fratribus dormientibus, ipse surgeret quietius ad orationem, puer ille frater posuit in corde suo sollicite velle explorare, quid beatus faceret de nocte cum surgebat. Verum fratres cum tunc in campo lectis (*a*) iacerent, ipse puer iuxta beatum Franciscum se posuit ad quiescendum. Et ne somnus propositum impediret, chordulam suam ligavit cum chordula beati Francisci, ut sentiret quando surgeret, ita quod sanctus Franciscus de tali ligatura nihil advertit. Dum vero omnes profunde dormirent, surrexit beatus Franciscus et sentiens chordam suam cum chorda pueri detineri, sic eam caute solvit, quod nullo modo puer persensit, et abiit in quemdam collem, ubi iuxta locum erat silva pulcherrima, ad orandum solus. Puer autem cum excitatus a somno, chordam suam solutam reperisset, statim surrexit, ut sanctum Franciscum exploraret, sicut proposuerat. Cumque ostium invenisset apertum, per quod intrabatur in silvam, et advertens quod beatus Franciscus inde exisset, statim intravit silvam et perrexit usque ad dicti collis cacumen, ubi sanctus Franciscus se fixerat ad orandum. Et cum puer staret aliquantulum longe, incipit (*b*) audire multos loquentes, et appropinquans, ut clarius videret vel audire posset, quae loquebantur, et ecce vidit mirabilem lucem, quae beatum Franciscum undique circumdabat, et in ipsa luce vidit Christum, beatam Virginem, beatum Ioannem Baptistam et Ioannem Evangelistam et maximam multitudinem angelorum, loquentes cum beato Francisco. Quae omnia puer aspiciens et tremebundus hoc audiens, factus in extasi, in via, per quam rediturus erat beatus Franciscus, cecidit quasi mortuus. Completa vero locutione, dum beatus Franciscus rediret ad locum et nox esset profunda, cum pedibus invenit dictum puerum quasi mortuum iacentem in terra; cui compatiens, sumptum (*c*) in brachiis, ad locum reportavit. Et sciens a dicto puero, quae viderat, mandavit, ut nulli diceret, dum viveret. Quod et fecit. Qui puer in ordine crevit valens frater et bene finivit, et post mortem beati Francisci praefata, quae viderat, enarravit [2] ».

Decimo nono beatus Franciscus transfiguratus visus est pluries a fratre Leone eius socio, et praecipue in monte Alvernae, prout dicetur libro III conformitate III, quae hic succincte ponitur. Beatus enim Franciscus non solum mentaliter elevabatur, sed et corporaliter, et quanto cumulatius dona divina percipiebat, tanto altius elevabatur a terra, sicut frater Leo vidit. In quadragesima enim Angelorum, quam fecit beatus Franciscus in monte Alvernae, ipse frater Leo ipsum beatum Franciscum aliquando aspexit eum (*d*) elevatum a terra per tantum spatium, quod poterat tangere pedes eius. Aliquando invenit eum usque ad medios fagos elevatum, quandoque invenit eum in tanta aeris altitudine elevatum, quod vix eum videre poterat [3]. — Vice alia « vidit beatum Franciscum stantem genibus flexis et facie in caelum erecta ac

(*a*) Edd. *campoletis*. — (*b*) Edd. *coepit*. — (*c*) Al, As *sumpto*. — (*d*) Edd. om. *eum*.

[1] Cf. *Actus* ed. Sabatier, p. 205, cap. 71, cuius defuit textus latinus. — [2] *Actus* c. 19, quos liberius sequitur. — [3] *Actus* c. 39.

manibus elevatis ad Dominum dicentem haec verba: « Quis es tu, Domine, Deus meus dulcissime? Et quid ego sum, vermiculus et parvulus servus tuus »? Et hoc saepe replicans, aliud non dicebat (*a*). Et respiciens frater Leo, vidit unam flammam pulcherrimam ignis et valde splendentem et delectabilem oculis, descendentem a summis caelorum usque ad caput beati Francisci, et de illa flamma vox egrediebatur et loquebatur cum beato Francisco, et sanctus Franciscus respondebat loquenti. Et vidit quod beatus Franciscus ter extendit manum suam ad flammam praedictam [1] ». Quae omnia, rogatus a fratri Leone, beatus Franciscus declaravit. Primo quando dixit: ,Quis es Domine etc.' dixit beatus Franciscus: « In his quae audisti et vidisti, erant mihi duo lumina aperta, unum de cognitione Creatoris et aliud de cognitione meiipsius. Quando enim dicebam: ,Quis es tu, Domine, Deus meus, et quid sum ego'? tunc ego eram in quodam lumine contemplationis, in quo videbam abyssum infinitae bonitatis divinae et lacrimosum profundum vilitatis meae, propter quod dicebam ,Quis es tu, Domine, summe sapiens et summe bone et summe clemens, ut visites me, qui sum summe vilis et vermiculus unus modicus, abominabilis et despectus'? illa flamma erat Deus, qui in specie illa mihi, sicut Moysi, loquebatur in illa flamma [2] ». Et alia exposuit beatus Franciscus fratri Leoni, de quibus, ut dictum est, libro III conformitate III dicetur. Multis aliis transfigurationibus frater Leo beatum Franciscum vidit transfiguratum.

Vigesimo beatus Franciscus singulari modo et nunquam prius audito nec viso, fuit transformatus et transfiguratus, scilicet quando in monte Alvernae a Christo forma et signis suae passionis fuit stigmatizatus et transfiguratus. Et quia prolixe dicetur III conformitate libri III, ad praesens aliud dicere omitto. Pluribus aliis raptibus et excessibus beatus Franciscus fuit transfiguratus, sed praedicti sufficiant pro istius conformitatis III partis secundae expositione, videlicet: *Franciscus sublevatur et transfiguratur*. Et *eius species facta est altera* [3] et interior semper et plerumque exterior, ut dictum est. Et sic patet primum, quod erat videndum.

4. Videndum est nunc quibus fretus (*b*) beatus Franciscus ad apicem huiusmodi raptus contemplationis et excessus pervenit. Licet enim ad hoc sola gratia singulari et divina perveniatur, attamen quaedam sunt dispositiones praeviae (*c*). Quia sicut forma non introducitur nisi in materiam dispositam, sic ad huiusmodi excessum homo non pervenit, nisi facta et habita debita dispositione et praemissa. — Et pro evidentia dicendorum notandum, quod raptus et excessus ac contemplatio tripliciter graduatur. Aliquando enim fit sola alienatione sensuum exteriorum, et ab ipsis retenta agnitione imaginabilium et phantasmatum. Aliquando fit alienatio ab omni imaginatione et phantasmate sensibilium et specierum a sensibilibus productarum; et in (*d*) imaginabilibus consistit virtuti imaginativae et phantasticae impressis et revelatis (*e*). Aliquando a praefatis fit totalis egressio (*f*) et alienatio, et hoc fit, quando anima in solius Dei visione et contemplatione consistit. — Primus gradus, qui (*g*) potest causari tam ex causa bona quam mala, tam corporali, ut homo alienetur a sensibus, videlicet passione facta vel in somno, vel perturbatione cerebri, ut in phre-

(*a*) Al hic et infra semper *dixit*. — (*b*) Al *fructibus*. — (*c*) Al, Edd. *praemissae*. — (*d*) Edd. om. *in* et *consistit*. — (*e*) Edd. *derelictis*. — (*f*) As *agnitio*; Ed. I. *aegritudo*; Ed. II. om. — (*g*) Al, Edd. *quia*.

[1] *Actus* c. 9 n. 39-45. — [2] L. c: n. 54-58. — [3] Cf. Luc. 9, 29

netico et mente captis, quam spirituali, ut tristitia, ira, timore et concupiscentia; hae enim passiones sunt in quibusdam tam vehementes, ut absorbeant rationis usum et a corporalibus sensibus alienent. Ideo potest esse communis hic raptus primo modo bonis et malis: sed in proposito solum accipitur, prout competit bonis et debita fit causa, ut dicetur statim de eius causis. — Secundus gradus (*a*) potest causari ex vehementia imaginationis, ut quando anima intendit circa alicuius difficilis imaginationem et fortiter occupatur, frequenter a sensibus non solum sed ab omni alio imaginabili alienatur, et tanta vehementia super id quod imaginatur convertitur, ut nihil aliud cogitet aut imaginetur. Et quia (*b*) ad tale imaginandum potest duci causa bona et mala, ut patet experientia: sed accipiendo in proposito pro causa bona ipsius, ut dicetur, et sic solis bonis hominibus et non malis convenit: — Tertius gradus (*a*) causatur semper ex vehementia desiderii et affectionis animae inebriatae (*c*) dulcedine divina ad habendum et videndum Deum, et hoc solis perfectis competit. Videndum est ergo de causa huius et dispositione et aliorum duorum praecedentium. Licet enim quidquid est dispositivum (*d*) ad tertium, sit ad secundum et primum, non tamen e converso.

Videndum est ergo de causa dispositiva talium, et quomodo fuerint cuncta in beato patre nostro Francisco; ad quod videndum:

Primo sciendum est, quod beatus Franciscus ad praefatos contemplationis gradus pervenit. — Primum enim habuit, ut dictum est, quando per Burgum Sancti Sepulchri transivit, qui contrectatus et retentus, alienatus ab omni corporis sensu, nihil percepit [1]. — Secundum habuisse ostenditur, quando in camera fratris Bernardi, tunc saecularis exsistentis, orando nihil aliud dicebat nisi: « Deus meus et omnia », admirando divinae maiestatis excellentiam, quae periclitanti mundo condescendere dignaretur, et per sanctum Franciscum pauperculum de salutis disponebat remedio providere [2]. — Tertium habuisse contemplationis gradum cum Deo stando et loquendo, iam dicta ostendunt [3].

5. Quibus visis, sciendum est, quod homo devotus, qui vult primum gradum contemplationis sancte et iuste ascendere, debet plura exercere, quae succincte pandentur, quia patent ad sensum.

Et primum est, ut mundum totaliter deserat et contemnat, qui hominem facit totaliter (*e*) sensualem. Franciscus ipsum deseruit mundum totaliter et contempsit, ut dicit II pars *Legendae* et VIII [4].

Secundum est, ut corporis sensus modestiae lege refrenet, visum, auditum, et sic de aliis, abstrahendo a sensibilibus (*f*) vanitatibus. Beatus Franciscus cum oculis foedus pepigisse videbatur, quod non solum carnalem aspectum procul refugeret, sed et curiosum vanitatis cuiuscumque contuitum omnino caveret, motusque sensuales coercendo etiam stricta (*g*) modestiae lege, prout dicit et ostendit V pars *Legendae* [5].

Tertium, ut voluntatem propriam abneget et abiiciat, quia ubi voluntatis proprietas permanet, homo sensibus cunctis uti probatur. Franciscus nunquam inve-

(*a*) Al *casus*. — (*b*) Edd. *sed ad*. — (*c*) As *inebriante;* As, Edd. om. *divina*. — (*d*) Edd. *dispositum*. — (*e*) As, Edd. *totum*. — (*f*) Edd. *sensuum*. — (*g*) Al add. in margine *refrenebat*.

[1] II Cel. c. 64 (al. III, 41) n. 98. — [2] *Actus* c. 1 n. 21-24. — [3] Cf. supra p. 76 sqq. — [4] *Leg. Mai.* c. 2 n. 1 sqq. et potius c. 7, 1 sqq. — [5] L. c. c. 5 n. 3 sqq.

nitur suam propriam voluntatem fecisse, sed eam Domino in cunctis beneplacitis subdidit et subiecit, sicut patet in I parte *Legendae* [1], quando argutus a Domino, cum vellet pergere ad Apuliam pro militia consequenda, ait Domino: « *Domine, quid me vis facere?* » [2].

Quartum est, ut se perfecte odiat. Beatus Franciscus non solum, si sibi dicerentur iniuriae, libenter accipiebat, immo mandabat socio et aliis, ut eum rusticum, mercenarium, imperitum et inutilem declamarent, et cum gaudio magno dicta (*a*) suscipiendo respondebat: « Tu vera loqueris, et talia, ut dicit VI pars *Legendae* [3], decet audire filium Petri Bernardonis ».

Quintum est, ut humilis exsistat. Humilis enim veraciter quis esse non potest, nisi sibi ipsi mortuus fuerit et mundo. Beatum Franciscum humilitas adeo sui iuris effecerat, ut in minorum minimo suum totaliter vindicasse dominium videretur, ut VI pars *Legendae* pluribus declarat [4].

Sextum est, ut (*b*) de se totaliter desperet et diffidat, nihil se esse proclamando. Beatus Franciscus se dicebat nihil aliud esse, quam vas sordidum et fictile, cum tamen vas esset sanctitudine omnimoda dedicatum, ut VI pars ostendit *Legendae* [5].

Septimum est, ut se semper in suo conspectu non exaltet, sed deiiciat. Beatus Franciscus, quantum se in suo prospectu (*c*) haberet, interrogatione facta a fratre Pacifico patuit. Interrogatus enim ab ipso, quid de se ipso sentiret, respondit: maximum (*d*) peccatorum, ut VI pars *Legendae* declarat [6].

Octavum est, ut sui semper quaerat opprobrium et Dei honorem. Beatus Franciscus id faciebat. Episcopo Interamnae beatus Franciscus regratiatus est, quia ipsum vilificando (*e*) Deum per ipsum loquentem praedicavit populo magnificandum, utpote, quod per indoctos suae sapientiae magna declararet (*f*) [7].

Nonum est, ut continue (*g*) quaerat scire Dei voluntatem et scitam (*h*) perficiat. Beatus Franciscus nunquam de sui industria [confidens] (*i*) semper Dei beneplacitum de agendis quaesivit diligenter, ut patuit [quando nesciebat] si deberet praedicare, ut dicit IV pars *Legendae* et XII [8]. Qua cognita, summa diligentia eam adimplevit.

Decimum tribulationes, tentationes et illata convicia patienter sustineat. Beatus Franciscus patienter convicia civium sustinuit et sui patris, ut dicit II pars *Legendae*; ac a Saracenis eidem illata, quando Soldanum adivit, et de patientia eius habes in VI parte *Legendae* et IX [9].

Undecimum est, curam carnis (*k*), ne ultra decentiam exerceat. Franciscus carnem per omnia spiritui subiecit, ut V pars dicit *Legendae* [10], et in morte culpam dixit, quod fratrem corpus male tractaverat.

Duodecimum est, ut inductiva ad delectationes carnales omnino devitet, ut sunt vestimenta et huiusmodi consimilia (*l*). Beatus Franciscus hoc egit indutus rudi, grossa et hispida tunica, et sola lectulus terra, et sic de aliis, prout conformitate VII

(*a*) Edd. add. *sustinendo vel.* — (*b*) Al *quod.* — (*c*) Edd. *conspectu.* — (*d*) Edd. add. *esse.* — (*e*) A1 add. *et.* — (*f*) As, Edd. *qui... declarat.* — (*g*) As *coctidie;* Edd. *quotidie vel continue.* — (*h*) Edd. *cito eam.* — (*i*) Al, As om. *confidens;* item infra *quando nesciebat.* — (*k*) Edd. *curam carnis habeat, ne ultra decentiam exerceat.* — (*l*) As *similia.*

---

[1] N. 3. — [2] Cf. Act. 9, 6 sq. — [3] C. 6 n. 1. — [4] L. c. 1 sqq. — [5] L. c. — [6] L. c n. 6. — [7] II Cel. 3, 80. *Specul. Perf.* ed. Lemmens c. 13; ed. Sabatier c. 45. Cf. A F IV, 477. — [8] C. 4 n. 2; c. 12 n. 1. — [9] C. 2 n. 2 sqq. c. 6 n. 2 sqq. c. 9 n. 8. — [10] C. 5 n. 1 sqq.

huius II libri ostendetur. Praefatis igitur diligenter inspectis patebit, quod ipsis fretus ad primum gradum contemplationis iam dictum quis poterit devenire. Quae, quia plenarie in patre beato Francisco exstitere, primum gradum, divina opitulante gratia, ascendere meruit et studuit.

6. Ad secundum vero gradum ascendere cupiens, quia magis arduus primo, sunt aliqua necessaria dispositiva, prout experientia patet et Scriptura docet.

Et primum, ut omni sollicitudine noxia phantasmata devitet. Beatus Franciscus id egit, mulierum colloquia et aspectus evitando et evitari iubendo. Non enim securum putabat earum imagines introrsum haurire, ut V pars *Legendae* dicit [1].

Secundum, sanctae obedientiae iugum cum promptitudine suscipiat. Beatus Franciscus, ut dicit VI pars *Legendae*, officio praelationis cedens, usque ad mortem guardianum habere voluit, cui per omnia esset subiectus [2].

Tertium est, ut iudicium temerarium omnino declinet (*a*). Beatus Franciscus evitavit in se; et semel fratrem iudicantem male et temerarie pauperem, fecit, ut eidem diceret culpam suam, ut dicit VIII (*b*) pars *Legendae* [3].

Quartum est, ut amorem carnalem parentum a se removeat et abiiciat. Beatus Franciscus patri carnali renuntiavit dicens: « Usque modo te vocavi patrem in terris: amodo secure dicere possum: *Pater noster, qui es in caelis* ». Et de hoc habes II parte *Legendae*, quomodo separatus fuit ab amore parentum Christi dilectione [4].

Quintum est, ut omnes se existimet meliores et perfectiores. Beatus Franciscus id egit. Nam causam dicens, quare se maximum peccatorum vocaret, inquit: « Si quantumcumque sceleratum hominem Christus tanta fuisset gratia prosecutus et misericordia, arbitror sane, quod plus quam ego Deo gratior esset [5] ».

Sextum est, ut suas ordinet cogitationes in Deum, ut decet. Beatus Franciscus, ut excitaretur ex omnibus ad amorem divinum, in *cunctis exsultabat operibus* [6] manus Domini; de omnibus sibi scalam faciens, per quam conscenderet ad apprehendendum eum, qui est *desiderabilis totus* [7], ut dicit IX pars *Legendae* [8].

Septimum est, ut daemonis astutias attendat, et fraudulenta consilia, seu suggestiones videat et declinet. Beatus Franciscus, quomodo diaboli astutias viderit et superaverit, dicit pars V et VI *Legendae* [9], ac quomodo declinaverit, dictum est conformitate I praecedenti, parte secunda [10], et dicetur huius II libri conformitate IX.

Octavum est, ut omnes ut se diligat et ad id, ad quod se (*c*) diligit. Beatus Franciscus, ut dicit praecedens conformitas [11], omnium optabat et procurabat salutem.

Nonum est, ut pacem habeat cum omnibus et teneat. Beatus Franciscus divina revelatione informatus primus fuit, qui in suis praedicationibus pacem nuntiavit et fratres pacem nuntiare docuit, ac inter discordantes pacem posuit, ut patuit de civitate Aretii, ut dicit VI pars *Legendae* [12], a qua expulsis daemonibus ad pacem et tranquillitatem reduxit. Sic et civitatem Senensem, ut dicit *Legenda antiqua* et dictum est in libro I, conformitate VIII, in tractatu de frate Massaeo, eius socio [13], mul-

(*a*) Edd. *devitet.* — (*b*) Cod. Edd. falso 7ª *pars.* — (*c*) Al *quod te diligis.*

[1] C. 5 n. 5. — [2] C. 6 n. 4. — [3] C. 8 n. 5; II Cel. 52 (al. III, 29) n. 85. — [4] C. 2 n. 4. Matth. 6, 9. — [5] L. c. c. 6 n. 6. — [6] Cf. Ps. 91, 3. — [7] Cant. 5, 16. — [8] *Leg. Mai.* c. 9 n. 1. — [9] C. 5 n. 4; c. 6 n. 9. — [10] Cf. supra p. 10 et 15. — [11] Supra p. 29 sqq. — [12] C. 6 n. 9. — [13] A F IV, 194 sq. *Actus* c. 11; cf. *Chron. 24 Gen.* p. 115 sq.

tosque peccatores et a pace Christi longinquos, verae iunxit paci et saluti, ut X conformitate I libri patuit, parte secunda [1].

Decimum est, ut linguam in otiosa verba non relaxet. Beatus Franciscus non solum in se, sed in fratribus voluit silentium observare et observari, ut dicit V pars *Legendae* [2] et Regula [3] (*a*), ac omni tempore otiosa verba vitari voluit (*b*) a fratribus. Praelibatis decem cum duodecim antedictis pro primi gradus ascensu, homo devotus disponitur ad ascensum secundi gradus raptus iam dicti et contemplationis; quae omnia, quia fuerunt in beato Francisco, ad praefatum gradus ascensum divina gratia pervenit.

7. Verum, quia gradus tertius est super omnes arduissimus, si quis vellet ad ipsum per ascensum devenire, ultra iam dicta oportet eum quaedam in se habere praeparativa ad huiusmodi tertii gradus ascensum, quae etiam in patre beato Francisco fuerunt.

Et primum est, ut ad Dei opera exercenda non piger aut segnis, sed promptus inveniatur et velox. Beatus Franciscus, quae Crucifixus mandavit de reparatione Ecclesiae, perfecit, ut dicit pars II *Legendae*, ac opus praedicationis, ad quod a Deo fuit destinatus explevit, ut dicit XII pars *Legendae* [4] et dictum est libro I conformitate II [5] et conformitate X [6], et quae sunt Christi, plene effecit, eius vitam pro imitatione (*c*) eligendo et perficiendo.

Secundum est, ut amor tuus totus circa Deum et non creaturam versetur. Beatus Franciscus non solum id fecit, sed praedicabat divino amori nihil praeponendum, quia ipse nobis nihil praeposuit, ut ostendit IX pars *Legendae* [7]. Qualiter vero Deus sit a nobis diligendus, dictum est XII conformitate I libri parte secunda capitulo tertio [8] (*d*).

Tertium est, ut in nullo glorietur, nisi in Deo, iuxta dictum Apostoli [9]. Beatus Franciscus super omnes sanctos omnem inanem gloriam abiecit, ut ostendit VI pars *Legendae* [10]. Ideo, ut habetur ibidem, dixit: « In hoc itaque gloriandum, si Deo suam gloriam reddimus, si fideliter servientes (*e*), ipsi quidquid donat adscribimus ».

Quartum est, ut iuxta posse orationi se dedicet et incumbat. Beatus Franciscus adeo vi mentis orationi fuit intentus, ut (*f*) sine intermissione Deum orans spiritum contendebat Deo exhibere praesentem, ut dicit X pars *Legendae* [11].

Quintum est, ut cordis tota attentione et cum iubilo divinum persolvat officium. Beatus Franciscus quanta devotione et attentione divinum persolveret officium, quia in X parte *Legendae* [12] dicitur et conformitate XI huius libri II hoc dicetur, sufficiat ad praesens. Licet enim esset infirmus, numquam inhaerere volebat alicui; si itinerabat, pro dicendo officio figebat gressum, non propter pluviarum abundantiam aliquando omittens, unde non minus timorate quam devote Deo persolvebat.

Sextum est, ut cor tuum totum satagas Deo tradere. Beatus Franciscus, Domino Iesu Christo sibi apparente, dum oraret, dixit Domino, eius pedibus provolutus:

(*a*) Edd. *V pars Leg. et II.* — (*b*) Al, Edd. om. *voluit.* — (*c*) Edd. *per imitationem.* — (*d*) Codd. Edd. *secundo.* — (*e*) Edd. *fidem servantes.* — (*f*) Edd. *quod.*

[1] A F IV, 464 sqq. — [2] C. 5 n. 1 sqq. — [3] Regula I, c. 11; *Opuscula S. P. Franc.* 40. — [4] C. 2 n. 1 sqq.; c. 12 n. 1 sqq. — [5] A F IV, 72 sq. — [6] L. c. 464 sq. — [7] C. 9 n. 1 sqq. — [8] A F IV, 598. — [9] I Cor. 1, 39. — [10] C. 6 n. 3. — [11] C. 10 n. 1. — [12] L. c n. 6.

« Domine, vobis totum cor meum et corpus meum dedi ». Et tunc beatus Franciscus aliqua ab eo petiit et obtinuit, ut habetur conformitate XI huius II libri.

Septimum est, ut Deum praesentem tuis oculis cernas. Beatus Franciscus « tam fervido in Christum rapiebatur amore et (*a*) affectu, et dilectus illi tam familiarem rependebat amorem, ut videretur ipsi famulo Dei quasi iugem ipsius Salvatoris sentire praesentiam », ut ipse dixit fratribus, ut dicit IX pars *Legendae*[1].

Octavum est, ut in vitae activae actibus exercitetur, quia contemplativa finis est activae. Beatus Franciscus servivit leprosis, ut dicit (*b*) II pars *Legendae maioris*[2] et *Legenda Antiqua*[3], et nulli rei ad dandum parcebat, ut dicit VII pars *Legendae*[4]. « Et quibus non poterat manum, porrigebat affectum », ut VIII pars *Legendae*[5] dicit.

Nonum est, ut puritatem mentis teneat, quia *beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*[6]. Beatus Franciscus, ut dicit V pars *Legendae*[7], licet mentis et corporis puritatem mirabilem esset adeptus, lacrimis non cessabat oculos iugiter expiare mentales, unde hac causa, videlicet ob lacrimas, factus est quasi caecus.

Decimum est, ut Christi passionem iugiter meditetur, quia passio Christi est ostium, per quod ad videndum Deum intratur. Beatus Franciscus non solum passionem Domini, ut dicetur conformitate III libri III, iugiter meditatus est, cum Christus Iesus crucifixus *intra* mentis suae *ubera* iugiter *moraretur*, ut dicit IX pars *Legendae*[8], sed et fratribus « iugiter de Christi cruce faciebat sermonem », ut dicit IV pars *Legendae*[9]. Unde ipsi verbo et exemplo patris inducti, passionem Domini die ac nocte continuatis aspectibus revolvebant.

Undecimum est, ut de beneficiis omnibus recordetur, ut mens tepida hac recordatione incalescat ad divinum amorem. Beatus Franciscus ad auditum amoris Domini excitabatur, alliciebatur, inflammabatur, et quasi quidam carbo ignitus divini amoris flamma videbatur absorptus.

Duodecimum est, ut in cognitionem Domini per creaturas assurgat. Beatus Franciscus, ut dicit IX pars *Legendae*[10], « inauditae devotionis affectu, fontalem illam bonitatem in creaturis singulis tamquam in rivulis degustabat » et per ipsarum contuitum « in vivificam consurgebat rationem et causam ».

Tertium decimum est, ut singulari affectu et devotione feratur ad sanctos, quorum inspectione et suffragiis in praesenti perveniat ad optata. Beatus Franciscus ad Christum, beatam Mariam, Michaelem archangelum, apostolos Christi Petrum et Paulum et ad sanctos speciali devotione ferebatur, ut dicit IX pars *Legendae*[11], ex recordatione sanctorum omnium tamquam lapidum ignitorum in deificum recalescebat incendium.

Quartum decimum, ut per amoris incendium, ut fecit beatus Franciscus, ut dicit IX pars *Legendae*[12], quaerat in Dominum Iesum Christum totaliter transformari. Haec praedicta praeparativa sunt ad huius ascensum contemplativum. Et quia omnia fuerunt in sanctis apostolis Petro, Iacobo et Ioanne, Christus *transfiguratus est ante eos* et se gloriosum accidentali gloria corporis demonstravit. In beato Francisco, ut

(*a*) As, Edd. om. *et affectu — amorem.* — (*b*) As, Edd. om. *II pars — ut dicit (VII p.)*

[1] C. 9 n. 2. — [2] C. 2 n. 6. — [3] *Specul. Perf.* ed. Lemmens c. 12; ed. Sabatier c. 44. *Actus* c. 28; cf. I Cel. c. 7 n. 17. — [4] C. 7 n. 4. — [5] C. 8 n. 5. — [6] Matth. 5, 8. — [7] C. 5 n. 8. — [8] C. 9 n. 2. Cf. Cant. Cant. 1, 12. — [9] C. 4 n. 3. — [10] C. 9 n. 1. — [11] L. c n. 3. — [12] N. 2 sq.

probatum est, etiam haec fuerunt. Ideo ad iam dictos contemplativos excessus deductus est, ut ipsum Regem gloriae pluries videret et sanctos, ut dictum est.

Iam dicta dispositiva ad praefatos triplices contemplationis ascensus, quam sint necessaria, patere potest ex seipsis et iam dictis in prima parte huius conformitatis, et ex sacra Scriptura, quae ponit de Abraham, Gen. 18, 2, quando vidit tres viros et unum adoravit; de Iacob quando vidit Dominum facie ad faciem et scalam, Gen. 28, 12 et 32, 30; de Moyse, quando in monte Sinai ascendit, Exod. 20, 1 sqq. et 33, 1 sqq., et quando vidit Deum, Num. 12, 8; de Elia, quando ascendit montem Dei Horeb, 3 Reg. 19, 9 sqq. et vidit Domini posteriora; et de Isaia, qui vidit Dominum, Is. 6, 1 sqq. et de Ezechiele, qui vidit visionem Dei, cap. 1, 1 sqq.; et de Stephano, qui vidit gloriam Dei, Act. 7, 55; et de Paulo rapto ad tertium caelum, II Cor. 12, 2; et sic de aliis. Patent etiam ex dictis sanctorum doctorum: Ioannis Cassiani in *Collationibus Patrum* [1], Hugonis, *de Archa Noe* [2], Richardi de Sancto Victore *de arca mystica* [3] et in *Beniamin* [4], et sic de aliis. Videantur ergo praefata opuscula, et apparebunt iam dicta necessaria ad dictorum trium graduum contemplationis ascensum.

Sic ergo, divina gratia patet declarata secunda pars huius conformitatis, et quomodo habeat intelligi: *Franciscus sublevatur.*

QUARTUS FRUCTUS ET CONFORMITAS, ET IN ORDINE DECIMA SEXTA:
Iesus Inops et Modicus. — Franciscus Foederatur.

Expositio primae partis, videlicet: **Iesus inops et modicus.**

Sanctae paupertatis formae, status et modi amplexum multa persuadent (*a*) utpote, primo eius utilitas fructuosa, valet enim ad multa:

1. Primo ad profundissimam humilitatem. Materiam enim resecat omnis superbiae fastus (*b*) et ambitionis, et deponit, scilicet divitias, pomparum omnium, teste experientia, adiumenta. — Secundo ad rigidissimam sobrietatem, castitatem et puritatem. Inopia enim tam vestimentorum quam ciborum, quam paupertas includit, castitatem inducit, ut dicit Isaac suo libello *de Contemplatione* [5]. Pecunia enim et rerum copia, teste Scriptura [6], castitas periclitatur. — Tertio ad legalissimam veritatem. *Avaro*, teste Ecclesiastico [7], *nihil est scelestius*, nec immerito, omnia enim mala pecunia operatur. — Quarto ad perfectissimam liberalitatem et pietatem. Pauper enim voluntarius, quia nihil retinere curat, libenter dat et consequenter pius agnoscitur, quia si non potest censum exhibere, dat saltem affectum. — Quinto ad pacificam conversationem. Discordia enim divitiis generatur et rerum opulentia, ut patet de pastoribus Abrahae et Loth, Gen. 13, 7 sqq. Sed paupertate oppositum. Si enim duo verba auferantur e mundo, scilicet meum et tuum, pacifice vivitur, ait Seneca. — Sexto ad tranquillissimam mansuetudinem et mititatem. Ut enim ait beatus Gregorius: Bonis mentibus paupertas custos est humilitatis [8], et consequenter tollit ambitionis, praesumptionis et vanae gloriae totam materiam. — Septimo ad constantissimam fortitudinem, impaviditatem

(*a*) Al, As *cum multa persuadeant* — (*b*) Al As *faustus.*

[1] *Collat.* XI. c. 7 sqq. (P. L. 49, 853 sq.). — [2] *De archa Noe morali,* l. VII, c. 4. (P. L. 176, 637). — [3] P. L. 196, 63. — [4] P. L. 196, 1 sqq. — [5] Cf. III Reg. 4 sqq., 11, 4 sqq. Iac. 5, 1, 5 sq. — [6] Cf. Cassianus, *Collat.* X, (P. L. 49, 833 sqq.) — [7] C. 10, 9. — [8] *Dialog.* l. I. c. IX.

et magnanimitatem. Parvipendentia enim rerum et inopia facit, teste Boethio, coram latrone cantare nudum [1]. Nudum latro transmittit (*c*), et in obsessa via pauperi pax est, ait Seneca [2]. — Octavo ad solidissimam fidei firmam credúlitatem. Homo pauper verus et voluntarius (*d*) cum spem a mundo removeat, et tunc quod Deus ipsum alat ac subveniat in omnibus, tenet incunctanter, cum ipsius amore possessis abrenuntiaverit. — Nono ad confidentiam certam et animi securitatem. Eis enim regnum caelorum promittitur, Matth. 5, 3; *Et vitam aeternam possidebunt,* Matth. 19, 29. — Decimo ad ardentissimam charitatem, quia *amicus huius mundi inimicus efficitur Dei,* Iac. 4, 4. Charitatis venenum est spes adipiscendorum aut retinendorum temporalium, ut dicit Augustinus *LXXXIII Quaest.* quaest. 36. — Undecimo ad tenacissimam omnis religionis conservationem et puritatem. Facit enim obedientem et castum et sobrium. — Duodecimo ad salutem animarum procurandam. In cuius signum magister noster Christus hanc mandat praedicatoribus verbi Dei, Matth. 10, 9 et Luc. 9, 2 sqq. — Tertiodecimo ad superandam tentationis immanitatem. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationes,* II Tim. 6, 9, etc. Ergo per oppositum. — Quartodecimo ad contemplationis sublimitatem. Ex quo enim cor removetur a terrenis, ad superna disponitur et elevatur. Moyses etiam calceamenta deponendo ad sublimia Sinai ascendit [3] ac apostoli, cunctis prius relictis, in montem ascendunt, Matth. 5, 1 et 17, 1. Plures aliae sunt paupertatis utilitates, sed dictae pro praesenti ad eius commendationem faciunt.

Secundo amplexum paupertatis inducit eius efficacia et salubritas virtuosa. Efficacia enim eius ostenditur, quia sui possessorem facit: — Primo mundum. Qui enim temporalia non diligit, immaculatum se ab hoc saeculo custodit, ut dicit Glossa super illud Iac. 1, 27: *Religio munda* etc. [4]. — Secundo Deo propinquum. Pastores pauperes de prope, sed Magi reges de longinquo ad Deum accedunt, Matth. 2, 1 sqq.; Luc. 2, 8 sqq. — Tertio expeditum. Qui mihi pondus divitiarum abstulit, me ad currendum citius expedivit, ait Gregorius. — Quarto laetum. Laeta enim res paupertas est; si laeta non est, paupertas non est, ut dicit Seneca [5]. — Quintum quietum. Quid enim in hac vita laboriosius, quam terrenis desideriis aestuare? Quid quietius, quam nihil huius saeculi appetere? ait Gregorius [6]. — Sexto securum. Magna est securitas cordis nihil habere concupiscentiae saecularis, ut dicit Gregorius; et Seneca, ut dictum est, inquit: In obsessa etiam via pauperi pax est [7]. — Septimo liberum, quia a peccato liberat ambitionis divitiarum, qua homo servus peccati efficitur, ut clamat Scriptura [8]. — Octavo Deo acceptum. Pauperes per Nabuchodonosor in terra dimittuntur, divitibus exinde ablatis, Ierem. 52, 15 sq. — Nono purum et nitidum, quia caminus purgans est paupertas. Et concludi potest, quod efficacia paupertatis in hoc ostenditur, quia reddit hominem cunctis virtutibus adornatum et decoratum. Vallis enim avaritiae multos puteos bituminis habet [9], idest peccatorum, sed paupertas nullum, ac ad caelum dirigit; patet in Lazaro mendico ad sinum Abrahae ab angelis portato et in divite sepulto in inferno, Luc. 16, 19 sqq.

Tertio inducunt ad paupertatis amplexum Scripturae eloquia. Sacra Scriptura dicit Deum de pauperibus curam habere: *Tibi derelictus est pauper* etc., Psl. 9, 35. Ipsos respicere: *Oculi eius in pauperem respiciunt,* Psl. 10, 5. Orationem exaudit: *Pauper clamavit et Dominus exaudivit eum* etc. Psl. 33, 7. *Deprecatio pauperis ex ore usque ad aures* Altissimi *perveniet,* Eccli. 21. 6. Consolationem dat: *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus* etc., Psl. 67, 11. Liberat eum: *Liberabit pauperem a potente* etc. Psl. 71, 12 et: *Astitit a dextris pauperis, ut salvum faceret* etc. Psl. 108, 31. Non vult ipsum despici: *Qui despicit pauperem, exprobrat*

(*a*) Edd. om. *nudum latro transmittit.* — (*b*) Al om. *voluntarius — Qui vult (Deum amare.)* p. 92 lin. 29.

[1] *De Consol. Phil.* l. II. pr. V. (P. L. 63, 696). — [2] *Epist.* XIV. — [3] Exod. 3, 5. — [4] Gloss. Interl. in h. l. ap. Lyranum. — [5] *Epist.* II. — [6] *Moral.* l. XXII. c. 16. (P. L. 76, 233). — [7] Supra not. 2. — [8] Ioan. 8, 34. — [9] Cf. Gen. 14, 10.

factori suo, Prov. 17, 5. Vult sibi subveniri: *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit et non exaudietur,* Prov. 21, 13. Non vult laedi: *Non facias violentiam pauperi, nec conteras egenum in porta, quia Dominus iudicabit causam eius et configet eos, qui fixerunt animam eius,* Prov. 22, 22 sq. Roborat: *Fortitudo pauperis factus est Dominus,* Is. 25, 4. Respicitur: *Ad quem respiciam, nisi ad pauperem* etc. Is. 66, 2. *Et pauperum suorum Dominus miserebit,* Is. 49, 19. Eis dat regnum caelorum: *Ipsorum est regnum caelorum,* Matth. 5, 3. Erudiuntur ab ipso: *Pauperes evangelizantur,* Matth. 11, 5. Et multa alia ponit Scriptura Deum circa pauperes exercere, quae omnia statum commendant paupertatis et consequenter eius amplexum suadent.

Quarto suadet paupertatis amplexum doctorum facunda locutio. Paupertas non est contemnenda, quia Christus eam dedicavit, XII q. 2, cap. « Gloria [1] ». Paupertatem Deum voluit esse, ut sustinentes per patientiam coronarentur, et divites in ipsis mererentur, dist. XLVII [2]. Dicitur: Onustus pondere auri Christum sequi non potest, XII q. 1, « Expedit [3] » et XII q. 2 [4]. Socrates: Paupertas rerum non est mala reputanda. Nec in numero malorum computanda, XV q. 1 « Illa [5] ».

2. Doctores vero commendare paupertatem volentes, aliqui de directo, nonnulli vero exprobrando divitias et defectus earum pandentes, quam bona esset paupertas per locum ab oppositis declaraverunt. Et quia contraria iuxta se posita maxime elucescunt, videndum est, quid de divitiarum malis ipsi sunt locuti. Et demum ad paupertatis per ipsos commendationem erit facilior accessus. — Divitiae a doctoribus ostenduntur pravae:

Primo quia non sunt nostrae. Cassianus in *Collatione abbatis* [6] inquit: « Has visibiles divitias mundi relinquentes, non nostras, sed alienas abiicimus facultates, quamvis eas gloriemur, vel nostro labore quaesitas, vel parentum hereditate ad nos transmissas. Nihil enim nostrum est, nisi hoc tantum, quod corde possessum atque animae nostrae cohaerens, a nemine prorsus potest auferri ». Boethius II *de Consolatione* [7]: « Numquam tua faciet esse fortuna, quae a te natura rerum fecit aliena ». Tullius in *Paradoxis* [8]: « Nihil meum, vel cuiusquam alterius est, quod auferri vel amitti potest ». Valerius vero dicit [9]: « Caduca nimium et fragilia puerilibus consentanea crepundiis sunt ista, quae videntur (*a*) et opes humanae vocantur: affluunt enim, subitoque dilabuntur; nullo in loco, nulla in persona stabilibus innixa radicibus, sed incertissimo statu fortunae huc acta et illuc, quos in sublime extulerunt, improviso recessu destitutos, in profundo cladium miserabiliter immergunt ».

Secundo quia temporaliter plura mala divitiae inferunt. Dant enim laborem in acquirendo. Horatius [10]:

Impiger extremos mercator currit ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes etc.

Dant sollicitudinem in procurando. Augustinus *De verbis Domini* [11]: « Quae est ista aviditas concupiscentiae, cum et ipsae beluae habeant modum? Tunc rapiunt, quando esuriunt, parcunt vero praedae, cum senserint satietatem. Insatiabilis est sola avaritia divitum, semper rapit et numquam satiatur; nec hominem reveretur, nec patri parcit, nec matrem cognoscit, naturae fratri non obtemperat, nec amico fidem servat, viduam opprimit, pupillum invadit, liberos in servitutem revocat, testimonium falsum fert, res occupantur mortui, quasi et qui faciunt non moriantur. Quae est ista animarum insania amittere vitam, appetere mortem, acquirere aurum et perdere caelum ». Secundus (*b*), philosophus, interrogatus, quid

(*a*) As *vides.* — (*b*) As *Unus.*

[1] C. 4. q. II. c. 71. — [2] Dist. XLVII. c. 8. — [3] C. XII. q. 1. c. 13. — [4] C. XII. q. 2. c. 71. — [5] C. XV. q. 1. c. 6. — [6] Paphnutii; *Collat.* III. c. 10. (P. L. 49, 572). — [7] *Cons. Phil.* II. L. II. Pros. V. (P. L. 63, 691-2). — [8] *Parad.* VI. — [9] *Dictor. factor. memorabil.* l. VI, c. 9. — [10] *Epist.* I. v. 45 sq. — [11] *Sermo* 367, c. 1. (int. dub.) (P. L. 39, 1654).

sunt divitiae, respondit: «Auri pondus, curarum minister, [in]verecunda delectatio, insatiabilis invidia, desiderium inexplebile, os excelsum, invisa concupiscentia». Bernardus dicit [1]: «Divitiarum amor insatiabilis est, longe amplius torquet animam, quam refrigeret usu suo; quorum acquisitio quidem laboris, possessio timoris, amissio plena doloris invenitur». Dant timorem in custodiendo. Boethius II *de Consolatione* [2]: «O praeclara opum mortalium beatitudo, quam cum adeptus fueris, securus esse desistis». Iuvenalis [3]:

Pauca licet portes argenti vascula puri
Nocte iter ingressus, gladium, contumque (*a*) timebis,
Et motae ad lunam trepidabis arundinis umbram:
Cantabit vacuus coram latrone viator.

Beatus Gregorius in *Libro Moralium* exponens illud Iob: *Si expavi ad multitudinem nimiam* inquit [4]: «Magna est securitas cordis, nihil habere concupiscentiae saecularis. Nam, si ad terrena adipiscenda cor inhiat, securum tranquillumque esse nullatenus potest, quia aut non habita concupiscit, ut habeat, aut adepta metuit, ut non amittat. Et dum in adversis sperat prospera et in prosperis formidat adversa, huc illucque quasi quibusdam fluctibus volvitur, ac sic per modos varios rerum alternantium mutabilitate versatur. Si vero semel animus in appetitione supernae patriae forti stabilitate figitur, minus rerum temporalium perturbatione vexatur». Haec Gregorius. Dant dolorem in perdendo. Seneca *De tranquillitate animi* [5]: «Facilius est quibusdam non acquirere pecuniam, quam amittere. Ideoque laetiores videbis, quos nunquam fortuna respexit, quam quos deseruit». Isidorus III *De summo bono* [6]: «Qui bona mundi diligit, velit nolit, timoris et doloris poenae succumbit». Iuvenalis [7]:

Ploratur lacrimis amissa pecunia veris.

Tertio divitiae spiritualiter incommoda multa ingerunt. Versus:

Divitiis hi morbi vix curantur medicina:
Fastus, segnities, gula, gloria vana, rapina,
Otia, mollicies, fiducia falsa, cupido,
Iurandi species falsum, fraus atque libido.

Et sic esse patet dictis sacrae Scripturae et doctorum, quae ad praesens omitto. — In speciali tamen retrahunt a divinis. Chrysostomus: «Qui vult Deum amare, necesse est, ut divitias odiat; qui autem voluerit divitias amare, necesse est, ut Deum odiat». Replent, ut dictum est, omnibus malis et peccatis, ut dicit Apostolus I Tim. 6, 9 sq.: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli et in desideria multa et inutilia et nociva* (*b*), *quae mergunt homines in interitum et desperationem. Radix enim malorum est cupiditas.* — Privant homines regno caelorum. Matth. 19, 23: Difficile est divitem intrare in regnum caelorum etc. Gregorius [8]: «Valde rarum est, ut qui aurum possident ad requiem tendant». Multa alia mala sacra Scriptura et doctores de divitiis dicunt in ipsarum detestationem, sed sufficiant praedicta.

3. Et per oppositum ad praefata (*c*) paupertatem laudant et frugalitatem, dicentes ipsa, ultra iam dicta in principio huius, culpam patratam expiari. *Caminus* paupertas ab Isaia [9] vocatur, quia ipsa vitiorum sordes expurgantur; dicente beato Gregorio in *Homilia de Lazaro et Divite* [10]: «Mala, inquit, Lazari purgavit ignis inopiae, et bona Divitis remuneravit felicitas transeuntis vitae. Illum paupertas afflixit et tersit; istum abundantia remuneravit et repulit. Quicumque ergo in hoc saeculo bene habetis, cum vos bona egisse recolitis, valde

(*a*) Sic Iuv.; Edd. *cuntumque;* As *quemcumque.* — (*b*) As, Edd. *necessaria.* — (*c*) Edd. om. *ad praefata.*

[1] *Sermo de conversione ad clericos,* c. 8 (P. L. 182, 842). — [2] *Philos.* Pros. V. (P. L. 63, 696). — [3] *Satyr.* X. v. 19-22. — [4] L. XXII, c. 16 (P. L. 76, 233); Iob. 31, 34. — [5] L. c. c. VIII. — [6] *Sentent.* l. III, c. 59 (P. L. 83, 731). — [7] *Sat.* XIII, v. 134. — [8] *Moral.* l. IV. c. 3. (P. L. 75, 635). — [9] Isai. 48, 10. — [10] *Homil.* XL. 6 (P. L. 76, 1307).

de iis pertimescite, ne concessa vobis prosperitas eorumdem remuneratio sit bonorum. Et cum quoslibet pauperes nonnulla reprehensibilia perpetrare conspicitis, nolite despicere nolite desperare (*a*), quia fortasse, quod (*b*) superfluitas tumidissimae (*c*) pravitatis inquinat, caminus paupertatis purgat. De vobis omnino pertimescite, quia nonnulla etiam male acta prospera vita secuta est. De illis vero sollicite pensate, quia eorum vitam magistra paupertas excruciat, quousque ad rectitudinem perducat ». Subtrahitur ipsa occasio peccandi, quae ex divitiis oritur, dicente Chrysostomo *Super epistolam ad Hebraeos,* sermone secundo [1]: « Christianus, in pauperie constitutus, magis quam cum divitiis irradiat. Quomodo hoc? Quia excludit a se superbiae typum. Non erit arrogans, sed patiens, obtemperans et pudicus et mitis et sapiens. Qui vero in divitiis constitutus est, multa illum ad haec bona praepediunt. Inspiciamus ergo, quae sunt, quae dives operatur. Rapit aliena, aestuat cupiditate, nefandos non desinit perpetrare concubitus, maleficia cuncta committit. Nonne universa haec ex divitiis conspicis perpetrari et generari? Intueris, quomodo in pauperie magis quam in divitiis virtutes facilius possidemus. Nec mihi dicas, quia in hac vita divites nullam vindictam suscipiunt. Nam cum omnibus malis suis hoc etiam malum habent divitiae, quia malignitate peccantes ab ultionibus tuentur. Et qui divitias possidet, semper peccans, nulla poena revocatur, sed sine ullis remediis vulnera suscipit peccatorum et frenum illis nullum imponit ». Et *Sermone* XVIII [2] inquit: « Nemo causetur de paupertate, tanquam causa sit malorum multorum, neque obloquatur de Christo, qui perfectionem illam dixit: *Si vis perfectus esse* [3]; hoc enim ipse et verbis dixit et operibus ostendit et per discipulos suos docuit. Sectemur ergo paupertatem. Maximum quippe bonum est. Nihil enim opulentius eo, qui paupertatem sponte diligit et cum alacritate suscipit ». — Abscindit vitiorum radices. Chrysostomus *Sermone* eodem [4]: « Radix prima malorum est amor corporum, qui paupertate abscinditur. Secunda radix timor est male humilians, quem tollit paupertas. Dives servus est, obnoxius exsistens damnis et tribulationibus (*d*) omni volenti eum nocere. Pauper nihil habens, proscriptionem (*e*) non timet, neque condemnationem; valde enim fortis est pauper et non habet unde iniuriam patiatur ». — Habetur ipsa virtutis exercitium. Ambrosius Libro I *De officiis* [5]: « Non potest quis praemium accipere, *nisi legitime certaverit* [6]; neque gloriosa est victoria, ubi non fuerint laboriosa certamina. Ideoque Dominus in Evangelio ait [7]: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum,* non dicit: *Beati divites,* sed: *pauperes.* Inde enim incipit beatitudo divino iudicio, ubi aerumna existimatur humana ». Haec Ambrosius. Constat enim quod aerumna non est in paupertate, ratione contemptus rerum in mente, sed ratione penuriae temporalis, quam sustinemus in corpore. — Virtus probata ea custoditur. Hieronymus *Ad Paulinum* [8]: « Crates ille Thebanus, homo quondam ditissimus, cum ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abiecit; nec putavit se virtutes posse simul et divitias possidere. Denique et tu, audita sententia Salvatoris [9]: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, quae habes, et da pauperibus et veni sequere me,* verba vertis in opera et nudam crucem nudus sequeris et levior scandis scalam Iacob, purisque manibus et candido pectore, pauperem te spiritu et operibus gloriaris ». — Merces ea promeretur aeterna. Chrysostomus *Sermone* II *super epistolam ad Hebraeos* [10]: « Non habentes divitias, non propterea doleamus, sed gratiam magis Deo et Domino referamus, quia nos parvo labore eamdem mercedem poterimus quam divites promereri, et si voluerimus etiam ampliorem, nam ex parvis magna lucramur ». — Securitas ea, ut dictum est,

(*a*) Edd. om. *nolite desperare.* — (*b*) Ed. II. add. *alias quos.* — (*c*) As, Edd. *tenuissimae;* tunc Edd. *paupertatis.* — (*d*) As, Edd. *tribuens.* — (*e*) Codd. *praescriptionem.*

[1] *Homil.* II, 5 (P. G. 63, 20 sq.). — [2] *Serm.* XVIII. 3 (P. G. 63, 137). — [3] Matth. 19, 21. — [4] *Sermo* XVIII, 4. (P. G. l. c.). — [5] L. I. c. 16 (P. L. 16, 44). — [6] II Tim. 2, 5. — [7] Matth. 5, 3. — [8] *Epist.* LVIII (al. 13) n. 2 (P. L. 22, 580). — [9] Matth. 19, 21. — [10] *Homil.* II, 5 (P. G. 63, 27).

obtinetur in praesenti saeculo, dicente Chrysostomo *Homilia ultima super Matth.* [1]: « Divitem necesse est multis indigere et turpiter servire et formidare et suspicari et timere eorum, qui suspicantur oculos et calumniatorum ora et avarorum concupiscentias; sed non paupertas est aliquid tale, sed contrarium universum. Regina est, furibus non subiecta sed munita, portus tranquillus, palaestra et gymnasium philosophiae. Audite quicumque pauperes estis, magis autem et quicumque ditari concupiscitis. Non pauperem esse malum est, sed non velle pauperem esse, neque malum existima paupertatem, et non erit tibi malum.

Facit etiam securos et dat securitatem in futuro iudicio. Bernardus *Super Psalm.*: *Qui habitat* [2]: « Felix paupertas voluntarie reliquentium omnia (*a*) et sequentium te, Domine Iesu. Felix plane, quae tam securos, immo et tam gloriosos in illo singulari fragore elementorum (*b*), in illo tremendo examine meritorum, in illo tanto discrimine iudiciorum facit ». Culmen iudiciariae potestatis in futuro iudicio impendit, dicente beato Gregorio [3] super illud Iob: *Deridetur iusti simplicitas, lampas contempta apud cogitationes divitum parata ad tempus statutum;* Gregorius: « Statutum quidem contemptae lampadis tempus est extremi iudicii praedestinatus dies. Tunc oculis reproborum patescet, quod caelesti potestate subnixi sunt, qui terrena omnia reliquerunt. Quisquis enim divini amoris stimulo excitatus hic possessa reliquerit, illuc culmen iudiciariae potestatis proculdubio obtinebit; ut simul tunc iudex cum iudice veniat, qui nunc consideratione iudicii sese spontanea paupertate castigat ». Et Bernardus *Sermone* CLI [4]: « Duo, inquit, habet paupertas sequentium Dominum, afflictionem scilicet et vilitatem; de quibus propheta [5]: *Vide,* inquit, *humilitatem meam et laborem meum.* Et propterea in terra sua duplicia possidebunt, ut pro pudore sit honor iudiciariae potestatis, pro labore refrigerium placidissimae sessionis ». — Consolationem superinducit. Chrysostomus *Homilia* IV *super Matth.* [6]: « Descendamus, inquit ipse, ad paupertatis caminum; videamus, qui ambulant in eo et elatorum colla conculcant. Videamus miraculum et paradoxum (*c*), hominem in camino psallentem [7], hominem in igne gratias agentem, paupertati ultimae alligatum et multam ferentem Deo laudationem (*d*). Etenim pueris illis tribus similes sunt, qui paupertatem cum gratiarum actione ferunt. Nam et igne terribilius paupertas incendere consuevit. Sed pueros illos nequaquam incendit. Ita et nunc, si in paupertate gratias egeris, vincula dissolvuntur et flamma extinguitur, et si non exstincta fuerit, quod (*e*) multo mirabilius, pro flamma ros orietur. Quod in philosophantibus est videre, quoniam in paupertate divitibus copiosius disponuntur et in medio camino rore puro potiuntur. Etenim maximus est ros non detineri concupiscentia divitiarum. Et illi tunc regem contemnentes facti sunt rege clariores; et tu utique, si despexeris mundana negotia, omni mundo eris honorabilior, secundum sanctos illos, *quibus dignus non erat mundus* [8]. Ut igitur dignus caelis efficiaris, deride praesentia, ita enim et hinc eris clarior et futuris bonis potieris ». Haec Chrysostomus.

Facit prudentia decorari, dicente Gregorio, X *Moral.* [9]: « Prudentia iustorum est pro maledicentibus exorare, paupertatem quaerere, possessa relinquere, rapienti non resistere, percutienti maxillam alteram praebere ». — Iustitia insignit. Hieronymus ad Heliodorum [10]: « Perfectus Christi servus nihil habet praeter Christum, aut si habet aliquid praeter Christum, Christi servus non est ». Et idem Hieronymus: « Nemo melius erogat, quam qui sibi nihil reservat ». — Temperantiam exhibet, dicente Ambrosio *Super Lucam: Beati pauperes spiritu:* Habens temperantiam, quae est [optima virtutum] (*f*), a peccato abstinet sae-

(*a*) Al om. ***omnia et sequentium.*** — (*b*) Edd. ***electorum.*** — As ***paradisum.*** — (*d*) Edd. ***benedictionem.*** — (*e*) Edd. ***pro.*** — (*f*) As, Al om. ***optima virtutum.***

[1] *Homil.* LX (al. 61), 3. (P. G. 58, 791). — [2] *Sup. Ps.* 90. *Serm.* 8, 12 (P. L. 183, 216). — [3] *Moral.* l. X, c. 31 (P. L. 75, 950); Iob. 12, 4 sq. — [4] Cf. S. Bonav. *Opera omnia,* VIII, 300, nota 8. — [5] Ps. 9, 13. — [6] *Hom.* IV, 12. (P. G. 57, 53 sq.). — [7] Cf. Dan. 3, 51 sqq.; 3, 24 sq. — [8] Hebr. 11, 38. — [9] L. X, c. 29 (P. L. 75, 947). — [10] *Epist.* XIV (al. I) n. 6 (P. L. 22, 351).

culum calcat, illecebrosa non quaerit, fortitudinem subministrat. Patuit in apostolis, de quibus dicit Damascenus, *Libro* III [1]: « quod Evangelium divinae cognitionis praedicatum est, non bellis et carnis exercitibus adversarios devincens, sed pauci, nudi, pauperes et illitterati, verberati et mortificati Crucifixum carne mortuum praedicantes, sapientibus et insipientibus praevaluerunt ». — Mirabilem reddit. Chrysostomus, *Homil.* 46. *super Matth.* loquens de apostolis: « Non, inquit, signa fecerunt apostolos mirabiles (*a*). Multi enim daemones proiicientes, quia iniquitatem operati sunt, non sunt facti mirabiles, sed puniti ». Sed quid, inquam, est, quod eos magnos ostendit? Respondit: « Pecuniarum contemptus, gloriae despectus, ab omnibus vitae huius negotiis ereptio, quia si haec non habuissent et si decem milia mortuos suscitassent, non solum nulli profecissent, sed et seductores existimati essent ». — Humilitatem dat et conservat, ut dicit Gregorius, I *Dialog.* [2]: « Paupertas solet esse custos humilitatis ». — Sapientiae studio convenit. Dicit Seneca, *Epistola* XVII: « Multis ad philosophandum obstitere divitiae, paupertas autem expedita secura est: aut ergo pauper sis, aut pauperi similis, si animo vis vacare ». Hieronymus, *Epist.* LI: « Quamdiu versamur in rebus saeculi et anima nostra possessionum ac redituum procuratione devincta est, de Deo libere cogitare non possumus ». Augustinus, *Super psalm.*: « Omni philosophiae nobis magistra est inopia. Non ita laudamus Ioseph cum frumenta dividebat, sicut cum carcerem habitabat ». — Divitem hominem reddit, dicente Valerio, libro IV, cap. 10 [3]: « Omnia nimirum habet, qui nihil concupiscit; eo quidem certius, quo cuncta possidet. Dominium rerum collabi solet; bonae mentis usurpatio nullum tristioris fortunae recipit incursum. Itaque quorsum attinet, aut divitias in prima felicitatis parte, aut paupertatem in ultimo miseriarum ponere; cum et illarum frons hilaris multis intus amaritudinibus sit referta, et huius horridior aspectus solidis ac certis bonis abundet ». Chrysostomus (*b*), *Super epistolam ad Hebraeos* [4]: « Nihil opulentius eo, qui paupertatem sponte diligit et cum alacritate suscipit ». — Ad vitam aeternam perducit. Augustinus, *De verbis Apostoli,* sermone XXVIII [5]: « Non tibi displiceat paupertas tua, nihil ea ditius potes invenire. Vis discere quam locuplex sit? caelum emit. Quibus thesauris conferri potest, quod paupertati videmus indultum, ut ad regnum caelorum veniret »? Bernardus in *Sermone de omnibus sanctis* [6]: « Vis obtinere regnum caelorum? Paupertatis vilitatem amplectere et tuum erit; regnum caelorum pauperum est; beatus, qui post illa non abiit, quae possessa onerant, amata inquinant et amissa cruciant ». — Multa alia a doctoribus attribuuntur paupertati, ad ipsius commendationem, quae ad paupertatis amplexum debent inducere prudentes, etsi, ut dicit Hieronymus et Seneca [7], ob alia paupertas non esset diligenda, ob hoc tamen est amanda, quia a quo amaris ostendit et, ut dicit Chrysostomus [8], portus tranquillus est. Sufficiant praefata ad paupertatis amplexum.

4. Quintum inducens ad paupertatis amplexum est exemplorum multiplicitas. Paupertatem stricto et firmo vinculo dilexerunt sancti viri, videlicet Elias, ut docet liber Regum III, c. 17, 16 sqq. et principium IV, c. 5, 15 sqq. Elisaeus, ut habetur IV Reg. 5, 16 sqq. pecuniam oblatam a Naaman Syro sprevit, et in parvis casellulis circa fluenta Iordanis cum filiis habitavit prophetarum. Apostoli, relictis omnibus, secuti sunt Dominum, Matth. 19, 27. Sic et multi sanctorum omnia relinquentes, utpote beatus Laurentius, Martinus, Benedictus, Antonius abbas, Hilarion, Paulus primus eremita, Hieronymus, Macharii tam Aegyptius, quam Romanus, abbas Isaac; et sic de aliis sanctis, *quorum non est*

(*a*) Edd. *Non, inquit, facere signa fecit Ap. mirabiles.* — (*b*) Edd. om. *Chrysost.* — *suscipit.*

[1] *De fide orthod.* l. IV. (non III) c. 4. (P. G. 94, 1110). — [2] L. I. c. 9. (P. L. 77, 189). — [3] *Dictor. fact. memorab.* l. IV c. 4. — [4] *Homil.* II. 5 (P. G. 63, 21); cf. supra p. 93, n. 4. — [5] *Sermo* 99 (in append.; al. 26 *de verb. Ap.*) n. 4. (P. L. 39, 1936). — [6] *Sermo* I n. 8. (P. L. 183, 457). — [7] *Epist.* X. — [8] *Homil.* LX (al. LXI), 3 (P. G. 58, 791).

numerus[1], ut patet legenti *Vitas Patrum*[2] et *Passiones*[3] sanctorum; quia mundana contemnentes, paupertatem complexi sunt brachiis totius amoris, Christum Dominum in hoc praecipue imitantes, quorum gesta quoad hoc, quia patent intuentibus, non refero.

Sed solum sanctos dimittendo, transeo ad infideles et paganos, de quibus minus videtur, qui tamen hanc nobilem margaritam, videlicet paupertatem toto opere perstrinxere, sicut de pluribus recitat Valerius in suo libro[4], utpote de Xenocrate, quem Alexander Macedo corrumpere pecunia attentavit, sed non valuit, prout recitat Valerius libro IV, rubrica 3, cap. 24,[5]. De Diogene Cynico, cui cum offerentem ab Alexandro plurima, et si qua vellet, eidem praestare polliceretur (*a*), sprevit cuncta; et subdit Valerius, libro IV, rubrica 3, c. 25: « Alexander Diogenem gradu suo divitiis pellere tentat: celerius Darium armis ». De Bia qui, capta sua patria, nihil abinde asportare voluit. Et de causa interrogatus, respondit: quod illa sua bona non erant, sed (*b*): « Bona mea mecum porto ». Pectore enim illa gestabat, non oculis videnda, sed animo existimanda, ut dicit Valerius, libro VII, rubrica 2. c. 20. De Anaxagora, qui post longum tempus in studio exactum, cum reversus ad propria, possessiones desertas vidisset, inquit: « Non essem salvus, nisi istae periissent », Valerius libro VIII, rubrica 7. cap. 12. De Scipione Africano, dicit Valerius libro III, rubrica 7, c. 7, quod in concione habuit de se et fratre suo Scipione Asiatico dicere: « Cum totam Africam potestati vestrae subiecerim, nihil ex ea, quod diceretur meum, praeter cognomen retuli. Non ergo Punicae me, non fratrem meum Asiaticae gazae avarum reddiderunt, sed uterque nostrum invidia magis quam pecunia locupletior est ». De Valerio Publicola (*c*) dicit lib. IV, rubrica 4, c. 2, quod, cum post expulsionem potestatis regiae ab urbe fuisset primus consul et tres consulatus acceptissime peregisset, tantae fuit paupertatis, quod patrimonium ad impensas exsequiarum eius defecit, sed publica pecunia ductae sunt. De Menenio Agrippa, qui posuit pacem inter senatum et plebem, qui tantae fuit paupertatis et pecuniae inops, ut sepulturae honore caruisset, nisi publica pecunia succurrisset, ait Valerius libro IV, rubrica 4, cap. 4. De Cnaeo Scipione et Fabricio Luscino (*d*) idem Valerius libro IV, rubrica 4, c. 10 et 11[6] ponit, quod voluntarie pauperes adeo fuerunt, ut hereditas ad maritandum filias non sufficeret, sed per senatum, dote data, nuptui traditae sunt. De Attilio ponit idem Valerius libro IV rubrica 3, c. 6[7], quod spargens semen in agro accersitus fuit ad regimen reipublicae; quo gloriose peracto ad opus agriculturae pauper rediit; et subdit Valerius: « Potest pauperes consolari Attilius, sed multo magis docere locupletes, quam sit necessaria solidae laudis cupidini (*e*) anxia divitiarum comparatio ». De Marco Curio ponit libro IV, rubrica 3, c. 3, quod oblata sibi a Samnitibus munera sprevit. Ipse enim fuit exactissima norma Romanae frugalitatis, et Samnitum divitias sprevit dicens praefatis: « Narrate Samnitibus Marcum Curium malle locupletibus imperare, quam ipsum fieri locupletem. Excogitatum munus refertote et mementote me, nec acie vinci, nec pecunia corrumpi posse ». Idemque, Pyrrho rege devicto, ex praeda nihil cepit, nec a senatu etiam sibi oblatum. De Fabricio loco praefato dicit Valerius, quod, redactis Samnitibus in servitutem, ab eis cuncta transmissa remisit. Et subdit, quod Fabricium locupletem faciebat non multa possidere, sed modica desiderare. De Cato Aelio (*f*) Tuberone, Fabricii discipulo, loco iam dicto ponit Valerius[8], quod dum esset consul, omnis usus vasa argentea magno pondere et arte exquisita gens Aetolorum per legatos misisset, cuncta sprevit et remisit. Idem ponit de Paulo[9], qui, Perse (*g*) Rege devicto, nihil accepit, sed aliis dedit. De victoria illa alii pecuniam,

(*a*) Al, As *posset*. — (*b*) Edd. *inquiens*. — (*c*) Al, As *Plebicola*. — (*d*) Al, As. *Genesio Scipione et Fabricio Lucinii Scipione*. — (*e*) As, Edd. *cupidi*. — (*f*) Al, As *Gatilio;* Edd. *Gatillo*. — (*g*) Edd. *Xerse*.

[1] Psl. 39, 13. — [2] Cf. *Vit. Patr.*, P. L. 73 et 74. — [3] Cf. *Passionale SS.* et Ioh. de Voragine, *Legenda aurea*, (ed. Graesse, Vratislaviae 1890). — [4] *Dictorum, factorumque memorabilium libri IX*. — [5] L. c. l. IV, c. 3. — [6] L. IV, c. 4. — [7] L. IV, c. 4 (Attilius Regulus). — [8] L. IV. c. 3 (Aelius Tubero, cognomine Catus). — [9] L. c.

ipse vero gloriam accepit. De Fabio Gurgite, Cn. Fabio (*a*) Pictore et Quinto Ogulnio (*b*) dicit Valerius ibidem [1], quod legati missi ad Ptolomaeum regem munera, eis transmissa ab ipso rege senatui detulerunt, nil nisi laudem bene administrati officii accipientes. De Calpurnio Pisone [2] idem dicit, quod liberata Sicilia, a fugitivis donis datis auxiliatoribus, nihil sibi, nec filio dedit, nec accepit. De Democrito dicit Valerius, lib. VIII, rubrica 7 [3], quod tot habuit divitias a patre, quod exercitui Xerxis epulum dare potuisset de facili; tamen (*c*) patrimonium patriae dedit suae, parva retenta summa, qua sustentaretur in studio litterarum. De Crate Thebano ponit beatus Hieronymus in *Epistola ad Paulinum* [4], qui (*d*) magnum auri pondus in mari proiecit; nec putavit se posse simul virtutes et divitias possidere. — De multis aliis sunt exempla, quomodo paupertatem prae cunctis amavere et amant, videlicet: De Bragmanis [5], qui de contemptu singulari (*e*) divitiarum laudantur. Nam dona ad Alexandro Macedone (*f*) missa, videlicet aurum, argentum, vestes, panes et oleum, praeter ultimum, de quo fecit Deo sacrificium, de praefatis nihil accepit didascalus eorum. De Gymnosophistis philosophis Indorum, qui adeo cuncta terrena despiciunt, ut nudi semper incedant in Indiae solitudinibus commorantes. — Praedictis igitur exemplis, aliisque pluribus, quae omitto causa brevitatis, patet quomodo Gentiles et Pagani frugalitatem, id est paupertatem dilexerunt. Et sic tam sancti quam philosophi et Gentiles perstringendam astruunt paupertatem.

Sextum inductivum ad paupertatis amplexum est Salvatoris Domini nostri Iesu Christi ad paupertatem amor et dilectio invitans (*g*). Nam, ut dicit Apostolus II Corinth. 8, 9: *Propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia divites essemus.* Quod enim Dominus Iesus fuerit pauper, patet Evangelia [6] intuenti. Volens enim incarnari, de pauperibus parentibus nasci voluit, utpote de paupere matre. Nam, ut dicit Beda [7] super illud Matth. [8]: *Qui mihi ministrat me sequatur.* « Consideremus, inquit, qua via graditur, ut sequi mereamur. Ecce, cum Dominus sit et creator angelorum, suscepturus naturam nostram, quam condidit, in uterum Virginis venit; nasci tamen in hoc mundo per divites noluit, parentes pauperes elegit ». Et Chrysostomus *Super Matth. Homilia* VIII [9]: « Pariens quidem Virgo filium, confestim illum in praesepio (*h*) declinavit, quia multis convenientibus propter descriptionem, non erat (*i*) domum invenire. Sed quid fuit, quod suasit Magos adorare? Nihil enim sensibilium magnum erat illic, sed praesepe et tugurium et mater pauper, ut nudam Magorum videas philosophiam ». Et in *Homilia Epiphaniae* [10], idem Chrysostomus de Magis loquens, sic dicit: « Viderunt pandochium tenebrosum et sordidum, magis animalibus quam hominibus aptum, in quo nemo erat contentus secedere, nisi itineris necessitate coactus, matremque vix tunicam habentem unam, non ad ornatum corporis, sed ad tegumentum nuditatis proficientem. Nascendo, non ut dives, sed ut pauper nasci complacuit, ut pauper in diversorio gignitur, non in sua, sed in aliena domo ». Natus vero, propter inopiam loci in praesepio brutorum animalium ponitur, ut dicit Anselmus *Libro de sacramentis* [11], pannis involvitur vilibus, foenum ei pro culcitra sternitur, bovi et asino associatur. A pastoribus et Magis pauper invenitur; non agnus sed par turturum, seu duo

(*a*) Al, As, Edd. *Numerio.* — (*b*) Item *Egolino.* — (*c*) Al, As om. *tamen.* — (*d*) Edd. *quod.* — (*e*) As *similiter;* Edd. *singulariter.* — (*f*) Edd. *rege Macedoniae.* — (*g*) As, Edd. *dilectio et intimitas.* om. *invitans.* — (*h*) As, Edd. om. *in praesepio.* — (*i*) Edd. *nequivit.*

[1] C. 3. — [2] L. c. l. IV c. 4. — [3] L. VIII c. 7. — [4] *Epist.* LVIII (al. 13) n. 2 (P. L. 22, 580) cf. supra pag. 93 n. 8. — [5] Cf. Q. Curtius Rufus, *De rebus Alex. M.* l. VIII, c. 9. Plinius, *Hist. nat.* l. VI, c. 21; *De moribus Brachmanorum*, olim int. opp. S. Ambrosii (P. L. 17, 1154 sq.) Bra(c)hmani iidem sunt ac Gymnosophistae. — [6] Matth. 1, 18 sqq. — [7] *In Marc. expos.* l. II (P. L. 92, 239). — [8] Ex Ioan. 12, 26. — [9] *Hom.* VIII, 1. (P. G. 57, 82 sq.). — [10] *Homil.* II in Matth. (Op. imperf) n. 2 (P. G. 56, 642). — [11] *De sacram. divers.* c. 3 (P. L. 158, 534). —

pulli columbarum in sacrificio, ut dicit Beda [1], pro eius redemptione a matre Domini dantur. In Aegypto cum summa paupertate per septennium, quo inibi permansit, a matre nutritur. Patri putativo, scilicet Ioseph, pauperi iungitur et ab ipso educatur. Duodecim annorum cum esset, per triduum, quo in Ierusalem permansit, stipem ut pauper ostiatim quaesivit, ut dicit devotus Bernardus [2]. Per annos triginta pauperrime vixit victitatus (*a*), ut dicit Bernardus [3], colo et acu suae matris. A paupere baptizari voluit, scilicet Ioanne Baptista, Matth. 4 [4]. Discipulos pauperes elegit, et omnibus dimissis, Matth. 4, 18 sqq. et 19, 21 sqq., cum esset verbo gloriosus et opere, *ubi caput suum* reclinaret non habuit, Matth. 9 [5]: Cum tamen vulpes foveas habeant. Glossa: « Quid me propter lucra saeculi vis sequi, cum ita sim pauper, ut nec hospitiolum, quod meum sit, habeam »? Et idem dicit Chrysostomus in *Sermone de proditione Iudae* [6], et Anselmus in libro *De Sacramentis* [7]: « Nec valet dicere, quod Christus non habuit hospitium proprium, sed commune; quia si sic, discipuli illud non ignorassent, nec passione appropinquante, discipuli eidem dixissent: *Ubi vis paremus tibi comedere Pascha* [8]? Ut pauper cibo alieno sustentatus est, ut dicit Hieronymus in *Epistola ad Nepotianum* [9], et habetur Luc. 9, 52, Matth. 27 et Marc. 15 [10]. Beatus Franciscus in *prima regula* dicit [11], quod beata Maria et Christus de eleemosynis vixerunt.

Praedicationem suam, postquam discipulos incepit habere, a perfectione paupertatis incepit, Matth. 5, 3, dicens: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum et regnum caelorum.* Apostolis paupertatem commendavit et habere voluit, quando Matth. 10, 9 et Luc. 9, 3 habere argentum et aurum et sic de aliis, eis interdixit, quod eis ostendit prius opere et per opera, ut dicit Chrysostomus [12]; et hoc, quando ait: « *Filius hominis non habet, ubi caput suum reclinet* ». Eum sequi volenti omnia dari pauperibus demandavit [13], Matth. 19, 21: *Vade et vende omnia quae habes et da pauperibus, et veni, sequere me.* Ad solvendum tributum, quod daret non habuit, Matth. 17, 23, 26. Et si dicatur: Nonne Iudas habebat loculos, Ioan. 12, 6 et 13, 29, quare et ad solvendum Christus habuit? respondet Augustinus *Super Psal.* CIII [14] et Hugo de Sancto Victore *Super Psal.*: *Bonum est confiteri Domino* [15], et decretalis domini Nicolai tertii, posita *De verbo. signif.* [16]. « Exiit » dicens sic: « Christum dicitur loculos interdum habuisse, nam sic ipse Christus, cuius perfecta sunt opera in suis actibus viam perfectionis exercuit quod interdum infirmorum imperfectionibus condescendens, et viam perfectionis extolleret et imperfectorum infirmas semitas non damnaret; sic infirmorum personam Christus suscepit in loculis, sic et in nonnullis aliis infirma humanae carnis assumens, prout evangelica testatur historia, non tantum carne, sed et mente condescendit infirmis. Si enim humanam naturam assumpsit, quod in suis operibus perfectus exsistens, in nostris factus humilis, in propriis permansit excelsus. Sic et summae charitatis dignatione ad actus quosdam nostrae imperfectioni conformes inducitur, quod a summa perfectionis rectitudine non curvatur. Egit namque Christus et docuit perfectionis opera, egit etiam et infirma, sicut in fuga interdum patet et loculis. Sed utrumque perfecit perfectus exsistens, ut perfectis et imperfectis se viam salutis ostenderet, qui utrosque salvare venerat, qui tandem mori voluit pro utrisque ». Haec decretalis. Idem dicunt Augustinus et Hugo locis praeallegatis, quod Chri-

(*a*) Edd. *nutritus.*

[1] Cf. p. 97 n. 7. — [2] Aelredi abb. *De Iesu duodenni* int. opp. S. Bernard. n. 6 (P. L. 184, 853); cf. A F IV, 127. *Meditationes vitae Christi,* c. XII (Inter opp. S. Bern.; et Bonaventurae ed. Paris 1869, XII, 525 sqq.). — [3] L. c. — [4] Potius Matth. 3, 11 sqq. — [5] Pot. Matth. 8, 20; Luc. 9, 58. — [6] *Hom.* I n. 4 (P. G. 49, 378). — [7] Ibidem, cf. p. 97 n. 11. — [8] Matth. 26, 17. — [9] *Epist.* 52 (al. 2) n. 11. (P. L. 22, 536). — [10] Potius Matth. 26, 18 et Marc. 14, 13 sqq. — [11] Cap. IX; *Opuscula S. P. Francisci,* p. 37. — [12] *Homil.* XXII *in Matth.* (al. XXIII) 4 (P. G. 57, 304). [13] Matth. 8, 20; Luc. 9, 58. — [14] *Enarr. in psalm.* 103. Serm. 3 n. 11 (P. L. 37, 1367). — [15] *Lib.* II *Miscell.* (P. L. 177, 626). — [16] Decr. VI lib. V tit. 12 c. 3.

stus in loculis infirmorum personam suscepit et imperfectorum. Christus, ut dicit Hugo: « In numero imperfectorum inveniri voluit, ne praesumerent non accipientes, et confunderentur accipientes, et existimaretur non esse christianus faciens, quod noluit facere Christus ». Sic ergo patet de loculis.

Paupertatem diligere ostendit in corporis amictu, duas tunicas non habendo sed unam, quia, quod vetuit apostolis, ipse in se non assumpsit. Prohibuit apostolos duas tunicas habere, Matth. 10, 10. Sic et in incessu, utpote in pedibus calceamenta (*a*), dicente Hieronymo *Ad Eustochium*[1]: « Discipuli sui sine calceamentorum onere et vinculis pellium ad praedicationem novi testamenti (*b*) destinantur; et milites, vestimentis Iesu sorte divisis, caligas non habebant, quas tollerent; nec enim poterat habere Dominus, quod prohibuerat in servis ». — Consortium pauperum amavit et dilexit. Parvus consortium habuit pauperum, scilicet Mariae matris et Ioseph. Duodennis, spreto doctorum et divitum consortio, inter pauperes mendicando stetit, et ad matrem pauperem et ad Ioseph accessit. Virilis aetatis factus, pauperes discipulos elegit et habuit. Pauperibus Evangelium inclamavit, sanitatum beneficia indulsit. Ad pauperem servum centurionis accedere voluit, diviti hoc denegato. Ut pauper nudus pependit in cruce; nec mortuus, unde involveretur ex se habuit. In alieno sepulcro ponitur et tumulatur. Quibus omnibus patet clare Dominum Iesum Christum, regem regum, paupertatem dilexisse, tenuisse et astringendam ex hoc a fidelibus docuisse. Sic ergo patet, quomodo Dominus Iesus Christus, ut dicit prima pars huius IV conformitatis, fuit *inops et modicus,* id est, mendicus. Sed causa, quare? (*c*). Certe, ut rerum ubertatem contemnendam ostenderet et paupertatem ceterarum virtutum dominam declararet, quae in ipso, imperatore omnium et eius matre, regina virtutum, sic effulsit. Voluit enim Dominus in se prius perficere opere, quod suis erat mandaturus discipulis sermone.

Quia igitur haec paupertas, sive sit virtus seu instrumentum, ut quidam dicunt, virtutum, est sic conditione notabilis, ut a virtuosis adstricta praecorditer, et a Domino Iesu sic dilecta sinceriter, eam libet sic alloqui: O felix paupertas, quam Christus rex sic dilexit et mater, ut semper cum ipsis incederes, assisteres et cum ipso in cruce penderes. Quis hanc (*d*) virtutem tam nobilem spernat? Quis, quaeso, paupertatem non diligat? imitetur vestigiis? labiis veneretur? extollat verbo? prosequatur actu pariter et affectu? Hanc siquidem Deus homo amplexu totius strinxit amoris, percepit (*e*) a principio, ascivit (*f*) e caelo, mortalibus intulit, lingua extulit et secum in cruce pependit. O paupertas dilectissima (*g*), te monstravit rex caelestis supernam fore atque sublimen, cum te sic de caelo mundo secum prae cunctis devexit, te stricta charitate adstringendam discipulis mandavit et suscipiendam in caelorum sedibus declaravit. Quid virtutis ipsa non habetur, largitur et tenetur, ut superiora pandunt? Haec est *terra viventium,* in qua Christus degunt et mater, ipsosque sequentes. Haec possessio veri Abrahae, Iesu Christi; hic est *hortus conclusus*[2] a diabolo, *fons signatus* a Christo, *cuius emissiones sunt paradisi fructus* et virtutum ornatus. Haec est civitas, quam diabolus non expugnat, quae in se residentes viriliter protegit et defendit; hoc est pignus, quo ipsam prosequentes heredes et reges regni caelorum fiunt a Christo. Et si rebus in praesenti non sarcinet, virtutibus tamen sublevat et decorat. Hanc debent christicolae excolere, stringere et habere Christi exemplo, suae matris et sanctorum; ut si infideles arripere sunt conati, a fortiori fideles, cum per ipsam diligantur a Christo, protegantur in hoc saeculo et tandem ducantur ad consortium beatorum. Sic ergo praedictis patet declarata prima pars huius IV conformitatis, videlicet: **Iesus inops et modicus.**

(*a*) Edd. add. *non habens.* — (*b*) As, Edd. *evangelii.* — (*c*) As *causam quaere;* Edd. *quae fuit causa.* — (*d*) As, Edd. *huius.* — (*e*) As *praecepit a princ. a sociis associavit e caelo mort. int.* — (*f*) Sic Edd., Al *exivit.* — (*g*) As, Edd. *dulcissima.*

[1] *Epist.* 22 n. 19 (P. L. 22, 406). — [2] *Cant. Cant.* 4, 12 sq.

Secunda pars quarti fructus et conformitatis secundi libri, et sextae decimae in ordine, videlicet:

Franciscus foederatur.

Expositio.

Inter caelestium insignia gratiarum, quibus almus pater noster Franciscus se alienum reddidit mundo, hosti terribilem, Crucifixo conformem et cunctis hominibus se praebuit exemplarem, paupertas vindicat principatum. Hanc siquidem ipse beatus Franciscus commendavit eloquio, ostendit vita, opere et exemplo, et hac voluit omnes in hac vita pro tunc exsistentes excedere et superare, ut inferiora hic dicenda clare docebunt. Et licet de hoc aliquid tactum fuerit libro I conformitate VI parte secunda, ubi ostensum est de mundi abdicatione facta a beato Francisco, superaddendo plura praefatis, ostendendum est hic beatum Franciscum dilectorem fuisse evangelicae paupertatis. Et quod sic exstiterit, plura declarant.

1. Et primum est pauperibus, dum esset in saeculo, liberalis erogatio. Ut enim *Legenda* pandit *trium Sociorum* [1], beatus Franciscus cum dono naturae curialis omnibus esset et largus, ad seipsum dixit: « Ex quo largus et curialis es apud homines, a quibus nihil recipis, nisi favorem transitorium et inanem, iustum est, ut propter Deum, qui largissimus est in retribuendo, pauperibus sis curialis ». Et ex tunc libenter videbat pauperes, tribuens eis eleemosynas affluenter. Semel cum distractus mercationibus et aliis pauperi eleemosynam petenti denegasset, seipsum arguit dicens: « Si pro magno comite vel barone iste a te aliquid postulasset, dedisses sibi postulatum. Quanto ergo magis pro rege regum et omnium Domino id facere debuisti »? Cuius rei causa exinde (*a*) proposuit in corde suo pro tanto Domino postulata non negare de cetero [2]. Unde currens post pauperem eleemosynam clementer largitus est. Pauperibus mendicantibus ex tunc non solum sua, sed etiam seipsum cupiebat impendere, aliquando vestimenta exuens, aliquando dissuens, aliquando scindens, cum ad dandum aliud non haberet prae manibus; habens enim pecuniam libenter dabat, carens vero denariis infulam vel corrigiam dabat et, se exuendo, camisiam, et aliquando propria largitus est vestimenta [3]. Cum enim vice quadam « quemdam militem generosum et nobilem obvium habuisset, sed pauperem et male vestitum, eius pauperiem pio miseratus affectu, decentia quae sibi de novo paraverat indumenta, se nudato, deponens (*b*), vestivit [4] ». Mensam replevit panibus; et cum a matre de hoc interrogaretur, respondit, ut eleemosynam pauperibus petentibus daret [5]. Leproso sibi obviam et eleemosynam petenti, cum pecuniam dedisset et osculum, eum amplius non vidit [6]. Pauperibus (*c*) sua libenter effundendo, statum paupertatis se diligere declaravit.

Secundum quod beatum Franciscum amasse paupertatem ostendit, est pauperibus coniunctio et consociatio. *Legenda trium sociorum* dicit, quod beatus Franciscus

(*a*) As, Edd. *extunc.* — (*b*) As, Edd. om. *deponens.* — (*c*) Edd. add. *ergo.*

[1] Cap. 1 n. 3. — [2] L. c. n. 3; cf. Bonav. *Leg. Mai.* c. 1 n. 1. — [3] *Leg. 3 soc.* c. 3 n. 8. *Leg. Mai.* c. 1 n. 6. — [4] *Leg. Mai.* c. 1 n. 2. — [5] *Leg. 3 soc.* c. 3 n. 9. — [6] *Leg. Mai.* c. 1 n. 5.

exsistens adhuc saecularis, incensus paupertatis amore, « cupiebat esse in aliqua civitate, ubi tamquam ignotus proprios pannos exueret et alicuius pauperis indumenta, mutuo accepta, indueret, probaretque Dei amore eleemosynam postulare [1] ». Quod et Romae (*a*) effecit. Cum enim semel ob devotionem limina Apostolorum visitasset et ante fores Ecclesiae sancti apostoli Petri multitudinem pauperum conspexisset, partim pietatis inductus dulcedine, partim paupertatis inductus amore et allectus, uni ex eis magis egenti proprias largitus est vestes, et semicinctiis contectus illius, in medio pauperum eleemosynam petendo diem illum cum insolita spiritus iucunditate transegit [2]. Se ergo eis, scilicet pauperibus coniungendo, libenter ostendit se amare paupertatem.

Tertium est omnium mundanorum despectio et abrenuntiatio. Coram enim episcopo Assisii, patri carnali abrenuntiavit iuri paternarum omnium facultatum, non solum vestimenta, sed et femoralia patri dando, nudus, ut vere pauperum amator et paupertatis, coram omnibus remanendo, et se mantello vilissimo oblato circumamiciendo et induendo, prout II pars ostendit *Legendae* [3], quo facto monstravit se potius paupertatem diligere, quam mundanas divitias.

Quartum est pauperibus conformatio. Dum enim beatus Franciscus mundo abrenuntiasset, statim ut pauper coepit eleemosynas ostiatim quaerere. Ingressus enim civitatem Assisii, cum paropside quaerendo cibaria ivit ostiatim. Et licet cum voluerit comedere cibaria, « primo horruerit tamquam inassuetus, tandem seipsum vincens comedit, et visum est sibi, quod nunquam aliquod electuarium cum tanta delectatione accepisset; unde gratias Deo egit, quod sibi amarum in dulce (*b*) converterit » [4]. Verecundabatur in principio ire quaerendo sic eleemosynam. Unde semel cum iret quaerendo oleum et prope quamdam domum venisset, ubi erant multi « homines ad ludum congregati, verecundatus retrocessit; sed (*c*) seipsum conversus arguit, se dicens peccasse, et currens ad locum praefatum dixit coram omnibus culpam suam, quod verecundatus fuerat coram eis petere eleemosynam [5] ». Et deinceps, ut magis verecundaretur, ad similes domos ibat, ubi maior erat frequentia hominum. Non solum autem id effecit semel vel bis, sed per duos annos ante ordinis institutionem. Mendicando enim ut pauper, et victum quaesivit ac tres ecclesias eleemosynis habitis aedificavit, et ideo dixit sibi ipsi: « Ex quo vitam pauperum eligere voluisti, sicut pauper cum paropside debes eleemosynam ostiatim acquirere [6] ».

Quintum ostensivum amoris beati Francisci ad paupertatem, est ipsius status electio prae aliis et acceptio. Cum multi status essent in mundo solum statum paupertatis eligere complacuit. Ut enim dicit III pars *Legendae*, audiendo, post duos annos a mundi abrenuntiatione, missam de apostolis, in qua eis forma vivendi a Christo praescribitur [7]: ne videlicet possiderent aurum nec argentum, nec aes in zonis deferrent, nec peram nec baculum, nec duas tunicas haberent, nec calceamenta; statim se praefatae regulae per omnia coaptando, illico calceamenta deposuit, abiecit baculum, pro corrigia funem sumpsit, pecuniam exsecratur; una contentus tunica, peram cum aere contempsit. Et non solum hoc in se eligere voluit, sed in fratribus

(*a*) As, Al add. *id.* — (*b*) Edd. *dulcedinem.* — (*c*) Al, As om. *sed.*

[1] *Leg. 3 soc.* c. 3 n. 10. — [2] L. c. n. 10; *Leg. Mai.* c. 1 n. 6. — [3] C. 2 n 4. — [4] *Leg. 3 soc.* c. 7 n. 22. — [5] L. c. c. 7 n. 24; cf. I. Cel. c. 9, n. 14. — [6] *Leg. 3 soc.* c. 7 n. 22. — [7] Matth. 10, 9 sqq.

sibi divina gratia cohaerentibus esse statuit. Unde frater Bernardus, primus frater, dum eidem haerere vellet, venditis omnibus et dispersis pauperibus, nihil pro se retinendo, ad eius consortium est admissus. Sic frater Petrus Cathanii, sic et frater Aegidius, distractis omnibus et datis pauperibus, ab ipso sunt ad ordinem recepti. Hoc ipsum observavit in omnibus aliis, prout eius clamat *Legenda* tam *antiqua* [1] quam *nova* [2].

2. Sextum quod ostendit eum paupertatem amasse, est paupertatis professio. Nullus reperitur in ordinum institutoribus (*a*), qui tam arcte fuerit paupertatem professus, sicut beatus Franciscus et sui ordinis fratres profitentur. Alii ordines profitentur paupertatem (*b*) vivendo sine proprio, communi retento; beatus Franciscus et regula ipsius, nec in proprio permittit habere nec in communi; quare arctissima, quoad paupertatis votum, est Regula fratrum Minorum, tam prima confirmata per dominum Innocentium III, quam secunda confirmata per papam Honorium III. Et ideo, quia tam arcte beatus Franciscus servare paupertatem a domino Innocentio petebat, dictus dominus Innocentius concedere distulit, donec visione conspecta de casu Lateranensis ecclesiae quam propriis humeris beatus Franciscus, ne caderet sustentabat, ac beati Francisci responsione, quod non erat formidandum fame perire aeterni regis filios et heredes; qui ad imaginem regis Christi, per Spiritus Sancti virtutem de paupere matre nati, et ipsi erant in religione paupercula generandi. De qua responsione habetur in III parte *Legendae maioris* [3]. Tunc ipse summus pontifex, dominus Innocentius, dixit beato Francisco: « Alii a latere tetigerunt paupertatem, tu vis intrare in cor eius »; et (*c*) regulam primam concessit, etsi (*d*) sine bulla. Quod vero [*secunda*] *Regula* (*e*) arctissimam servari mandet paupertatem, dictum est libro I conformitate IX, parte secunda [4]. Et ideo dicit *Regula*, capitulo VI: « Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sed tamquam peregrini et advenae in hoc saeculo in paupertate et humilitate Domino famulantes etc. Haec est illa celsitudo altissimae paupertatis, quae vos, carissimos fratres meos, heredes et reges regni caelorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit ». Sequitur: « Cui, dilectissimi fratres, totaliter inhaerentes nihil aliud pro nomine Domini nostri Iesu Christi in perpetuum sub caelo habere velitis. Haec sit portio vestra, quae perducit in terram viventium [5] ». Quod vero regula mandet paupertatem arctissimam et sic precipiat tam in communi quam in proprio nihil haberi, declarationes regulae ponunt expresse, scilicet Gregorii IX, Innocentii IV, Alexandri IV, Nicolai III, et Clementis V [6]. Sic ergo considerata professione paupertatis arctissimae, patet beatum Franciscum ipsam dilexisse.

Septimum ostendens affectum beati Francisci ad paupertatem, est paupertatis commendatio, de qua dictum est libro I conformitate XII parte secunda, capitulo XV: vide ibi [7]. Ipsam enim, ut dicit VII pars *Legendae* [8], commendabat, asserendo virtutum

(*a*) As, Edd. *institutionibus*. — (*b*) Edd. add. *in*. — (*c*) Al, As om. *et*. — (*d*) Edd. *et sine*. — (*e*) Codd. om. *secunda*; Ed I[a] *regula*.

[1] I Cel. c. 10 n. 23 sqq. Cf. *Actus*, c. 1 sqq. — [2] *Leg. mai.* c. 3 n. 3 sqq. — [3] L. c. c. 4 n. 9 sqq. cf. II Cel. I c. 11; AF IV, 371 sq. — [4] AF IV, 371 sq. 410 sq. — [5] *Opuscula S. P. Francisci*, p. 68 sq.; Cf. *Regula* I, c. 1, 7 et 8; l. c. p. 1, 33-8. — [6] Cf. AF IV, 379, 383. — [7] AF IV, 607 sq. — [8] *Mai.* c. 7 n. 1 sqq.

omnium reginam, quia in rege regum Christo et regina matre ipsius tam praestanter effulsit. Et fratribus quaerentibus, quae virtus magis amicum redderet Christo, dixit: « Paupertatem noveritis, fratres, specialem viam esse salutis, tamquam humilitatis fomentum perfectionisque radicem, cuius est fructus multiplex, sed occultus; haec est evangelici agri thesaurus, absconditus, pro quo emendo vendenda sunt omnia, et quae vendi non possunt, illius comparatione spernenda ». Et in responsione ad fratrem Massaeum dixit: « Charissime et dilectissime mi frater, thesaurus beatificae paupertatis est tam dignissimus et tam divinus, quod nos digni non sumus in vasis nostris tam vilissimis eum possidere; cum haec sit illa virtus caelestis, per quam terrena et transitoria cuncta calcantur, propter quam omnes obices tolluntur e medio, ut libere Domino aeterno mens humana iungatur. Haec est, quae adhuc animam in terris positam, facit cum angelis in caelis conversari. Haec est, quae Christum in cruce sociat, cum Christo in tumulo absconditur et cum Christo resurgit et ascendit in caelum, quia dotem agilitatis super caelos volandi animabus ipsam amantibus etiam in hac vita concedit, cum verae humilitatis et charitatis arma custodiat[1] ». Multis aliquando in locis *Legendae* ipsius beati Francisci invenitur ipsam paupertatem verbo specialiter commendasse; ad cuius amplexum fratres animabat, paupertatem Christi et matris ipsorum mentalibus oculis saepissime ingerendo. In *Legenda antiqua* in die nativitatis Christi ipsos fratres reprehendit ut deviantes a paupertate, quia unius ministri adventu prae solito mensam paraverant, ingerens, quod die tali beata Virgo, domina mundi, vix habuit panem ad comedendum, et Dominus mundi ut pauper fuit in praesepio reclinatus[2].

Octavum ostensivum dilectionis beati Francisci ad paupertatem, est ipsius beati Francisci ad Deum pro eius obtentu indesinens (*a*) deprecatio. Hanc petebat sibi dari a Christo et sanctis apostolis[3]; secundum hanc vivere et fideliter paupertati usque in finem cohaerere firmiter toto desiderio flagrabat. Et ut hanc a Domino gratiam obtineret, Romam perrexit cum fratre Massaeo, ut dictum est libro I conformitate VIII parte secunda, tractatu de fratre Massaeo[4]; et dum pro hac gratia obtinenda Christum et apostolos exoraret in ecclesia Sancti Petri, beati apostoli Petrus et Paulus apparentes beato Francisco, ipsum amplexantes eidem dixerunt: « Frater Francisce, quia hoc tu petis et desideras, quod ipse Christus et sancti apostoli hic servaverunt; ideo notificamus tibi ex parte Domini nostri Iesu Christi, quod tuum desiderium est adimpletum et ipse Dominus Iesus Christus nos misit ad te, ut annuntiemus tibi, quod oratio tua est exaudita et thesaurus sanctissimae paupertatis tibi et te sequentibus perfectissime est concessus. Et tibi ex parte Christi dicimus, quod quicumque hoc tuum desiderium exsequentur, de regno beatitudinis sunt securi. Et tu et omnes tui sequaces erunt a Domino benedicti ». Et his dictis, Apostoli disparuerunt, beatum Franciscum valde consolatum relinquentes.

Nonum ostendens beatum Franciscum paupertatem amasse, est vestimentorum vilium induitio. « A principio ordinis usque ad finem tunica, chorda et femoralibus dives[5] », in sola gloriabatur penuria et egestate gaudebat: unde sola tunica habituali, nullam aliam inferius deferendo, fuit contentus. Et haec erat, ut dicit V pars *Le-*

(*a*) As, Edd. *indeficiens*.

[1] *Actus* c. 13 n. 21-4: AF IV, 608. — [2] *Specul. Perf.* ed. Sabatier, c. 20. Cf. II Cel. II, 31 (al. III, 7) n. 61. — [3] *Specul. Perf.* Sabatier, c. 20. — [4] A F IV, 196. — [5] *Leg. Mai.* c. 7 n. 1.

gendae [1], rugosa, aspera et hispida; « vestis enim horrebat molliciem, asperitatem amabat », dicens: duris et asperis daemones in fugam converti, delicatis autem et mollibus ad tentandum fortius animari [2]. — Sed habitus eius qualis fuerit, dicit *Legenda antiqua* [3]. Ipse enim, a Christo edoctus, voluit habitum suum exteriorem cruci conformem ad litteram esse. Unde mensuram habitus, quoad longitudinem et latitudinem et qualitatem, quoad vilitatem et colorem, docuit verbo et exemplo, testibus fratribus Bernardo, Aegidio et Massaeo et aliis sociis suis, qui se ab eo formam habitus accepisse dicebant et opere attestabantur. Quoad materiam docuit, quod esset de panno vili et coloris cinerei, vel palidi, vel terrei, corporis Christi mortificationem repraesentantis (*a*), et talis grossitiei, quod corpus foveret et posset fratri sano una tunica sufficere, intus et foris repeciata [4]; tantae longitudinis, quod succincta, absque omni colligatione, supra cingulum, terram non tangeret; longitudo manicarum usque ad extremitatem digitorum, ita quod manus operirent et longitudinem manuum non excederent; latitudo manicarum esset tanta, quod manus libere intrare et exire possent. Caputium quadrum et tantae longitudinis, quod habitus crucis formam praesentaret et omnis humanae gloriae et ornatus contemptum sua vilitate praedicaret et fratrem Minorem mundo crucifixum et mortuum ostenderet; et esset nuditatis operimentum et necessitatis, amatorum paupertatis fomentum et professorum humilitatis signum et portationis (*b*) improperii crucis Christi verum indicium. Et de isto dicit *regula*, quod « habeant unam tunicam sine caputio [5] », quia ad instar tunicae esse debebat strictus et longus. Haec in *Legenda antiqua*. Et quia igne calescebat intus divino, non curabat de exteriori corporis indumento. « Interrogatus aliquando, quomodo vestitu tam tenui se posset ab hiemali algoris asperitate tueri, in spiritus fervore respondit: « Si supernae patriae flamma per desiderium (*c*) contingeremur (*d*) interius, frigus istud exterius facile portaremus [6] ». — « Exsecrabatur beatus Franciscus vestitos triplicibus et qui praeter necessitatem mollibus vestiebantur in ordine. Necessitatem vero, quam non ratio postulat, sed voluptas ostentat, signum extincti spiritus asserebat dicens: « Spiritu tepido et paulatim a gratia frigescente, necesse est carnem et sanguinem, quae sua sunt, quaerere »; et dicebat: « Quid enim restat, quando anima caret spiritualibus deliciis, nisi ut caro convertatur ad suas? Et tunc animalis appetitus articulum necessitatis palliat. Tunc sensus carnis conscientiam format. Si adest fratri meo vera necessitas et statim satisfacere properat, quid mercedis accipiet? Accidit enim occasio meriti, sed displicuisse sibi studiose probavit; ipsas namque indigentias non patienter ferre, nihil aliud est nisi Aegyptum repetere ». Denique nulla occasione volebat fratres habere plures quam duas tunicas, quas tamen concedebat consutis peciis suffultari (*e*). Exquisitos pannos horrendos esse dicebat et acerrime mordebat oppositum facientes. Atque ut tales exemplo suo confunderet, semper super (*f*) tunicam suam saccum asperum consuebat, unde etiam

(*a*) Edd. *repraesentans*. — (*b*) Al *importationis*. — (*c*) Sic Al et Bonav. l. c.; As Edd. om. *per desiderium*. — (*d*) Sic Al et Bonav. l. c.; As *tegeremur*; Edd. *contegeremur*. — (*e*) As, Edd. *suffulciri*. — (*f*) Edd. *ad*.

[1] *Mai.* c. 5 n. 2. — [2] *Specul. Perf.* ed. Sabatier, c. 15; Conform. VI, p. II, AF IV, 146 sqq. ubi pluries ad istam Conform. XVI remittitur; ibid. 396. — [3] *Leggenda antica*, ed. Minocchi c. 27; Angelus Clarenus, *Chron. VII tribul.* ed. Ehrle ap. *Archiv f. Litt. u. Kircheng.* (ALKG) II, (Berlin 1886), 153; cf. I Cel. c. 9 n. 22. — [4] Repeciare, repeziare i. e. panno resarcire. — [5] Cap. II « Habeant unam tunicam cum caputio et aliam sine caputio ». — [6] *Leg. Mai.* c. 5 n. 2.

in morte exsequialem tunicam iussit sacco operiri. Fratribus autem, quos urgebat infirmitas vel alia necessitas, indulgebat aliam tunicam mollem subtus ad carnem; ita tamen, quod foris in habitu asperitas et vilitas servaretur. Dicebat enim cum dolore maximo: « Adhuc tantum laxabitur rigor et dominabitur tepor, quod filii pauperis patris non verebuntur portare etiam scarlaticos (*a*) pannos, solo colore mutato [1] ». Et dato quod portaret sic simpliciter unam tunicam, scilicet habitum solum, ipsam tamen ad intra nolebat habere repeciatam. — Unde in eremitorio sancti Eleutherii de contrata Reate, propter magnum frigus cum repeciasset interius tunicam suam et socii quibusdam peciis et corpus eius caepisset aliquantulum consolari, reversus ab oratione, amovit dictas pecias dicens: se esse exemplum et formam omnium fratrum, etsi corpori suo esset necessarium sic tunicam repeciatam habere; quia non quilibet frater posset sic habere, habere etiam pro se nolebat [2]. — Sic ergo rigidus et pauperrimus tam re, quam apparentia, in frigore et nuditate in tunica habituali, quam ferebat Domino deservivit. Propter quam habitus vilitatem frater Petrus de Monticello (*b*), apparentibus sibi beata Virgine, beato Ioanne Evangelista et beato Francisco, vidit beatum Franciscum gloriosius indutum Ioanne Evangelista. Et cum interrogasset frater Petrus beatum Ioannem de causa, respondit (*c*), quia beatus Franciscus in mundo eo vilius fuit indutus, gloriosius eo nunc induebatur in caelo [3].

Decimum declarans beatum Franciscum dilexisse paupertatem est, domorum et locorum paupercula aedificatio et constructio. « Cum enim beatus Franciscus saepe fratribus sermonem faceret de paupertate, éis ingerebat illud evangelicum [4]: *Vulpes foveas habent et volucres caeli nidos; filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet.* Propter quod docebat fratres, ut pauperum more pauperculas casas erigerent, quas non inhabitarent ut proprias, sed sicut peregrini et advenae alienas [5] ». Unde beato Francisco « Senis propter infirmitatem oculorum demorante, domino Bonaventura, qui dederat terram, ubi locus fratrum fuerat aedificatus, dicente beato Francisco: « Quid tibi videtur de isto loco, pater? », (*d*) dixit beatus Franciscus « vis ut dicam tibi, quomodo loca fratrum debent aedificari? » Respondit: « Pater, volo ». Tunc dixit beatus Franciscus: « Fratres debent considerare, quanta terra sufficit eis, attendentes semper sanctam paupertatem et bonum exemplum, quod tenentur semper in omnibus exhibere ». Hoc autem dicebat, quia nullo modo volebat, quod fratres in domibus, vel ecclesiis vel hortis vel aliis rebus, quibus utebantur, modum excederent paupertatis; nec aliqua loca iure proprietatis possiderent, sed in eis tamquam peregrini et advenae morarentur. Et propterea volebat, ut fratres non in magna quantitate in locis collocarentur, quia difficile videbatur sibi (*e*) in multitudine paupertatem observari. Et haec fuit intentio eius a principio suae conversionis usque in finem: ut paupertas in omnibus servaretur. « Considerata ergo terra fratribus necessaria pro loco, deberent ire fratres ad episcopum illius civitatis et dicere ei: Domine, talis homo vult nobis dare tantam terram propter amorem (*f*) Dei et salutem ani-

(*a*) Al om. *scarlaticos.* — (*b*) As, Edd. *Monticulo.* — (*c*) Edd. add. *quod.* — (*d*) Al, As add. *cui.* — (*e*) As, Edd. om. *sibi.* — (*f*) As, Edd. *terram. amore.*

[1] II Cel. II c. 39 (al. III, 15) n. 69. et *Specul. Perf.* ed. Sabatier, c. 15. — [2] *Specul. Perfect.* Sabatier, c. 16; cf. ed. Lemmens, c. 39. — [3] *Chron. 24 Gen.*, A F III, 410 sq. *Actus* c. 74. — [4] Matth. 8, 20. — [5] II Cel. II, 26 (al. III, 2) n. 56.

mae suae, ut possimus ibi locum aedificare. Unde ad vos recurrimus primo, quia estis pater et dominus animarum totius gregis vobis commissi, et nostrarum et omnium fratrum, qui in hoc loco morabuntur. Volumus cum benedictione Dei et vestra ibi habitare (*a*) ». Hoc autem dicebat, quia fructum animarum, quem fratres volunt facere, melius peragunt cum pace clericorum lucrando eos et populum, quam scandalizando eos, licet populum lucrentur. Et dicebat beatus Franciscus: « Dominus nos vocavit in adiutorium fidei suae et praelatorum et sanctae Ecclesiae clericorum; et ideo tenemur, quantum possumus, ipsos semper diligere, honorare et venerari. Nam vocantur fratres Minores, quia sicut nomine sic et exemplo et opere prae ceteris hominibus huius saeculi humiles esse debent. Et quia ab initio meae conversionis posuit Dominus in ore episcopi Assisii verbum suum, ut mihi consuleret bene et confortaret me in servitio Iesu Christi [1], propter hoc et propter multa alia excellentia (*b*), quae in praelatis considero, non tantum episcopos, sed et pauperculos sacerdotes diligere volo et venerari et tenere eos pro dominis meis. Deinde accepta benedictione ab episcopo, vadant et faciant mitti magnam carbonariam [2] in circuitu terrae, quam pro loci aedificatione acceperunt, et ponant ibi bonam saepem pro muro in signum paupertatis sanctae et humilitatis. Postea fieri faciant domos pauperculas ex luto et lignis et aliquas cellulas, in quibus fratres possint aliquando orare et laborare pro maiori honestate et vitanda otiositate. Ecclesias etiam parvas faciant fieri. Non enim debent facere fieri magnas ecclesias gratia praedicandi populo nec alia occasione, quoniam maior humilitas et maius exemplum est cum vadunt ad alias ecclesias ad praedicandum. Et si aliquando praelati et clerici religiosi, vel seculares ad loca ipsorum venerint, domus, pauperculae cellulae et ecclesiae parvulae eis praedicabunt; et ipsi magis aedificabuntur (*c*) de his, quam de verbis ». Et aiebat: « Multoties fratres faciunt fieri magna aedificia, rumpendo sanctam paupertatem nostram, in murmurationem et malum exemplum proximorum; et quandoque occasione melioris loci et sanctioris (*d*), vel maioris concursus populi, propter cupiditatem et avaritiam, dimittunt illa loca aedificata, vel destruunt ea et faciunt alia magna excessiva. Unde illi, qui dederunt eleemosynas ibi, et alii hoc videntes (*e*) scandalizantur plurimum et turbantur. Quapropter melius est, ut fratres faciant parva et paupercula aedificia observando professionem suam et dando bonum exemplum proximis, quam faciant contra professionem suam dando malum exemplum aliis. Nam si fratres aliquando dimitterent loca paupercula occasione honestatis loci, minus scandalum inde esset [3] ». Dicebat etiam beatus Franciscus, teste fratre Leone, commendando paupertatem: « Fratres mei audite. Post nos venient fratres nostri, qui facient magnas domos, in quibus notabiles saeculares honorifice habitare possent (*f*), tunicas facient valde bonas. Sed sufficit mihi in tempore illo, quod fratres mei custodiant se a peccatis mortalibus ». — Non solum hoc dicebat verbo, sed exemplo declaravit. Nam locum Sanctae Mariae voluit esse de luto et lignis, ut hoc esset memoriale perpetuum omnibus fratribus praesentibus et futuris, eo quod esset primus locus in ordine et principalior [4]. « Et licet abbas sancti Benedicti de monte Subasio et monachi ecclesiam San-

(*a*) As, Edd. ***aedificare.*** — (*b*) Edd. ***excellentiora.*** — (*c*) Al ***praedicabuntur.*** — (*d*) Al ***sanioris.*** — (*e*) As, Edd. ***audientes.*** — (*f*) Edd. ***poterunt.***

[1] Cf. *Leg. 3 Soc.* c. 6 n. 20. — [2] I. e. fossam; cf. Ducange-Henschel s. v. n. 4. — [3] *Specul. Perf.* Lemmens, c. 30; Sabatier, c. 10. — [4] L. c. (ed. Sabatier), c. 11; cf. c. 82.

ctae Mariae libere dederint et concesserint beato Francisco, tamen beatus Franciscus, tanquam bonus et peritus magister volens domum suam, id est religionem suam fundare *supra firmam petram* [1], id est supra maximam paupertatem, mittebat annuatim, dicto abbati et monachis unum canistrum plenum pisciculis, qui vocabantur laschae, in signum maioris humilitatis et paupertatis, et ut fratres nullum locum proprium haberent, nec in aliquo loco manerent, quod non esset sub dominio aliquorum, ita quod fratres non haberent unquam potestatem vendendi vel alienandi quoquomodo [2] ». — « Semel cum appropinquaret tempus capituli generalis, quod fiebat omni anno apud Sanctam Mariam de Portiuncula, populus Assisii considerans propter multiplicationem fratrum, quod non habebant nisi unam parvam casellulam coopertam de paleis, cuius parietes erant ex viminibus et luto, domum magnam ibi fecerunt de lapidibus cum cemento, sine consensu beati Francisci et ipso absente (*a*). Sed cum rediisset beatus Franciscus et vidisset eam, ne occasione illius domus in aliis locis fieret consimiliter, ipsam cum fratribus ascendendo tectum, voluit totam destruere. Et iam caeperat, sed prohibitus fuit a militibus de Assisio dicentibus: « Frater Francisce, haec domus est de communitate Assisii: unde interdicimus tibi, ne destruas domum nostram ». Quo audito, beatus Franciscus dixit: « Et si domus est vestra, nolo tangere eam [3] ». — Reprehendit beatus Franciscus valde acriter fratrem Petrum Cathanii, vicarium suum, qui fecerat fieri quamdam domum, ut fratres venientes et stantes possent officium dicere et quiescere, dicens: « Frater, locus iste forma est et exemplum totius religionis; et ideo potius volo, quod fratres istius loci tolerent tribulationes et incommoda amore Domini, et alii fratres, qui huc veniunt, reportent bonum exemplum paupertatis ad loca sua, quam si isti (*b*) habeant consolationes suas plenarie, et alii sumerent exemplum aedificandi in locis suis dicentes: « In loco Sanctae Mariae de Portiuncula, qui est primus locus ordinis, fiunt talia et tanta aedificia; bene et nos possumus aedificare in locis nostris [4] ».

Quantum vero displiceat (*c*) beato Francisco locorum mutatio, quae ipse accepit, et aedificatio sumptuosa, in quadam visione ipse ostendit post suam mortem cuidam fratri de provincia Tusciae, sibi ipsi valde austero, prout dicitur in *Legenda antiqua* [5]. Qui frater, cum in eius cor venisset, sub specie pietatis, (*d*) quia multi iuvenes nobiles ordinem intrabant, ut fierent aedificia sumptuosa et lata, ut melius servirent Domino Deo suo, et quod cogitavit opere complevit (*e*). Nam quemdam locum pauperculum in aedificiis mutavit totaliter quantum ad situm, et alium fecit, cuius officinas fecit magnas et latas. Cui quadam nocte apparuit beatus Franciscus et sibi dixit: « Sequere me ». Videbatur enim dicto fratri, quod esset in itinere cum beato Francisco et vellet fratrum locum intrare (*f*). Cumque beatus Franciscus recto tramite ad locum iret diruptum et antiquum, dixit sibi frater: « Pater, non eatis ad locum illum, qui destructus est, nec fratres ibi morantur, sed stant in alio loco de novo constructo ». Cui beatus Franciscus quasi iratus respondit: « Dimitte,

(*a*) As, Edd. *vero absente b. Francisco et sine consensu suo.* — (*b*) Al om.; Edd. *illi.* — (*c*) Edd. *displiceat* (ed. IIª *displicerent*)... *mutationes.* — (*d*) Al, As add. *quod.* — (*e*) Edd. *Et cum quod cogitarat opere implesset. Nam* — (*f*) Al *mutare.*

[1] Matth. 7, 24. — [2] L. c. c. 55; Lemmens, c. 27. — [3] *Spec. Perf.* Sabatier, c. 7; cf. II Cel. II, 27, (al III, 3) n. 57. — [4] *Spec. Perf.* cit. c. 8; Lemmens, c. 28. — [5] Cf. AF IV, 440. In nullo antiquiore fonte hanc narrationem invenimus.

frater, quia ille locus novus ad me nullatenus spectat ». Cumque venissent ad locum antiquum, posuit se beatus Franciscus cum fratre praedicto in refectorio, et caepit fratres singillatim vocare, sicut fieri in visitationibus consuevit. Veniebant autem aliqui coram eo, sicut leprosi concupiscentia carnali infecti, et tractabat eos beatus Franciscus valde pie. Item veniebant aliqui coram eo, notati de inobedientia, et hos tractabat valde compassive. Iterum veniebant (*a*) alii qui fecerunt contra sanctissimam paupertatem, quos tam dure et tam crudeliter increpabat, quod frater praedictus, qui hoc cernebat, nimia admiratione stuporis plenus, dixit ad beatum Franciscum : « Quid est hoc, pater, quod facere voluisti? Quare (*b*) infectos luxuria, qui alios corrumpunt, et inobedientes ita tractaris clementer; istos autem, qui contra paupertatem fecerunt, ita crudeliter »? Cui beatus Franciscus dixit: « Frater, ordo meus per Dei gratiam ita punit fortiter luxuriosos, quod non oportet, quod ego sim eis crudelis, sed magis decet me ad eos pietatem habere. Praelati vero mei bene faciunt sibi obediri, nec oportet quod in hoc eos iuvem. Sed haec praetiosa margarita, scilicet paupertas altissima, ab omnibus tam maioribus quam minoribus vilissime conculcatur, propter quod oportet me ibi ponere manum ». Et conversus ad dictum fratrem, dixit ei: « Et tu, maledicte, qui locum meum destruxisti et alium praesumptuosum de novo aedificasti, non evades iudicium Dei ». Cui cum frater, totus territus, respondisset: « Pater, vos bene scitis, quod ego semper fui mihi austerus, nec habeo propter me in talibus complacentia »; tunc addidit beatus Franciscus: « Propter hoc maior tentatio imminet tibi, quia cum sis tibi ipsi austerus, non timeas (*c*) pro aliis damnare animam tuam et offendere regulam tuam ». Haec ibidem. Multum (*d*) Deo et beato Francisco displicent aedificia sumptuosa, quae fiunt in ordine. — Frater Iuvenalis de Aliis (*e*), de Florentia, qui fuit unus de principalioribus fratribus ad fundandum ecclesiam Sanctae Crucis de Florentia, habet pro purgatorio istam poenam, sicut ipse reseravit (*f*) cuidam fratri, quod usque ad diem iudicii semper sunt duo mallei, qui eius caput percutiunt [1].

5. Undecimum declarans beati Francisci ad paupertatem affectum est: Nihil (*g*), quod suum esset, voluit aliquando dicere, immo respectu talium infuit eidem summa despectio. Unde sciendum, quod « cum fratres ministri beato Francisco suaderent, ut aliquid concederet fratribus saltem in communi, ut tanta multitudo aliquid haberet, ad quod recurreret, ipse beatus Franciscus in oratione vocavit (*h*) Christum et super hoc eum consuluit. Qui statim respondit ei dicens: « Ego auferam omnia in speciali et in communi; huic enim familiae semper paratus ero providere, quantumcumque crescat; et semper eam fovebo, quamdiu sperabit in me [2] ». Et quia ipse vitam apostolorum ducebat, qui nihil suum esse dicebant, ideo nil voluit, ut perfecte pauper censeretur, quod suum esse diceretur vel fratrum. — Bononiae cum esset et audiret ibi esse domum fratrum, audito quod esset fratrum et diceretur, noluit illuc ire; immo statim mandavit, quod fratres ab inde (*i*) recederent omnes. Et sic fecerunt

(*a*) Al *venerunt;* postea om. *sanctissimam.* — (*b*) Edd. *qui etiam.* — (*c*) As *timeas,* postea correx. in *times.* — (*d*) Ed. 1590 om. *Multum — percutiunt.* — (*e*) As *Aleis.* — (*f*) As *reserando apparuit;* Edd. *apparendo reseravit.* — (*g*) Edd. *est, quod aliquam rem suam esse noluit aliq. d.* — (*h*) As *invocavit.* — (*i*) As, Edd. *inde.*

[1] Cf. AF IV, 440. — [2] *Spec. Perf.* Sabatier, c. 13.

etiam infirmi, nec voluit fratres illuc redire, donec dominus Hugo Ostiensis episcopus et tunc legatus in Lombardia praedictam domum suam esse publice praedicavit [1]. — « Quidam frater valde spiritualis et beato Francisco familiaris in eremitorio, ubi manebat, fecit fieri quamdam cellam aliquantulum remotam, in qua posset beatus Franciscus stare ad orationem, quando illuc iret. Cum autem venisset beatus Franciscus, frater ille duxit eum ad dictam cellam. Cui dixit beatus Franciscus: « Nimis pulchra est cella ista ». Erat enim solum de lignis dolatis cum securi et dolabro. « Si ergo vis ut maneam ibi, facias fieri unum vestimentum interius et exterius de silicibus et ramis arborum ». Nam quanto cellulae et domus erant magis pauperculae, tanto libentius morabatur ibidem. Quod cum frater ille fecisset, mansit ibi beatus Franciscus per aliquos dies. Quadam vero die, ipso egresso de cella illa, quidam frater ivit ad videndum eam et postea venit ad locum, ubi erat beatus Franciscus. Quem videns ipse beatus Franciscus, dixit illi: « Unde venis, frater »? At ille ait: « Venio de cellula tua ». Et dixit ei beatus Franciscus: « Ex quo dixisti ipsam esse meam, alius stabit deinceps ibi, et non ego ». — Saepe beatus Franciscus dixit illud: *Vulpes foveas habent et volucres caeli nidos* etc. [2]; et iterum dicebat: « Dominus, quando stetit in deserto, ubi oravit et ieiunavit *quadraginta diebus et quadraginta noctibus,* non fecit fieri cellam, nec domum, sed sub saxo montis permansit ». Et ideo eius exemplo, nec domum, nec locum, seu cellam habere voluit, quae diceretur sua, nec fecit fieri unquam; immo si aliquando contigisset, quod ipse a casu fratribus dixisset: « Ite et aptate illam cellam », nolebat postea in ea manere propter illud verbum sancti Evangelii: *Nolite solliciti esse* etc. [3] Nam et circa mortem suam in testamento suo [4] scribi voluit, quod omnes cellae et domus fratrum de ligno et luto essent tantum, ad conservandum melius paupertatem et humilitatem [5] ». — In *Regula* beatus Franciscus mandavit dicens [6]: « Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem » etc. Similiter in fratribus nihil proprii esse volebat. — Unde semel cuidam novitio volenti habere psalterium de scitu et voluntate sua et super hoc sibi valde importuno, ut sibi hoc concederet, cum bis sibi beatus Franciscus hoc denegasset, vice tertia beatus Franciscus dixit sibi: « Vade et fac de hoc, sicut dicet tibi minister tuus ». Et cum ille recederet, cogitans beatus Franciscus quod dixerat, ivit post ipsum. Et vocans eum, dixit: « Ubi dixi tibi, quod faceres ut minister tuus diceret tibi de psalterio »? Qui ostendit ei locum. Et tunc beatus Franciscus, genuflexus coram illo, dixit: « Mea culpa, frater, mea culpa. Quicumque enim vult esse frater Minor, non debet habere nisi tunicas, sicut regula concedit, chordam et femoralia. Et qui manifesta necessitate coguntur, calceamenta ». Et sic semper fratribus alia petentibus, respondebat [7]. — Quodam tempore, beato Francisco reverso de partibus ultramarinis, cum a quodam ministro super capitulo paupertatis interrogaretur de intentione sua, respondit beatus Franciscus: « Ego sic intelligo, quod fratres nihil debent habere, nisi vestimentum cum chorda et femoralibus, sicut dicit *regula,* et calceamenta, qui necessitate coguntur ». Et dixit ad eum minister: « Quid faciam ego qui tot libros habeo, qui valent ultra quinquaginta libras »? Hoc autem dicebat, quia volebat eos habere de conscientia sua. Et

[1] *Spec.* cit. c. 6; II, Cel. II c. 28 (al. III, 4) n. 58. — [2] Matth. 8, 20; infra respic. Matth. 4, 2. — [3] Matth. 6, 25 sq. — [4] Cf. *Testam. S. P. Francisci, Opuscula,* p. 80. — [5] *Spec.* cit. c. 9. — [6] Cap. 6. — [7] *Spec.* cit. c. 4 (abbreviatum valde).

ait illi beatus Franciscus: « Frater, nec debeo, nec volo, nec possum venire contra conscientiam meam et professionem sancti Evangelii, quam professi sumus ». Et cum tristis dictus minister esset effectus, cum magno fervore (*a*) in persona omnium dixit ei beatus Franciscus: « Vos vultis videri ab hominibus fratres Minores et vocari observatores sancti Evangelii, operibus autem vultis loculos habere ». Haec (*b*) beatus Franciscus [1]. — Libros in communi voluit beatus Franciscus fratres habere [2]; et post mortem apparuit beatus Franciscus cuidam fratri dicens, quod nullus fuit, qui habuerit libros, qui in morte non doluerit se habuisse. — Frater Leo scripserat sibi breviarium, qui vidit visionem, de qua dictum est libro I, fructu et conformitate VIII, parte secunda, tractatu de fratre Leone, quod fratres fluvium transeuntes cum fardello submergebantur, et pene ipse transeundo fuit submersus, quia habebat breviarium, quod scripserat. Et cum hanc visionem beato Francisco dixisset, beatus Franciscus ait [3]: « Intentio regulae et mea est, quod fratres nihil penitus habeant, nisi habitum, chordam et tunicam et brachas ». Et quia tu frater Leo breviarium habebas contra regulam, ideo fuisti in periculo submersionis sicut et illi, qui submersi sunt cum fardellis suis [4] ».

Dilexisse beatum Franciscum paupertatem probans duodecimum, est omnium quae habere potuit, pauperibus datio et distributio. Nulli rei parcebat, ut dicit VII pars *Legendae* [5], nec libris, nec paramentis altaris, nec aliis rebus, quin omnia pauperibus occurrentibus et indigentibus largiretur. — In Santa Maria de Portiuncula semel dum esset beatus Franciscus, venit quaedam vetula, mater duorum fratrum petens eleemosynam a beato Francisco. Qui dixit fratri Petro Cathanii, qui erat generalis minister, ut aliquid ei daret. Cui respondit frater Petrus: « In domo nihil est, quod ei dare possimus. In ecclesia solum est testamentum novum, in quo legimus lectiones ad matutinum ». Illo enim tempore fratres non habebant breviaria, nec multa psalteria. Dixit illi beatus Franciscus: « Da huic matri nostrae testamentum novum, ut illud vendat pro sua necessitate; credo enim firmiter, quod plus placebit Deo et beatae Virgini, quam si in ipso legeremus ». Et sic dedit illi [6]. — Sed numquid tunicis, quibus indigebat, parcebat, quin eas daret? Certe non. — Apud Celanum (*c*), tempore magni algoris, cum haberet pannum plicatum in modum mantelli et sibi accommodatum a quodam fratrum amico, et sic socius eius, uni vetulae petenti eleemosynam, ipsum dedit. Et quia non erat sufficiens pro dictae mulieris veste, fecit ut etiam socius pannum quem habebat, daret eidem, quod et fecit; et sic ambo nudi remanentes vetulam induerunt [7]. — Revertenti (*d*) semel de Senis pauperi obvianti eidem dedit mantellum, socio retinente et dicente quod, se neglecto, dare non deberet. Cui sanctus Franciscus dixit: « Ego nolo esse fur; nam pro furto nobis imputaretur, si non daremus ipsum magis egenti [8] ». — Cortonae pauperi habenti familiam pauperculam, mantellum dedit dicens: quod nulli redderet ipsum, nisi bene solveret et emeret. Quod fratres cernentes, cum non possent vi in eius oculis

---

(*a*) As *rigore*. — (*b*) Edd. om. *Haec — Franciscus*. — (*c*) Edd. *Cellanum*. — (*d*) Edd. *rediens*.

---

[1] *Specul.* cit. c. 2 (abbrev.). — [2] *Spec.* cit. c. 5; cf. II Cel. II, 32 (al. III, 8) n. 62. — [3] Cf. *S. Francisci intentio regulae*, ap. Lemmens, *Doc. ant. Franc.* I 84. — [4] A F IV, 190; cf. A F III, 69; cf. *Actus* c. 59. — [5] *Leg. Mai.* c. 7 n. 1 sqq. — [6] *Specul. Perf.* Sabatier, c. 38; cf. II Cel. II, 58 (al. III, 38) n. 91. — [7] *Specul.* cit. c. 29; cf. II Cel. II, 53 (al. III, 30) n. 86. — [8] *Specul.* cit. 30; II Cel. II, 54 (al. III, 31) n. 87; cf. *Leg. Mai.* c. 8 n. 5.

ab ipso paupere recipere, procuraverunt, ut mantellum redderetur et pretium pauperi largiretur [1]. — Reate audiens a medico, qui ad se veniebat, quod quaedam mulier patiens in oculis, adeo erat pauper, quod oportebat dictum medicum eidem praebere expensas, vocato guardiano, duodecim panes et suum mantellum dictae mulieri transmisit dicens: 'quod gratias ei referret, quae tanto tempore ipsum mantellum beato Francisco praestiterat et ideo ipsum, ut sibi proprium remittebat'. Et ordinavit, quod fratres sibi de victu quotidiano providerent [2].

Duo fratres de Francia ab eo Dei amore tunicam petentes, audito Dei amore, statim dedit et per aliquam horam nudus stetit. Sic enim dando multoties tunicam vel partem magnam ipsius, sustinebat necessitatem et tribulationem, quia tam cito non poterat aliam invenire et habere [3]. — Cuidam pauperi petenti petiam panni, cum in illo loco nulla inveniretur, occulte, ne guardianus suus sentiret (*a*), peciam suae tunicae, quae erat suta interius, voluit dare. Sed guardianus perpendens prohibuit, quia erat magnum frigus, et ipse infirmus. Cui beatus Franciscus dixit: « Si vis ut non dem, facias aliam peciam sibi dari ». Quod et factum est, de propriis indumentis sumentes, occasione (*b*) beati Francisci [4]. Unde sive peditanti sive equitanti, quod raro fuit, si quis mantellum vellet dare sub tali pacto accipiebat et non aliter, ut ipsum posset dare cuicumque pauperculo sibi obvianti vel venienti ad eum, dummodo spiritus eius perhiberet ei, quod illi esset necessarius [5].

Cum praedicationis causa beatus Franciscus ivisset prope Rocham, et quemdam pauperem infirmum ad se venientem vidisset, socio de eius paupertate loqui coepit. Cui socius respondit: « Iste pauper est, sed forte in tota contrata nullus est ditior eo voluntate ». Statim a beato Francisco reprehensus, dixit culpam suam. Et ait beatus Franciscus: « Vis de hoc poenitentiam facere, quam dicam tibi »? Qui respondit: « Libenter faciam ». Et dixit beatus Franciscus: « Vade et exue te tunica tua et proiice te nudum ad pedes pauperis et dices ei, quomodo peccasti in eo, detrahendo sibi, et dic ei, ut oret pro te ». Quod socius fecit. Quo facto, dixit illi beatus Franciscus: « Vis scire, quomodo peccasti in illo, immo et in Christo? Cum vides pauperem, considerare debes illum in cuius nomine venit, id est Christum, qui nostram paupertatem et infirmitatem assumpsit. Nam infirmitas et paupertas istius est quoddam speculum nobis, per quod speculum considerare cum pietate debemus paupertatem et infirmitatem Domini nostri Iesu Christi, quam in suo corpore pertulit pro nostra salute [6] ». — Uni pauperi semel obvians, « dixit socio suo: « Magnam verecundiam intulit nobis paupertas istius et multum reprehendit paupertatem nostram. Nam verecundia est mihi, cum invenio aliquem pauperiorem me: cum sanctam paupertatem elegerim pro domina mea et pro meis deliciis et divitiis spiritualibus et corporalibus, et vox ista insonuerit toti mundo, quod professus sum paupertatem coram Deo et hominibus [7] ». Et ideo dicitur in *Legenda parva* (*c*), quod

(*a*) As, Edd. *sciret.* — (*b*) Edd. *occasionem;* Edd. II add. *sumens,* prius om. *sumentes.* — (*c*) As, Edd. *minori.*

[1] *Specul.* cit. c. 31; cf. II Cel. II, 55 (al. III, 32) n. 88. — [2] *Specul.* cit. c. 33; cf. II Cel. II, 69 (al. III, 36) n. 92. — [3] *Specul.* cit. c. 34. — [4] *Specul.* cit. c. 35. — [5] L. c. — [6] *Specul.* cit. c. 37; Lemmens, c. 42; cf. II Cel. II, 52 (al. III, 29) n. 85; *Leg. Mai.* VIII, 107. — [7] *Specul.* Sabat. c. 17; Lemmens, c. 41; cf. II Cel. II, 51 (al. III, 28) n. 84; cf. *Leg. Mai.* c. 7 n. 6.

« nemo tam auri, quam iste cupidus paupertatis, nec thesauri custodiendi sollicitior ullus, quam iste huius evangelicae margaritae », et in hac omnes cupiebat « excedere, qui ex eadem didicerat inferiorem se omnibus reputare [1] ».

Tertium decimum beati Francisci ostendens ad paupertatem affectum, est pecuniae, ut diaboli, exsecratio et abominatio. In *Regula* praecipit [2], quod fratres « nullo modo denarios vel pecuniam recipiant per se vel per interpositam personam ». Immo voluit pecuniam a fratribus, ut stercus asini reputari. Unde licet omnia, quae sunt mundi, perfecte despiceret, ut dicit *Legenda antiqua* [3], « super omnia pecuniam exsecrabatur et ad fugiendam ipsam tanquam diabolum fratres suos semper verbo et exemplo induxit. Haec enim sollertia ab illo data erat, ut stercus et pecunia uno amoris pretio ponderarentur. Quemdam enim fratrem in loco Sanctae Mariae, quem invenit pecuniam oblatam de altari elevantem manu et in fenestram proiicientem, primo acriter arguit, demum iussit ore proprio pecuniam levare de fenestra et extra saepem loci portare et ipsam ore proprio super stercus asini ponere, quod et frater gratanter fecit. Quo facto, fratres audientes repleti sunt timore maximo sic et videntes, et ex tunc magis contempserunt pecuniam stercori asini comparatam, atque novis exemplis quotidie animabantur ad ipsam pecuniam contemnendam ». In Apulia iuxta Barum inventam bursam praetendentem pecuniam in ea esse, victus dictis socii cum concessisset, ut socius caute eam levaret, dum eam socius vellet levare, serpens non modicus de bursa exiit et simul cum bursa evanuit. Et ait sanctus Franciscus ad socium: « Pecunia servis Dei nihil aliud est, quam diabolus et coluber tortuosus [4] ». — Ad ordinem beatus Franciscus nullum voluit recipere, nisi expropriatum totaliter et qui sua pauperibus dedisset. — In Marchia quemdam, qui sua dederat parentibus et non pauperibus (*a*), repulit, dicens ipsum non esse dignum iungi pauperibus, qui pauperes Christi defraudarat. — Pecuniam sibi a Soldano, ut dicit IX pars *Legendae* [5], oblatam totaliter contempsit, nec aliquid accipere voluit. — Cuius beati Francisci exemplo antiqui fratres et eius socii pecuniam oblatam, ut lutum despiciebant. Sic patuit de fratribus, qui pecuniam a Saraceno oblatam Dei amore spreverunt, ut dicit IV pars *Legendae* [6]. — Sic et frater Bernardus, primus socius beati Francisci, cum socio Florentiae pecuniam per quemdam civem oblatam recusarunt, ut dicit *Legenda trium sociorum* [7]. Ipsamque tollentes Deus graviter punivit, sicut patuit de duobus fratribus: quorum unus cum invenisset denarium in via, socio contradicente, ne denarium levaret, quia erat contra regulam, ipse sub specie dandi leprosis, quorum hospitale erat de prope, accepit et in ore posuit. Sed Dei iudicium non effugit. Statim enim perdit (*b*) loquelam, frendet dentibus et loqui non potest. Sicque poena (*c*) percepta obtemperare docet regulae; sed, denario de ore proiecto, polluta labia aquis poenitentiae lota solvuntur (*d*) [8].

4. Quartum decimum amorem beati Francisci ad paupertatem reserans, est cunctorum spectantium ad paupertatem operatio. Si loquimur de vestibus, dictum est

(*a*) Al om. *et non pauperibus*. — (*b*) Codd. *perdidit... frendens... poterat*. — (*c*) Al *pecunia*. — (*d*) Edd. *soluta sunt*.

[1] S. Bonav. *Leg. Min.* De praerog. virt. (III) Let. V. — [2] *Reg. bull.* c. IV: *Opuscula S. P. Fr* p. 67. — [3] Id est *Specul. Perf.* ed. Sabatier, c. 14; cf. II Cel. II, 35 (al. III, 11) n. 65. — [4] E *Leg Mai.* c. 7 n. 5. — [5] L. c. 9 n. 3. — [6] L. c. c. 4 n. 7. — [7] *Leg. 3 soc.* c. 10 n. 39 sq. — [8] II Cel. II 36 (al. III, 10) n. 66.

quod solam tunicam et pauperrimam habebat. Si de lecto, dicit V pars *Legendae* [1], quod « nuda humus, ut plurimum, lectus erat lassato corpusculo ». Cervical, lapis vel lignum. Unde « dominus Hugo, cardinalis Ostiensis, qui postea fuit Papa Gregorius IX, cum ad capitulum generale, quod fiebat in Sancta Maria de Angelis, semel venisset et locum intrasset cum multis clericis et militibus, ut videret fratrum dormitorium, et videns quod fratres in terra iacebant et nihil habebant subtus nisi modicum de paleis et quasdam culcitras pauperculas et fractas et nulla cervicalia, coepit fortiter lacrimari coram omnibus dicens: « Ecce hic dormiunt fratres. Nos vero miseri (*a*) tot superfluitatibus utimur. Quid ergo erit de nobis »? Unde ipse et alii erant valde aedificati. Neque ibi mensam ullam viderunt, quia fratres in terra comedebant [2] »: quamdiu enim beatus Franciscus vixit in loco illo, semper fratres comedebant in terra. Si de pecunia, patuit ex dictis, quod nihil recipere voluit. Non verecundabatur ire ostiatim factus frater, immo ibat more pauperum et Salvatoris exemplo, panem ostiatim mendicando. In principio religionis, quia alii erant verecundi, quotidie ipse solus pro eleemosyna ibat, sed cum propter debilitatem corporis tantum laborem sustinere non posset, fratribus dixit: « Nolite, charissimi fratres et filioli, verecundari pro eleemosyna ire, quia Dominus se pro nobis fecit pauperem in hoc mundo, cuius exemplo elegimus viam verissimae paupertatis. Haec est enim hereditas nostra, quam acquisivit et nobis reliquit Dominus Iesus Christus et omnibus, qui suo exemplo vivere volunt in sanctissima paupertate. Ite ergo confidenter et animo gaudenti pro eleemosyna cum benedictione Dei; et magis libere et gaudenter debetis ire pro eleemosyna, quam ille qui de una nummata afferret centum denarios, quoniam offertis illis amorem Dei, a quibus petitis eleemosynam, dicentes: « Amore Dei facite nobis eleemosynam ». Cuius comparatione nihil est caelum et terra [3] ». — Dicebat etiam eis: « Ite [4], quoniam hora ista novissima fratres Minores accommodati sunt mundo, ut electi in eis impleant (*b*), unde a Iudice commendentur: Quod *uni fecistis ex fratribus meis* minoribus *mihi fecistis* [5] ». Unde privilegiatam magno propheta religionem dicebat, qui titulum eius tam evidenter expressit ». — In regula etiam mandavit, quod ,fratres irent pro eleemosyna confidenter; nec oporteret (*c*) eos verecundari' etc. [6] ». Cuius exemplo et monitu primi fratres in principio, verecundia deposita, pro eleemosyna ibant alacriter. — Unde cuidam fratri revertenti cum (*d*) eleemosyna et cum magna voce Deum laudanti, cum audisset, « statim ivit obviam cum magna laetitia osculans sibi humerum, ubi apportabat peram cum eleemosyna, atque peram accipiens portavit usque ad locum, dicens fratribus [7]: « Sic volo, quod frater meus vadat et revertatur cum eleemosyna laetus et iucundus, gaudens et laudans Deum ». — Ibat enim beatus Franciscus libenter pro eleemosyna. Nam « cum iret (*e*) per mundum praedicando, dato quod invitaretur ab aliquo quantumcumque nobili, ut comederet et hospitaretur cum eo, semper hora comestionis prius ibat pro eleemosyna, quam iret ad domum illius, propter fratrum bonum exemplum

(*a*) Al *nudi* (!) — (*b*) Edd. *impleantur*. — (*c*) Edd. *oportet*. — (*d*) As, Edd. *pro*. — (*e*) Sic Codd. et Edd.; Specul. Perf. *irent... invitarentur* etc.

[1] L. c. c. 5 n. 1. — [2] *Spec. Perf.* cit. c. 21; cf. II Cel. II, 33 (al. III, 9) n. 63. — [3] *Specul. Perf.* cit. c. 18; cf. II Cel. II, 44 (al. III, 20) n. 74. — [4] II Cel. II, 41 (al. III, 17) n. 71. — [5] Cf. Matth. 25, 40 et 45 — [6] *Reg.* II. c. 6. *Opuscula S. P. Francisci,* p. 68. — [7] *Specul. Perf.* ed. Sabat. c. 25; cf. II Cel. II, 46 (al. III, 22) n. 76.

et dignitatem dominae paupertatis, et multoties dicebat ei, qui invitaverat eum: « Ego nolo dimittere dignitatem meam regalem et hereditatem ac professionem meam et fratrum Minorum (*a*), videlicet ire pro eleemosyna ostiatim » ; et pro feudo ad horam concesso, hereditatem stabilem se dicebat nolle relinquere. « Paupertas, inquit, est, quae heredes et reges regni caelorum instituit [1], non falsae vestrae divitiae ». Et aliquando, qui eum invitaverat, ibat cum ipso, et eleemosynas, quas beatus Franciscus acquirebat, ille accipiebat et propter eius devotionem pro reliquiis reponebat [2] ».

« Quodam tempore cum visitasset dominum Ostiensem, qui fuit postea papa Gregorius IX, in hora comestionis quasi furtive ivit pro eleemosynis ostiatim, et cum reversus fuisset, iam intraverat ad mensam dominus Ostiensis cum multis militibus et nobilibus. Accedens autem beatus Franciscus posuit super mensam coram domino cardinali illas eleemosynas, quas invenerat, et intravit ad mensam iuxta ipsum, quia ipse cardinalis volebat quod semper beatus Franciscus sederet ad mensam iuxta eum. Et verecundatus fuit inde aliquantulum, cardinalis, eo quod iverat pro eleemosynis et posuerat eas super mensam; sed nihil dixit ei tunc propter recumbentes. Cumque comedisset aliquantulum beatus Franciscus accepit de suis eleemosynis et cuilibet militi et capellanis domini cardinalis misit parum (*b*) ex parte Domini Dei, qui omnes cum magna reverentia et devotione accipiebant, extrahentes sibi capucia et infulas; et alii comedebant, et alii reponebant propter eius devotionem. Ex (*c*) hoc autem gavisus est dominus Ostiensis propter illorum devotionem, et (*d*) maxime quia illae eleemosynae non erant de pane frumenti. Post comestionem vero intravit cameram suam cardinalis, ducens secum beatum Franciscum, et elevans brachia sua amplexatus est beatum Franciscum (*e*) cum magno gaudio et exsultatione, dicens ei: « Quare, frater mi simplicione, fecisti hodie mihi verecundiam, ut veniens ad domum meam, quae est domus fratrum, ires pro eleemosynis »? Respondit ei beatus Franciscus: « Immo, domine, vobis exhibui magnum honorem, dum maiorem Dominum honoravi. Quando enim subditus facit officium suum et implet obedientiam domini sui, facit honorem domino suo ». Et ait: « Me oportet esse et exemplum (*f*) et formam pauperum vestrorum (*g*), maxime quia scio quod in religione fratrum sunt et erunt fratres Minores nomine et opere, qui propter amorem Domini Dei et Spiritus Sancti unctionem, quae docebit eos de omnibus, humiliabuntur ad omnem humiliationem et subiectionem et servitium fratrum suorum. Sunt etiam et erunt de illis, qui, aut verecundia detenti aut propter malum usum, dedignantur et dedignabuntur se humiliare et inclinare ad eundum pro eleemosynis et facere alia opera servilia; propter quod oportet me opere docere eos, qui sunt et erunt in religione, ut in hoc saeculo et in futuro sint inexcusabiles coram Deo. Exsistens ergo apud vos, qui propter amorem Domini Dei cum multa devotione me non solum recipitis in domos vestras (*h*), sed etiam ad hoc me compellitis, nolo verecundari ire pro eleemosynis; immo volo hoc habere et tenere secundum Deum (*i*) pro maxima nobilitate et dignitate regali atque (*k*) honore illius, qui cum esset Dominus omnium, pro nobis

(*a*) Edd. et Spec. Perf. ***meorum***. — (*b*) Sic As, Edd. et Spec. Perf.; Al ***partem***. — (*c*) Al om. ***Ex hoc — ill. devotionem***. — (*d*) Edd. add. ***quam***. — (*e*) Sic Al, Spec. Perf.; As, Edd. ***eum***. — (*f*) Al ***exemplar***. — (*g*) Sic Al, Ed. I et Spec. Perf.; As, Ed. II ***nostrorum***. — (*h*) Al om. ***in domos vestras***. — (*i*) Edd. om. ***secundum Deum***. — (*k*) Edd. ***regali, propter honorem***.

[1] *Reg.* II. c. 6; I. c. 58 sq. — [2] *Specul.* cit. c. 22; ed. Lemmens, c. 1; cf. II Cel. II, 42 (al. III, 18) 72; *Leg. Mai.* c. 7 n. 7.

voluit fieri servus omnium, et cum esset dives et gloriosus in maiestate sua, venit pauper et despectus in humanitate nostra. Unde volo quod sciant fratres, qui sunt et erunt, quod pro maiori consolatione corporis et animae habeo quando sedeo ad mensam pauperculam fratrum et video coram me pauperculas eleemosynas, quae acquiruntur ostiatim amore Domini Dei, quam cum sedeo ad mensam vestram et aliorum dominorum praeparatam diversis ferculis abundanter. Panis enim eleemosynae est panis sanctus, quem sanctificat laus et Dei amor, quoniam, cum frater vadit pro eleemosyna, prius debet dicere: « Laudatus et benedictus sit Dominus Deus »; postea debet dicere: « Facite nobis eleemosynam Domini Dei amore ». Et de huiusmodi collatione verborum dominus cardinalis fuit valde aedificatus et ait beato Francisco: « Fili mi, quod bonum est in oculis tuis facias [1], quoniam Dominus tecum est et tu cum illo [2] ». — Voluntas enim fuit beati Francisci, sicut et multoties dixit, quod frater non deberet diu stare quod non iret pro eleemosynis, propter meritum magnum et ne verecundaretur postea ire. Immo quanto frater erat nobilior et maior in saeculo, tanto magis laetabatur et aedificabatur de eo, quando ibat pro eleemosyna et faciebat alia servilia opera, quae tunc faciebant fratres [3] ».

Fratres pro eleemosyna accedere nolentes, ab ordine emittebat. Unde « in ordinis principio, quando fratres stabant iuxta Rigum Tortum, fuit quidam frater, qui parum orabat et non laborabat, pro eleemosyna ire nolebat et bene comedebat. Considerans hoc beatus Franciscus et cognoscens per Spiritum, quod homo erat carnalis, ait illi: « Vade viam tuam, frater Musca, quoniam vis comedere laborem fratrum tuorum et esse otiosus in opere Dei, sicut apis otiosus (*a*) et sterilis, qui non lucratur et non laborat, et (*b*) comedit laborem et lucrum bonarum apum ». Et sic ille ivit viam suam, et quia carnalis erat, non petiit misericordiam nec invenit [4] ». — Quod enim beatus Franciscus, ut dixit domino Ostiensi, magis delectaretur comedere ad mensam pauperum quam divitum, ipse ostendit facto in Urbe. Invitatus enim a domino Matthaeo Rubeo, patre domini Ioannis, qui fuit papa (*c*) Nicolaus III, qui beatum Franciscum multum diligebat, ut pranderet cum eo, et beatus Franciscus acceptasset, hora prandii venit ad domum. Et cum dominus Matthaeus pluribus impeditus (*d*) non sic veniret ad domum cito, beatus Franciscus videns pauperes, quos ipse dominus Matthaeus cotidie pascebat comedentes, amore pauperis Christi ad terram se posuit ad comedendum cum eis, nullo de scutiferis advertente. Cumque dominus Matthaeus rediisset et interrogasset ubi esset beatus Franciscus et diceret se sine ipso nullatenus comesturum, conversus ut videret pauperes comedentes, vidit in medio eorum beatum Franciscum. Qui lavans secrete manus suas, posuit se humiliter iuxta beatum Franciscum cum ipso in terra sedendo. Cui et dixit: « Frater Francisce, postquam tu non vis comedere mecum, ego comedam tecum »; et sic ambo in terra hilariter (*e*) comederunt [5].

Si loquamur de possessionibus, nullam voluit habere. Domino Papa dicente sibi, durum esse sine possessionibus vivere, respondit beatus Franciscus dicendo: « Con-

(*a*) Sic Al et Spec.; As, Edd. *otiosa.... quae.* — (*b*) As, Edd. *sed.* — (*c*) Edd. *postea.* — (*d*) As, Edd. om. *pluribus impeditus.* — (*e*) Edd. *humiliter.*

[1] Cf. I Reg. 3, 18. — [2] Est *Specul* Sabatier, c. 23; Lemmens c. 2; cf. II Cel. II, 43 (al. III, 19) 76; *Leg. Mai.* c. 7 n. 7. — [3] *Specul. Perf.* citt.; cf. II Cel. II, 45, (al. III, 21) 75. — [4] *Spec. Perf.* Sabatier, c. 24; Lemmens, c. 3; cf. II Cel. l. c. — [5] Cf. supra pag. 17 not. 13.

fido in Domino Iesu, ut qui nobis promisit in caelo dare vitam et gloriam, non subtrahet nobis in terra sustentationem corporum necessariam tempore opportuno [1] ». — Et episcopo Assisii dicente sibi: « Dura mihi videtur et aspera vita vestra, nihil scilicet in hoc saeculo possidere »; respondit beatus Franciscus: « Domine, si possessiones aliquas haberemus, nobis essent necessaria arma ad nostram protectionem, nam inde oriuntur quaestiones et lites, soletque ex hoc amor Dei et proximi multipliciter impediri; et ideo nolumus in hoc saeculo possidere aliquid temporale (*a*) » [2].

Si loquamur, an ad superfluitatem aliqua re usus fuerit, certe non. Unde ipse beatus Franciscus de se dicebat [3]: « Non fui latro de eleemosynis acquirendo eas, vel utendo ultra necessitatem. Semper minus accepi, quam me contingeret, ne alii pauperes defraudarentur portione sua, quia contrarium facere furtum esset ». Immo multoties acquirebat eleemosynas, quia libentius sibi dabant quam aliis [4], et ipse dabat pauperibus. Unde nihil superflui volebat esse apud fratres; nam et vasculum non patiebatur esse in domo, cum sine ipso possent extremae necessitatis evadere servitutem. — In mensa aliqualiter bene parata in Nativitate Domini, noluit comedere, sed posuit se in terra dicens: quod erat mensa divitum et non pauperum, qui vadunt cotidie ostiatim mendicando [5].

Si loquamur de retentione rerum fratrum ordinem introeuntium, an acciperet: certe non. Immo in *Regula* oppositum mandavit dicens [6]: « Caveant fratres, ne solliciti sint de rebus temporalibus talium, sed libere faciant de rebus suis quidquid Dominus inspiraverit eis ». — Et in VII parte *Legendae* [7] habetur, quod « in loco Sanctae Mariae tanta erat penuria, ut fratribus forensibus et aliis non posset secundum necessitatis exigentiam provideri. Quare vicarius eius, frater Petrus Cathanii, petiit ab eo ut, (*b*) si hac de causa ei placeret, ut de rebus novitiorum aliquid reservaretur, ut possent ad id fratres tempore opportuno habere recursum. Et respondit: « Malo te altare Virginis gloriosae nudare, cum necessitas id requirit, quam contra paupertatis votum et observantiam Evangelii aliquid vel modicum attentare. Gratius enim habebit Virgo beata suum altare detegi, sancti Evangelii perfecte servato consilio, quam, altari vestito, Filii sui promissum consilium praetermitti ».

Si loquamur de officio praelationis, certe ipsum noluit retinere. Officium generalatus resignavit, ne proprium habere videretur, et fratrem Petrum Cathanii instituit [8].

Si loquamur, an haberet pro malo, si quempiam secundum exteriorem habitum (*c*) se pauperiorem vidisset, certe patet ex dictis, quod sic. Quia in hoc omnes optabat excedere, et a nullo supergredi aut vinci [9]. — Sic ergo praefatis et aliis antedictis patet beatum Franciscum paupertatem dilexisse.

5. Quintum decimum ostendens beatum Franciscum paupertatem amasse, est ipsius paupertatis a beato Francisco desponsatio et in sponsam assumptio. Ubi sciendum quod beatus Franciscus, istius paupertatis allectus amore, ut eam in sponsam ac-

(*a*) Edd. om. *temporale*. — (*b*) Edd. om. *ut*. — (*c*) Al om. *habitum; in marg. hominem*.

[1] Cf. *Leg. Mai.* c. 3 n. 10. — [2] *Leg. 3 Soc.* c. 9 n. 35. — [3] *Specul. Perf.* Sabatier, c. 12. — [4] Sed cf. *Actus* c. 13 n. 6 sqq.; AF IV, 195. — [5] *Specul.* cit. c. 20; cf. II Cel. II, 31 (al. III, 7) 61; *Leg. Mai.* c. 7 n. 9. — [6] *Regula* II, c. 2; *Opuscula*, p. 64. — [7] *Leg. Mai.* c. 7 n. 4 (ubi deest nomen vicarii). — [8] Cf. AF IV, 144, 178, 587. — [9] Cf. supra p. 110.

ciperet, non solum pro ea patrem matremque reliquit et universa, quae habere poterat, cuncta dispersit, sed ipsam per totum orbem quaesivit. Ipsam enim, ut diligeret (*a*), summo affectu quaesivit per vicos et plateas, id est inter homines qui tunc vivebant, et quia obliterata erat paupertatis semita et memoria, non invenit; per nobiles quaesivit et potentes, nec invenit. Quia omnes a maiori usque ad minimum divitiis inhiabant et avaritiae studebant (*b*). Haec siquidem paupertas, etsi primo homini adhaesit cum esset conditus, quia nudus; tamen peccando et tunica pellicea induto ac labori manuum tradito, ab ipso recesso recessit. A patribus veteris testamenti siquidem abiit, quia *terram fluentem lac et mel* [1] in promissione acceperunt. Sed Domino Iesu Christo descendente de monte suae maiestatis per carnis assumptionem, hanc secum de caelo ad terram devexit; et cum ipso nascendo, vivendo et moriendo est commorata fideliter et indissolubiliter. Istam (*c*) siquidem recommendavit suis discipulis, et grata eis fuit et multis aliis fidelibus usque ad tempora Constantini. In persecutione martyrum fortiter astitit, eos iuvando et de hostibus victoriam conferendo, cum sancti (*d*) martyres, huius amore allecti, nec poenas timebant, nec temporalia amabant (*e*). Verum tempore Constantini, persecutione cessante et securitate obtenta, paupertas a mundo coepit repelli, exceptis quibusdam patribus in Aegypto et alibi degentibus, et hoc avaritia et divitiarum abundantia subintrantibus. Avaritia enim, primo sub specie providentiae et discretionis, demum (*f*) sub praetextu, immo vitio negligentiae et torporis, mundum subintravit et praecipue ad consortium illorum devenit, qui paupertatem ante summo affectu possederant et dilexerant, scilicet Domini sacerdotes et fideles Christicolae. Quae (*g*) mundi cardines occupans, necesse fuit paupertatem a mundo abscedere et se in caelestibus cum Christo suo et sanctis suis (*h*) collocare. Superveniente beato Francisco et quaerente hanc videre, habere et possidere, ipsam quaerendo ibat per plateas et vicos, civitates et castra et villas (*i*), per cognatos et notos, et non invenit eam. Nec immerito, quia *in terra suaviter viventium non reperitur* [2]. Videns ergo beatus Franciscus quod ipsam nullibi reperire (*k*) pro tunc in hoc mundo poterat, quia posuerat *tenebras latibulum suum* [3], quid egit? Certe *montem Domini ascendit* [4]. Patrem scilicet caelestem exorando, ut eam sibi in sponsam, sociam et dominam mittere dignaretur. Cuius votivis desideriis annuens Pater caelestis, eam ad beatum Franciscum direxit. Quam cum beatus Franciscus cerneret, exarsit in eius amorem, supplicans eidem ut vellet eius coniunctioni assensum praebere, cum vellet eam in sponsam accipere et perpetuo habere et tenere. Ipsa vero beati Francisci pensans amictum, utpote vilissime indutum, sola tunica habituali, chorda et femoralibus contentum, eius ad se desiderium et affectum, volens videre locum in quo habitare debebat (*l*), per beatum Franciscum cum omni reverentia ducta [est] ad locum; cumque esset lustrata et pauperrimum reperisset, in ecclesia, capitulo, refectorio, dormitorio, horto, claustro et aliis utensilibus, exhilarata plurimum Patri caelesti, qui eam direxerat, laudes retulit inexhaustas, qui ei praeparaverat virum iuxta cor suum [5], et beati Francisci precibus annuens,

(*a*) As, Edd. *enim diligenter summo.* — (*b*) Edd. om. *studebant.* — (*c*) Edd. *Hanc.* — (*d*) Edd. add. *enim.* — (*e*) Edd. *amittere.* — (*f*) As, Edd. *deinde.* — (*g*) Edd. add. *avaritia.* — (*h*) As om.; Edd. *eius.* — (*i*) Edd. om. *et villas.* — (*k*) As, Edd. *invenire.* — (*l*) Edd. *debebat, petiit videre, per quem a b. Francisco cum omni rev. ducta, cum eum esset lust.*

[1] Exod. 3, 17. — [2] Iob. 28, 13. — [3] Psl. 17, 12. — [4] Cf. Psl. 23, 3. — [5] Cf. Gen. 24, 44.

benigne suum (*a*) de desponsatione praebuit assensum. Quam beatus Franciscus sumere volens, sibi primo sponsalia praeparavit, pro eius amore omnia respuendo et abrenuntiando; deinde annulo subarrhavit, paupertatem professione vovendo, prae omnibus aliis modo strictiori; eamque accepit, duxit et coniunxit sibi, quando in hoc mundo nihil habere voluit nec in proprio nec in communi, nisi (*b*) solo usu, exceptis usu consumptibilibus, a quibus dominium non separatur ab usu (ut dicit dominus papa Ioannes XXII in sua decretali: *Ad conditorem canonum* [1]); quam acceptam et desponsatam sic tenuit, quod a suo amplexu nunquam abscessit. Et, ut dicetur, in ultimis (*c*) mortis constitutus, ex huius mirifica desponsatione et acceptione, ex hac paupertate sponsa beatus Franciscus multos filios generavit, iuxta illud quod dominus (*d*) Thomas de Capua in hymno de ipso edito: *In caelesti collegio* [2] dicit: *In paupertatis praedio, Minorum plantans vineam* etc. Qui filii a beato Francisco de matre paupere generati, per omnia paternis inhaerentes vestigiis et maternis, scilicet paupertatis, ut veri filii ab eius conditione nulla vi deviarunt, ut patuit de fratribus primogenitis beati Francisci: Bernardo, Petro Cathanii, Aegidio, Leone, Massaeo et sic de aliis, qui per semitam sanctae matris eorum paupertatis incedentes, et mundum claris irradiarunt fulgoribus vitae perfectae et nunc caelesti gloria decorantur. Quorum in paupertate gloriatio, in patre eorum beato Francisco perfecti connubii ad paupertatem ipsam astruunt inseparabilitatem et dilectionem [3].

Sextum decimum et ultimum beati Francisci ostendens amoris vehementiam et inseparationem, est in paupertate perseverantia et consummatio. Non solum foedus cum sancta paupertate beatus Franciscus illibatum et indisiunctum (*e*) tenuit in principio suae conversionis ad Christum et in medio, ut iam dicta declarant; sed usque in finem, videlicet (*f*) sui exitus diem, quod cum sancta paupertate accepit, foedus tenuit stricte et servavit. Ad huius amplexum strictissimum, primo (*g*) verbi efficacia, qua potuit, fratres praesentes induxit, et demum exemplo firmavit. Hora enim sui transitus proximante [4], super nudam humum se totum nudatum non tam deposuit, quam prostravit, dicens fratribus: « Ego, quod meum est, feci; quod vestrum est, Christus edoceat ». Guardianus vero unus ex sociis, tunica et chorda et femoralibus acceptis, famulo Dei obtulit dicens: « Hoc (*h*) tanquam pauperi tibi commodo, et tu illa suscipias obedientiae sanctae mandato ». « Gaudet ex hoc vir sanctus et iubilat prae laetitia cordis, quoniam fidem se tenuisse sanctae paupertati usque in finem vidit, palmasque elevans ad caelum Christum suum magnificat, pro eo quod exoneratus ab omnibus, liber vadit ad ipsum (*i*). Fecerat enim hoc sanctae paupertatis zelo, ut ne habitum quidem vellet habere, nisi ab aliquo commodatum. Voluit enim in hoc Christo crucifixo esse conformis, qui pauper, dolens et nudus in cruce pependit; propter quod in principio conversionis suae nudus remansit coram antistite, et in consummatione vitae nudus de mundo voluit exire. Fratribus quoque sibi assi-

---

(*a*) Edd. add. *ei*. — (*b*) As, Edd. add. *in*, quod Al delevit. — (*c*) As, Edd. *ultimo*. — (*d*) Edd. *dicit*. (om. *dominus*). — (*e*) Edd. *indistinctum*. — (*f*) Edd. add. *ultimum*. — (*g*) Edd. *prius*. — (*h*) Al *Haec enim tanquam*. — (*i*) Edd. *Christum*.

---

[1] *Extra. Ioh. XXII* titul. 14, c. 3. Eubel, *Bull. Franc.* V, 245. — [2] *Hymnus ad Matut. festi S. Francisci,* str. 6. — [3] Est extractus compend. *S. Commercii B. Francisci cum domina paupertate,* ed. E. Alenconiensis O. M. Cap. (Romae 1900). Cf. etiam Ubertinus a Casali, *Arbor vitae crucifixae Iesu,* (Venetiis 1485) l. V c. 3. — [4] Cf. *Leg. Mai.* c. 14 n. 3 sq.

stentibus in obedientia charitatis iniunxit, ut cum viderent eum iam esse defunctum, per tam longum spatium, nudum super humum iacere permitterent, quod unius milliarii tractum suaviter quis perficere posset, ut vivens Christo viventi et moriens morienti ac mortuus mortuo, perfecta esse studuit (*a*) imitatione conformis [1] ».

Sic ergo praefatis sexdecim apparet beatum Franciscum foederatum et coniunctum per omnia fuisse cum sancta paupertate ad instar Christi, prout secunda pars huius conformitatis dicebat; et sic apparet quanto foedere et charitate beatus pater Franciscus paupertatem amaverit.

6. Verum, quia huius paupertatis amor (*b*) sine praemio in praesenti non exsistit et futuro, cum diceret beatus Franciscus [2]: f r u c t u m e i u s e s s e m u l t i p l i c e m sed occultum; videndum est, quid beatus Franciscus ac professores perfecti sanctae paupertatis gratiarum a Domino obtinuerint in praesenti et in futuro. Ubi sciendum quod, ut patuit ex dictis in prima parte huius conformitatis, cum multa facit (*c*) in homine ipsam debite possidente, paupertas beato Francisco plura est largita.

Et primum fuit, quia eidem contulit iucunditatem. Semper enim beatus Franciscus laetus erat, etiam inter irrigua lacrimarum; et quia in nullo corporali spem posuerat, sed omnia spernebat, nihil erat quod ei maestitiam valeret inferre. Unde licet semper gauderet, specialiter tamen quando se pauperem audiebat dici et salutari. Unde in VII parte *Legendae* [3] habetur, quod dum iret ad civitatem Senensem et esset in planitie quadam inter Campilium et Sanctum Quiricum, tres mulieres pauperculae, statura, aetate ac facie (*d*) per omnia similes, ei occurrerunt, eum salutantes et dicentes: « Bene veniat domina paupertas »; et (*e*) subito disparuerunt. Quo audito, vir Dei indicibili gaudio et laetitia est repletus, utpote qui nihil audire sic optabat pro salutatione, sicut id quod illae dixerunt.

Dedit paupertas secundum beato Francisco, videlicet securitatem. (*f*) *Legendae* pars IV [4] dicit, quod « sancta paupertas faciebat, quam solam ferebant pro sumptibus, beatum Franciscum et filios fratres ad omnem obedientiam promptos, robustos ad labores et ad itinera expeditos. Et quia nihil terrenum habebant, nihil amabant, nihilque timebant amittere; securi erant ubique, nullo pavore suspensi, nulla cura distracti, tanquam qui absque mentis turbatione vivebant, diem crastinum et serotinum hospitium sine sollicitudine exspectabant ». Ubique ergo beatus Franciscus erat securus, quia paupertas eum *in adiutorio* stare faciebat *Altissimi*, non timebat *a timore nocturno* [5]. Huius signum erat, quia de nocte pergebat ad ecclesias derelictas sine timore, et pernoctabat ibidem [6]. Quod enim paupertas eum fecerit securum patuit, quia relicto mundo coram episcopo, cum (*g*) per nemora seminudo corpore laudes decantaret, occurrentibus latronibus non timuit, nec cessavit a laude, ut dicit II pars *Legendae* [7].

Tertium dedit paupertas beato Francisco, scilicet tranquillitatem. Cum enim contempsisset omnia, nihil perturbabat aut inquietabat eius mentem, et sic semper erat

(*a*) Al, As et Bonav.; Edd. *esset imitatione*. — (*b*) As, Edd. *imitatio*. — (*c*) Al, As om. *cum*; As, Edd. *faciat*. — (*d*) Sic As, Edd. Bonav.; Al *forma*. — (*e*) Edd. add. *hoc dicto*. — (*f*) Edd. add. *Ut enim*, postea om. *quod*. — (*g*) Al, As *et* pro *cum*.

[1] L. c., n. 4. — [2] L. c. c. 7 n. 1. — [3] L. c. c. 7 n. 6. — [4] C. 4 n. 7. — [5] Cf. Ps. 90, 1 et 5. — [6] *Leg. Mai.* c. 10 n. 3. — [7] L. c. c. 2 n. 1 sqq. n. 5.

mente tranquillus, nihil distrahebat eum ad mundana, quia sine sollicitudine vivebat. Ut enim dicit eius *Legenda* [1], ad exteriora per Christi gratiam totus insensibilis erat effectus, de nullo curabat, nisi spiritum Domino exhibere praesentem; et quia nil aliorum petebat, pacem eius pectoris conservabat, et cantabat et *in cunctis operibus manus Domini exaltabat* (*a*) [2]. Et quia sic erat, hinc est quod perturbatos reducebat ad tranquillitatem et pacem, sicut civitatem Aretii et civitatem Senensem, ut habitum est in praecedentibus [3].

Quartum dedit paupertas beato Francisco, scilicet impassibilitatem; ut videlicet in illatis patientissimus esset, et de nullo sibi dicto aut facto curaret. Imperturbatus in iniuriis et conviciis stabat, commendando Domino improperia dicentes, et deprecans pro sibi poenas et angustias inferentibus. Quia enim abdicatio mundi inerat eidem cum abnegatione sui: aliter non fuisset veraciter expropriatus, quia loculos propriae habuisset voluntatis; quare de iniuriis non affligebatur, quia ipsum in nullo laedebant, sed Domino appropiabant (*b*). Verberatus a latronibus post mundi abdicationem, nihil curavit, immo cantavit [4].

Quintum dedit paupertas beato Francisco, scilicet intimitatem et coniunctionem cum Christo. Ipsa (*c*) est glutinum, quo homo ligatur, iungitur (*d*), copulatur et cum Christo strictus tenetur. Teste enim ipso beato Francisco, virtus, quae magis amicum (*e*) Christo reddit, est paupertas; quare et sibi coniunctum (*f*), quia amicorum est idem velle et idem nolle, et duo sunt in mente una. Et quod beatus Franciscus Christo fuerit unitus, patet eius *Legendam* intuenti. In cuius signum Christus, ut ipse postmodum revelavit, ei concessit ut semper sancta cogitaret, loqueretur et operaretur. De cuius coniunctione loquitur IX pars *Legendae* [5], quod Christus Iesus intra suae mentis ubera [6] continue morabatur; in quem optabat per amorem totaliter transformari.

Sextum dedit paupertas beato Francisco, scilicet mentis puritatem. Paupertas enim est quidam caminus ignis omnia purgans et a mente excoquens et removens temporalium delectationum et affectionum materiam. Occasionem enim omnem tollit peccandi, ut dictum est supra; in cuius signum Christus, qui nisi a mundis (*g*) oculis videtur, a beato Francisco multoties est visus, ut conformitate praecedenti est dictum [7].

Septimum dedit sancta paupertas beato Francisco, scilicet mentis sublevationem. Quia enim mentem a terrenis omnino removerat per ipsorum abiectionem et vilipensionem, hinc est, ut dicit IV pars *Legendae* [8], quod mente et facie semper ad superna videbatur suspensus et affixus, ut dictum est conformitate praecedenti [9]. Et de his quae fiebant circa ipsum, nihil advertebat, ut patuit quando per Burgum Sancti Sepulchri transivit [10].

Octavum quod porrexit paupertas ipsa beato Francisco, est victoria de diabolo. Unde de beato Francisco loquens Alexander in privilegio de stigmatibus, quod incipit: « *Benigna divinae operatio voluntatis* », dicit [11] quod ipse « viam iustitiae pa-

(*a*) As *manibus deum exalt.;* Ed. II *exultabat.* — (*b*) As, Edd. *approbabant.* — (*c*) Edd. add. *enim.* — (*d*) As, Edd. om. *iungitur.* — (*e*) Al *coniunctum.* — (*f*) Al *quare sibi coniunctum? Quia.* — (*g*) As *a mentis;* Edd. *mentis* (om. *a*).

[1] L. c. c. 10 n. 1. — [2] Cf. l. c. c. 9 n. 1 et Ps. 91, 5. — [3] Cf. supra p. 17. — [4] Cf. II Cel. II, 102 (al. III, 79) n. 140. — [5] *Leg. Mai.* c. 9 n. 1 et 2. — [6] Cf. Cant. 1, 12. — [7] Cf. supra p. 76 sqq. — [8] *Leg. Mai.* c. 4 n. 5. — [9] P. 83 sqq. — [10] *Leg. Mai.* c. 10 n. 2. — [11] Sbaralea, *Bullar. Franc.* II, 85; cf A F IV, 80.

rans in deserto altissimae paupertatis, contra carnem, mundum et diabolum *exultavit velut gigas* [1] ». Nam quod diabolum paupertate superaverit, patet in I libro conformitate VII (*a*) parte secunda [2], et dicetur conformitate IX huius II. Cum enim diabolus soleat homines per mundialium appetitum capere, per abiectionem ipsorum perfectam vincitur et superatur, quia nudus cum nudo luctari debet. Et quod beatus Franciscus diabolum vicerit, signum erat quod ad ipsum per multa milliaria, ut ipsi daemones testati sunt, accedere ab angelis non permittebantur [3].

Dedit paupertas beato Francisco nonum, scilicet devotionem et dulcedinem miram ad Deum et ad sanctos. Quoniam haesit totaliter Deo per amplexum paupertatis, gustavit quam suavis esset Dominus, cuius suavitate attractus, nihil ei erat (*b*) grave vel onerosum. Hinc est quod quadragesimas plures faciebat, et praecipue ad sanctos, qui prae aliis paupertatem amaverunt [4], quorum amore (*c*) et consideratione non solum in proposito sanctae paupertatis confirmabatur, sed ad perficienda omnia reddebatur ex devotione et dulcedine promptissimus. Ter ad terram Saracenorum ivit [5]; ad sanctum Iacobum de Galicia [6], ad Sanctum Michaelem [7], ad Sanctum Nicolaum [8], Romam pluries [9]; et sic sanctuaria visitando argumentum erat devotionis magnae et dulcedinis superabundantis consolationis divinae. Hac devotione et dulcedine, ex bono paupertatis accepta, clamabat: « Deus meus et omnia », prout expressit in camera, adhuc saecularis exsistens, fratris Bernardi dormiendo [10] (*d*).

Decimum quod dedit paupertas (*e*) beato Francisco, fuit subventio. Sibi enim in cunctis subvenit; nihil enim defuit beato Francisco postquam Christi amore, corde fuit et opere sanctae paupertati coniunctus. Beato Francisco cum sociis famescenti post confirmationem primae regulae, cibus caelitus est a Deo destinatus, ut dicit IV pars *Legendae* [11]. Capitulo generali, in quo ultra quinque milia fratrum fuerunt, omnia affluenter Dei providentia sunt ministrata, ut dicit IV pars *Legendae* [12]. — In mari Sclavoniae cibaria ingredienti navim, pro ipso et socio a Deo directa, ipsis etiam nautis suffecerunt [13]. — In eremo Sancti Urbani aqua in vinum est mutata [14]. — Deferenti in asello beatum Franciscum fons aquae noviter (*f*) in monte est productus [15] — Hominibus de Assisio ducentibus beatum Franciscum de Nucerio Assisium in Satriano, cibus gratifice est datus [16] (*g*).

Vinea sacerdotis comesta a plebe, vindemiarum tempore vinum praebuit ultra consuetum [17]. — Medico et fratribus apud Fontem Polumbarum pro prandio necessaria cuncta dantur [18]. — Panibus tribus multiplicatis satiantur sufficienter fratres numero triginta [19]. — Per totam quadragesimam maiorem in lacu Perusino medietate unius

(*a*) Al, Edd. falso *conf. VI;* (As om.). — (*b*) As, Edd. om. *erat — amaverunt.* — (*c*) As *quorum* (postea corr. in *caduci*) *amoris.* — (*d*) Edd. om.; As *dormitando.* — (*e*) Edd. add. *sancta.* — (*f*) As, Edd. *de novo.* — (*g*) As, Edd. *donatus.*

[1] Cf. Ps. 18, 6. — [2] AF IV, 156-64. — [3] Cf. supra p. 11, l. 25-30. — [4] *Leg. Mai.* c. 9 n. 2, 3. — [5] L. c. n. 5, 6, 7 sqq. — [6] L. c. n. 7. — [7] Cf. l. c. n. 3; c. 13 n. 1, sed de ipso itinere ad Montem Garganum nihil; cf. Wadding, *Annales* ad an. 1222 n. 21; II², 100. — [8] Cf. *Leg. Mai.* c. 7 n. 5; cf. AF IV, 479; supra p. 11. — [9] L. c. c. 1 n. 6; c. 3 n. 8 sqq.; c. 4 n. 11. — [10] Cf. *Actus* c. 1; cf. AF IV, 179. — [11] *Mai.* c. 4 n. 1. — [12] N. 10. — [13] L. c. c. 9 n. 5. — [14] L. c. c. 5 n. 10; cf. supra p. 12. — [15] C. 7 n. 12; supra p. 12. — [16] L. c. n. 10; *Spec. Perf.* Sabatier, c. 22. — [17] *Actus* c. 21 n. 11-20. *Spec. Perf.* Sabatier, c. 104. — [18] *Specul.* cit. c. 110; II Cel. II, 15 (al. II, 13) 44. — [19] Cf. *Leggenda antica* ed. Minocchi, c. 42.

panis a Deo sustentatur Franciscus [1]. — Infirmo de Sancto Iacobo redeunti, avicula ad edendum caelitus Francisco est missa [2]. — Sic et apud Assisium aegroto et desideranti de pisce (*a*) squalo, canistrum plenum est directum [3]. — Petrosillus nocturno tempore, quem optabat, invenitur [4]. — Semel ipso tunica indigente, cum diceret guardiano ut sibi faceret unam, cum guardianus mente volveret per noctem quomodo posset invenire, summo mane, cum vellet ad hoc locum exire, hominem invenit deferentem pannum pro sex tunicis, ut daret fratribus pro anima sua. Et cum guardianus id beato Francisco retulisset, dixit beatus Franciscus: « Accipe pannum, quia ad hoc missus est iste homo a Deo, ut meae necessitati totaliter (*b*) subveniret, et gratias age illi solum, qui de nobis videtur esse sollicitus [5] ». — Multis aliis modis et viis divina providentia beato Francisco in cunctis subvenit. Quapropter beatus Franciscus animando fratres ad amplexum paupertatis dixit eis, quod si paupertatem tenerent, nihil deficeret eis, et dicebat: « Quantum fratres declinabunt a paupertate, tantum mundus declinabit ab eis. Quaerent et non invenient. Sed si dominam meam paupertatem complexi fuerint, mundus eos nutriet, quia mundo dati sunt ad salutem. Commercium est inter mundum et fratres; fratres debent ipsi bonum exemplum dare, et mundus debet eis provisionem necessitatum. Quando ipsi fratres retraxerint bonum exemplum, fide mentita, contrahet mundus manus suas iusta censura [6] ».

Undecimum dedit paupertas beato Francisco, scilicet impetrationem. Ipse *pauper* Deo dignissimus Franciscus *clamavit*, et statim *Deus exaudivit eum* [7], ut dicetur conformitate XI huius II libri.

Duodecimum quod habuit beatus Franciscus ex paupertate, est caelestis gloriae subarrhatio, ut supra dictum est. Apostoli Dei beatus Petrus et beatus Paulus beato Francisco hoc praedixerunt, ex Christi parte dicentes, quod « quicunque paupertatem perfecte sequerentur, de regno beatitudinis sunt securi [8] ».

Sic ergo ex praefatis apparet, quomodo beatus Franciscus paupertatem dilexerit et quid boni eius dilectione accepit. Multa alia possunt adduci ad probandum paupertatem beati Francisci et quae habuit ex paupertate; sed pro praesenti declaratione huius conformitatis beati Francisci ad Christum, sufficiunt iam dicta.

Ergo, fratres dilecti, ad amplexum paupertatis antedictis consideratis cum inducamur, videlicet:

Primo Christi exemplo,

Secundo suae matris, Virginis Mariae,

Tertio apostolorum et discipulorum,

Quarto sanctorum tam patrum de Aegypto quam aliorum, Martini, Benedicti et sic de aliis,

Quinto philosophorum,

Sexto gentilium et paganorum,

Septimo dictis Christi et doctorum,

Octavo collatione bonorum in praesenti,

(*a*) Codd. om. *de pisce,* tunc hab. *squalum;* As *de p. scabo.* — (*b*) Edd. *taliter;* (sic etiam Cel.)

[1] *Actus* c. 6. — [2] Cel. *Tract. mirac.* c. 5 n. 34; cf. supra p. 11. — [3] *Specul.* cit. c. 111. — [4] II Cel. II, 22 (al. II, 20) 51. — [5] L. c. II, 14 (al. II, 12) 43. — [6] Ex II Cel. 40 (al. III, 16) 70. — [7] Cf. Ps. 33, 7. — [8] *Actus* c. 13 n. 27-31.

Nono praemio futurorum, quia eam tenentibus regnum datur caelorum, sed spernentibus traditur consortium damnatorum, sicut dictum est IX conformitate I libri parte secunda,

Decimo exemplo beati Francisci et suorum sociorum, qui eam viventes et morientes custodierunt: Arripiamus ergo ipsam paupertatem, ut sicut professione devovimus, sic summopere (*a*) impleamus; ut eius amplexu subministrentur necessaria, devitemus antiqui diaboli latibula, victoriam habeamus de mundo, carne et diabolo, et tandem eius ductu laureati perpetuo simus in gloria. Amen. — Sic (*b*) ergo patet expositio conformitatis IV huius II libri, quoad utramque partem, videlicet: *Iesus inops et modicus: Franciscus foederatur.*

FRUCTUS ET CONFORMITAS QUINTA ET IN ORDINE DECIMA SEPTIMA:

Iesus Submissus Omnibus. — Franciscus Minoratur.

Expositio primae partis, videlicet: **Iesus submissus omnibus.**

Virtus illa nobilissima sanctae humilitatis, qua homo Deo placet, displicet diabolo, a vitiis separatur ac virtutibus mirifice adornatur, etsi nobis ostendatur suscipienda: A caelestibus, utpote quia boni angeli eam tenentes in caelo remanserunt, superbientes vero et mali a caelo eiecti de angelis daemones effecti sunt. A terrestribus, videlicet animalibus, quae cum in quibusdam virtutibus corporalibus praevaleant homini, videlicet in visus acuitate lynx et aquila, in olfatu canis et vultur, in auditu gattus et serpens, in pulchritudine pavo, in voce philomena (*c*), in fortitudine leo, in velocitate lepus, in prudentia formica, in amictu et ornatu, iuxta dictum Christi [1], lilia agri et sic de aliis, quae potiori modo quam in hominibus reperiuntur; et sic in talibus et de ipsis nequeant superbire. A corpore nostro, scilicet de putredine, iuxta dictum Iob [2] generato, cum dolore enixo, omnibus spoliato, egresso ex utero veste et pelle secundina excepta, in calamitatibus constituto et miseria, et ad mortis finem et cinerem destinato. Ab anima, quam naturaliter invenit homo plenam ignorantia, facilem ad seducendum, difficilem ad corpus regendum et refraenandum, a peccato resurgendum et ad bonum operandum (*d*).

A toto homine, considerando mortis infallibilitatem, quia sancitum est cuilibet homini semel mori [3]; mortis incertitudinem: quoad tempus, [quia an hodie vel cras] (*e*); quoad locum, quia an in mari, vel in terra et sic de aliis; quoad (*f*) personam, an per hominem, vel per bestiam etc.; quoad motum, subito vel per spatium et successive; quoad aetatem, puer vel iuvenis vel senex; quoad genus, febre, videlicet vel gladio et sic de aliis; quoad sepulturam, an ponatur in tumulo, vel bestiis (*g*) detur ad devorandum. Haec omnia incerta cum sint, ad humiliandum praebent documentum. Et non solum praefatis inducitur homo ad humilitatem, sed ad hoc praecipue est Scriptura sacra, quae dum superbos docet exemplo deiectos a suis statibus, ut patet de Lucifero [4], Adam primo homine [5], Pharaone [6], Nemrod [7], Adonisedech [8], Sisara [9], Goliath [10], Saule [11], Achaz [12], Achab [13], Manasse [14], Senna-

(*a*) Edd. *sic etiam opere.* — (*b*) As. om. *Sic — foederatur.* — (*c*) Edd. *philomela.* — (*d*) As, Edd. *peragendum.* — (*e*) Al, As om. *quia — cras.* — (*f*) Al om. *quoad — successive.* — (*g*) As, Edd. *canibus.*

[1] Matth. 7, 28. — [2] Cf. Iob 17, 14. — [3] Cf. Hebr. 9, 27. — [4] Isai. 14, 12. Apoc. 12, 7 sq. — [5] Gen. 3, 24. — [6] Exod. 14, 24 sqq. — [7] Gen. 10, 8 sq. — [8] Iud. 1, 5 sqq. — [9] Iud. 4, 15 sq. — [10] I Reg. 17, 4 sq. — [11] I Reg. 16, 1. — [12] IV Reg. 16, 1 sqq. — [13] III Reg. 16, 17, 18-22; 22, III Reg. 20 sqq. — [14] II Par. 33, 11 sq.

cherib [1], Nabuchodonosor [2], Arphaxad [3], Antiocho [4] et sic de aliis multis; humilitate fulgentes a Deo pandit erectos. ut patet de Moyse [5], David [6] et sic de pluribus aliis, quibus superbiam docet merito abiici et humilitate ornari. Verum cum Scriptura dicat, Eccli. 3, 20: *Quanto maior es, tanto magis te humilia in omnibus, et coram Deo* et hominibus *invenies laudem;* hinc est, quod si volumus vere humilitatem addiscere, ab illo, in quo summe fulsit, scilicet Domino nostro Iesu Christo, addiscamus. Cuius humilitatis magnitudinem exprimit Apostolus, Philip. 2, 6 sqq., ex hoc, quia cum esset Deus, in tantum se humiliavit ut factus sit homo, dicens: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo;* et addit: *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*

1. Quare celsitudo deitatis calamitatem (*a*) nostrae miseriae et vilissimae humanitatis accipiendo (*b*), super omnia Dei et Domini nostri Iesu Christi pandit humilitatem; hanc enim accepit in suo exordio, in medio tenuit, et usque ad mortem cum ipso permansit. Hanc enim virtutem notabilem et insignem multipliciter ostendit et declaravit se diligere, dum eam assumpsit.

Primo in incarnatione, quando voluit nostra carne vili obumbrari, novem mensibus in utero beatae Virginis reclinari et de eius purissimis sanguinibus victitari (*c*).

Secundo in sui in mundum ortu et nativitate, more aliorum nascendo, collocatus in praesepio et stabulo et pannis vilibus, ut pauperculus, amictus, et multis necessitatibus tam in se quam in matre circumdatus [7].

Tertio in circumcisione, se (*d*) in similitudinem peccatorum circumcidendo, et patribus (*e*) conformando [8].

Quarto in praesentatione in templo, cum tali societate delatus, ac ut pauper et humilis redemptus (*f*) duobus pullis turturum seu columbarum [9].

Quinto in peregrinatione et ad Aegyptum fuga, si pensetur modus, tempus, coetus, locus et alia, quae ad haec concurrerunt [10].

Sexto in baptismi a Ioanne Baptista, ut peccator, susceptione; Dominus omnium a servo voluit baptizari et se poenitentia indigere declaravit [11].

Septimo in praedicatione et societate, quia humiles personas et abiectas ad suum discipulatum et consortium admisit [12].

Octavo in mulieris Samaritanae benigna allocutione; non est dedignatus cum muliercula loqui et eam informare [13]. Sic etiam ad servum accedere voluit centurionis [14].

Nono in Lazari resuscitatione, plorando, orando Patrem et gratias referendo eidem [15].

Decimo in honoris in die palmarum susceptione; quia asinum elegit et non equum ad supersedendum, ac lacrimas fudit, casum flendo civitatis Ierusalem futurum [16].

Undecimo in discipulorum pedum lotione et multis aliis in cena ab ipso exhibitis [17].

Duodecimo in sua sacratissima passione [18]; si consideretur vilis venditio falsa proditio, eius captio, ligatio, deductio, vilipensio, calumniatio, percussio, verberatio, derisio, ad crucem iudicatio, sociatio, coronatio, exprobratio, cibatio, titulatio et vilissima pertractactio. Et (*g*) sic ad hoc, concurrentibus aliis, acclamant cum praefatis indicibilem et summam

---

(*a*) Edd. *calamitas.* — (*b*) As, Edd. om. *accipiendo.* — (*c*) As *victuari;* Edd. *formari.* — (*d*) Edd. *seu.* — (*e*) Edd. add. *se.* — (*f*) Al, As *redimi.* — (*g*) Edd. *Haec multis aliis;* deinde om. *cum praefatis.*

---

[1] IV Reg. 19, 35 sqq. — [2] Dan. 4, 28 sqq. — [3] Iudith. 1, 1 sqq. — [4] I Mach. 6, 8 sqq. — [5] Exod. 3, 1 sqq. — [6] I Reg. 16, 11 sqq. — [7] Luc. 2, 7. — [8] Luc. 2, 21. — [9] L. c. 2, 24. — [10] Matth. 2, 13 sqq. — [11] Matth. 3, 13 sqq. — [12] Matth. 4, 18 sqq. — [13] Ioan. 4, 7 sqq. — [14] Matth. 8, 5 sqq. — [15] Ioan. 11, 1 sqq. — [16] Matth. 21, 1 sqq. — [17] Luc. 19, 41 sqq. — [18] Ioan. 13, 4 sqq.

fuisse humilitatem Filii Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi, qui non solum *minoratus paulo minus ab angelis* [1], immo ut abiectissimus fuit reputatus ab omnibus.

Et quare humilitatem assumpsit, nisi ut doceret ipsam humilitatem sibi acceptissimam et sine qua nihil prodest ad salutem, ut dicetur. Ad huius virtutis suo exemplo acceptationem invitabat fideles Christicolas, dicens Matth. 11, 29: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Augustinus in *Sermone plurimorum martyrum* [2]: « *Discite a me,* non mortuos suscitare, non super aquas siccis pedibus ambulare. Non hoc dixit; sed quid ait? *Quia mitis sum et humilis corde* ».

2. Et quia virtus humilitatis plures, testantibus doctoribus, habet gradus, hinc est, quod quaerenti hanc possidere virtutem, si per scalam huius virtutis velit ascendere, a Christo quaerat summo magistrorum, qui sunt eius gradus, et (*a*) respondebit quod eius gradus primus est humilitatem ostendere. — Primo ut corde sit veraciter humilis et in hac virtute fundatus. Hunc gradum Christus ostendit, quia vere corde et non ficte fuit subditus matri et patri putativo Ioseph, Luc. 2, 51; propter quod ad huius ostensionem dicit: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde,* Matth. 11, 29. — Secundo corpore; ut sit humilis etiam corpore, videlicet vili vestimento et corporis amictu se adornando. Non habuit Christus robas et vestimenta, varietate et pretiositate colorum distincta et singularia. Quod prohibuit discipulis, ut ait Hieronymus, ipse Magister non habuit, sed tunicam simplicem. De hoc enim modo speciali Baptistam commendavit Ioannem, Matth. 11, 8. — Tertio pompas et pompaticos fugiendo honores. Ipse Dominus turbam eum volentem regem facere fugit, Ioan. 6, 15; et sic facto fugiendos honores declaravit. — Quarto, ut mundanas despiciat. Christus non habuit ubi caput suum reclinaret, Matth. 9 [3]. — Quinto sensus corporeos et praecipue oculos et ipsorum aspectum declinando, quia, ut dicit Scriptura [4]: *Oculos sublimes odit Deus.* Christus non solum oculos, sed et seipsum inclinavit, cum digito in terram scriberet, Ioan. 8, 6. Quibus quinque primus gradus ascensionis scalae humilitatis, quoad eius ostensionem, integratur cum sequentibus, si habeantur.

Secundus humilitatis gradus, ut personas humiles et pauperes diligat. Christus doctores deserens, in quorum medio stabat, matre visa, ad ipsam et Ioseph humiles accedit et cum eis conversatur [5]; sic cum humilibus apostolis stat et aliis.

Tertius gradus est fuga propriae laudis. Christus daemonibus et pluribus a se curatis mandavit, ut nulli panderent, quae circa eos peregerat, ut patet in evangelio Matthaei [6], Marci [7] et Lucae [8], pluribus in locis.

Quartus gradus est susceptio laeta iniuriarum et tolerantia. Iesus dum verbis contumeliosis impeteretur a Iudaeis et diceretur scilicet daemoniacus [9], potator vini [10], fabri filius [11], peccator [12] et sic de aliis, etsi quibusdam confutandis rationabiliter respondit, non tamen reddidit maledictum pro maledicto [13]. Accusatusque, Pilato nihil respondit [14], multisque iniuriis lacessitus et tandem crucifixus, summa patientia omnia toleravit, ut Isaias [15] testatur et I Petr. 2, 21 sqq.

Quintus gradus est, ut quis communi vitae aliorum in bono se conformet. Dominus Iesus Christus cum publicanis conversabatur et cum peccatoribus comedebat, hospitabatur et stabat, ut patet de Mattheo, Matth. 9, 10, et de Zachaeo, Luc. 19, 5 sqq. et in aliis locis habetur; propter quod amicus dicebatur a Iudaeis publicanorum, Matth. 9, 11.

(*a*) Al om. *et — gradus.*

[1] Hebr. 2, 9; Ps. 8, 6. — [2] *Sermo* 69 (al. *De verbis Dom.* 10) n. 2 (P. L. 38, 441). — [3] Potius 8, 20; Luc. 9, 58. — [4] Prov. 6, 16 sq. — [5] Luc. 2, 46 sqq. — [6] Matth. 8, 4. — [7] Marc. 8, 26. — [8] Luc. 5, 14. — [9] Matth. 11, 19. — [10] Ioan. 8, 48. — [11] Matth. 13, 55. — [12] Matth. 13, 55. — [13] Ioan. 9, 31. — [14] Matth. 27, 14. — [15] Isai. 53, 7.

Sextus gradus est, ut se subdat maiori, minori et aequali. Christus Patri se subiecit; legi, qui erat supra legem; Iudaeis sibi infimis, se capi ab eis permittendo et occidi; Matri et Ioseph.

Septimus gradus est altitudinis status fuga et gloriari humilitate. Christus statum elegit pauperum et humilium, et non divitum (*a*) nec principum aut potentum huius saeculi, docuitque in humilitate persistere, dicens Lucae 14, 8 sqq: *Cum invitatus fueris ad nuptias, recumbe in novissimo loco* etc. Et *qui se humiliaverit, exaltabitur;* et Lucae 22, 27 dicit: *Ego autem in medio vestrum sum, tanquam qui ministrat,* et Matth. 20, 28: *Ego non veni ministrari, sed ministrare* etc.

Octavus gradus est, ut suam non velit unquam perficere voluntatem. Christus dicit Ioan. 6, 38: *Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me, Pàtris,* et Matth. 26, 39: *Non quod ego volo, sed quod tu.*

Nonus gradus, est taciturnitatem servare usque ad interrogationem. Christus Herodi nec Pilato respondit, ut habetur Lucae 23, 9 et Ioan. 19, 9.

Decimus gradus est, Deum timere et eius servare mandata. Christus dicit, Ioan. 14 [1]: *Ego praecepta Patris mei servavi et maneo in eius dilectione,* et Ioan. 14 [2]: *Quae placita sunt ei, facio semper.*

Undecimus gradus est, ut sit mansuetus in verbis et cum magna maturitate loquatur et modestia. De Christo dicitur, Lucae 2, 47: *Mirabantur super doctrina et responsis eius,* et Ioan. 7, 46: *Nunquam sic locutus est homo.*

Duodecimus gradus est, ut in omnibus operibus et humilitatis actibus delectetur. Christus tetigit leprosos et infirmos, nec eorum est dedignatus contactum, ac pedes lavit discipulorum. — Sic ergo Dominus Iesus et humilitatem tenuit et tenendam praefatis gradibus declaravit. Praefatos gradus humilitatis ponit beatus Benedictus in *Regula* cap. 7 [3] et Bernardus, regulam beati Benedicti exponens [4]. Cum eis concordat venerabilis Anselmus, etsi tot non ponat.

3. Verum Ioannes Climacus in XXV *Scalarum* [5] suarum gradu alios ponit, verbis a praefatis distinctos sed ad praefatos reducibiles, ut intuenti potest patere. Qui gradus ab ipso sic ponuntur: Primus gradus est ignominiae susceptio, ut convicia quis libenter sustineat. — Secundus gradus est omnis irae et furoris temperantia, ut nunquam ex illatis in verba et iram accendatur. — Tertius est bonorum omnium infidelitas fidelis, ut se bonorum largitorum a Deo non reputet dignum aut fidelem dispensatorem, sed potius infidelem. — Quartus gradus est mansuetudo et tractabilitas, ut sit conversabilis et tractabilis. — Quintus gradus est amor pauperum cum opere, ut pauperes diligat et eis subveniat.

Sextus gradus est iniurias et offendicula supportare, ut non solum supportet verba, sed et verbera. — Septimus gradus est voluntatis propriae abnegatio, ut non quod ipse, sed quod alter vult et mandat, faciat. — Octavus gradus est obedientia, ut obediat maioribus, minoribus et aequalibus. — Nonus gradus est paupertatis ex corde susceptio. — Decimus gradus est vilis sui reputatio et ostensio. — Undecimus gradus est multiloquii devitatio et declinatio. — Duodecimus est cupidinis gloriae omnis abdicatio.

4. Ponit etiam alios: Primus est divinorum beneficiorum attentio et quam sumus ingrati eidem. — Secundus est sui diligens cognitio et conspectio, principium, medium et finem considerando. — Tertius gradus est suiipsius reprehensio de multiplici imperfectione et de-

---

(*a*) Al om. *divitum — aut.*

---

[1] Potius Ioan. 15, 10. — [2] Potius Ioan. 8, 29. — [3] P. L. 66, 371 sq. — [4] *De statu virt.* pars I n. 14 (P. L. 184, 798); cf. *Sermo de B. M. V.* in Luc. 1, 28 (P. L. 184, 1016 sq.). — [5] *Scala paradisi,* gr. I sqq. (P. G. 88, 631 sq.).

fectibilitate. — Quartus gradus est vanae gloriae et mundi odium. — Quintus est de omnibus beneficiis sibi collatis se ingratum reputare.

Sextus est, ut ne ipsi gloriam praestet, sed quod conservet eum (*a*) in humilitate debet (*b*), Deum rogare. — Septimus gradus est habitus et vilis induitio. — Octavus est exercitatio in humilibus. — Nonus gradus est inconfidentia de seipso, ut scilicet de se quoquo modo non confidat. — Decimus gradus est, ut peccatum quantum potest caveat, tamquam Deo displicens. — Undecimus, Dei praecepta satagat custodire. — Duodecimus, ut reprehensiones non abiiciat, sed libenter sustineat. Hos gradus ponit ille Ioannes Climacus humilitate insignis, ut ab experto (*c*); qui, ut dictum est, ad praefatos valent reduci.

Per hos gradus ascendendo, ad humilitatis fastigia quis valet pervenire, prout magister veritatis Christus et verbo docuit et exemplo firmavit. Hanc enim tenere prius voluit, et deinde verbo docere totis nisibus circumplectendam, non solum ut sibi placibilem et acceptam, ut dictum est, sed ut nobis utilissimam et ad multa valentem.

5. Ad multa enim utilis est ipsa humilitas:

Primo Dei sapientiam in animam introducit, Prov. 31 [1]: *Ubi humilitas, ibi et sapientia.* Et Matth. 11, 25: *Abscondisti a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Salomoni petenti humiliter sapientiam, III Reg. 3, 11 sq., sapientiam Deus dedit.

Secundo a diabolo liberat, eius laqueos praecavendo. Antonius abbas terram laqueis diaboli vidit plenam [2]. Et cum quaereret, quis posset evadere et transire, responsum accepit, quod humilitas, de ipso triumphando. Gen. 3, 15 scriptum est: *Ipsa conteret caput tuum;* caput diaboli superbia est, quam sola humilitas amputat et elidit. David humilis caput abscidit Goliath superbi, I Reg. 17, 4 sqq., ipsum superando et vincendo. Item I Mach. 11, 71 sqq. Ionathas derelictus a suis, cinerem imponendo capiti et se humiliando et orando, contra hostes procedens vicit. Diabolus (*d*) dixit Machario [3]: « Humilitas tua sola me vicit ». Iudas Machabaeus, I Mach. 3, 47 sqq. cinerem super se et suum exercitum spargendo, hostes prostravit. Et de ipso idem habetur, II Mach. 11, 6 sqq., contra Lysiam. Glossa [4] in Rom. 7 inquit: Esto humilis: non de te praesumas, et poteris vincere. A diabolo, dicitur in *Vitis Patrum* [5], inquietamur, quia arma nostra abiecimus, quae sunt contumeliae susceptio, paupertas et humilitas ac sapientia. Augustinus: Solus vincitur, qui de se praesumit. Solus vincit, qui de se non praesumit; hostem evadendo, subtilis et exilis ab hoste non tenetur rete. Nabuchodonosor in captionem traxit divites et potentes, IV Reg. ult. 6 sqq., pauperibus, id est humilibus, dimissis et evadentibus.

Tertio animam pacificat et tranquillat. Inter superbos semper sunt iurgia, sed non inter humiles. Inter pastores Abraham et Loth sunt iurgia et nequeunt habitare simul. Sed Loth ab Abraham diviso, ipse humilis Abraham habitat in pace in terra, Gen. 13, 7 sqq.

Quarto oculos Dei ad se inclinat. Lucae 1, 48 Maria inquit: *Respexit humilitatem ancillae suae* etc. Psalmus [6]: *Humilia respicit in caelo et in terra.* Et Isaias [7]: *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum* (*e*) *contritum spiritu?*

Quinto Dei aures patefacit et reserat. Iudith 11 [8]: *Humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.* Et Psalmus [9]: *Respexit in orationem humilium, et non sprevit preces eorum.* Et Eccli. 35, 21: *Oratio humiliantis se nubes penetrat,* et pro exauditionis suffragio Deum adit. Defectus humilitatis in orationibus causa est non exauditionis. Patet de Phari-

---

(*a*) Edd. *cum;* et om. *in.* — (*b*) As, Edd. om. *debet.* — (*c*) Edd. om. *ut ab experto.* — (*d*) Al om. *Diabolus — vicit.* — (*e*) Edd. *pauperem.*

---

[1] Potius Prov. 11, 2. — [2] *Vitae Patrum,* (Verba Senior.) n. 129 (P. L. 73, 785). — [3] L. c. n. 124 (P. L. 73, 784). — [4] Ordin. in Rom. 7, 11 ap. Lyranum. — [5] L. c. l. 7 c. 25 (P. L. 73, 1048 sq.). — [6] Ps. 112, 6. — [7] Isai. 66, 2. — [8] Potius Iudith 9, 16. — [9] Ps. 101, 18.

saeo et publicano, Lucae 18, 10. Et per oppositum humiliantes se Deus exaudit. Filii Israel, valde humiliati in Aegypto, a Domino exaudiuntur, Deut. 26, 7.

Sexto Dei iram mitigat et sententiam revocat. Psalmus [1]: *Humiliatus sum, et liberavit me.* Iram quod revocet Dei et quod placet, patet de Achab, III Reg. 21, 27 sqq.; de Ninivitis, Ion. 2 [2]; de Ioachaz (*a*), IV Reg. 13; de Iosia, IV Reg. 22, 18 sq. Sic et de Manasse, II Par. 33, 12 sqq. Et de Roboam et de viris Iuda dicitur, II Par. 12, 12: *Quia humiliati sunt, aversa est ab eis ira Dei.* Iudith, ut placaret Dominum, posuit cinerem super caput suum etc. [3]. Sic et Iosue et filii Israel, Iosue 7, 6. Et multa de hoc habentur exempla in sacra Scriptura

Septimo furorem hominum sedat. *Responsio mollis,* idest humilis, *frangit iram,* Prov. 15, 1. David humiliter respondendo Sauli, eius iram fregit [4]. Sic Iacob humilitate fregit Esau fratrem suum, Gen. 33, 4 sqq. Gedeon humili sermone iram compescuit virorum Ephraim, Iudic. 8, 1 sqq.

Octavo ad statum sublevat et exaltat. Christus clamat in Evangelio [5]: *Qui se humiliat, exaltabitur.* Saul dum esset parvulus, id est humilis in oculis suis, factus est rex Israel, I Reg. 15, 17. Moyses se humiliando: *Quis sum ego?*, Exod. 3, 11, princeps populi constituitur a Domino. Ieremias dicendo se nescire loqui, Ier. 1, 8 sq., constituitur a Deo *super gentes et regna* etc. Gedeon dicens: *Ecce familia mea minima est* etc., a Deo in iudicem populi ordinatur, Iud. 6, 15. Iob 5, 11 dicitur: *Deus humiles posuit in sublime.* Et beata virgo Maria, Lucae 1, 52, dixit: *Deposuit potentes de sede et exaltavit humiles.*

Nono virtutes conservat et roborat, dicente beato Gregorio [6]: « Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi pulverem in ventum portat ». Et alibi dicit [7]: « Perit omne, quod agitur, si non sollicite in humilitate custoditur ».

Decimo peccata condonat. Psalmus [8]: *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.* David se humiliando post peccatum commissum fornicationis et occisionis Uriae dicens: *Peccavi,* Deus transtulit peccatum suum, II Reg. 12, 13.

Undecimo obtinet gratiam. Iacobi 3 [9], et I Petr. 5, 5: *Deus superbis resistit; humilibus autem dat gratiam* suam. Eccli. 13, 9: *Humiliare Deo et exspecta manus eius,* id est gratiam eius. Vacua vascula, id est humilia, replet oleo, id est gratia, Elisaeus, IV Reg. 4, 3 sq.

Duodecimo et ultimo perducit ad gloriam. Et in praesenti: Iob 22, 29: *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria.* Et Prov. 15, 33: *Gloriam praecedit humilitas.* Patuit in Ioseph, prius humiliato et postmodum super omnem Aegyptum exaltato, Gen. 42, 6. Et in futuro: Psalmus [10]: *Populum humilem salvum facies.* Psalmus [11]: *Humiles spiritu salvabit.* Et Prov. 29, 23: *Humiles spiritu suscipiet gloria.* De parvulis dicitur: *Talium est enim regnum caelorum,* Matth. 19, 14. Et Lucae 12, 32, dicit Christus pusillis, idest humilibus: *Complacuit Patri meo dare vobis regnum.*

6. Quibus duodecim patet, quanta et qualis est humilitatis virtuositas et utilitas; eiusque amplexum suadent praemissa, et stringendam brachiis totius pandunt amoris. Ipsa siquidem humilitas, gratis eius amplexibus, Dei Filium suamque Matrem indissolubiliter astrinxit. Quare ad eius laudem hoc solum sufficere fideli deberet, quod Regi omnium et eius beatae Matris sit totaliter copulata ac cum ipsis idem unumque effecta. De caelo Deum ad terram trahendo, ipsi habitaculum in matre virgine praeparavit; eius cunctis affuit actibus, ipsius commendata fuit sermonibus et super omnia praedicata, in cruce con-

---

(*a*) Al *Ioacham IV Reg. 13;* As, Edd. *Ioachim IV. Reg. 13*

---

[1] Ps. 114, 6. — [2] Potius Ion. 3, 1 sqq. — [3] Iudith 9, 1. — [4] Cf. I Reg. 24, 9 sqq. — [5] Matth. 23, 12. — [6] *Expos. in* III *Ps. poenit.* n. 3 (P. L. 79, 569). — [7] *Moral.* l. XIX c. 21 n. 34 (P. L. 76, 119). — [8] Ps. 50, 19. — [9] Potius Iacob 4, 6. — [10] Ps. 17, 28. — [11] Ps. 33, 19.

fixum non deseruit et, ad inferni ima cum eo descendens, superbiae caput diabolum confudit, ligavit et destruxit. Cum praefatis affuit in oculis, in auribus, in sensibus, in corde, in ore, in mente et in suis sanctis operibus. O praeclara et excelsa humilitas! tu omnia bona hominibus impendis, tu certe Deum inclinas, hominibus eius patefacis aures benignas, caelum aperis, penetras nubes, iracundiam placas divinam, iras sedas hominum et bestiarum, misericordiam provocas Altissimi, vincis Deum, sententiam revocas, exaltas deiecta, gratiam impetras et ab omni malo tu curas. O humilitas, quae sapientiam in animam introducis, caritatem amissam restituis, a diaboli laqueo eripis, animae lumen infundis, honoribus tuos accumulas, mortua vivificas, sterilitatem mentis fecundas, dilectionem nutris in cordibus, locas in tuto, in tentatione custodis, de hoste triumphum assiduum reportas. O humilitas, luminare mundi, cordis es paradisus, caelum exemplaritatis, dies iustitiae, *boni lignum scientiae* [1], fons cordium et arcus fidentissimae pacis. Tu arca mundi, scala caeli, virga virtutis, vallis benedictionis, arbor vitae, *fons signatus, hortus conclusus* [2], vinea Domini et sanctitatis omnis origo. Te veteris testamenti patres suscepere, praedicavere prophetae, tibi apostoli inhaesere, martyres triumphavere, doctores commendavere, confessores se totos dedere, virgines habuere, angeli in te permansere, daemones odere, ac caelicolae dilexere. Ex quo in mirandis praecipuam te Ethnici tenuere et Gentiles, prout dicit Valerius Maximus [3], ut patet de Valerio Publicola (*a*), lib. II rub. 1 cap. 1; de Manilio, lib. II rub. 4 cap. 3; de Pittaco Mitylenaeo, lib. II rub. 5 cap. 12; de Marco Rutilio Censorino, lib. IV rub. 1 cap. 3; de Fabio Maximo, lib. IV rub. 1 cap. 5; de Scipione Africano, lib. IV rub. 1 cap. 6; et de eisdem, lib. II rub. 3 cap. 8; de Epaminonda Thebano, lib. III rub. 7 cap. 24; de Platone, lib. VIII rub. 13 cap. 3; de Genutio Cipo, lib. V rub. 6 cap. 5; de Atilio, lib. IV rub. 4 cap. 5; de Atilio Regulo, lib. IV rub. 4 cap. 8. Et de multis aliis idem ponit, qui superbiae typum a se reiicientes, diversimode humilitatis virtute per omnia claruerunt, Christicolas edocentes, non solum praefatis et Christi documentis, sed ipsorum exemplo et norma, humilitatem ab omnibus avide capessendam, custodiendam et indesinenter pro posse possidendam, ac cum ipsa ultimo mortem esse suscipiendam. Praedictis igitur apparet prima pars huius V conformitatis declarata, videlicet: **Iesus submissus omnibus.**

Secunda pars quinti fructus et conformitatis secundi libri, et decimae septimae in ordine, videlicet:

Franciscus minoratur.

Expositio.

Omnium virtutum custos et decor humilitas, virum Dei beatum Franciscum, patrem nostrum, adeo sui iuris effecit, ut quamvis in eo multiplex refulgeret praerogativa virtutum, in ipso tamen haec, tanquam in Minorum minimo, praecipuum videretur assecuta dominium. In hac siquidem suae sanctitatis fundamentum supposuit, in vitae actibus tenuit, et demum cum ipso gloriosa in morte caelum laureanda adivit. Ut igitur videatur succincte de humilitate ipsius, iuxta dicta in prima parte praecedentis expositionis huius V conformitatis, humilitatem beati Francisci attestantur multa et singularia.

1. Et primum est humilium personarum et abiectarum ab ipso grata et vera dilectio. Dilectionem beati Francisci ad humiles ostendit affectio eius ad

(*a*) Al, As *Plebicola*.

[1] Gen. 2, 17. — [2] Cant. 3, 12. — [3] *Dictor. fact. memorabil.* locis recte allegatis a Pisano.

pauperes, ut dictum est conformitate IV praecedenti [1]. Cum enim, tam ex dono naturae quam gratiae, liberalis esset et largus, eis eleemosynas libenter dabat. Militi egeno se propria vestimenta exuendo largitus est, ut dicit I pars *Legendae* [2]. Panes in copia, dum erat saecularis, ponebat in mensa, ut daret pauperibus [3]. Et se voto Domino astrinxit, pro eius amore petentibus, si possibilitas afforet, nihil denegare, quod usque ad mortem servavit, omnia prout occurrebat pauperibus largiendo [4]. — Ostendit hoc primum cum pauperibus et humilibus conversatio. Romae inter pauperes, indutus pannis ipsorum, ante fores ecclesiae beati Petri, saecularis exsistens, ad petendum cum ipsis eleemosynam se posuit [5]. — Ibidem, Romae videlicet (*a*), invitatus a domino, Matthaeo Rubeo ad prandium, cum pauperibus, a dicto domino invitatis ad comedendum, se cum eis in terra prostravit et cum eis comedit [6].

De eius amore ad personas abiectas et humiliatas, dicit *Legenda trium sociorum* [7] et *Legenda maior* [8] parte I, videlicet ad leprosos. Ante enim mundi abnegationem, cum beatus Franciscus in oratione a Domino audisset: quod oportebat eum, quae oderat, amare et dulcia sibi esse amara, et demum dulcedinem habere in his, quae ante horruerat [9]; et postquam Christus apparuit ei cruci confixus, dicens sibi: *Si vis perfectus esse et venire post me, abnega temetipsum et tolle crucem tuam et sequere me* [10], ipse beatus Franciscus ad leprosos affectum habuit singularem. Semel equitanti, ut dicit *Legenda maior* parte I [11], leprosus factus obviam, etsi sibi horrorem incusserit, de equo descendens pecuniam ei et osculum dedit; ac equum ascendens, cum post se respiceret, minime est visus. — Per interpositam personam [12] prius leprosis eleemosynam faciebat propter horrorem; deinde factus est adeo eorum amicus, quod humilitatis obsequia ipsis cum benefica pietate exhiberet [13]. Dabat enim eis eleemosynas, accedendo ad ipsorum hospitale, uniuscuiusque manum amore Christi, qui apparuit ut leprosus, osculando [14]. — Abrenuntiato mundo, ut dicit II pars *Legendae maioris* [15], « se transtulit ad leprosos, eratque cum eis, diligentissime serviens omnibus propter Dominum. Lavabat ipsorum pedes, ligabat ulcera, educebat plagarum putredinem et saniem abstergebat, osculando ex miranda devotione plagas ipsorum ». — Temporis [16] in processu, cum fratres habere coepisset, « voluit quod fratres manerent in hospitalibus leprosorum ad serviendum eis, ut ibi facerent sanctae humilitatis fundamentum. Nam quando veniebant ad ordinem nobiles et ignobiles, inter alia, quae eis annuntiabantur, dicebat: quod oportebat eos humiliter servire leprosis et manere in domibus eorum ». Et in *Regula prima* [17] beatus Franciscus concessit fratribus, quod pro leprosis in manifesta eorum necessitate, possent eleemosynas acquirere, a pecunia cavendo, et gaudere deberent cum eis conversari, Christi exemplo.

Fratrem Pacificum beatus Franciscus, ipso (*b*) remanente in quadam ecclesia S. Petri de Bovario (*c*), ad hospitandum in hospitali leprosorum de sero direxit [18]

(*a*) Edd. om. *Romae videlicet* deinde Al *de Rubeo*. — (*b*) Al *beato Francisco;* om. *ipso*. — (*c*) As *Bevario;* Edd. *Bevanio*.

[1] Supra p. 100 sqq. — [2] *Leg. Mai.* c. 1 n. 2. — [3] *Leg. 3 soc.* c. 3 n. 9. — [4] L. c. — [5] L. c. n. 6. — [6] Supra p. 17 n. 13 et p. 115 n. 5. — [7] C. 1 et 4. — [8] C. 1 n. 5. — [9] II Cel. I, 5 n. 9; cf. Ibid. I, 10 n. 15; *Leg. Mai.* c. 3 n. 3; *Leg. 3 Soc.* c. 8 n. 29. Cf. A F IV, 180. Non Christus S. Francisco apparuit, sed S. Pater evangelium aperuit. — [10] Cf. Matth. 16, 24; Luc. 9, 23. — [11] C. 1 n. 5. — [12] *Leg. 3 soc.* c. 4 n. 11. — [13] *Leg. mai.* c. 1 n. 6. — [14] L. c.; cf. n. 5. — [15] C. 2 n. 6. — [16] *Specul. Perf.* Lemmens, c. 12; Sabatier, c. 44. — [17] Cap. 9; *Opuscula*, p. 36. — [18] *Specul. Perf.* Sabatier, c. 59; II Cel. II, 86 (al. III, 63) 122.

Sic et fratrem Bernardum, dum cum ipso iret ad S. Iacobum, ad serviendum uni infirmo dimisit [1]. — Beatus vero Franciscus, habita indulgentia a Papa Honorio, dum reverteretur Assisium, in hospitali, quod est in itinere, leprosorum cum socio fratre Massaeo dormivit, et sibi revelata (*a*) fuit ibi confirmatio indulgentiae a Christo in caelo facta [2]. — Quemdam vero fratrem alium, vocatum fratrem Iacobum Simplicem, deputavit ad serviendum cuidam « leproso valde ulcerato. Sibi enim beatus Franciscus recommendaverat dictum leprosum et omnes alios, quia erat quasi medicus eorum et libenter vulnera (*b*) ipsorum tangebat, mutabat (*c*) et curabat. Nam, ut dictum est, tunc fratres morabantur in hospitalibus leprosorum. Qui frater Iacobus dictum leprosum ad Sanctam Mariam de Angelis deduxit; quod videns beatus Franciscus, dixit dicto fratri Iacobo, quasi eum arguendo: « Tu non deberes ita ducere fratres Christianos (*d*), quia non est honestum pro te nec pro ipsis ». Licet enim vellet quod serviret eis, tamen nolebat quod extra hospitale duceret illos, qui erant multum plagati, quia homines consueverant nimis abhorrere; et ipse frater Iacobus erat ita simplex, quod ibat cum eis de hospitali usque ad ecclesiam Sanctae Mariae, sicut ivisset cum fratribus. Ipsos vero leprosos beatus Franciscus vocabat fratres Christianos. Et his dictis, beatus Franciscus statim se reprehendit, credens illum (*e*) leprosum esse verecundatum propter reprehensionem, quam fratri Iacobo fecerat. Et ideo volens Deo satisfacere et leproso, dixit culpam suam fratri Petro Cathanii, qui tunc erat generalis minister. Et ait: « Volo, ut confirmes poenitentiam, quam elegi facere pro hoc defectu, et mihi nullatenus contradicas ». Respondit frater Petrus: « Frater, fac quod tibi placet ». Frater enim Petrus tantum venerabatur eum et timebat, quod non praesumebat contradicere sibi, licet inde (*f*) saepe affligeretur. Tunc dixit beatus Franciscus: « Haec sit poenitentia mea, videlicet, ut comedam simul in una scutella cum fratre Christiano ». Cum igitur sederet ad mensam beatus Franciscus cum leproso et aliis fratribus, apposita est una scutella inter beatum Franciscum et leprosum. Ipse enim leprosus erat totus ulceratus et abominabilis, et maxime digitos habebat contractos et sanguinolentos, cum quibus accipiebat bolum de scutella, ita quod, quando ponebat ipsos in scutella, defluebat in ea sanguis et sanies digitorum. Et videntes frater Petrus et alii haec, sunt valde contristati, sed nihil ausi sunt dicere propter timorem et reverentiam sancti patris [3] ». — Sic ergo praefatis apparet, quomodo beatus Franciscus dilexit abiectas personas et humiles. — Quibus duo alia subdendo exempla, non solum patebit ipsum corde et opere huiusmodi amasse personas, sed Deum per beatum Franciscum, talium dilectorem, miranda circa tales perfecisse.

Primum, etsi tactum sit I conformitate huius II libri parte secunda, in parte ponit *Legenda maior* parte II [4]; et hoc fuit in processu vitae beati Francisci. Cuidam enim habenti maxillam et os corrosum horribiliter, nec sibi posset medicinae remedio subveniri, beatus Franciscus (*g*) obviando sibi, dum ipse ore sacro illam plagam contigisset, omni fugato morbo, illico sanitatem recuperavit optatam. Ubi et claruit

(*a*) As, Edd. *revelatum fuit confirmationem;* tunc om. *facta.* — (*b*) Edd. *ulcera.* — (*c*) As *mundabat.* — (*d*) As falso *nos deb. ita ducere inter fratres sanos* — (*e*) Edd. om. *illum.* — (*f*) Al *idem.* — (*g*) As, Edd. *beato Francisco;* postea om. *sibi.*

[1] *Actus,* c. 3; AF IV, 182. — [2] Cf. supra p. 33, l. 21-5; AF IV, 196. — [3] *Specul. Perf.* Lemmens, c. 32; Sabatier, c. 58. — [4] C. 2 n. 6; cf. supra p. 15, n. 11.

mira humilitas beati Francisci in osculo tam benigno ac ipsius efficacia in miraculo tam stupendo. — Aliud exemplum ponit *Legenda antiqua*. Cum enim beatus Franciscus leprosis ad serviendum suos fratres deputaret, ut viam perfecte humilitatis addiscerent et tenerent, contigit « quemdam leprosum illo in tempore vivere pestilentissimum, impatientem et protervum, et certis signis a diabolo agitari (*a*) et, quod deterius est, Dei blasphemum; cui cum beatus Franciscus ad serviendum fratres deputaret et illi toto conatu deservirent eidem, ille spiritu agitatus maligno, lingua sua pestifera iniuriam et improperia (*b*) irrogabat, ac manu propria flagellis et pugnis multimodis (*c*) verberabat, et quod est super omnia horrendum, Christum benedictum et Matrem ac sanctos alios blasphemabat. Verum fratres de irrogatis parum curantes, blasphemiam (*d*) Dei tolerare nequientes (*e*), ad beatum Franciscum adierunt (*f*), ei cuncta per ordinem enarrantes. Quibus auditis, beatus Franciscus ad dictum leprosum accessit et ingressus ad eum dixit: « Deus det tibi pacem suam (*g*), frater carissime ». Cui ille respondit: « Et qualis mihi pax est? immo Deus accepit (*h*) mihi pacem; quia totus, inquit, sum marcidus ». Et beatus Franciscus: « Carissime, habe patientiam, quia mala, quae hic corporibus inferuntur, valent ad animae salutem, si aequanimiter tolerentur ». At ille: « Quomodo patienter possum tolerare, cum mea poena die noctuque perseveret? Nam non solum ab infirmitate comburor et crucior, sed etiam a fratribus, quos mihi servitores dedisti, vehementer affligor, quia nullus est qui mihi serviat, ut oportet ». Sanctus Franciscus per Spiritum Sanctum cognoscens, quod ille a daemonio vexabatur, ivit et Deum pro ipso devote oravit et, facta oratione, rediit ad infirmum dicens: « Carissime, ego volo servire tibi, ex quo tu non es contentus de aliis ». Et ille respondit: « Placet mihi. Sed quid tu plus ceteris agere poteris »? Respondit beatus Franciscus: « Quidquid cupis, faciam ». Et ille: « Volo quod laves me, quia totus feteo in tantum, quod meipsum ferre non valeo ». Beatus Franciscus statim fecit calefieri aquam cum herbis odoriferis, et exspolians illum incepit suis propriis manibus lavare leprosum, et alius frater aquam desuper infundebant. Et sicut lavando corpus exterius sanabat, ita suam animam mundabat interius. Unde, cum leprosus sanari inciperet, statim ex compunctione intima coepit amarissime lacrimari; et sicut corpus lavabatur aqua et mundabatur a lepra, ita baptizabatur lacrimis conscientia et mundabatur ab omni iniquitate. Cum vero totus esset lotus et sanatus perfecte exterius, fuit unctus et sanatus interius, et ideo in tantam compunctionem prorupit et lacrimas, quod altissima voce plorabat et clamabat se dignum inferno propter iniurias, scilicet (*i*), illatas fratribus et pro plagis et flagellis, quae fecerat in eosdem, et propter impatientiam et blasphemiam in Deum et sanctos. Unde per quindecim dies duravit sibi ille planctus mirabilis, qui ab intimis praecordiis procedebat et erumpebat, et continuo nihil aliud nisi Dei misericordiam invocabat. Et cum hac contritione et compunctione sua peccata confessus est sacerdoti. Beatus autem Franciscus, videns tam notum et apertum miraculum, gratias agens Deo, recessit illinc et ad partes multum remotas accessit, ne, si dictum miraculum notum fieret populo, omnes ad ipsum concurrerent, quod ipse propter humilitatem toto posse vitabat. Dictus vero leprosus, post miraculosam sanitatem et compunctionem praehabitam, infirmatus est et, armatus eccle-

(*a*) Edd. ***agitatum***. — (*b*) Edd. add. ***ipsis***. — (*c*) Edd. add. ***eos***. — (*d*) Edd. add. ***autem***. — (*e*) Edd. ***nequeuntes***. — (*f*) Edd. ***iverunt***. — (*g*) Edd. om. ***suam***. — (*h*) Sic Codd. et Actus; Edd. ***abstulit***. — (*i*) Edd. om. ***scilicet***.

siasticis sacramentis, post paucos dies vitam finivit in Domino. Et cum beatus Franciscus in loco remoto in silva oraret, dictus leprosus iam defunctus apparuit speciosior sole, et in aere sublevatus dixit: « Recognoscitis (*a*) me »? Cui sanctus Franciscus inquit: « Quis es tu »? Et ille: « Ego sum leprosus ille, quem Christus benedictus, te promerente, sanavit, et hodie vado ad regnum beatum, de quo Deo et tibi gratias ago. Benedicta sint verba tua et opera tua, quia per te multae animae salvabuntur in mundo. Et scias, quod non est dies in mundo, in quo sancti angeli et sancti ac sanctae Dei non referant magnam gratiam Deo de sanctis fructibus, qui per te et ordinem tuum undique patrantur per orbem. Et propterea confortare et gratias redde Deo et sta cum benedictione Dei ». Et beatus Franciscus, his auditis, remansit valde consolatus [1]. Sic ergo iam dictis patet beatum Franciscum amatorem fuisse abiectorum et sic vere humilem.

2. Secundum, quod attestatur beatum Franciscum fuisse vere (*b*) humilem, est iniuriarum laeto (*c*) animo susceptio. Et quia de hoc plene est dictum libro I conformitate V parte secunda [2], sufficiat aliqua pro huius secundi probatione tangere. — Beatus Franciscus nonne se ostendit libenti animo convicia et iniurias recipere, cum a suis civibus velut fatuus luto impeteretur et lapidibus, et tamen ut surdus in omnibus pertransibat [3]? — Idipsum ostendit, actus verberibus et vinculis a patre, patri dicens, se pro nihilo ducere vincula et verbera eius et pro Christi nomine gaudenter mala omnia subiturum [4]. — In ordinis exordio, sibi et sociis velut ignotis multa inferebantur, et tamen alacritate permaxima omnia supportabat [5]. — Ad Soldanum vadens, cum socio fratre Illuminato, a Saracenis captus, feraliter, crudeliter et contemptibiliter pertractatus, affectus conviciis, verberibus afflictus et vinculis alligatus, quid dixit socio? Certe exhilaratus dixit: « Confide, frater, in Domino; in nobis impletur illud Evangelii [6]: *Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum* [7] » (*d*). Cum iniurias, improperia et mala de se dici audiebat, quid dicebat? Certe, ut dicit VI pars *Legendae* [8]: « talia decet audire filium Petri Bernardonis ». Quapropter ipse, in patientia et susceptione iniuriarum expertus et probatus, dixit fratribus in *Regula* [9], quod fratres deberent « habere humilitatem et patientiam in persecutione et in infirmitate, et diligere eos, qui nos persequuntur, reprehendunt et arguunt, quia: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum* [10]. *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* [11] ».

Tertium probans humilitatem beati Francisci, est propriae laudis horror et abominatio. Ipse enim, ut dicit VI pars *Legendae* [12], « stultum iudicans mundanis extolli favoribus, gaudebat de opprobriis et de laudibus tristabatur. Malebat quippe de se vituperium audire quam laudem, sciens quod hoc ad se emendandum induceret, illa impelleret (*e*) ad ruinam et cadendum. Et ideo, quando merita sanctitatis laudabantur in eo, praecipiebat alicui fratri, ut in ipsum verba cum vilificantia proferret, cum

(*a*) As, Edd. *recognoscis*. — (*b*) As, Edd. om. *vere*. — (*c*) As, Edd. *libenti*. — (*d*) Edd. *inter lupos*. — (*e*) Edd. *impellebat*.

[1] *Actus* c. 28. — [2] A F IV, 116-125. — [3] L. c. 118. — [4] L. c. 120 sq. — [5] L. c. 121 sq. *Leg. 3 soc.* c. 10 n. 37 sqq. — [6] Matth. 10, 16. — [7] *Leg. Mai.* c. 9 n. 8; A F IV, 121, 481. — [8] C. 6 n. 1. — [9] *Regula* II, c. 10; *Opuscula* p. 72 sq. — [10] Matth. 5, 10. — [11] Matth. 10, 22. — [12] C. 6 n. 1.

rusticum, mercenarium, imperitum et inutilem proclamando. Et tunc, exhilaratus tam mente quam facie, respondebat: « Benedicat tibi Deus, fili carissime, quia tu verissima loqueris [1] ». — Ut vero se cunctis despicabilem redderet, coram (a) omni populo defectus proprios referebat. Tempore quodam, infirmitate gravatus, cum rigorem abstinentiae aliquantulum relaxasset carnes comedendo, perrexit Assisium et primo populo praedicavit, postmodum, populo exspectante in platea, ecclesiam cathedralem introivit, « funeque ligato ad collum, nudum cum femorabilibus solis in oculis omnium a socio se trahi praecepit usque ad lapidem, in quo malefactores puniebantur. Super quem ascendens, licet esset quartanarius et infirmus et tempus magni algoris, dixit populo: non se tanquam spiritualem fore honorandum, quin immo, quia in sua infirmitate comederat carnes, tanquam carnalem et glutonem ab omnibus contemnendum [2] ». — Vice alia comedit cibaria cum lardone condita, quia oleum propter infirmitatem comedere non valebat: ideo praedicando populo in primo verbo dixit: « Vos venitis ad me cum magna devotione, credentes me esse sanctum hominem, sed Deo et vobis confiteor, quod in ista quadragesima sancti Martini cibaria comedi condita cum lardone [3] ». — Cum semel mantellum pro eleemosyna cuidam vetulae dedisset et vanae gloriae inde aliquantulum percepisset, statim coram illis qui eum sequebantur, confessus est se de datione mantelli vanam gloriam habuisse [4]. — Unde nihil quod agebat, volebat (b) esse occultum; et suum praecipuum studium exstitit, ut nullo modo esset hypocrita coram Deo [5]. — Quando « comedebat cum saecularibus, vel aliqua consolatio sibi fiebat a fratribus propter suas infirmitates, statim coram fratribus et saecularibus illud ignorantibus referebat. Et si aliquo vitio moveretur (c), statim confitebatur illud nude coram omnibus et sine velamento [6]. Unde dixit sociis: « Taliter vivere volo in eremis et in aliis locis, ubi maneo, qualiter si omnes homines me viderent. Si enim putant me sanctum hominem et non facerem vitam, quae convenit sancto homini, hypocrita essem [7] ». — In civitate Interamnae gratias multas episcopo retulit, qui de praedicatione ab eo facta populo dixit, Deo et non eidem regratiandum, prout dictum est libro I conformitate X parte secunda [8]. — Honores, qui eidem fiebant, non sibi sed Deo tantum (d) tribuebat. Unde accidit semel, quod cum iret cum quodam fratre socio et sibi applausus fierent osculationis manuum et pedum, nec beatus Franciscus declinaret, sed appetere videretur consentiendo talibus, redargutus a socio, quod talia appetere videretur, respondit: « Isti homines nihil faciunt de reverentia, quam deberent facere ». Quod frater ipse audiens, fuit magis vulneratus. Cui beatus Franciscus dixit: « Vide, frater: totam istam reverentiam quae mihi fit, non mihi approprio, sed ipsam totam ad Deum remitto et meipsum conservo in faece meae humilitatis, et totum honorem reddo Deo. Homines autem ex hoc lucrantur, quia Deum recognoscunt et honorant in sua creatura et in membris suis ». Quo audito, frater consolatus remansit [9].

(a) Edd. add. *toto et.* — (b) Edd. *nihil agebat, quod vellet esse occ.* — (c) Sic Codd. Spec. Perf. et Ed. I; Ed. II et III *moneretur.* — (d) Al om.; As *totum.*

[1] *Leg. Mai.* c. 6 n. 1. — [2] *Leg. Mai.* c. 6 n. 2; cf. I Cel. I c. 19 n. 52; *Specul. Perf.* Sabatier, c. 61. — [3] *Specul. Perf.* Sabatier, c. 62; cf. II Cel. II, 94 (al. III, 71) 131. — [4] *Specul.* cit. 63; cf. II Cel. II, 95 (al. III, 72) 132. — [5] *Specul.* cit. c. 63. — [6] L. c. c. 62; II Cel. II, 95 (al. III, 72) 132. — [7] *Spec.* l. c. — [8] A F IV, 477; II Cel. II, 103 (al. 380) 141; *Specul.* cit. c. 45; Lemmens, c. 13. — [9] A F IV, 145; cf. II Cel. II, 97 (al. III, 74) 134.

Quartum ostendens beati Francisci humilitatem, est suae vilipensionis verbo proprio declaratio. « In propria quidem reputatione nihil aliud erat, nisi vas fictile quoddam et sordidum, cum in veritate erat vas sanctificationis electum, multiformis gratiae et virtutum adornatione praefulgidum et Deo sanctificatum [1] ». — Insuper se omnibus aliis viliorem proclamabat et dicebat, quod patuit in responsione de se data fratri Massaeo. Cum enim beatus Franciscus in loco esset de Portiuncula, et ad orandum perrexisset in silvam, cum post orationem rediret, « in exitu silvae frater Massaeus obvians illi, volens quam esset humilis beatus Franciscus experiri, dixit beato Francisco (*a*): « Unde tibi? Unde tibi? Unde tibi »? Respondit beatus Franciscus: « Quid »? Respondit frater Massaeus: « Quia totus mundus videtur venire (*b*) post te, et omnes quaerunt te videre et audire et tibi obedire. Tu non es unus pulcher homo. Tu non magnae scientiae aut (*c*) sapientiae. Tu non es nobilis. Unde ergo tibi (*d*), quod totus mundus veniat ad te et post te »? Beatus autem Franciscus hoc audiens, totus exhilaratus in spiritu, erigens faciem in caelum stetit per magnum spatium mente in Deum directa, et ad se reversus, genuflectens et laudans et gratias agens Deo, in magno fervore spiritus vertit se ad fratrem Massaeum et ait: « Vis scire, unde mihi? Vis (*e*) scire, unde mihi, (*f*) et bene scire, unde mihi, ut totus mundus veniat post me? Hoc mihi est ab illis oculis sanctissimis Dei, qui in omni loco contemplantur bonos et malos. Nam illi beati (*g*) et sanctissimi oculi non viderunt inter malos maiorem peccatorem et (*h*) viliorem, insipientiorem quam me, et ideo ad faciendum hoc mirabile opus, quod intendit facere in terra, viliorem creaturam non viderunt quam me; propterea me elegit, quia *stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientes, et ignobilia et contemptibilia et infirma mundi elegit Deus, ut confundat* nobiles et magnates, ut sublimitas virtutis sit ex Deo et non ex creatura, *ut non glorietur in conspectu eius omnis caro* [2], sed *qui gloriatur in Domino glorietur* [3], ut *soli Deo* sit *gloria* [4] in aeternum ». Tunc frater Massaeus, ad tam humilem responsionem cum tanto fervore prolatam, obstupuit et vere cognovit, quod beatus Franciscus in vera humilitate erat fundatus [5] ». — Ipse vero beatus Franciscus, cum ab aliquo laudabatur aut sanctus diceretur, dixit: « Non sum adhuc securus, quod non debeam habere filios et filias; nam quacumque hora Deus thesaurum mihi auferret, quem mihi accommodavit, quid aliud mihi remaneret nisi corpus et anima, quae etiam infideles habent? Immo credere debeo, quod si Dominus latroni et (*i*) infideli homini tanta bona contulisset, quanta mihi, fideliores essent ipsi Deo quam ego. « Et dixit beatus Franciscus: « Sicut enim in pictura Domini et beatae Mariae Virginis in ligno depicta, honoratur Dominus et beata Maria Virgo, et tamen lignum et pictura nihil sibi attribuunt; sic servus Dei est quaedam pictura Dei, in quo Deus honoratur propter beneficium suum, sed ipse sibi nihil debet tribuere, quia respectu Dei minus est quam lignum et pictura. Immo est purum nihil;

(*a*) As, Edd. ***sibi***. — (*b*) Al et Actus; As, Edd. ***currere***. — (*c*) Al, Actus; As, Edd. ***et***. — (*d*) Al, Actus; As, Edd. om. ***tibi***. — (*e*) Al, As om. ***vis — mihi***. — (*f*) Edd. et Actus sic; Actus add. tertio ***Vis scire (et bene sc.)***. — (*g*) Al ***beatissimi***. — (*h*) Edd. om.; As ***viliorem et insipientiorem***. — (*i*) Edd. add. ***cuicumque***.

---

[1] *Leg. Min.* III, lect. 4. Cf. *Leg. Mai.* c. 6 n. 1. — [2] 1 Cor. 1, 27 sqq. — [3] 2 Cor. 10, 17. — [4] 1 Tim. 1, 17. — [5] *Actus* c. 10.

et ideo soli Deo honor et gloria est reddenda, sibi autem solummodo verecundia et tribulatio, dum vivit inter miserias huius mundi [1] ». Haec beatus Franciscus.

5. Quintum beati Francisci clamans humilitatem, est fuga altitudinis status et abiectio ac declinatio. Ut vere (*a*) humilitate praefulgens, cum esset generalis primus ordinis factus per dominum papam, dicto officio resignavit (*b*) et fecit fieri fratrem Petrum Cathanii. Hoc quippe egit, ne aliquid proprii habere videretur, nec altum sapere, nec altum (*c*) tenere volebat. In praelatione casum timebat, sed in subiectione lucrum magnum esse dicebat; ac quamdiu vixit, officium generalatus nunquam reassumere voluit, etsi dictum officium contra velle omnium fratrum resignaverit, immo quando resignavit, omnes frátres amarissime plorabant [2]. — Et non solum quoad se fugit altitudinem status, sed etiam quoad fratres suos. Interrogatus enim semel a domino Ostiensi, si sibi placeret ut fratres sui, cum essent virtuosi et sancti, ad dignitates ecclesiasticas promoverentur, respondit: « Domine, ideo Minores vocati sunt fratres mei, ne maiores fieri praesumant; docet eorum vocatio ipsos in plano subsistere et humilitatis Christi vestigia imitari, ut per hoc in respectione sanctorum plus aliis exaltentur. Si enim vultis ut faciant fructum in Ecclesia Dei, tenete ipsos et conservate (*d*) in statu vocationis eorum, atque ipsos, si ad alta conscenderint, ad plana reducite violenter, nec ad praelationem aliquam ascendere permittatis [3] ».

Sextum declarans beati Francisci humilitatem, est cunctis mira et prompta subiecto, quam partem evidenter ostendunt, quia beatus Franciscus humiliter subiecit se maioribus, scilicet domino papae, cui, ut dicit *Regula* [4], promisit « reverentiam et obedientiam, et suis successoribus canonice intrantibus ». Et non solum ipse (*e*) domino papae per omnia voluit esse subiectus, sed et fratres. In cuius signum, fratres cum ipso exsistentes eidem domino papae una cum ipso promiserunt obedientiam et humilem reverentiam [5]; unde in fine *Regulae* beatus Franciscus ponit, ut fratres sint « subditi et subiecti pedibus sanctae Ecclesiae etc. [6] ». Ad hoc, ut fratres essent subditi et subiecti pedibus sanctae Romanae Ecclesiae, istum ordinem suum recommendavit Ecclesiae, et dicebat (*f*): « Vadam et recommendabo fratres meos sanctae Ecclesiae, cuius potentiae virga percellantur malevoli, et filii Dei in aeternae salutis augmentum ubique plena gaudeant libertate. Recognoscent ex hoc filii dulcia beneficia matris, et speciali devotione semper ipsius reverenda vestigia complectentur, non *erit*, ipsa protegente, in ordine *malus occursus* [7], nec filius Belial per vineam Domini transibit impunis [8]. Paupertatis nostrae ipsa sancta Ecclesia aemulabitur gloriam, et humilitatis praeconia per superbiae nubilum obfuscari non sinet; caritatis et pacis vincula in nobis servabit illaesa, censura strictissima percutiens dissidentes. Evangelicae puritatis observantia sacra continue in eius florebit conspectu [9], nec odorem vitae vel ad horam elabi patietur ». Haec beati Francisci fuit

(*a*) Al, As *verus*. — (*b*) Edd. *renuntiavit*. — (*c*) Edd. add. *se*. — (*d*) Al add. *eos*. — (*e*) Al *ipsi*. — (*f*) As, Edd. *dicens*.

[1] *Specul. Perf.* Lemmens, c. 13; Sabatier, c. 45. Cf. *Leg. Mai.* c. 6 n. 3. — [2] *Specul. Perf.* Lemmens, c. 14. Sabatier, c. 39; cf. II Cel. II, 104 (al. III, 81) 144. — [3] *Specul.* Sabat. c. 43; cf. II Cel. II, 109 (al. III, 86) 148. — [4] *Regula* II c. 1: *Opuscula*, p. 63; cf. A F IV, 387. — [5] Cf. *Leg. Mai.* c. 3 n. 10. — [6] *Regula* II c. 12; *Opuscula* 74. — [7] III Reg. 5, 4. — [8] Cf. Nahum 1, 15. — [9] II Cel. I, 16 n. 24.

intentio, et his de causis ordinem suum sanctae Ecclesiae recommendavit. — Et ut fratres ipsi essent magis subiecti domino papae, voluit habere in protectorem ordinis unum de sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, qui esset « gubernator, protector et corrector istius fraternitatis [1] », ac a domino Honorio obtinuit dominum cardinalem Ugonem, qui postea fuit papa, ut sibi beatus Franciscus praedixit [2], vocatus dominus Gregorius IX. Non solum beatus Franciscus voluit subiici domino papae et domino (*a*) protectori, sed etiam sacerdotibus aliis, clericis et praelatis; et dixit ipse fratribus: « In adiutorium clericorum missi sumus ad animarum salutem, ut quod in aliis minus invenitur, suppleatur a nobis; recipiet enim unusquisque mercedem, non secundum auctoritatem, sed secundum laborem. Scitote, inquit, fratres, animarum fructum Deo esse gratissimum, meliusque illum consequi posse (*b*) pace quam discordia clericorum. Quod si ipsi salutem impediunt populorum, Dei est ultio, et ipse retribuet eis in tempore. Ideo estote subiecti praelatis, ne, quantum ex (*c*) vobis est, aliquis zelus consurgat. Si filii pacis fueritis, clerum et populum Domino lucrabimini, quod acceptabilius iudicat Deus, quam populum solum, clero scandalizato, lucrari. Tegite ergo eorum casus, multiplices supplete defectus, et cum haec feceritis, humiliores estote [3] ». Haec beatus Franciscus. Quod vero mandaverit fratres subiectos (*d*) talibus fore, in laudem eius in prima antiphona cantatur [4]: « Franciscus vir catholicus et totus apostolicus, Ecclesiae Romanae fidem teneri docuit, presbyterosque monuit (*e*) prae cunctis revereri ». — Unde in *Legenda trium Sociorum* habetur quod, quando beatus Franciscus primo misit fratres per mundum, eis praecepit ut, quando sacerdotes viderent, humiliter genuflecterent eorum manus osculando, scopando ecclesias, et apud eos, ubi possent, potius quam apud alios commorando [5]. — Fuit etiam ipse pater subiectus aequali, scilicet guardiano « nam, officio generalatus abrenunciato et posito de consensu fratrum in manu fratris Petri Cathanii, ipsi (*f*) humiliter beatus Franciscus obedientiam promisit et reverentiam. Ac a dicto fratre Petro petiit dicens: « Rogo te propter (*g*) Deum, ut vicem tuam de me uni de sociis meis committas, quia ei, sicut et tibi, obediam. Scio, inquit (*h*), tam uberem obedientiae fructum, ut eis, qui iugo ipsius colla submittunt, nihil temporis (*i*) sine lucro transire possit ». Et sic usque ad mortem guardianum habuit, cui humiliter subiectus in omnibus obedivit [6]. Ut verae obedientiae perciperet fructum et se humilem vere proderet cunctis, se suo inferiori subiecit. « Nam [7] socio itineris, quantumcumque simplici, promittere obedientiam solitus erat » et eius voluntati volebat per omnia subiici, ut eundo et stando, semper alicui subiectus, mereretur continue ex obedientiae bono et humilitate. Ipse enim (*k*) beatus pater pro malo valde habebat nolentes (*l*) subiici, sed praesidere. Tales enim quos videbat « praelationibus [8] inhiare, censebat non esse fratres Minores, sed vocationis, qua vocati erant, oblitos a gloria excedisse.

(*a*) As, Edd. om. *domino*. — (*b*) Al add. *cum*. — (*c*) Codd. et Celan; Edd. *in*. — (*d*) As, Edd. *subiici:* om. *fore*. — (*e*) Al, As, Edd. *voluit*. — (*f*) Edd., As om. *ipsi* — *fratre;* Al *cui hum. ipse*. — (*g*) Codd. et Celan.; Edd. *per*. — (*h*) Al et Cel.; As, Edd. *enim*. — (*i*) Sic Bonav.; Al *nihil temporis* (sic et Cel.; As *ipso*) *transire*. Edd. *nihil ipsis transire possit*. — (*k*) As, Edd. *autem*. — (*l*) Edd. *nolentibus*.

[1] *Regula* II, l. c. — [2] I Cel. II, 5 n. 100; *Leg. Mai.* c. 6 n. 5. — [3] II Cel. II, 107 (al. III, 84) 146. — [4] Iuliani Spiren. *Officium S. P. Francisci:* I Antiph. ad I Vesp. — [5] C. 14 n. 57, 59, 60. — [6] II Cel. II, 111 (al. III, 88) 151; cf. *Leg. Mai.* c. 6 n. 4; *Specul. Perf.* Sabatier, c. 46. — [7] *Leg. Min.* III, lect. 4. — [8] II Cel. II, 106 (al. III, 83) 145.

Nonnullos qui aegre ferebant ab officiis deponi, quippe cum onus non quaererent, sed honorem, multis sermonibus confutabat ». Et dixit sociis: « Inter [1] alia, quae dignanter mihi pietas divina concessit, hanc gratiam contulit, quod ita diligenter novitio unius horae obedirem, si mihi guardianum (*a*) daretur, sicut antiquissimo et discretissimo (*b*) cuiquam. Subditus praelatum suum, non hominem considerare debet, sed illum, pro cuius est amore subiectus. Quanto contemptibilior praesidet, tanto obedientis humilitas magis placet ». Sic ergo voluit, ut ex dictis patet, omnibus tam maioribus quam aequalibus et minoribus subiici, ut se vere humilem declararet.

Septimum pandens beati Francisci humilitatem, est corde humilitatis amplexus et acceptatio et susceptio; quoniam sunt plerique lingua humiles et corde superbi, iuxta dictum Ecclesiastici: *Est qui se nequiter humiliat, et interiora eius plena sunt dolo* [2]. Beatus pater Franciscus sicut ore, sic et corde humillimus fuit, nihil se reputando veraciter. Quod sic esset vir Dei, frater Pacificus mirabili fuit visione edoctus et expertus. Ut enim dicit frater Bonaventura in *Legenda maiori*, parte VI [3] et idem habetur in *Legenda antiqua* [4], dum beatus Franciscus in ecclesia Sancti Petri de Bovario prope Trevium de nocte remansisset, directo socio fratre Pacifico ad hospitale leprosorum, dixit ut de mane ad ipsum rediret; ac cum daemones beatus Franciscus ipsum inquietantes, verbis humilitatis effugasset, de mane frater Pacificus ad beatum Franciscum rediens, invenit beatum Franciscum orantem. Cumque et ipse frater Pacificus se orationi dedisset, statim « factus [5] in ecstasi vidit in caelo multas sedes, sed unam prae aliis digniorem pretiosis ornatam lapidibus et omni gloria refulgentem; et cum anxia cogitatione perquireret, cuius esset, audivit vocem dicentem quod illa fuit sedes Luciferi et (*c*) humili servabatur Francisco. Ad se frater (*d*) reversus, beatum Franciscum exterius prodeuntem solito fuit more prosecutus. Et cum per viam invicem de Deo loquerentur, frater Pacificus memor visionis et humilitatem volens experiri beati Francisci, dixit ei: « Quid de te ipso sentis et credis »? Cui beatus Franciscus: « Videor mihi maximus peccatorum, qui sit in mundo ». Et cum ille diceret, quod hoc non posset sana conscientia dicere vel sentire, respondit beatus Franciscus: « Si quantumcumque sceleratum hominem tanta Deus fuisset misericordia prosecutus, arbitror quod multo plus quam ego Deo gratior esset ». Quo verbo, de humilitate cordiali beati Francisci fuit expertus, ac confirmatus (*e*) quod ad sedem illam, unde Lucifer fuit abiectus superbia (*f*), Franciscus est sua humilitate provectus. — Mirabilem sui cordis humilitatem ostendit beatus Franciscus suo filio primogenito fratri Bernardo de Quintavalle. Nam cum ad ipsum iret, ut de Deo ad invicem loquerentur, et vocatus frater Bernardus ab ipso ter, non respondisset, quia erat in contemplatione tunc elevatus, ac ipse beatus Franciscus recederet desolatus, mirans et quasi conquerens quod frater Bernardus ei non respondisset, se orationi dans certificatus est divino eloquio, quod frater Bernardus, qui nunc erat Deo coniunctus,

---

(*a*) As, Edd. ***in guardianum.*** — (*b*) Al in marg. (ex Bonav.) add. ***fratri.*** — (*c*) As, Edd. ***sed.*** — (*d*) As, Edd. ***ad se autem fr. ipse rev.*** — (*e*) As ***de visione quam antea*** [in margine: ***viderat quod b. Franciscus ad***] ***sedem;*** Edd. etiam add. ***de visione.*** — (*f*) Al, ***supernam;*** deinde Edd. ***subvectus;*** (As ***subiectivus***).

---

[1] II Cel. II, 111 (al. III, 88) 151. *Leg. Mai.* c. 6 n. 4. — [2] Eccli. 19, 23. — [3] C. 6 n. 6. — [4] *Specul. Perf.* Sabatier, c. 59 et 60. Initio hoc *Spec.* sequitur Pisanus. — [5] Hinc *Leg. Mai.* l. c. pressius sequitur.

hac de causa non potuerat sibi respondere (*a*), nec homo Dei locutionem propter creaturam debet dimittere; ad fratrem Bernardum protinus rediit, qui iam surrexerat ab oratione, eidem post multa mandavit, ut ad superbiam sui cordis conterendam, posito uno pede in ore et alio in gutture, ter transiret ipsum dicendo: « Iace, rustice fili Petri Bernardonis ». Cuius mandato etsi cum dolore, humiliter tamen obediendo, frater Bernardus, quod sanctus Franciscus praeceperat, adimplevit [1]. Multa praefatis similia beatus Franciscus egit, ut humilitatem, quam corde tenebat, et verbo proderet et facto doceret.

Octavum indicans beati Francisci humilitatem, est vitae communi conformatio et aliis coaptatio. Sanctus enim Franciscus, licet esset rigidissimus et austerus sibi, ubi secrete habitaret et ad interiora rediret, exterius tamen egrediens, propter verbum sancti Evangelii [2], ipsum suscipientibus in qualitate ciborum se conformabat, sicut patuit quando Alexandriae comedit de capone, cuius coxa (*b*) miraculose conversa est in piscem, ut dictum est conformitate X libri I [3] et conformitate I huius II libri [4]. — Comedit multoties cum cardinalibus, videlicet cum domino Ostiensi [5], domino Leone [6] et cum aliis. Sed et cum militibus, ut patuit de milite eum suscipiente ad prandium apud Celanum [7], cui mortem imminere praedixit, et cum multis aliis comedebat. — Sic se invitantibus conformabat in cibis, ut Evangelium impleret et singularitatem omnem vitaret, sic (*c*) ut cum eis comedendo, eos lucraretur et ad Christum attraheret; sicut patuit de fratre Bernardo, cum quo cenando et dormiendo ipsum convertit [8], et sic de multis aliis evenit. — Non solum beatus Franciscus conformabat se saecularibus, sed etiam fratribus. Unde fratri prae abstinentia deficienti, cum id spiritu pervidisset (*d*), vocato eo, posuit mensam et, ut ruborem ab eo auferret, prior ipse comedere incepit [9]. — Sic et fratri febricitanti fecit. Nam eum ducendo ad vineam, ne verecundaretur frater, ipse prior uvas cepit (*e*) et comedit [10]. — Verum si (*f*) in cibis esset communis, in mensae (*g*) apparatu apud fratres singularitatem odivit. In mensa enim ultra solitum in die natalis Domini, ob unius ministri adventum praeparata, noluit comedere, quia non erat mensa parata more pauperum, sed divitum; sed comedit in terra [11]. Verum si (*h*) pater ipse beatus in potu vini et comestione carnium conformaret se aliquando aliis, cum summo tamen abstinentiae moderamine id faciebat, ut comedendo et abstinendo cunctis esset exemplum virtutis. — Unde ut omnem singularitatem vitaret, socium, quem habebat, renuntiavit, volens (*i*) quod deinceps de loco ad locum eum sociarent; et sicut caecus baculo solo absque homine ductore pertransit (*k*), sic volebat et ipse sine socio esse et stare, et sic vita communi degere aliorum [12].

(*a*) As, Edd. *respondisse.* — (*b*) Al, As *coscia.* — (*c*) Edd. *et.* — (*d*) Edd. *id in sp. vidisset.* As in rasura *cognovisset.* — (*e*) As, Edd. *accepit.* — (*f*) Edd. *etsi.* — (*g*) Edd. add. *tamen.* — (*h*) Edd. *etsi.* — (*i*) As *nolens.... sociaret.* — (*k*) As, Edd. *pertransibat... degere cum aliis.*

---

[1] *Actus* c. 2. (compend.). — [2] Luc. 10, 8. — [3] A F IV, 478 sq.; cf. II Cel. II, 48 (al. III, 24) 78-9. — [4] Ibi tamen deest. — [5] Pag. 114. — [6] *Leg. Mai.* c. 6 n. 10. *Specul. Perf.* Lemmens, c. 20; Sabatier, c. 67. — [7] *Leg. Mai.* c. 11 n. 4; cf. *Tractat. mirac.* c. 6 n. 41. — [8] *Actus* c. 1. n. 15 sqq. — [9] *Leg. mai.* c. 5 n. 7. *Specul. Perf.* Sabatier, c. 27; supra p. 55 n. 7. — [10] *Specul.* cit. c. 28; Lemmens, c. 26. II Cel. II, 133 (al. III, 110). — [11] *Specul.* Sabatier, c. 20; cf. II Cel. II, 31 (al. III, 7) 71; *Leg. Mai.* c. 7 n. 9; supra p. 116 n. 5. — [12] II Cel. II, 105 (al. III, 82) 144.

Nonum docens beati Francisci humilitatem, est suae voluntatis propriae abnegatio, nihil suo proprio sensu vel consilio, sed potius aliorum et praesertim divino peragendo. Habita enim prima regulae confirmatione a papa Innocentio et cum sociis habita collocutione, an deberet inter homines degere, an ad loca solitaria confugere seu se transferre, divinum beneplacitum super hoc requisivit et habuit [1]. — Sic vice alia de praefata materia per fratrem Silvestrum et beatam Claram requirendo, a Domino exstitit declaratus, prout conformitas X libri I parte secunda [2] ostendit. Ut enim dicit XII pars *Legendae* [3]: « Non erubescebat a minoribus parva quaerere verus minor, qui magna didicerat a magistro supremo. Haec summa eius fuit philosophia, hoc eius summum desiderium exstitit quoad vixit, ut quaereret a sapientibus et simplicibus, perfectis et imperfectis, parvulis et grandaevis, qualiter ad perfectionis culmen (*a*) virtuosius pervenire valeret », ac quantumcunque simplicibus eum informantibus, provolutus ad genua, gratias agebat (*b*). — Semel enim dum infirmitate gravatus asino veheretur, contigit eum « per agrum cuiusdam rustici habere transitum, qui rusticus ad eum accedens petiit: si ipse esset frater Franciscus, de quo tanta mirifica dicebantur. Cui respondit sanctus, quod vere ipse erat Franciscus. Cui rusticus dixit: « Stude adeo bonus esse ut diceris, quia multi de te confidunt, et moneo te, ut nunquam sit de te aliter quam speratur ». Quo audito, vir sanctus se de asino mittens ad terram coram rustico, osculabatur pedes eius humiliter, ei gratias agens, quod monere eum dignatus est [4] ». — Sic ergo consiliis quorumcumque acquiescebat, si cernebat ea secundum Deum esse et animam. Ubi vero aliter esset, in nullo eorum acquiescebat (*c*) consiliis, sed totaliter contemnebat, sicut patuit quando dominus Ostiensis inductus a fratribus ut diceret (*d*) beato Francisco, quod consilia fratrum sapientium et proborum ipse teneret, sicut fit in aliis ordinibus, hoc (*e*) consilium noluit tenere, immo coram ipso domino cardinali dixit fratribus: « Fratres mei, fratres mei, Deus vocavit me per viam simplicitatis et humilitatis, et hanc viam mihi ostendit in veritate pro me et pro illis, qui volunt mihi credere et me imitari; et ideo nolo quod nominetis mihi alienam regulam et formam vivendi praeter illam quae mihi misericorditer a Deo est ostensa et dictata ». Et dixit mihi Dominus, quod volebat me esse unum pazzum (*f*) in hoc mundo, et noluit me ducere per aliam viam quam per istam; sed per vestram sapientiam et scientiam Deus vos confundet, et (*g*) ego confido in castaldis Domini, daemonibus, quod per ipsos puniet vos Deus; et adhuc redibitis ad vestrum statum cum vituperio vestro, velitis nolitis » [5]. — Similiter non acquievit fratrum voluntati, quando dicerent (*h*), sibi, ut peteret privilegium de praedicationibus contra clericos, eos praedicare non permittentes, ut dictum est libro I conformitate XI [6]. — Similiter non acquievit, cum suaderetur (*i*) ut de rebus ordinem intrantium propter forenses aliquid reservaretur, quia erat contra Evangelium [7], ut dictum est conformitate praece-

(*a*) Al, Bonav.; Edd. vero *cultum;* As corr. in *culmen.* — (*b*) As, Edd. *referebat.* — (*c*) As, Edd. *ipsorum adhaerebat.* — (*d*) Edd. *fratribus dixit b. Francisco ut consilia.* — (*e*) Edd. om. *hoc — nolitis;* et habent pro eo, *ut parte secunda conformitatis XII libri I dictum est paragrapho XIX.* — (*f*) As *fatuum.* — (*g*) Al om. *et ego — Deus (et).* — (*h*) As Edd. *dicebant.* — (*i*) Edd. om. *cum suaderetur.*

[1] *Leg. mai.* c. 4 n. 2. — [2] A F IV, 466; *Actus* c. 16. — [3] C. 12 n. 2. — [4] II Cel. II, 103 (al. III, 80) 142. — [5] *Specul. Perf.* Sabatier, c. 68; cf. A F IV, 585 sq. — [6] A F IV, 500, sed magis Conform. X, p. II, pag. 471. — [7] Luc. 10, 8.

denti parte secunda [1]. Et sic de similibus. Quia enim praefata contra Deum esse videbat et animae salutem, nullo modo acquiescebat. — In aliis vero eorum consilio condescendebat et voluntati; sicut Reate acquievit consilio fratrum, quod sibi fieret coctura (*a*) per ferrum ignitum, ad lumen oculorum conservandum [2].

Et sicut beatus Franciscus voluntatem suam abnegavit, aliorum voluntatem prosequendo, sic volebat quod alii fratres essent, nunquam voluntatem suam perficientes, sed praelatorum suorum. Unde ipse dixit fratribus: « Carissimi fratres, primo verbo praeceptum adimplete, nec exspectetis iterari, quod dicitur vobis; nihil etiam impossibilitatis causemini (*b*) sive iudicetis esse in praecepto, quia etsi supra vires ego vobis mandarem, sancta obedientia viribus non carebit [3] ». Sic ergo volebat ut, voluntate propria deposita, sine rebellione praelato obediretur. — Semel quemdam fratrem inobedientem praelato, iussit se spoliare totaliter etiam bracis, et postea mandavit, ut faceret foveam; et cum omnia fecisset, praecepit ei, quod se in fovea poneret: quod et fecit. Et beatus Franciscus terra cooperuit eum usque ad barbam. Et dixit ei: « Esne mortuus, frater? Esne mortuus »? Qui respondit ei: se esse mortuum. Tunc dixit ei beatus Franciscus: « Surge, et si vere mortuus es sicut debes, obedi praelato tuo ad nutum, nec repugnes in aliquo, sicut nec homo mortuus potest in aliquo repugnare ». — Unde verum humilem et obedientem corpori mortuo assimilabat, ut dictum est fructu et conformitate XII libri I parte secunda cap. XII, de perfecta obedientia [4]. Ut (*c*) enim dicit: « Corpus exanime, ubi tibi placuerit, pone illud: videbis illud non repugnare motum, non murmurare situm, non reclamare dimissum. Quod si in cathedra exaltetur, nec alta sed ima respicit; si collocetur in purpura, in duplo pallescit. Sic est verus obediens, qui cur moveatur non diiudicat, ubi collocetur non curat, ut transmutetur non instat, promotus ad officium solitam tenet humilitatem, plus honoratus plus reputat se indignum ». — Volentes etiam voluntatem propriam (*d*) perficere, nolebat ad ordinem recipere (*e*). Duo (*f*) iuvenes aliquando venerunt ad beatum Franciscum, rogantes ut ad ordinem reciperentur. Beatus vero (*g*) Franciscus, volens probare si vere essent obedientes et parati propriam abnegare voluntatem, duxit eos ad hortum dicens: « Venite, plantemus caules, et sicut me videbitis plantare, sic et vos plantate ». Cumque beatus Franciscus plantando, radices poneret desuper versus caelum, folia vero subtus terram, unus illorum fecit per (*h*) omnia ut beatus Franciscus, alius non, sed dixit beato Francisco: « Non sic, pater, caules plantari consueverunt, sed potius versa vice ». Cui beatus Franciscus: « Fili, ego volo quod tu facias sicut ego ». Cumque ille facere nollet, quia falsum videbatur, dixit beatus Franciscus eidem: « Frater, video quod magnus magister es; vade vias tuas, quia non es bonus pro ordine meo ». Et altero secum retento, illi dedit repulsam. — Verum beatus Franciscus, etsi fratres vellet habere sui exemplo voluntatem, ut humiles, abnegatam per omnia respectu praelatorum, nolebat tamen, quod praelati ad praeceptum obedientiae statim

---

(*a*) Al add. *per ignem (p. ferr. ign.)*. — (*b*) As, *censemini;* Edd. *iudicetis*. — (*c*) Omnes Edd. om. *Ut — se indignum*. — (*d*) As, Edd. *suam*. — (*e*) Edd. *non recipiebat*. — (*f*) Edd. 1590 om. *Duo — repulsam*. — (*g*) Al om. *vero*. — (*h*) Al om. *per*.

---

[1] Pag. 116. — [2] *Leg. mai.* c. 5 n. 9. — [3] *Spec.* cit. c. 47; II Cel. II, 22 (II, 20) 51. A F IV, 605. — [4] A F IV, 605; *Leg. mai.* c. 6 n. 5; *Spec. Perf.* Sabatier, c. 48.

adirent. Et ideo dicebat: « quod raro per obedientiam erat praecipiendum: nec primum (*a*) fulminandum esse iaculum, quod debet esse extremum. « Ad ensem, inquit, non cito (*b*) manus est mittenda ». Eum autem, qui praecepto obedientiae non festinanter obediret, dicebat nec Deum timere nec homines revereri, dum scilicet non habet causam necessariam retardandi. Nihil verius istis (*c*). Nam auctoritas imperandi in temerario praeceptore, quid est aliud, quam gladius in manu furiosi? Quid vero desperatius est aliud, quam religiosus obedientiae neglector et (*d*) contemptor [1] »?

4. Decimum ostendens beatum Franciscum fuisse verum humilem est divinorum praeceptorum et consiliorum observantia et custoditio. Ut enim dictum est libro I conformitate IX parte secunda [2], ipse beatus Franciscus totum Evangelium ad litteram observavit, etsi ad totalem Evangelii observantiam noluerit fratres obligare; ut enim de ipso cantatur [3]: « Franciscus evangelicum, vel unicum nec (*e*) apicem transgreditur, nec iota ». Sic ergo Dei servando praecepta et consilia, sub Dei omnipotentis manu se humiliavit.

Undecimum pandens beati Francisci humilitatem, est vita eius mansueta et conversatio. Haec fuit in Christo, prout ipse declarat, Matth. 11, 29, dicens: *Mitis sum,* scilicet conversatione, *et humilis corde.* De hac commendatur *Moyses,* Num. 12, 3, quod *erat mitissimus super omnes, qui habitabant in terra.* Talem conversationem humillimam et mitissimam beatum habuisse Franciscum, et iam dicto superius probant et multa alia. — Primo, quia animalia mansueta cum ipso stare summe delectabantur: patet de agniculo eidem dato Romae, de ove stante in Sancta Maria de Angelis, de ovibus, quae relinquentes pascua, dum rediret de Senis ad ipsum ierunt; de lepusculo apud Graecium in sinum eius pluries saltante, de cuniculo (*f*) in lacu Perusino ei dato: de quibus omnibus VIII pars *Legendae* [4] refert. Et quia similis iungitur simili, Eccli. 14 [5], signum erat affectus mansuetorum ad ipsum, quod ipse fuit mansuetissimus. — Idipsum ostendunt secundo volatilia, quae ad ipsum libenter accedebant et cum ipso stabant, sicut patuit, quando montem ascendit Alvernae [6]. Et quod maius est, mititas Francisci mansuetudinem ingessit animalibus ferocibus, ut patuit de lupo ferocissimo apud Eugubium, de quo dictum est libro I conformitate X [7] et libro II conformitate I [8]; quem ad tantam mansuetudinem deduxit, ut sicut ovis inter oves staret cum eis conversando. — Tertio id etiam clamant homines. Nam tres latrones ferocissimos apud Montem Casalem convertit et humillimos reddidit, eos ad ordinem recipiendo [9]. — Idipsum fecit de latrone, quem a ferocitate ducens ad mansuetudinem, fratrem Agnellum nominavit [10].

Astruit hoc quarto hominum et mulierum ad ipsum accessus. Omnes enim cum humili stant et superbos contemnunt. Ad beatum Franciscum omnis aetas,

(*a*) As, Edd. et Spec. *primo.* — (*b*) As Edd. *statim.* — (*c*) Edd. om. *Nihil ver. istis.* — (*d*) As, Edd. add. *despector* (As *desperator* erron.) *seu.* — (*e*) As, Edd. om. *nec.* — (*f*) As *avicula.*

[1] *Specul. Perf.* Sabatier, c. 49; II Cel. II, 113 (al. III, 90) n. 153; A F IV, 605. — [2] A F IV, 381 sqq. — [3] *Antiph. IV ad I Vesp. festi S. Francisci:* « Franciscus evangelicum nec apicem vel unicum transgreditur nec iota ». — [4] *Leg. mai.* c. 8 n. 7 sqq. Supra p. 13. — [5] Potius Eccl. 13, 19. — [6] *Leg. Mai.* c. 8 n. 10; *Actus,* c. 9 n. 23 sqq. — [7] A F IV, 474 sq. — [8] Supra p. 13. — [9] *Specul. Perf.* Lemmens, c. 43; Sabat. c. 66; *Actus,* c. 29. — [10] Cf. Wadding. ad an. 1215 n. 16.

omnis sexus, quocumque ibat, accedebat, sicut patuit quando Bononiam primo ivit. Tota enim civitas ei obviam ivit, et beatum se putabat, qui eum alloqui vel tangere posset [1]. — De ipsius conversatione mitissima et humili dicit *Legenda fratris Thomae* [2]: « Non discernebatur Dei princeps, quod esset praelatus, nisi hac praeclarissima humilitatis et mitissimae conversationis gemma, quia inter Minores, minimus aderat. Haec virtus, hic titulus, hoc insigne vere generalem indicabat esse ministrum. Aberat ab eius ore omnis altitudo, pompa omnis a gestibus, ab actibus omnis fastus; sensum in multis ex revelatione didicerat, quem tamen in medio conferens, aliorum anteponebat sensus. Sociorum consilium tutius esse credebat, et alienus (*a*) visus melior proprio videbatur. Non omnia pro Deo reliquisse dicebat, qui sensus proprii loculos retineret. Malebat de se vituperium audire quam laudem, cum hoc ad se emendandum cogeret, illa impelleret ad cadendum ». — Sed quod ostendit beati Francisci conversationem mitissimam, praecipuum argumentum est Christi cum Francisco conversatio et affabilis allocutio et frequens ei apparitio, de quibus dictum est conformitate III parte secunda huius II libri [3]. Et quia cum humilibus et simplicibus est Christi conversatio, ut dictum est parte prima huius conformitatis, convincitur Franciscum humillimum conversatione et mitissimum. Unde beatus Franciscus non solum in habitu saeculari fuit gratificae et humilis conversationis, sicut patuit, quando captus a Perusinis in carcere perversissimo, servivit militi ab aliis derelicto [4], sociis fuit etiam conversatione gratissimus et acceptus; sed super omnia conversationem dulcissimam habuit ad Christum conversus, prout manifestum fuit in hominibus, scilicet fratre Bernardo, Petro Cathanii, fratre Aegidio et pluribus aliis innumerabilibus, qui ei adhaeserunt, mundanis totaliter fugatis et abnegatis.

Duodecimum et ultimum quoad hoc ostendens beati Francisci humilitatem, est in operibus humilibus exercitatio. Ex dictis enim in hac secunda parte conformitatis et in praecedentibus, scilicet libro I, apparet hoc manifeste. Ipse enim servivit leprosis abiectis et miserabilibus personis, eorum ulcera tractando, ligando, saniem abstergendo et in oscula ulcerosarum plagarum ruendo. Ipse pro pane, dum esset sanus, semper ibat. Ipse fratribus serviebat, ut se eorum generalem ministrum et nomine declararet et facto. Ipse ecclesias [5] scopabat et loca, ut ostenderet officia humilia sibi esse placibilia (*b*). Generalatus renuit officium. Guardianum, cui obediret usque ad mortem voluit habere [6], ut ceteri fratres. Sine socio proprio stare complacuit [7], ut humilitatem super quam structuram suae locarat religionis, et perfectionem cunctis ostenderet verbo, habitu, actu et effectu. Quibus omnibus antedictis inspectis, apparet quod beatus Franciscus ad instar Domini Iesu Christi omnibus fuit submissus et vera humilitate minoratus, prout huius conformitatis secunda pars dicit.

Cuius exemplo antiqui fratres et socii eius benedicti, in sancta humilitate se totaliter posuerunt, ac ipsam sanctae paupertatis sociam habuerunt et tenuerunt. Frater Massaeus per plura tempora humilitatem sibi dari a Deo deposcendo, tandem sibi Dominus benigne concessit et dedit, prout conformitate VIII libri I [8] est dictum. Sic et frater Bernardus [9], sic frater Aegidius [10], sic frater Iuniperus [11] et sic de aliis,

(*a*) As, Edd. *aliorum*. — (*b*) Edd. *grata*.

[1] *Actus*, c. 36. — [2] II Cel. II, 102 (al. III, 79) n. 140. — [3] Supra p. 85-89. — [4] *Leg. 3, soc.* c. 2 n. 4. — [5] *Spec. Perf.* Lemmens, c. 31; Sabatier, c. 57. AF IV, 204. — [6] Cf. supra p. 157 n. 6. — [7] Cf. supra p. 139 n. 12; *Spec. Perf.* Lemmens, c. 16; Sabatier, c. 40. — [8] AF IV, 196 sq. — [9] L. c. p. 181. — [10] P. 205 sqq. — [11] P. 245 sqq.

qui hac virtute insignes fuerunt, ut patet conformitatem VIII [1] praedicti libri intuentibus. — Quam vero fuerint fratres antiqui in humilitate fundati, beati patris exemplo, patuit in quodam sacrae theologiae magistro [2], qui fuit in ordine beati Francisci tempore. Hic cum esset beatae Mariae devotus et in corde suo firmasset, ut quidquid ab eo amore Virginis posceretur et (*a*) posset, protinus exerceret. Et cum hoc suum propositum cuidam matronae revelasset, ac dicta matrona, cum videret dictum magistrum utilem et aptum ad religionem, dicti magistri propositum revelavit monachis, inducendo eos, ut ad dictum magistrum accederent et peterent ab ipso Virginis amore, quod fieret monachus; quia proculdubio ratione propositi statim monachus fieret. Monachi ad ipsum euntes proposuerunt in fine collocutionis dictam petitionem facere; et cum multa cum eo fuissent locuti, divino nutu obliti sunt illius, pro quo venerant, indicare. Quod sciens domina iam dicta, ivit ad Praedicatores, et ea quae monachis dixerat de proposito dicti magistri et petitione fienda, indicavit. Cumque fratres Praedicatores ad eum perrexissent et de bonitate et melioritate statuum plura secum pertractarent, supervenit quidam laicus nostri ordinis, Minorum fratrum eleemosynarius, et panem quaesivit ad portam dicti magistri. Et cum nullus sibi responderet, ascendit domum causa petendi eleemosynam, scilicet panem. Cumque praedicatores vidisset cum dicto magistro conferentes, subito instinctu Spiritus Sancti dixit ad eum: « Rogo vos, magister, amore Virginis Mariae, matris Dei, quod intretis ordinem nostrum ». Quo audito et nimio stupore repletus, magister ipse dixit ad fratrem: « Vade, frater, ad domum tuam et praepara indumenta, quia quod rogasti, libenter adimplebo ». Quod et factum est. Praedicatores autem, nimis rubore perfusi, sine obtentu desiderati ad propria redierunt. Et dictus magister factus est frater Minor devotus et sanctus. — Procedente autem tempore [3], dictus magister ob reverentiam beati Francisci venit Assisium, et ibi commoratus est et stetit tanto tempore, quod bene poterat lingua Italica praedicare. Cum autem semel beata Clara, quae tunc vivebat, mandasset guardiano, quod mitteret sibi aliquem fratrem ad praedicandum, guardianus praefatum misit magistrum ad (*b*) monasterium sanctae Clarae ad praedicandum. Cumque incepisset praedicare et de Deo eructaret magnifice, sanctus frater Aegidius, qui erat laicus et tunc in dicto erat monasterio et sermonem audiebat, subito surrexit totaliter spiritu inflammatus et dixit ipsi magistro praedicanti: « Magister, tace, quia ego volo aliquantulum loqui ». At ille cum hoc audisset, sermone dimisso et caputio capite informato, sedit humiliter. Cumque frater Aegidius fuisset locutus ad libitum, dixit tandem dicto magistro: « Surge, frater, et sermonem tuum perfice ». At ille surrexit illico et sermonem inceptum complevit. Sermone autem completo et magistro foras egresso, dixit beata Clara fratribus, qui ibidem aderant: « Dico vobis, fratres, quod hodie vidi mirabilia. Dixit enim mihi aliquando beatus Franciscus, pater et dominus meus, quod tantam humilitatem desiderabat in ordine suo, quod si unus magister in theologia loqueretur, ad mandatum unius laici etiam taceret. Quod hodie completum est in oculis meis. Et dico vobis, fratres, quod magis sum aedificata de humilitate illius fratris, quam si vidissem eum mortuos suscitare (*c*) ». — Multa alia similia habentur

(*a*) Edd. add. *ipse hoc*. — (*b*) As, Edd. om. *ad — praedicandum*. — (*c*) As, Edd. *suscitantem*.

[1] A F IV, 240 sqq. — [2] A F IV, 429; *Chron. 24 gen.* 218 sq. ubi de Alexandro Halensi narratur; cf. A F IV, 309 not. 5. — [3] Cf. A F IV, 208; *Chron. 24 gen.* 81.

de aliis fratribus; sed sufficiant dicta. Frater enim Bernardus de Quintavalle humilitate a Bononia recessit, quia nimis honorabatur [1]. Frater Rufinus humilitate diabolum de homine, eundo pro pane, eiecit [2]. Et sic de aliis.

5. Quia ergo beatus Franciscus fuit vera humilitate minoratus, ut dictum est, hinc est quod fuit a Deo exaltatus in suo conspectu, ei omnia petita concedendo, subveniendo et cotidie eum in sua acceptione magis gratificando. In conspectu angelorum, cuius ministerio beatus Franciscus utebatur, ut placuit, sicut de cithara [3] patet et aliis. In conspectu daemonum, quos sua humilitate a civitate Aretii repulit et ab aliis pluribus. In conspectu domini papae, scilicet domini Innocentii et Honorii, qui omnia a beato Francisco petita concesserunt. In conspectu cardinalium et praelatorum, qui omnes eidem reverentiam exhibebant ut sancto Dei, et beatos se putabant, si ipse staret cum eis. In conspectu omnium fidelium, qui omnes ad gratiam sibi putabant eum posse alloqui, videre et audire. In conspectu infidelium, scilicet Soldani, qui ad ipsum habuit et concepit singularem affectum et devotionem. In conspectu sanctorum apostolorum Petri et Pauli, qui ipsum benignissime sunt Romae amplexati [4]. In conspectu reginae mundi, Virginis Mariae, a qua Filium suum pluries porrectum accepit, eidem in obtinenda indulgentia Portiunculae astitit [5], et ipsa humilitatis mater et domina, ut filium sibi in hac virtute humilitatis conformem, dilexit et amavit. In conspectu aliorum sanctorum Ioannis Baptistae et Ioannis Evangelistae [6] et aliorum, quos sua humilitate benevola ad secum loquendum attraxit. In conspectu doctorum et confessorum, quorum verbis et operibus inhaerendo, hanc ab eis laudatam et conquisitam virtutem et tenuit et habuit. In conspectu omnium beatorum, in quorum consortio positus, ut humillimus in sede Luciferi pro praemio collocatur. Sic ergo beatus Franciscus sua humilitate magnus effectus in conspectu omnium, et cunctorum benevolentiam habuit et Deum, auctorem omnium, ad quod libebat humilitate tam in praesenti quam tunc (*a*) inclinat et inclinavit. Cuius exemplo, ne degeneres filii dicamur a patre, hanc virtutem corde, ore, opere, habitu arripiamus et cultu, cuius fructu et utilitate ditemur, triumphemus de hostibus, et prosequendo Salvatorem Christum Dominum, ad manendum cum ipso, caelum tandem conscendamus. Amen. — Praefatis ergo apparet expositio V conformitatis, videlicet: *Iesus submissus omnibus; Franciscus minoratur.*

FRUCTUS ET CONFORMITAS SEXTA ET IN ORDINE DECIMA OCTAVA:
Iesus Propheta Lucidus. — Franciscus Radiatur.

Expositio primae partis, videlicet: **Iesus propheta lucidus.**

Dominum Iesum Christum, Salvatorem nostrum, vere fuisse prophetam, prout asserit prima pars huius conformitatis, inter alia nonnulla declarant et ostendunt.

1. Et primum est, quia eius anima deitati est per plenitudinem gratiae formaliter copulata et unita. Hoc asserit apostolus Paulus, Coll. 2, 9, dicens quod *in ipso,* scilicet Christo,

(*a*) Al, As *nunc.*

[1] A F IV, 182. — [2] A F IV, 201; *Actus,* c. 33 n. 37. — [3] A F IV, 37; supra 11 n. 1; *Leg. Mai.* c. 5 n. 11. — [4] *Actus,* c. 13 n. 28. — [5] Cf. supra p. 32, l. 17 sqq. — [6] *Actus,* c. 19 n. 8.

habitat omnis plenitudo deitatis corporaliter; Augustinus in quodam *Sermone:* omni modo inhabitandi, ut etiam personaliter sit unita corporaliter (*a*); quia sicut animae est deitas unita, sic et corpori trina dimensione extenso: quia *verbum caro factum est* [1]; et per plenitudinem, quia tota deitas et non pars est Christo ut homini communicata. Et quod sic sit, patet quia tali copulatione et communicatione Deus et homo unus est Christus. Sed cum in divina essentia omnia sint cognitive, quia Deus omnia novit, ut philosophi ostendunt: scilicet, Aristoteles in libro *De bona fortuna* [2] dicit: Deus bene videt praesens et futurum quasi (*b*) quorum periit res, id est praeterita; et *Libro de causis* [3]: omnis intelligentia plena est formis. Et quod omnia sint in Deo, dicit Commentator, XII *Metaphysicorum,* commentario 19 [4]: « Omnes proportiones et formae sunt in potentia in prima materia, et actu in prima forma ». Avicenna, IV *De anima,* cap. 2 [5], dicit: « Omnia quae in mundo sunt praeterita, praesentia et futura, habent esse in sapientia Creatoris ». Themistius dicit, quod Deus omnia intelligit, prout recitat Commentator XII *Metaphysicorum,* comment. 51 [6]. Tullius in libro *De officiis* [7], et recitat Augustinus XII *De civitate Dei,* cap. 20 [8]: « Deus est quaedam mens soluta et libera, omnia sentiens et movens, ipsaque praedita nutu sempiterno ». Idipsum omnia Deum cognoscere et in ipso esse omnia, dicit Apostolus [9]: *Quoniam per ipsum, ex ipso et in ipso sunt omnia* etc. Magister *Sententiarum,* I, dist. 36. c. 1 et c. ultimo, ubi concludit, quod in Dei cognitione sive praescientia sunt omnia, scilicet bona et mala. Idipsum ponunt doctores exponentes illud Ioannis 1, 4: *In ipso vita erat.* Augustinus XI *De civitate Dei,* cap. 10 [10]: « In Dei scientia sunt thesauri rerum intelligibilium, in quibus sunt omnes invisibiles atque incommutabiles rationes rerum visibilium ». Dionysius *De divinis nominibus* [11] cap. 7 parte 6: « Divina sapientia cognoscens se, cognoscit omnia » etc.

Sed sciendum, quod licet res in seipsis (*c*) sint praeteritae seu futurae, in Deo tamen, ut docet beatus Augustinus [12], non fuerunt nec futurae sunt, sed tantum sunt. Quomodo vere intelligatur, quod creaturae habent esse in Deo causaliter, eminenter (*d*), perfectionaliter et vitaliter, quia declaravi in opere *De vita Virginis,* fructu I, nihil ad praesens. Cum ergo animae Christi visio sit divinae essentiae communicata, quia non prius anima creata, quam unita (*e*) et consequenter beatificata, ex 3 dist. *Tertii,* quare et divinae essentiae ei data visio; sequitur, quod anima Christi fuit a Deo de omnibus illuminata, ut dicit Magister III, dist. 13 [13] quod anima Christi scit omnia, quae Deus in Verbo Dei. — Quare hac prima via concluditur, quod fuit omnisciens, ut dicit Magister loco praeallegato, et per consequens summus omnium prophetarum. — Secundum declarans Christum fuisse maximum prophetarum, est quia eius animae beatae divina essentia in esse plenitudinis, quoad cognitionem est communicata. Ut enim dicit Magister III, dist. 3 (*f*), non prius prioritate temporis vel instantis anima Christi fuit creata quam assumpta seu beata, sed simul creata unita fuit et beata; et consequenter, ut dictum est, divinae essentiae visio communicata, aliter enim beata non fuisset. — Quod vero intelligentiae plenitudo ei sit communicata, patet per Apostolum, Coll. 1 [14]: *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei absconditi.* Idem patet per Magistrum, III, dist. 13 [15], quod anima Christi scit omnia, quae Deus in Verbo Dei. Idem dixit Hugo in libello *De sapientia animae Christi* [16], ut dicetur. Sed hic sunt aliqua dubia.

(*a*) Al repet. ***sit unita corporaliter.*** — (*b*) Al ***et,*** subinde ***res.*** — (*c*) Al om. ***in seipsis.*** — (*d*) Edd. om. ***eminenter.*** — (*e*) Edd. om. ***unita.*** — (*f*) Al ***dist. 13;*** Ed. II et III ***d. 3 alias 13.***

---

[1] Ioan. 1, 14. — [2] Olim int. Aristot. *Opera,* (Venet. 1496), f. 349r. — [3] Item; propos. vel paragr. 10. — [4] I. e. Averroes; sed potius comment. 18. — [5] Com. in l. c.; Avicenna, *Opera,* (Venet. 1508), f. 18vb. — [6] Averroes, l. c. vers. finem. — [7] Est *Tuscul.* I c. 27. — [8] L. c. n. 1 (P. L. 41, 782). — [9] Rom. 11, 36. — [10] P. L. 41, 327. — [11] C. 7 n. 2 (P. G. 3, 870). — [12] Cf. *Ennar. in Ps.* 49 n. 18 (P. L. 36, 577). — [13] Potius dist. 14. — [14] Potius Coll. 2, 3. — [15] Dist. 13 et 14. — [16] Circa med. (P. L. 176, 831).

2. Primum dubium est, an sit possibile creatam intelligentiam videre divinam essentiam et quamlibet in ea relucentem vel relucibilem creaturam. Respondeo, quod sic. Hoc patet responsione beati Gregorii, II *Dialogorum* cap. 35 [1], ubi quaestioni Petri, quomodo a beato Benedicto sub uno solis radio omnis mundus visus est, respondens dicit: « Firmiter tene, Petre, quod dico: quod animae videnti Deum angusta est omnis creatura. Quantumlibet enim parum de luce Creatoris aspexerit, breve fit ei omne quod creatum est, quia ipsa luce visionis intimae mentis laxatur sinus, tantumque expanditur in Deum, ut superior exsistat mundo ». Et sequitur: « Videre in Deum raptus sine difficultate potuit, quidquid infra Deum est ». Qua responsione patet propositum. Si enim non conceditur hoc, erit quia non est possibile videre divinam essentiam intellectum creatum simul secundum infinitas species rerum in divina essentia relucentes. Hoc excludit beatus Gregorius dicens: « Raptus in Deum sine difficultate videre potuit, quidquid infra Deum est ». Insuper si impossibilitas arguitur in hoc: aut hoc erit ex parte divinae essentiae; et hoc non, quia ipsa est repraesentativa sui secundum omnem simul rationem intelligibilem in ipsa, sic etiam naturaliter repraesentat intellectui proprio; vel ex parte intellectus creati propter limitationem, quia non potest simul et distincte cognoscere clare divinam essentiam secundum infinitas rationes intellectuales. Sed hoc est falsum. — Primo, quia si hoc haberet colorem, ex eo esset quia intellectus ut potentia activa est limitatus, et ideo simul non potest causare diversos actus intelligendi; sed hoc in proposito non impedit. Ratio: nam in notitia, quam habet intellectus in Verbo et respectu illius intellectus non se habet active nec passive, sed tantum perceptive, prout multi doctores asserunt et dicunt. — Secundo quia si ista limitatio ab intellectu creato proveniret, cum intellectus creatus non dilatetur substantialiter, quia sic non esset idem numero qui prius, nec magis consequenter sit capax in lumine increato quam creato, sequitur, quod si ex sua natura limitetur ad intelligendum simul diversa intelligibilia sub certo finito numero, nullo modo posset simul cognoscere plura in qualicumque lumine divino. Sed hoc est contra processum beati Gregorii allegatum. Dicit enim: « Quantumlibet parum de luce Creatoris aspexerit, breve fit ei omne, quod creatum est »; et per consequens in lumine superiori plura potest simul videre intellectus creatus. Dicit etiam beatus Gregorius [2], quod radius superior, puta divinus, potest mentem dilatare. Unde dicit, quod caelum et terra non sunt contracta, sed videntis animus dilatatus. Aut ergo ista animi dilatatio est eius dilatatio substantialis; et hoc non, nam per nullam mutationem accidentalem in mente, mens substantialiter variatur. Ergo ista dilatatio est per hoc, quod radius superior plura ostendit et in plura facit intellectum intendere per actum intuitivum · quia radius inferior, manente eadem capacitate essentiali potentiae perceptivae, et per consequens intellectus creatus non est ex se limitatus ad certum numerum intelligibilium, quae simul possit cognoscere, sed limitatur et illuminatur per radios vel radium, secundum quod plura vel pauciora potest in sua luce ostendere. Sed radius divinae essentiae, quantum est ex se, potest ostendere divinam essentiam et secundum omnem rationem ipsius intelligibilem: sequitur, quod intellectus creatus omnia, quae divina essentia potest ex se simul ostendere, simul potest simplici conspectu et intuitu videre. Et haec videtur esse intentio beati Gregorii; et sic patet ad primum dubium.

Secundum dubium. Quale est tale lumen, quo divina essentia sic videtur: an creatum, vel increatum? Responsio patet ex dictis beati Gregorii [3], quod est lumen increatum. Ut enim dicit, hoc lumine anima fit superior mundo et se ipsa, et omne quod creatum est, fit ei breve: oportet ergo, quod sit lumen increatum. Deus enim est lumen gloriae, elevans intellectum creatum in patria ad Deum beate videndum. Licet enim ad hoc, quod creata intelligentia (*a*) in Deum feratur, sit necessarium lumen creatum, ut dicit Decretalis, tamen

(*a*) Al *intentio*.

[1] P. L. 66, 200. — [2] Item l. c. — [3] Item.

ad hoc, ut Deus videatur ex parte ipsius Dei, nullum aliud lumen creatum derivatum exigitur. Ratio, quia Deus secundum Apostolum, *lucem habitat inaccessibilem* [1]. Quomodo fiet ergo accessibilis per aliquod creatum, cum quodlibet creatum infinite distet ab ipso? Praeterea, si per lumen creatum sit Deus accessibilis; ergo tale lumen esset intelligentia (*a*) cognitiva, et sic Deus esset sibi accessibilis ex puris naturalibus, quod est haereticum.

Tertium dubium est. Si vera sunt quae dicta sunt in solutione primi dubii, sequi videtur quod sit possibile Deum a creatura comprehendi, ex quo dicitur, quod possibile est videre intellectum omnia, scilicet Deum et omnem relucentem et relucibilem in eo creaturam. Respondetur, quod ad comprehendendum (*b*) Deum requiritur ipsum comprehendi immense et quoad gradum et quoad speciem; quorum primum creaturae repugnat. Unde intellectus creatus, si est sub gradu ut quatuor, non intensius percipit quam ut quatuor, licet plura simul possit intelligere sub tali gradu; et si percipit rationem vitae, percipit non sub immenso gradu, sed sub gradu ut quatuor (*c*), et sic de aliis, licet percipere possit simul omnia ista.

Quartum dubium. Quia videtur, quod talis intellectus sic percipiens fit infinite beatus, quia videns Deum sub pluribus rationibus, ceteris paribus, est magis beatus. Respondetur, quod solum finite est beatus, quia solum finite est perceptivus. Nec talis est magis beatus intensive sed extensive (*d*), quia plura videt.

Quintum dubium. Talis notitia videtur infinita, quia infinitorum repraesentativa. Respondetur, quod est infinita quoad species et non quoad gradum. Divina etiam essentia (*e*) non est perfectior ex repraesentatione multarum creaturarum simul quam unius, licet sit extensive, id est numerose (*f*).

Sextum dubium. Quia videtur quod intellectus talis sit infinitus. Patet, quia si esset activus infinitorum actuum, sic diceretur infinitus; ergo non minus censendus est infinitus ex perceptione infinitorum. Respondetur, quod non sequitur, quia si esset activus infinitorum actuum, infinitae rationes causales sibi corresponderent. Sed sic non est de actu (*g*) perceptivo, quia sub unica ratione omnia comprehendit et intelligit, quae apprehendit et intelligit. Sic ergo praefatis declaratis tenendum est, quod anima Christi in instanti assumptionis ipsius a Verbo et beatificationis vidit divinam essentiam et quamlibet in ea relucentem (*h*) intelligibilem creaturam, factam vel factibilem. Hanc tenet Magister, ut dictum est dist. III, cap. 2, dicens: « quod anima Christi per sapientiam gratis datam in Verbo Dei, cui unita est, perfecte intelligit omnia et scit, quae Deus scit ». Et cap. 3 idem dicit: « Scit igitur anima Christi omnia, quae Deus in Verbo Dei, quae limpidius et praesentialius omni creatura alia contemplatur ».

Idem dicit Hugo in libello *De sapientia animae Christi* [2], respondendo magistro Gulielmo de Mauritania, ubi magister praefatus quaerit: utrum anima Christi tantam habeat penitus scientiam et sapientiam, quantam habet deitas. Et arguit, quod non. Quia vita aeterna stat in notitia, iuxta illud dictum Christi, Ioan. 17, 3: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te* etc. Ergo anima Christi haberet aequalem (*i*) notitiam cum deitate, similiter et aequalem beatitudinem et aequalem caritatem etc., in quibus beatitudo consistit; quod videtur falsum. Ad quod argumentum sic respondit Hugo: « quod anima Christi sic novit omnia, non per habitus, actus aut accidentia aliqua, et idem sentit de beatitudine nostra, sed per ipsum Deum et per essentiam ipsam Dei. Unde dicit sic: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum et quem misisti Iesum Christum.* Cognitio itaque Dei, vita aeterna est. Et quid est cognitio Dei? Numquid accidens est? Ergo amor Dei accidens est? Et beatitudo

(*a*) As, Edd. *intellectiva.* — (*b*) Al, As *concludendum.* — (*c*) Edd. add. *si sapientiam sub gradu est ut quatuor; (et sic).* — (*d*) As om. *sed extensive;* Edd. *intransitive sed extransitive.* — (*e*) Al *Deus essentia.* — (*f*) Edd. *et innumerose.* — (*g*) Edd. II (et III) add. *alias activo.* — (*h*) Al *rem lucentem et intellectualem.* — (*i*) Al, hic et infra, *essentialem.*

[1] I Tim. 6, 16. — [2] L. c. P. L. 176, 851 sqq., quem modo pressius, modo liberius sequitur.

accidens est? Et in accidentalibus nostra beatitudo est? Quare non magis Deus sit beatitudo nostra? Ipse sapientia, qua cognoscimus, ipse amor, quo diligimus, ipse gaudium, quo exsultamus; ergo una sapientia est, qua omnes sapiunt. Quod si omnes hac sapientia sapiunt, quaecumque sapiunt, multo magis hac sapientia illa anima sapit, quae ipsi sapientiae unita fuit ». Et infra: « Apostolus inquit [1], *plenitudinem* ibi esse. Et nos dicimus, quod tota sapientia non est in domo sua, ergo dimidia habitat et dimidia foris stat. Et ubi quaeritur, si domi non invenitur, *in quo habitat omnis plenitudo deitatis* [2] *corporaliter* »? « Ubi plenitudo est, nihil deest; ubi nihil deest, totum adest. Si forte plenitudo deitatis est ibi, et plenitudo sapientiae ibi non est »? Dicit iterum: « *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei* (*a*) *absconditi*. Sed dicitis: Bene omnes thesauri sapientiae et scientiae sunt ibi; sed absconditi sunt: portat, et non videt. Absit ab intellectu nostro, ut sic sentiamus. Sed absconditi sunt, non ut ab eo abscondantur, sed ne impii in eo videant; absconditi sunt, reconditi sunt, ut tempore opportuno proferantur ». Et infra: « Vidit Christus in deitate, vidit Christus in humanitate, tamen ex deitate ». « Erat enim *plenitudo deitatis* in anima Christi, et ex plenitudine sapientiae plene sapiens erat anima Christi. Ergo, inquit, tantam sapientiam habet anima Christi, quantam habet Deus. Quid facit comparatio? Unus solus est. Una sapientia est Dei, qua sapiens est anima Christi; nec participando sapiens, ut vel illud in illa et per illam sapiat, sed plenitudinem habendo, ut totum possideat. Non igitur tanta dicamus aut quanta, sed dicamus: tota sapientia in anima Christi est, et ex tota sapientia Dei anima Christi sapiens est. Nec tamen aequalis Deo anima Christi est; quia sapientia Dei est illic gratia, hic natura, et idem illic gratia, quod hic natura ». Et subdit respondendo ad argumentum factum, sic inquiens: « Etsi anima Christi habeat aequalem scientiam cum deitate, non propterea oportere habere ipsam aequalem beatitudinem, quia beatius est habere bonum per naturam et ex se, et esse illud, quam habere illud per gratiam et ab alio et non esse illud ». Et infra, recipiendo (*b*) secundum argumentum dicti magistri et respondendo, dicit sic: « Postea obiecistis: Si anima Christi habeat aequalem cum Deo sapientiam, falsum erit Deum in omni bono opere habere maiorem sufficientiam quam eius creatura. Et deinceps: Sicut non potest creatura aequari Creatori, ita nec bonum unius bono alterius. Sed hoc bene et veraciter ibi dicitur, ubi creaturae bonum aliud atque diversum a bono Creatoris invenitur. Ubi vero unum et idem ipsum est, maius et minus esse quid potest? Quid est enim verum bonum creaturae praecipue rationalis, aliud praeter Deum, aut quod est bonum Dei (*c*) praeter ipsum? Si ergo verum et unicum bonum creaturae Deus est et bonum Dei aliud praeter ipsum esse non potest, numquid idcirco Deus minor aut maior seipso est, quia creaturae suae pariter et suum bonum ipse est? Cesset ergo tandem crebra repetitio comparationis, ubi singularitas est unitatis [3] ». Et infra in fine: « Quid necesse est singula prosequi? Breviter vobis, quid mihi in hac re sentiendum esse videtur, ostendam. Plenam atque perfectam et totam Dei sapientiam in anima Christi fuisse credimus, et ex ipsa sapientia animam eamdem plene ac perfecte sapientem, non ex ipsa participando, sed totam possidendo, quia secundum plenitudinem accepit. Ioannes autem, qui erat *lucerna lucens et ardens* [4], ex parte comprehenderat. Anima igitur Ioannis de plenitudine accepit. Anima Christi plenitudinem comprehendit. Quicumque autem in eo persistat, ut hoc asserere contendat, quod alia fuerit illa sapientia, qua anima Christi sapiens exstitit, alia quae animae Christi unita fuit, ego nemini praeiudicium facere volo. Videant ipsi, quo sensu hoc asserant, ne forte carnalis magis sit sua quam vera pronuntiatio. Hoc enim unum indubitanter affirmo, quod aut alia sapientia praeter divinam in anima Christi non fuit; aut si alia fuit, aequalis illi non fuit. Hoc credenti qui non credit, non

(*a*) Al, Hugo; As, Edd. om. *Dei — et scientiae (s. ibi)*. — (*b*) Al *recitando*. — (*c*) Al om. *praeter — bonum (Dei)*.

[1] Coll. 2, 3. — [2] Coll. 2, 9. — [3] L. c. 854. — [4] Ioan. 5, 35.

bene credit. Ad cetera ego non cogo, sed suadeo ». Haec Hugo [1]. Hanc opinionem Hugonis recitat Bonaventura III dist. 14 q. 3 [2]. Quibus verbis patet, quanta est sapientia animae Christi.

3. Est tamen sciendum, quod ultra praedictam notitiam, quam habet anima Christi et in Verbo, est ponenda alia notitia, scilicet creata. Nam per sextam Synodum, sicut in Christo ponendae sunt duae voluntates, sic et duae scientiae. Idipsum doctores antiqui ponunt: Alexander, Bonaventura, Thomas et alii, ut patet dist. 14 *Tertii.* Doctores enim praefati, scilicet Alexander in III, parte I, quaest. 13 (*a*); Bonaventura in *Breviloquio,* parte IV cap. 6 [3]; Thomas, III, parte quaest. 10, ponunt in Christo multiplicem scientiam:

Primo divinam, quia Deus et homo est. Quare et scientiam habet divinam et consequenter omnium, ut Deus; anima autem Christi deitati unita, per hanc cognoscit omnia, quia Verbum et omnem relucentem et relucibilem creaturam, ut dictum est; et hoc lumine increato, ut praedictum est.

Secundo ponunt scientiam creatam aliam, scilicet beatificam, quia anima Christi secundum portionem superioris rationis fuit perfecte beata et divinam essentiam videt et vidit perfectius omni alia pura creatura. Patet, quia unita lumini increato supponitur (*b*); et per consequens intimius omnem influentiam luminis creati sive increati suscipit et perfectius omni alia creatura. Et, ut dicit Bonaventura in III, dist. 14 quaest. 2 [4], hac visione etsi anima Christi videat Deum [5] totum, non tamen totaliter, quia non immense quoad gradum, quia nec Deum comprehendit; et quaest. 4 [6] in ordine dicit, quod eadem cognitione, id est eodem habitu cognoscit Verbum et relucentia in Verbo. Ratio, ut dicit, quia Verbum aeternum per idem est ratio cognoscendi se et alia. Licet autem eodem habitu cognoscat Verbum et omnia cognoscat in Verbo, non tamen oportet, quod actu cognoscat in Verbo quae cognoscit in habitu, nisi solum illa, quae sunt essentialia ad eius gloriam et beatitudinem, ut dicit Bonaventura dist. 14 quaest. 5 [7] (*c*), et Alexander III, parte I, quaest. 13 [8]. Ratio est, quia non oportet quod omnia, quae cognoscit in habitu, cognoscat in actu, quia Deus multa cotidie sanctis et angelis beatis revelat, et tamen sunt beati ». Sed sanctus Thomas loco praeallegato quaest. 10 art. 2 dicit, loquendo de cognitione animae Christi in Verbo, quomodo cognoscit omnia: quod « li *omnia* potest dici et dupliciter accipi, videlicet: proprie, ut distribuat pro omnibus, quae quocumque modo sunt vel erunt vel fuerunt, vel dicta vel facta vel cognita a quocumque secundum quodcumque tempus; et sic concedendum est, quod anima Christi omnia cognoscit in Verbo. Ratio eius est, quia ad ipsum spectant quodammodo omnia, in quantum sunt ei omnia subiecta. Ipse etiam est iudex omnium constitutus a Deo, *quia filius hominis est,* Ioan. 5, 27. Et ideo anima Christi cognoscit in Verbo omnia exsistentia, secundum quodcumque tempus et etiam hominum cogitationes, quorum est iudex: Ioan. 3, 17: *Ipse enim sciebat, quid esset in homine;* quod potest intelligi non solum quantum ad scientiam divinam, sed etiam quantum ad scientiam animae eius, quam habet in Verbo [9]. Alio modo potest accipi li *omnia* magis large, ut non solum se extendat ad ea, quae sunt in actu secundum quodcumque tempus, sed etiam ad omnia quaecumque sunt in potentia divina; et huiusmodi (*d*) non omnia cognoscit anima Christi in Verbo. Hoc enim esset comprehendere divinam essentiam; quia si comprehenderet virtutem divinam, et virtus quantificatur ex essentia, sequitur quod comprehenderet divinam essentiam. Ad (*e*) omnia vero, quae sunt in potentia creaturae, huiusmodi omnia (*f*) anima

(*a*) Codd., Edd. *q. 127.* — (*b*) Edd. om. *supponitur.* — (*c*) Codd., Edd. *q. 127.* — (*d*) Edd. *sic.* — (*e*) Edd. om. *ad.* — (*f*) Edd. om. *huiusmodi omnia.*

[1] L. c. 856. — [2] L. c. art. 1, quaest. 2: Opera Omnia III, 315 sq. — [3] Opp. V, 246 sq. — [4] I. e. P. III, q. 13. membr. 17. — [5] Art. 1, q. 1. concl.: Opp. III, 300. — [6] Art. 2, q. 1. concl. (p. 308). — [7] Art. 2, q. 2. (p. 311). — [8] Qu. 13, membr. 2. — [9] Ioann. 2, 25.

Christi in Verbo cognoscit. Quia enim omnem essentiam cognoscit, et per consequens omnem virtutem et potentiam creaturae [1] ». Haec Thomas.

Et dicit Alexander in loco allegato [2] quaest. 13 (*a*): « quod animae Christi scientia, tam prima quam secunda iam dicta, scilicet increata et sua creata beatifica, non est successiva, sed sub uno aspectu, quia est in contemplatione causae, quae Deus est, in qua videt omnia simul, secundum quod dicit Apostolus I ad Cor. 13, 12: *Tunc cognoscam, sicut et cognitus sum* ». Quod debet intelligi quoad secundam scientiam, secundum Bonaventuram [3], de esse omnium beatitudinis, quae tamen habitu simul et actu cognoscuntur. Sed an cognoscat infinita anima Christi, loquendo de scientia creata beatifica, patet ex supradictis quod non, loquendo de infinito, quoad gradum, etsi quoad speciem. Bonaventura in *Breviloquio* loco praeallegato [4] dicit, quod actualiter finita comprehendit; infinita vero habitualiter, categorematice non, et syncategorematice sic ». Si vero quaeratur an anima Christi notitia creata beatifica cognoscat omnia, quae Verbum cognoscit, respondit Bonaventura [5] loco iam dicto quaest. 6, quod notitia actuali non, quia creatura Creatori aequari non potest; si de cognitione habituali, sic. Ratio est « quia anima Christi, cum cognoscat ipsum Verbum aeternum habitu glorioso ita perfecte, quod non potest perfectius cogitari, et ipsum Verbum aeternum promptam habeat voluntatem ad aperiendum illi animae omnia, quae in ipso relucescunt, nec aliquid in ipso relucebit, quod non sit natum cognosci ab anima Christi. Anima ergo habet aliquid, quo facilis est ad cognoscenda omnia, quae Verbum cognoscit. Et huius signum est, quia ad hoc, quod cognoscat aliquid, quod Verbum cognoscit, quidquid illud sit, non oportet quod detur ei novus habitus cognoscendi, sed omne quod vult potest legere in eo [6] ». « Et si quaeras, inquit Bonaventura [7], utrum habitus ille sit finitus vel infinitus, respondit quod est finitus: habet tamen respectus ad infinita. Sed unde habeat respectus ad infinita? inquit. Et dicit quod venit ex infinitate obiecti sibi uniti, quod voluntatem promptam habet propalandi omnia, quae in se relucent. Nec hoc facit alteri animae, sed soli animae Christi; et ideo de sola anima Christi concedi potest et debet, quod sit omnisciens ». Haec Bonaventura.

Sed hic ex iam dictis potest esse unum dubium. Dictum est enim, quod divinam essentiam possibile est intelligentiam creatam videre et omnem in ea relucentem vel relucibilem creaturam. Ponatur ergo, quod alicui beato alio a Christo communicetur: tunc talis erit aequaliter beatus cum Christo? Respondetur: ut dictum est, videre plura non facit aliquem beatiorem alio non vidente, sic nec aequalem, sed bene intensius videre; quod utique in nullo alio a Christo potest esse, quia nulli divina essentia sic se communicat intense, immutative, sicut animae Christi, ut patet per praedicta. Et ista intensior divinae visio essentiae datur iuxta proportionem meritorum, cum in ea sit tota merces, ut dicit Augustinus I *De Trinitate* [8]. Attenditur etiam non ex obiecto immutante, sed ex gradu potentiae percipientis. Ac etiam, cum Deus ipse libere agat ad extra, potest potentiam perceptivam intensius et remissius immutare, magis minusque ipsam potentiam intellectivam ad se convertendo; quare non sequitur, quoad hoc conformitas et aequalitas in Christo et in aliis beatis.

Tertiam scientiam dicunt doctores, scilicet Alexander loco praeallegato [9] quaest. 13 (*b*), et Bonaventura in *Breviloquio*, parte II, cap. 6 [10], animam Christi habere « per gratiam unionis perfectissimam, per quam cognovit omnia pertinentia ad reparationem humani generis longe excellentius et melius, quam aliquis prophetarum et quam multi angelorum », qui talia cognoverunt, ut habetur in Glossa super illud Isa. 63, 1: *Quis est iste, qui venit de Edom?* etc.

(*a*) Codd., Edd. *d. 130.* — (*b*) Codd., Edd. *q. 127.*

[1] S. Thomas l. c. concl. — [2] Qu. 13, membr. 5. — [3] Bonav. quaest. 3. — [4] *Brevil.* part. IV c. 6; Opp. V, 246. — [5] *Sent.* III d. 14 art. 2 q. 3; Opp. III, 314, 312. — [6] L. c. p. 316. — [7] L. c. p. 316. — [8] L. I c. 10 (P. L. 42, 834). — [9] *Sent.* III q. 3. membr. 2. — [10] L. c. Opp. V, 247.

Quartam scientiam ponunt doctores omnes secundum naturam integram. Unde a principio creationis animae, sunt omnes species rerum ei inditae, sicut et animae Adae, et longe perfectius et melius quam ipsi Adae. Et quia natura hominis, bene instituta et integra, nata erat omnibus creaturis praeesse et ipsas nosse, tanquam eas quae debebant sibi servire, sicut patuit in primi hominis conditione, hinc est, quod cognovit omnia pertinentia ad humanam machinam construendam longe excellentius quam Adam. Et hac cognitione, ut dicit Thomas loco praeallegato, quaest. 11, art. 1: « Anima Christi cognovit, ut esset perfecta, non solum ea, per quae intellectus possibilis per agens naturale posset reduci ad actum et consequenter omnes scientias humanas, sed etiam ea, per quae intellectus possibilis posset reduci ad actum per agens supernaturale, scilicet Deum. Et sic cognovit omnia, quae per divinam revelationem innotescunt hominibus, sive pertineant ad donum sapientiae, sive ad donum prophetiae, sive ad quodcumque donum Spiritus Sancti. *Requievit* enim *super eum*, ut dicit Isa. 9 [1], *spiritus sapientiae, scientiae, intellectus, consilii* etc. Et Apostolus, Coll. 1 [2]: *In eo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei reconditi* (*a*). Augustinus [3]: « Sapientia ad divina, scientia ad humana refertur ». Haec scientia integre ponenda est in Christo. Ratio, secundum Thomam loco praeallegato, quaest. 9 artic. 3, est: « Quia imperfectam animam non decuit Deum assumere; et cum intellectus possibilis sit in potentia ad omnia intelligibilia, reducitur autem ad actum per intellectum agentem, species intelligibiles in ipso intellectu ponendo. Omne autem, quod est in potentia est imperfectum, nisi reducatur ad actum. Quare Verbum animam assumendo, ne esset imperfecta, omnium species intelligibiles eidem impressit, ad quae intellectus possibilis erat in potentia ». Attamen, ut dicit Alexander loco praeallegato [4] quaest. 13 (*b*), hac scientia non simul omnia speculabatur.

Quintam scientiam ponunt doctores, scilicet Alexander loco allegato, quaest. 13 [5] (*c*), quam vocat secundum poenalem naturam assumptam et Bonaventura III, dist. 14 quaest. 8 [6] et in *Breviloquio* [7] part. II, c. 6, vocat secundum sensibilem experientiam; et quia sensus non percipit rem nisi ad obiecti praesentiam, hinc est, ut dicit, quod secundum cognitionem sensitivam, quam vocat etiam in III experimentalem, non simul cognoscebat omnia, sed modo haec, modo illa. Et ut dicit in III, quaest. 8 allegata [8], sicut « Christus in intellectu habuit per quartam scientiam cognitionem simplicis notitiae, quae consistebat in habitibus et speciebus, animae Christi a principio suae conditionis inditis ex beneficio Conditoris, sic cognitionem experientiae habuit in sensu; et hoc consistebat in usibus sensuum exteriorum secundum quartam scientiam, scilicet simplicis notitiae. Quia (*d*) species impressae sunt et habitus animae Christi in omnimoda plenitudine; hinc est, quod Christus proficere non potuit tali cognitione simplicis notitiae. Secundum vero quintam, quia sensus exterior ad aliquid convertebatur de novo, ad quod prius non fuerat, hinc est, quod cognitione experientiae proficiebat, ut dicit Apostolus, Hebr. 5, 8: *Didicit ex his, quae passus est, obedientiam*. Et Ambrosius [9] dicit, quod in eo proficiebat sensus humanus. Sed hic profectus scientiae experimentalis in Christo a nostro in duobus differebat. — Primo quia Christus non proficiebat veniendo in notitiam rei prius incognitae, sed quam cognoscebat uno (*e*) modo scilicet per simplicem notitiam, proficiebat, quia cognoscebat alio modo scilicet per experientiam. — Secundo differebat, quia profectus noster est secundum exsistentiam, profectus illius, scilicet Christi solum, erat secundum apparentiam ». Haec Bonaventura [10].

(*a*) Edd. em. *reconditi*. — (*b*) Codd., Edd. *quaest. 130*. — (*c*) Codd., Edd. *q. 127*. — (*d*) As, Edd. om. *Quia — notitiae*. — (*e*) Al om. *uno — cognoscebat*.

---

[1] Potius Is. 11, 2. — [2] Pot. Coll. 2, 3. — [3] *De Trin.* l. XIV c. 1 n. 3; cf. l. XII c. 15 n. 25. (P. L. 42, 1036; cf. 1012). — [4] Quaest. 13 membr. 5. — [5] L. c. membr. 2. — [6] Art. 3 q. 2; Opp. III, 322. — [7] L. c. Opp. V, 246. — [8] L. c. III, 322. — [9] *De incarn. dom. sacr.* c. 7 n. 72 (P. L. 16, 837); ex Bonav. — [10] L. c. III, 322.

Sic ergo patet, quomodo intelligitur illud Lucae 2, 52: *Iesus proficiebat sapientia* etc. — Ex iam dictis patet, quia animae Christi plenitudo sapientiae et scientiae omnium praesentium, praeteritorum et futurorum exsistentium et possibilium est communicata. Hinc est, quod ipse Christus debet dici, sicuti et est, maximus omnium prophetarum.

Tertium pandens Christum verum, immo maximum prophetarum fuisse, est prophetarum originatio et auctoritas. Teste enim Aristotele in libro *De secretis secretorum*, ostendens causam prophetiarum, dicit quod est Deus excelsus et gloriosus. Unde dicit quod plurima revelat sanctis prophetis suis et iustis. Avicenna X *Methaphysic.* [1] (*a*) dicit, quod prophetia est ex Deo et ex missione eius. Averroes in libro *De somno et vigilia* [2] dicit, quod prophetiae sunt a Deo, aut cum medio, aut sine medio. Ptolemaeus idem dicit seu (*b*) ponit in suo *Centiloquio*, prout exponit Ali [3] in commento super prima propositione dicens, quod multi habent prophetiam per inspirationem divinam. Prophetas *Spiritu Sancto locutos et non voluntate humana,* ponit apostolus Petrus in II Canonica sua cap. 1, 21; Ioel idem ponit dicens 2, 28: *Super servos meos et ancillas meas effundam de spiritu meo.* Sequitur: *et prophetabunt.* Cum ergo Christus fuerit verus Deus, ut dicetur fructu et conformitate XIV huius II libri, et spiritus non est ei datus, scilicet eius animae et ut homo, ad mensuram, cum in eo *habitet plenitudo deitatis* [4] ac *super eum requieverit,* ut dictum est per Isaiam 11, 2: *Spiritus sapientiae, scientiae, consilii et intellectus,* quare et notitiam Deus animae Christi eidem unitae dedit plenissime omnia futura cognoscendi; quare si pro quia concedendum est, quod puri homines multi fuerunt veri prophetae, ut patet in serie Scripturae, a fortiori concedi debet de homine Deo, cui notitia omnium est data, ut iam dicta ostendunt.

4. Quartum propositum confirmans Christum verum prophetam esse et fuisse, est testium veracitas et multiplicitas. Saraceni omnes Christum confitentur maximum prophetam fuisse. Moyses de Christo prophetando immo dicit, Deum sibi dixisse, ut habetur Deut. 18, 18 sq.: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, et ponam verba mea in ore eius; loqueturque ad eos omnia quae praecepero illi. Qui verba eius, quae loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor exsistam.* Ista non potest intelligi de quolibet propheta post Moysen a Deo directo populo Israelitico, sed solum de Christo. Ratio est vindicta subsecuta contra eum non audientes, quia enim nulla maior ultio a Deo facta est quam contra Iudaeos, qui Christum noluerunt audire. Haec prophetia de ipso est, ut de Messia specialiter dicta. — Propheta ipse Christus vocatus est a populo, Matth. 21, 11, dicente: *Hic est Iesus propheta a Nazareth Galilaeae.* A turba post suscitationem adolescentis in civitate Naim, Luc. 1, 16, dicente: *Propheta magnus surrexit in nobis* etc. A duobus discipulis euntibus in Emmaus, Luc. 24, 19: *Iesus fuit vir propheta potens in opere et sermone.* A muliere Samaritana, Ioan. 4, 19, dicente sibi: *Domine* (*c*), *ut video, propheta es tu.* Ab hominibus de quinque panibus satiatis dicentibus, Ioan. 6, 14: *Hic est vere propheta, qui venturus est in mundum.* A caeco a Christo illuminato, Ioan. 9, 17, dicente: *Propheta est.* A turba, Ioann. 7, 40, dicente: *Hic est vere propheta.* Sic ergo cum a multis sit dictus propheta non adulatorie, sed veritate et experientia, Christus est vere propheta.

Quintum declarans propositum, est futurorum praedictio et praeclaritas. Ipse enim cum sciret omnia, multis praedixit futura. Et ut hoc videatur clarius, explicandum est per ea quae in sancto Evangelio praedicta ab ipso Iesu ostenduntur. Prophetando enim Christus praedixit:

(*a*) Ed. I *Meathy.* Edd. II (et III) add. *alias Metha.* — (*b*) As, Edd. om. *dicit seu.* — (*c*) Al om. *Domine — dicentibus.*

---

[1] Comment. in h. l. tract. X, c. 3 in fine. — [2] Comment. in l. c. (Venet. 1550), VI, 201; cf. Com. in Arist. *De divinat.*, l. c. VI, 202. — [3] Id est Avicenna. — [4] Col. 2, 9.

Primo Petro et Andreae esse captores et piscatores (*a*) hominum, Matth. 5 [1]; et specialiter beato Petro, Luc. 5, 2. — Secundo de multorum ad fidem conversione et Iudaeorum dimissione, Matth. 8, 11 sq.: *Multi venient ab oriente et occidente et recumbent cum Abraham* etc. *in regno caelorum; filii autem regni eiicientur foras* etc. — Tertio discipulorum persecutionem, Matth. 10, 19: *Tradent enim vos in conciliis* etc. et Ioan. 16, 2: *Venit hora, in qua omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo.* — Quarto de subministratione verbi, Luc. 12, 12: *Spiritus Sanctus docebit vos in illa hora, quid loquamini* etc. et Matth. 10, 19: *Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini* etc.

Quinto Capharnaum et aliarum civitatum punitionem, Matth. 11, 21 sqq.: *Vae tibi, Capharnaum* etc. *Vae tibi, Bethsaida* etc. Et idem habetur Luc. 10, 13. — Sexto Iudaeorum in iudicio finali condemnationem, Matth. 12, 41: *Viri Ninivitae surgent in iudicio cum generatione ista, et condemnabunt eam* etc. — Septimo scribarum et Pharisaeorum in peccato decessum, Ioan. 8, 21: *In peccato vestro moriemini.* — Octavo de humani generis ultima resurrectione, Ioan. 5, 25: *Mortui audient vocem filii Dei, et qui audierint, vivent* etc. — Nono de iudicii finalis exsecutione, Matth. 24, 30 et 25, 31 sqq.: *Videbunt Filium hominis venientem in nube cum maiestate* etc.

Decimo de bonorum a malis separatione, Matth. 12 [2]: *Mittet Filius hominis angelos suos, et separabunt malos de medio iustorum* etc. — Undecimo de Eliae adventu et destinatione, Matth. 17, 11: *Elias venturus est et restituet omnia.* — Duodecimo de futurorum haereticorum adventu et praedicatione, Matth. 24, 4 sq.: *Videte, ut nemo* (*b*) *vos seducat. Multi surgent pseudoprophetae* etc. — Tertio decimo de Antichristi a Iudaeis susceptione, Ioan. 5, 43: *Si alius venerit in nomine suo, illum* accipient (*c*). — Quarto decimo de electorum futura per Antichristum tribulatione, Matth. 24, 9: *Tradent enim vos in tribulatione et occident vos* etc.

Quinto decimo de Antichristi vexatione, Matth. 24, 15, 21: *Cum audieritis abominationem* etc. Sequitur: *Erit enim tribulatio magna, qualis nunquam fuit* etc. — Sexto decimo de electorum a Deo debita distinctione et distinctorum a Deo electione, Matth. 24, 40: *Erunt duo in agro: unus assumetur, alter relinquetur* etc. — Decimo septimo de vigilantium a Deo retributione, Matth. 24, 46: *Beatus ille servus, quem cum venerit Dominus, invenerit vigilantem* etc. — Decimo octavo de divitum post hanc vitam punitione, Lucae 6, 24: *Vae vobis divitibus, qui habetis hic consolationem vestram* etc. — Decimo nono de suae gloriae discipulis ostensione, Matth. 16, 28: *Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis in regno suo.* Et sequitur, c. 17, 1 sqq. [3], quod post octo dies *duxit eos in montem.*

Vigesimo de stateris in piscis ore inventione. Matth. 17, 26, dixit Iesus Petro: *Vade ad mare et mitte hamum et eum piscem, qui primus ascenderit tolles, et aperto ore eius, invenies staterem; illum sumens, da eis pro me et* pro *te.* — Vigesimo primo de potestate et peccatorum absolutione, Matth. 18, 8: *Quodcumque* (*d*) *alligaveritis super terram, erit ligatum et in caelo* etc. — Vigesimo secundo de iniuriarum dimissione, Matth. 18, 35: *Sic Pater vester caelestis faciet vobis, si non dimiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* — Vigesimo tertio de vitae aeternae, pro dimissione mundi et abdicatione, donatione, Matth. 19, 28 sq.: *Amen dico vobis, quod vos, qui reliquistis omnia* etc. Et sequitur: *Centuplum accipietis et vitam aeternam possidebitis.* — Vigesimo quarto de gratiae divinae a Iudaeis subtractione, Matth. 21, 43: *Auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructum.*

Vigesimo quinto de partis Magdalenae permansione, Lucae 10, 42: *Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea.* — Vigesimo sexto de occisione sanctorum a Iudaeis,

(*a*) Edd. *esse futuros piscatores.* — (*b*) Edd. *ne quis.* — (*c*) As, Edd. *suscipietis.* — (*d*) Al *quaecumque... erunt* etc.

[1] Potius Matth. 4, 19. — [2] Pot. 13, 49. — [3] Ubi post dies sex; Luc. 9, 28: Post fere dies octo.

Matth. 23, 34: *Mitto ad vos prophetas sapientes*. Et sequitur: *Et ex illis occidetis* etc. — Vigesimo septimo de hypocritarum et Pharisaeorum multiplici (*a*) damnatione et punitione (*b*), Matth. 23, 14: *Vae vobis, scribae et Pharisaei, hypocritae* etc. — Vigesimo octavo de Patris in spiritu adoratione, Ioan. 4, 23: *Venit tempus, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate* etc. — Vigesimo nono de filii Reguli sanatione, Ioan. 4, 50: *Filius tuus vivit* etc.

Trigesimo de regni abiectione, Ioan. 6, 15: *Iesus cum cognovisset* (*c*) *quia venturi essent, ut raperent eum et facerent eum regem, fugit* etc. — Trigesimo primo de Iacobi et Ioannis passione per calicis degustationem, Matth. 20, 23: *Calicem meum bibetis* etc. — Trigesimo secundo de templi proiectione ad terram, Matth. 24, 2: *Amen dico vobis non relinquetur hic lapis super lapidem*. — Trigesimo tertio de Ierusalem destructione, Matth. 23 [1], Luc. 13 et 29: *Flevit enim super illam. Ad terram prosternent te* etc. — Trigesimo quarto de futura sua passione, Matth. 20, 18: *Filius hominis tradetur principibus* etc. et Matth. 16, 21 sq. et Luc. 18, 31 sq.

Trigesimo quinto de Lazari morte, Ioan. 11, 11: *Lazarus, amicus noster*, mortuus est etc. — Trigesimo sexto de sua proditione, Matth. 26, 21: *Unus vestrum me tradet* etc. — Trigesimo septimo de corporis sui passionati a Magdalena inunctione, Matth. 26, 12: *Mittens haec unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit* etc. — Trigesimo octavo, de Petri trina negatione, Matth. 26, 34: *Ter me negabis* etc. — Trigesimo nono de discipulorum scandalizatione, Matth. 26, 31: *Omnes quidem scandalum patiemini* etc. Et ipsorum discipulorum a se recessu, Ioan. 16, 32: *Ecce venit hora, ut dispergamini in propria, et me solum relinquetis*.

Quadragesimo de hominis portantis amphoram aquae inventione, Lucae 22, 13: *Invenerunt, sicut dixerat illis Iesus* etc. — Quadragesimo primo de sua resurrectione, Ioan. 3 [2]: *Solvite templum hoc, et in triduo* etc., Matth. 12, 40 et 16, 4: *Sicut Ionas* etc. Et Luc. 18, 33. *Tertia die resurget* et Matth. 16, 21 sq. — Quadragesimo secundo de Spiritus Sancti in apostolos superventione, Luc. 24, 49: *Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto*. Et Ioan. 14, 16: *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclytum dabit vobis* etc. et cap. 15, 26: *Cum venerit Paraclytus* etc. — Quadragesimo tertio Petri mortem et terminationem, Ioan. 21, 18: *Amen dico tibi, cum esses iunior cingebas te*. Sequitur: *Cum autem senueris, alius cinget te et ducet quo tu non vis; significans qua morte clarificaturus esset* Dominum.

Plura alia Dominus et Salvator noster futura nonnullis praedixit, sed praefata sufficiant ad ostendendum ipsum multa futura praedixisse. Et quia, ut habetur Deut. 18, 22, signum veri prophetae a falso, est: si id quod praedixit eveniat; hinc est, quod cum supradicta omnia, praeter id quod de Antichristo et finali iudicio praedixit, opere fuerint adimpleta, verum prophetam fuisse Christum comprobatur. Ac quae nondum sunt completa sine dubio tenendum est implenda esse, considerando tam multiplicia ab ipso praedicta effectui iam mandata; quia veritas praemissorum certitudo est futurorum.

5. Sextum ostendens Christum verum prophetam et summum, est suae mentis luciditas, ut patet ex sacro Eloquio Et beatus Gregorius attestatur, *Homilia* I *super Ezechielem* [3]: « Spiritus prophetiae non semper mentibus prophetarum adest. Ratio, ut dicit, ut cum non habent, agnoscant se ex dono habere, cum habent ». Et ponit exemplum de Elisaeo, super quem requievit duplex spiritus Eliae, IV Reg. 2, 15, qui tamen, a muliere ad pedes eius ruente astrictus, cum eius discipulus et minister Giezi vellet amovere eam, dixit: *Dimitte illam*,

(*a*) Al *mala*. — (*b*) Edd. om. *et punitione*. — (*c*) Edd. *cogitasset*.

[1] Potius Matth. 24, 1 seqq. Marc. 13, 1 sqq. Luc. 19, 21 sqq.; 21, 6 sqq. — [2] Pot. Ioan. 2, 19.
[3] *In Ezech.* hom. I n. 15 (P. L. 76, 792 sq.).

quia *anima eius in amaritudine est, et Dominus celavit a me* [1]. Et non solum spiritus prophetiae non semper prophetis adest, sed ipsos illuminando diversimode, hoc peragit: penes aetates; quia quosdam in pueritia illustrat, sicut Isaiam et Ieremiam [2], quosdam in iuventute sicut Ezechielem [3] et Danielem [4], quosdam in antiquitate, sicut Malachiam [5], et sic de aliis similibus, ut patet in serie Veteris Testamenti, ubi ostenditur, quod quidam prophetico spiritu in diversis aetatibus a Deo sunt illuminati. Illustrat eos varie penes tempora diversa, ut enim dicit beatus Gregorius, *Homil.* I *super Ezechielem* [6]: « Spiritus prophetiae quandoque animum tangit prophetae de praesenti, sicut Iohannem Baptistam dicentem: *Ecce agnus Dei* etc., Ioan. 1, 29. Et tamen non de futuro, quia descensum Christi ad infernum nescivit; patet, quia misit discipulos ad Christum, Matth. 11, 3, ut interrogarent eum: *Tu quis es?* Aliquando tangit de futuro et non de praesenti, sicut Gen. 27, 23 de Isaac, qui Iacob in praesentia sui positum, non agnovit, cui tamen ventura praedixit. De praesenti et de futuro aliquando tangit, sicut habetur de Iacob, Gen. 48, 10 sqq., qui filios Ioseph oculis corporeis non vidit, sed per spiritum et praesentes agnovit et futura praedixit. De praesenti, praeterito et futuro aliquando tangit, ut patet de Elisabeth, matre Ioannis Bapistae, quae de praesenti Mariam, matrem Dei agnovit [7], de praeterito verba dicta ab angelo ad Mariam scivit, et perficienda in Maria pro futuro ei dicta declaravit. De praeterito et non de futuro aliquando tangit, sicut Paulus; nam de praeterito Evangelium revelatione didicit [8]; sed quid ei in Ierusalem contingere debebat, non vidit, immo ignoravit, Act. 20, 22. De futuro, sed non ex praeterito aliquando tangit, sicut de Elisaeo, IV Reg. 6, 6, qui non cognovit ubi ferrum ceciderat, et tamen scivit quid futurum de ipso erat. De praeterito et futuro aliquando, sicut de Moyse, qui de praeterito omnia facta a Deo et patribus novit, ut patet per librum Genesis, quem condidit. Et de futuro, quia prophetam Iesum de gente Israelitica surrecturus praedixit, Deut. 18, 15. Et non solum temporibus praefatis distinctis spiritus propheticus mentes prophetarum irradiat, sed in praefatis declarando diversimode in quolibet praefatorum temporum se habet. Incipiendo a praesenti diversitatem exhibet, quia ex parte tangit et (*a*) ex parte non tangit, sicut Petrus scivit viros ad ianuam venisse, sed ad quid nescivit, Act. 10, 19. De futuro ex parte tangit et ex parte non, ut patet de filiis prophetarum, IV Reg. 2, 3 sqq., qui sciverunt Eliam tollendum, sed ignoraverunt eum non inveniendum, sicut Elisaeus, IV Reg. 13, 18 sqq., scivit regem Israel toties percussurum suos hostes quoties terram percuteret, et tamen quoties terram percutere deberet, ignoravit. Tangit et quosdam de proximo, sed non ex longinquo, sicut Samuelem, qui scivit Saul regem futurum, et David quod ei succederet [9], sed quod David esset futurus pater Christi non vidit. Quosdam tangit de longinquo, sed non de proximo, sicut David cognovit Deum incarnandum, ad caelos ascensurum et sessurum ad dexteram Patris, et tamen servum suum Misboseth contra dominum suum mentitum non cognovit. De proximo et longinquo (*b*) tangit; de longinquo Isaiam: *Ecce virgo concipiet* [10]; de proximo Ezechiam, quindecim annis supervicturum praedicendo [11]. Item, ut dicit Glossa: Circa futurorum in spiritu visionem est magna differentia. Quidam vident futura, sed non intelligunt, ut Pharao septem spicas et septem boves [12], qui non intellexit quid significarent. Quidam non vident, sed intelligunt, ut Ioseph [13]. Quidam vident et intelligunt, sicut Daniel somnum Nabuchodonosor vidit in spiritu et quid significaret aperuit [14].

(*a*) Al om. *et — tangit.* — (*b*) Al *ut Isaiam tetigit;* (As *tangit*).

[1] IV Reg. 4, 27. — [2] Ier. 1, 16 sq. — [3] Cf. Ez. 1, 2; 2, 3. — [4] Dan. 1, 3. — [5] Cf. Mal. 1, 1 sqq. — [6] Ibid. n. 5 sqq. (P. L. 76, 788-793), quem hic compendiat. — [7] Luc. 1, 41 sqq. — [8] Gal. 1, 12. — [9] I Reg. 9, 16; 16, 12 sq. — [10] Isai. 7, 14. — [11] Is. 28, 5. — [12] Gen. 41, 1 sqq. — [13] Ib. 41, 25 sqq. — [14] Dan. 1, 19.

7. Insuper non solum est differentia in praefatis, sed etiam in modis manifestandi et illustrandi. Unde Dominus sua abdita, sive respectu praeteritorum sive praesentium aut futurorum, revelat aliquando modo per opera et facta; et ad istum modum possunt reduci plures alii modi, videlicet:

Primo opum significatione, ut patet de arca Noe, significante Ecclesiam, in qua salvatur quisquis salvatur (a)[1]. Et Isaiae locutus est Dominus dicens: *Solve saccum de lumbis tuis*[2], significans captivitatem solvendam Iudaeorum. — Secundo figurarum et aenigmatum ostensione, dicente Domino, Num. 12, 8, quod Moysi non per aenigmata et figuras, aut per somnia et in visione est locutus, sed palam est ei locutus. — Tertio signorum et portentorum exhibitione; Exod. 20, 18: *Cunctus populus* audiebat *voces et videbat lampades* etc. Et causa dicitur ibidem a Moyse.

Quarto scripturae impressione. Dan. 5, 5 vidit digitos manus scribentis in pariete etc. et quid significarent, dicitur ibidem a Daniele[3]. — Quinto miraculorum operatione, sicut Moyses fecit et Elias et alii, quae spiritualiter aliud significabant. — Sexto flagellorum incussione, sicut decem plagae Aegypti, decem persecutiones Ecclesiae significarunt[4]. — Septimo creaturarum informatione. Psalmus[5]: *Caeli enarrant gloriam Dei* etc. — Octavo beneficiorum impensione. Psalmus[6]: *In columna nubis loquebatur ad eos* etc.

Modo alio Deus sua secreta et fienda reserat per dicta; et hoc peragit multis modis, prout declarat beatus Gregorius XXVIII[7] *Moral.* cap. I super illud Iob: *Numquid producis Luciferum in tempore suo*[8]; ubi dicit, quod Deus loquitur in subiecta creatura, scilicet per angelum, et suam indicat voluntatem. — Aliquando verbis solum et non rebus, sicut Ioan. 12, 28 Christus dicit: *Pater clarifica Filium tuum.* Respondit Deus Pater per angelum: *Clarificavi* etc. — Aliquando rebus et non verbis, sicut Ezechieli ostendit speciem electri[9], ostendens Redemptorem nostrum et auream habuisse deitatem, tamen carne velatam, et angelicam claritatem miraculis protestatam. — Aliquando simul rebus et verbis, sicut in Adam increpando et deambulando[10]. In deambulatione recessum ostendit a corde, et sui peccati agnitionem eum increpando. — Aliquando loquitur imaginibus oculis cordis ostensis, sicut Iacob, Gen. 28, 12, vidit scalam in visione. Et Petrus, Act. 10, 11: *Vidit linteum* etc. Et Paulus, Act. 16, 9, virum Macedonem. — Aliquando loquitur imaginibus ex aëre assumptis et oculis corporis ostensis, sicut Abrahae apparuerunt tres viri[11] et sibi locuti sunt etc., ubi dicit Gregorius[12]: « Nisi enim nobis angeli quaedam interna nuntiantes ad tempus corpora ex aëre sumerent, exterioribus profecto nostris obtutibus non apparerent ».

Aliquando loquitur caelestibus substantiis, scilicet per angelos, sicut Christo baptizato, vox sonuit de nube dicens[13]: *Hic est Filius meus dilectus.* — Aliquando loquitur terrenis substantiis, sicut per asinam Baalam reprehendit[14]. — Aliquando simul terrenis et caelestibus substantiis loquitur; Exod. 3, 2 sqq. Moyses rubum ardentem vidit et vocem audivit loquentis. — Aliquando humanis cordibus ita loquitur, ut ipse angelus mentis obtutibus praesentetur, ut patet Zachariae 4, 1: *Ecce angelus Domini, qui loquebatur in me* etc.; ubi Gregorius[15]: « Saepe enim exterius non apparent, sed sicut angelici spiritus prophetarum sensibus voluntatem Dei innotescunt, atque eos ita ad sublimia sublevant, ut quaecumque in rebus futura sunt in causis originalibus praesentia demonstrent. Sed istud debet sane intelligi, non quod angelus mentibus illabatur, quia hoc est solius Dei, sed debet intelligi,

---

(*a*) Edd. *in qua homines salvantur.*

---

[1] I Petr. 3, 19 sqq. — [2] Is. 20, 2. — [3] Dan. 5, 25 sqq. — [4] Exod. 7, 17 sqq. — [5] Ps. 18, 2. — [6] Ps. 98, 7. — [7] P. L. 76, 447 sqq. — [8] Iob. 38, 32. — [9] Ezech. 1, 4. — [10] Gen. 3, 8. — [11] Gen. 18, 2. — [12] *Moral.* l. 28, c. 1 n. 7 (P. L. 76, 450). — [13] Matth. 3, 17. — [14] Num. 22, 28 sqq. — [15] *Moral.* l. 28 c. 1 n. 9 (P. L. 76, 451).

quod menti praesto est vel per modum luminis irradiantis, vel speculum offerentis, vel linguae efficaciter exprimentis ».

Praeter modos praedictos sunt alii, quibus per dicta modo singulari Deus sua occulta indicat. Et primus est vocali expressione, sicut, Exod. 3, 4, Deus vocavit Moysen, dum ad videndum rubum iret. — Secundus est doctorum eruditione, dicente Christo, Matth. 10, 40[1]: *Qui vos audit, me audit.* — Tertius est peccatorum improperatione, Gen. 3, 9: *Adam ubi es* etc. — Deus etiam alio modo occulta revelat, et hoc est per visionem, sicut dicitur Num. 12, 6: *Apparebo in visione.* Et Is. 1, 1: *Visio Isaiae* etc.

Sed visio est triplex, videlicet: corporalis, et hac visione indicatum est Moysi a Deo, Dei voluntas et futura, Exod. 3, 2 sqq., quando vidit rubum; et Ieremias *ollam succensam,* Ier. 2[2]. — Alia est visio imaginaria, sicut Ezechiel[3] vidit templum et omnia ipsius et Ierusalem, et illuc fuit ductus in spiritu. — Tertia est visio intellectualis, sicut Isaias vidit Dominum et Seraphim, Is. 6, 1 sq. Et praefatis visionibus prophetae a Deo sunt illustrati et futura praedixerunt, ut patet in sacra Scriptura evidenter.

Modo alio Deus revelat sua prophetis, videlicet per somnia, ut Salomoni[4], Danieli[5] et David[6] sunt multa prophetica revelata. — Sed ultimo Deus revelat (*a*) per solam Spiritus Sancti inspirationem, exteriori adminiculo remoto facti vel dicti, somnii vel visionis, sicut David[7], qui dixit: *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus;* de quo modo loquitur beatus Gregorius in *Homilia Pentecostes* dicens[8]: « Mox mentem tetigisse, docuisse est ». Et beatus Petrus in I Canonica 1, 12: *Spiritu Sancto misso de caelo,* locuti sunt sancti prophetae etc.

Praelibatis ergo modis et viis futura et occulta, ut patet ex sacra Scriptura, Deus reseravit et indicavit. Ex quibus apparet: — Primo quod, ut dictum est, spiritus prophetiae non semper adest intellectui prophetarum, quia alii (*b*) sic et alii non. — Secundo apparet, quod non uniformiter prophetae a Deo illustrantur, quia aliqui de praeterito, aliqui respectu praesentis et alii respectu futuri. — Tertio quod distinctis modis, etiam futura et occulta revelando, Deus est locutus.

8. Sextum ad propositum nostrum, ut dixi, ostendens Christum verum prophetam, immo (*c*) maximum prophetarum, est suae mentis luciditas, quia ab instanti conceptionis, cum anima eius fuerit beata et deitati coniuncta, non solum ab utero sed in utero et ante omnes fuit propheta, et omnia sunt ei revelata, utpote Deo unita immutative et copulata, in quo et quo omnia novit, ut omnisciens nominetur. Et cum in Deo nihil sit praeteritum vel futurum, sed omnia tantum sunt (*d*), hinc est, quod eius anima benedicta omnia praesentialiter scit in Deo et cum Deo et a Deo: quare praeterita, praesentia novit et futura, etsi (*e*) ipsi omnia sint praesentia, ut dictum est. Ac cum personaliter deitati sit unita et inseparabiliter deitatem continue contemplatur unico et solo modo cernendo deitatem, cui coniungitur, omnes modos et vias et formas noscit et agnovit (*f*); quare, sua mente illustrata exsistente, secure dicere possumus ipsum esse et fuisse maximum prophetarum, et illum prophetam excellentissimum, qui venturus est in mundum. Quibus omnibus apparet clare declaratum Dominum Iesum Christum prophetam esse et fuisse lucidum, prout dicit prima pars huius conformitatis.

(*a*) Ar, Edd. ***reserat.*** — (*b*) As, Edd. add. ***aliquando... aliquando.*** — (*c*) Edd. om. ***immo max. prophetarum.*** — (*d*) Edd. ***sed omnia sint praesentia.*** — (*e*) As, Edd. ***quamvis.*** — (*f*) Al ***agnoscit.***

---

[1] Sed ad litt. Luc. 10, 16. — [2] Pot. Ier. 1, 13. — [3] Ezech. 8, 1 sqq. — [4] II Paral. 1, 7 sqq.; 7, 12. — [5] Dan. 2, 19; 7, 1 sqq. — [6] II Reg. 7, 4. — [7] Ps. 84, 9. — [8] *Homil.* 30 *in Ev.* n. 8 (P. L. 76, 1226).

Secunda pars sexti fructus et conformitatis secundi libri, et decimae octavae in ordine, videlicet:

Franciscus radiatur.

Expositio.

Essentia Dei cum omnia repraesentet, utpote speculum, exemplar, ars et ratio omnium extra se fiendorum, ac efficacissima sit in operando, utpote omnipotens; hinc est, quod revelare potest, quae transacta (*a*), praesentia sunt et futura, prout vult, quando et quomodo, simul et successive, quibusve placet et dictat reserandum sua providentia, qua mundialis fabrica agitur et gubernatur. Quapropter sua sapientia, cuius non est numerus, volens Ecclesiam suam hominum gradibus ordinare diversis, iuxta dictum Apostoli, Eph. 11, 1 sqq.: *Quosdam dedit apostolos, quosdam autem prophetas, alios evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, donec occuramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi,* Apostolique dictum sit intelligendum, sicut a potiori iam dicti denominentur status et gradus. Cuius ratio est, quia idem repertus est apostolus, evangelista et propheta, videlicet Ioannes Evangelista et sic de aliis. Et sicut in primo statu Ecclesiae est factum, sic et in aliis.

1. Et praecipue beati Francisci tempore, et in suis fratribus ac in ipso. Ipsum videlicet cum pluribus sociorum suorum (*b*) vere faciendo apostolos per imitationem perfectam vitae Christi, evangelistas per praedicationem, prophetas per irradiationem plenissimam futurorum et reserationem. Et sic esse, quia de fratribus, sociis et filiis beati Francisci libro I conformitate VIII parte secunda [1] est patefactum, id restat ostendendum de patre ipso omnium (*c*) beato Francisco; et quia vere apostolum ostendit conformitas IX libri I in parte secunda [2], evangelistam et praedicatorem, ac informatorem reseravit conformitas X [3] et XII [4] libri I, consequenter est hic declarandum, quomodo a Christo Deo factus est propheta praeclarus et excellens, prout haec secunda pars istius conformitatis declarare intendit, cum dicit: *Franciscus radiatur.* A quo? Certe a Deo. Et quo, inquam (*d*)? Spiritu prophetico. Et sic (*e*) esse, per exempla est demonstrandum. — Quorum exemplorum testificantium eum radiatum spiritu prophetico:

Primum est, de quo dicit *Legenda trium sociorum* [5]. Cum erat adhuc beatus Franciscus saecularis et in captivitate positus Perusinorum cum multis suis concivibus et « cum die quadam captivi tristarentur, et ipse exultaret, super hoc tanquam fatuus redargutus a quodam, quod in carcere laetabatur, viva voce Franciscus respondit dicens: « Quid putatis de me? Adhuc adorabor per totum mundum ».

Secundum exemplum, ponitur *ibidem* [6]. Cum enim saecularis exsistens, suis novis vestimentis militem pauperem contexisset et « nocte sequenti dum se sopori de-

(*a*) As, Edd. *transiere.* — (*b*) As, Edd. om. *suorum.* — (*c*) Edd. om. *omnium.* — (*d*) Edd. om. *inquam;* et statim add. *certe.* — (*e*) Al om. *Et sic — prophetico.*

[1] A F IV, 175 sqq. — [2] A F IV, 370 sqq. — [3] L. c. 464 sqq. — [4] L. c. 580 sqq. — [5] L. c. c. 2 n 4. — [6] L. c. c. 2 n. 5; cf. *Leg. Mai.* c. 1 n. 2, 3.

disset, ac palatium vidisset cum militaribus armis, crucis signaculo (*a*) insignitis, ipsumque suum fore, militumque suorum, si vexillum crucis constanter assumeret audisset, a somno levatus, cum laetitia magna prae solito esset repletus, interrogatus de laetitiae causa, respondit et prophetice inquit: « Scio me magnum principem futurum ». Idipsum ponit frater Thomas in sua *Legenda* [1].

Tertium exemplum ponitur in *Legenda trium sociorum* [2]. Saecularis adhuc exsistens, cum sero quodam cum sociis cenasset et deinde irent socii ante ipsum « cantando, ipse vero post ipsos ibat, baculum in manu quasi dominus portans, non cantans sed meditans, visitatus a Domino, tanta est dulcedine repletus, quod nec loqui poterat, nec moveri, adeoque dicta dulcedine est perfusus, ut nihil sentire vel audire posset nisi dulcedinem illam. Sicque eum a sensu carnali alienaverat, quod si fuisset totus frustatim incisus, non potuisset de loco se movere. Cum vero socii eius retro respicerent et viderent eum a se ita remotum, revertentes ad ipsum, territi cernunt ipsum iam quasi in virum alterum mutatum, [et] interrogare (*b*) coeperunt eum dicentes: « Quid cogitasti, quia non venisti post nos? Forsitan uxorem accipere cogitasti »? Quibus beatus Franciscus viva voce respondit: « Verum dixistis, quia nobiliorem et ditiorem ac pulchriorem sponsam, quam unquam videritis, accipere cogitavi ». Hoc autem a Deo inspiratus dixit de religione, quam suscepit caeteris paupertate nobiliorem, pulchriorem et ditiorem.

Quartum exemplum ponitur in II parte *Legendae maioris* [3]. Nam post mundi abdicationem factam a beato Francisco coram episcopo, cum de Assisio recederet et iret per quamdam silvam, a latronibus aggressus et interrogatus, quis esset, prophetica voce respondit: « Praeco, inquit, sum magni regis », et sic fuisse II conformitas I libri ostendit [4].

Quintum exemplum etiam ponitur in *Legenda trium sociorum* [5], quod beatus Franciscus iuxta mandatum sibi factum e cruce iam mundo abdicato, « cum operi intenderet ecclesiae Sancti Damiani, ad transeuntes et habitantes iuxta ecclesiam gallice clamabat (*c*) alta voce dicens: « Venite et adiuvate me in opere ecclesiae Sancti Damiani, quae futura est monasterium dominarum, quarum fama et vita in universali Ecclesia glorificabitur Pater noster caelestis ». Quod ad litteram adimpletum fuit, quia fuit postmodum monasterium sanctae Clarae et pauperum dominarum.

Sextum exemplum ponitur in III parte *Legendae maioris* [6] de fratre Aegidio, quem ad ordinem recipiendo, beatus Franciscus de eo praedixit, quod licet esset idiota et simplex, ad excelsae contemplationis apicem sublimandus esset; et sic evenit, ut libro I conformitate VIII est dictum [7].

Septimum exemplum ad hoc est, et ponitur in *Legenda trium sociorum* [8]. Fratre Aegidio iam ad ordinem recepto, cum ivisset cum eo ad Marchiam, dixit ei beatus Franciscus dilatationem sui ordinis prophetando: « Frater Aegidi, nostra religio similis est piscatori, qui mittit retia sua in aquam, piscium capiens multitudinem; et parvos in aqua reliquens, magnos eligit in vasa sua ». Sicque prophetavit ordinem dilatandum. Ordinis etiam dilatationem et praevidit et fratribus antedixit, ut dicit

(*a*) Al add. *signatis et.* — (*b*) Edd. *interrogantesque eum dixerunt.* — (*c*) Edd. *cantabat.*

[1] II Cel. I, c. 2 n. 5, 6; I Cel. I, c. 2 n. 4, 5. — [2] C. 3 n. 7. — [3] C. 7 n. 24. — [4] A F IV, 78-82. — [5] C. 7 n. 24. — [5] *Leg. Mai.* c. 3 n. 4. — [6] A F IV, 205 sqq. — [7] C. 9 n. 33; A F IV, 493.

Legenda maior parte III [1]: « Nam beatus Franciscus cum in quodam loco solitario annos deploraret adolescentiae, non sine culpa transactos, certificatus fuit a Domino de remissione plenaria omnium delictorum. Raptus deinde supra se ac in quoddam mirandum lumen totus absorptus, dilatato mentis sinu, quae circa se et filios suos futura erant, luculenter aspexit. Unde reversus ad fratres inquit: « *Confortamini* [2], carissimi, *et gaudete in Domino*, nec quia pauci estis efficiamini tristes, nec vos terreat mea vel vestra simplicitas, quoniam sicut mihi a Domino in veritate ostensum est, in magnam multitudinem faciet nos (*a*) crescere Dominus, suaque benedictionis gratia multipliciter dilatabit ». Haec vidit, dum quatuor soli essent fratres [3].

Octavum ostendens propositum est id, quod beatus Franciscus dum ad senarium numerum excrevissent fratres eis dixit, ut dicit *Legenda trium sociorum* [4] et *fratris Thomae* [5]: « Nolite, inquit, timere, quia pusilli et insipientes videmini, sed secure poenitentiam annuntietis, confidentes in Domino, qui vicit mundum, quod Spiritu suo (*b*) loquetur per vos et in vobis ad exhortandum omnes, ut convertantur ad ipsum et eius mandata observent. Invenietis quosdam homines mansuetos, fideles et benignos, qui cum gaudio vos et verba vestra recipient; aliosque plures infideles, superbos, blasphemos, qui exprobantes resistent vobis et his, quae dicetis. Ponite ergo in cordibus vestris patienter et humiliter omnia tolerare ». Sed haec cum fratres audissent, timere coeperunt. Ad quos sanctus Franciscus ait: « Nolite timere, quoniam non post multum tempus venient ad vos multi sapientes et nobiles, eruntque vobiscum praedicantes regibus et principibus et populis multis. Multi vero convertentur ad Dominum et per universum mundum multiplicabit Deus familiam suam et augebit ». Et dixit [6]: « Vidi plenas ad nos venientium vias. Veniunt Francigenae, festinant Hispani, Theutonici currunt et Anglici, et aliarum diversarum linguarum accelerat multitudo maxima (*c*) ». Hoc esse impletum ostendunt loca ordinis sita in qualibet orbis parte et conformitas XI libri I [7] declarat.

Nonum exemplum ad hoc est, quod dicit VIII pars *Legendae maioris* [8]. Cum beatus Franciscus pro approbatione regulae papam Innocentium III adiret et visionem aspexisset de arbore ingenti, cuius summitatem facillime a se apprehensam curvabat ad ima, inclinationem ad se summi pontificis et ad socios praedixit; et sic evenit.

Decimum exemplum est responsio facta per beatum Franciscum summo pontifici domino Innocentio III. Qui [9] cum diceret beato Francisco, quod vita quam servare petebat, sibi nimis videbatur dura, respondit beatus Franciscus: « Non est formidandum, quod fame Regis (*d*) aeterni filii et heredes pereant, qui ad imaginem regis Christi per Spiritus Sancti virtutem de paupere matre nati et ipsi per spiritum paupertatis sunt in religione paupercula generandi. Si enim Deus regnum caelorum suis imitatoribus promisit, quanto magis illa subministrabit, quae communiter largitur bonis et malis »?

Undecimum exemplum est fratris Morici de ordine intrando praedictio. Cum enim infirmus ipse graviter esset, supplex factus beato Francisco, eidem beatus Fran-

(*a*) Bonav., Al; As, Edd. *vos*. — (*b*) Edd. *sancto*. — (*c*) As, Edd. *magna*. — (*d*) Al, Edd. *patris*.

[1] C. 3 n. 6. — [2] Is. 35, 4; tunc Phil. 1, 4; subinde respicitur Gen. 48, 16 et 41, 52. — [3] Cf. *Leg. Mai.* c. 3 n. 4, sed et n. 7. — [4] C. 10 n. 36. — [5] I Cel. I, c. 9 n. 27. — [6] I Cel. I, c. 11 n. 27; AF IV, 350. — [7] AF IV, 503-59. — [8] C. 3 n. 9, in nota; sed est potius I Cel. I, c. 13 n. 33; cf. AF III, 365 et AF IV, 371. — [9] *Leg. Mai.* c. 3 n. 9, 10.

ciscus de micis panis et oleo, quod coram Virginis ardebat altari (*a*) misit antidotum per fratres, dicens eum liberandum et ut bellatorem strenuum ordini suo, scilicet nostro Minorum, et aciei adiungendum; et sic evenit. Factus (*b*) est frater Minor vita et sanctitate insignis et iacet in Urbe Veteri [1].

Duodecimum exemplum est ad hoc, quod habetur in *Legenda maiori* [2] parte IV, quando transfiguratus (*c*) in curru igneo, apparuit fratribus, et tunc conscientiae fratrum adinvicem nudae factae sunt. Et beatus Franciscus ad fratres reversus coepit cordium secreta rimari et futura praedicere, ut dictum est fructu et conformitate XV in ordine et III huius libri II [3], et (*d*) dicetur conformitate XIV eiusdem libri, et tunc spiritum Eliae super eum acquievisse veraciter perpenderunt.

Tertium decimum exemplum est ad hoc, ut habetur quasi in fine *Legendae trium sociorum* [4], quomodo spiritu prophetico praevidit dominum Ugolinum, tunc Ostiensem episcopum, sublimandum ad papatum et sibi praedixit hoc. « Et quia divina revelatione hoc sciebat, ipsum futurum summum pontificem, hoc ei semper praenuntiabat (*e*), in omnibus litteris, quas ei scribebat, vocans ipsum patrem totius mundi » etc. Sicque factum est, ut post dominum Honorium III ad papatus apicem sublimatus, dictus est dominus Gregorius IX, devotissimus beato Francisco et ordini suo.

Quartum decimum exemplum est, de quo dictum est in conformitate XII libri I parte secunda [5], quando beato Francisco pergere volenti ad Franciam, dictus cardinalis Florentiae exsistens dixit: « Ego nolo, quod tu vadas ultra montes, quia multi praelati sunt, qui impedirent libenter bona tuae religionis in curia Romana. Ego autem et alii cardinales, qui religionem ipsam diligimus, libentius protegemus et adiuvabimus eam, si manseris in circuitu istius provinciae ». Cui beatus Franciscus respondit: Quia ex quo alios fratres miserat ad orbis partes, et ipse ire debebat, aliter esset ad sui verecundiam, quod ipse non pateretur, quae ipsi erant passuri. Et cum cardinalis diceret: « Quare misisti fratres ad moriendum fame et ad tribulationes alias sustinendas? » respondit ei beatus Franciscus magno fervore et prophetiae spiritu dicens: « Domine, vos putatis, quod solummodo propter istas provincias miserit Deus fratres, sed dico vobis in veritate, quod Dominus elegit et misit fratres propter profectum et salutem animarum omnium hominum huius mundi. Et non solum in terris fidelium, sed etiam in terris infidelium recipientur et multas animas lucrabuntur ». De quibus verbis cardinalis fuit valde miratus.

Quintum decimum exemplum ad hoc est, quod beatus Franciscus, ut habetur in *Legenda antiqua* [6], animans fratres, ut irent pro eleemosyna confidenter, inter alia dixit: « In veritate dico vobis, quod multi ex nobilioribus et sapientioribus saeculi venient ad istam congregationem et pro magno honore et gratia habebunt ire pro eleemosyna ». Et sic factum est, ut dictum est libri I conformitate VIII parte secunda [7] de rege Ioanne Ierusalem et Imperatore Constantinopolitano et de rege Armeniae Ioanne et de aliis filiis regum et etiam de aliis nobilibus, qui, saeculo dimisso, ad ordinem venientes pro pane libenter iverunt.

(*a*) Edd. *coram Virgine ard.* — (*b*) Edd. add. *enim.* — (*c*) Edd. *figuratus est in c. ig. et.* — (*d*) Edd. om. *et dicetur conf.* Al, As, Edd. om. *XIV eiusdem libri.* — (*e*) Al, As *pronuntiabat.*

[1] *Leg. Mai.* c. 4 n. 8; A F IV, 250-1. — [2] C. 4 n. 4. — [3] Supra pag. 77-8. — [4] C. 16 n. 67. — [5] A F IV, 585; *Specul. Perf.* Sabatier, c. 65. (p. 121). — [6] *Specul.* cit. c. 8; A F IV, 612. — [7] A F IV, 347-50.

Sextum decimum (*a*) hoc ostendens est, quod cum sibi a Deo esset revelatum, ut ipse dicit in *Testamento* [1] suo, quod in praedicatione in principio et quando (*b*) populum salutabat diceret (*c*): « Dominus det vobis pacem », quidamque ex sociis eius diceret beato Francisco, quod aliqui de hoc scandalizabantur, respondit beatus Franciscus: « Dimitte illos dicere, quia non percipiunt, quae Dei sunt, sed et noli verecundari, quoniam adhuc nobiles et principes huius mundi de hac salutatione tua tibi et aliis fratribus reverentiam exhibebunt [2] ». Et est adimpletum, quia multi Christi inimici, perfecta pace per beatum Franciscum et fratres, eidem sunt foederati.

2. Decimum septimum exemplum ad hoc est, quia statum sui ordinis, usque ad novissimum diem, ut vidit permansurum, sic et quid acturum. Nam omnia in ordine ventura Deus eidem oranti semel in loco Sanctae Mariae de Angelis sub visione statuae, quae apparuit Nabuchodonosor regi [3], ostendit. Dum enim oraret oculis corporalibus (*d*) et coram ipso apparuit quaedam statua, quae habebat caput aureum et faciem pulcherrimam, pectus et brachia de argento, ventrem et femora de aere, tibias autem de ferro, pedes vero ex parte terreos et ex parte fictiles; et erat vestita de sacco, de quo sacco erubescere multum videbatur. Qua visa, vehementer coepit mirari de illius pulchritudine indicibili et de eius mira magnitudine, et insuper de erubescentia, quam habebat de sacco, quo erat (*e*) induta. Et cum sic miraretur et intente aspiceret caput eius pulcherrimum et speciosam faciem, statua ipsa beato Francisco locuta est, dicens: « Quid miraris? Deus misit me ad te, ut in me disceres, quae circa ordinem tuum sunt ventura et futura.

Caput aureum, quod in me vides, et facies tam decora est principium tui ordinis, positum in altitudine evangelicae perfectionis. Et sicut ipsius metalli substantia est cunctis metallis pretiosior et locus capitis cunctis membris eminentior, ita principium tui ordinis erit (*f*) tantae pretiositatis propter fraternam et auream caritatem, et tantae pretiositatis (*g*) propter angelicam honestatem, et tantae altitudinis propter evangelicam paupertatem, quod totus mundus mirabitur. Et regina Saba [4], scilicet sancta mater Ecclesia, mirabitur et dilatabitur in corde suo, cum viderit in primis electis ordinis tantam Christi pulchritudinem, sanctitatis et sapientiae spiritualis splendorem, tanquam in angelicis speculis relucentem. Et beati erunt, qui illorum primorum lapidum pretiosorum, immo capitum aureorum virtutes et mores, Christo se totaliter conformantes, studuerint imitari, magis illorum caelesti pulchritudini quam florentis mundi fallaciis adhaerendo. — Pectus vero et brachia de argento erit secundus tui ordinis status, qui tanto erit primo inferior, quantum est inferius argentum auro; et sicut argentum pretiositatem, claritatem et sonoritatem habet magnam, sic ille status habebit (*h*) fratres nobiles genere, claros scientia et sonoros praedicatione et sublimes, in tantum, quod aliqui eorum ad papatum, aliqui ad cardinalatum et ad episcopatum plurimi assumentur. Et quia per pectus et brachia ostenditur hominis fortitudo, in illo tempore excitabit Dominus in isto ordine tuo homines scientia argenteos (*i*) et praeclaros virtute, qui tam scien-

(*a*) Edd. add. ***exemplum*** — (*b*) Al. ***praed. ante et quando.*** — (*c*) Al. om; As ***dicebat.*** — (*d*) Al in margine add. ***apertis.*** — (*e*) Edd. add. ***sic.*** — (*f*) Edd. hic et infra ***est.*** — (*g*) Edd. hic om. ***tantae pretiositatis.*** — (*h*) Edd. ***habet.*** — (*i*) Edd. ***argentatos.***

[1] *Opuscula S. P. Fr.*, p. 80. — [2] *Specul.* cit. c. 26; *Specul.* Lemmens, c. 6. — [3] Dan. 2, 31 sqq. — [4] Cf. III Reg. 10, 1 sqq.; II Paral. 9, 1 sqq.

tia quam virtutibus defendent religionem istam et etiam universam Ecclesiam a multiplicibus impugnationibus daemonum et a variis impulsionibus hominum impiorum. Sed quamvis mirabilis erit generatio illa, erit tamen quoad (*a*) statum priorum perfectissimum inferior, sed sic est respectu primi status, sicut argentum respectu auri. — Post hoc erit tertius status in ordine, qui ventri aereo similabitur et femoribus aereis. Quia sicut aes aestimatur in minori pretio quam argentum, ita illi de statu tertio erunt primis, secundisque minores. Et quamvis tanquam aes in numerositate et multa latitudine per orbis spatia distendentur, tamen erunt de his, *quorum Deus venter est* [1] *et gloria* religionis *in confusione* eorum, *qui* sola, quae *terrena* sunt, *sapiunt* [2]. Et quamvis propter scientiam habeant linguam tanquam *aes sonans* [3] et mirabilem, sed quia erunt (*b*) dilectores ventris et femorum, heu, heu (*c*) reputabuntur apud Dominum, ut ait Apostolus, sicut *aes sonans, aut cymbalum tinniens* [4], quia aliis resonabunt verba caelestia et quasi ex femore spirituales filios generabunt et ostenso aliis vitae fonte, ipsi ventre arido gratia, adhaerebunt in terra. — Post istos vero erit quartus status terribilis et pavendus, qui tibi ostenditur nunc in tibiis ferreis. Nam sicut ferrum domat et dissipat aes, argentum et aurum, ita status ille erit tantae duritiei et ferreae pravitatis, quod ex frigiditate et horrida rubigine ac ferreis moribus illius periculosi temporis oblivioni tradentur quaecumque bona, quae caritas aurea priorum (*d*) et argentea veritas secundorum et aerea, sive sonora loquacitas tertiorum aedificaverat in sancta Ecclesia Dei et Domini nostri Iesu Christi. Tamen sicut tibiae sustinent corpus, ita illi in quadam fortitudine (*e*) rubiginosae hypocrisis corpus ordinis sustentabunt. Et tam venter praedictus quam tibiae istae ferreae latebunt sub vestibus, quia sub religionis habitu contegentur, habitum quidem religionis et pietatis habentes, *intrinsecus autem* erunt (*f*) *lupi rapaces* [5]. Et isti tales, solum ventri servientes et etiam rubiginosi et ferrei, mundo quidem latentes, sed Domino manifesti, quia pretiosissima bona ad nihilum, scilicet pravae vitae malleo, redegerunt. Ideo ipsi tanquam ferrum diversarum igne tribulationum et malleis angustiarum terribiliter (*g*) affligentur, ut non solum daemonum, sed etiam rectorum saeculi cum cladibus saecularibus et ignibus et carbonibus excoquentur (*h*), ut *potens potenter tormenta* patiantur [6]. Et quia per irreverentem duritiam peccaverunt, ab irreverentibus durissime torquebuntur. Propter autem illas angustias ad tantam impatientiam movebuntur, quod sicut ferrum, quod omnibus metallis resistit, sic se omnibus opponent, ita quod non solum potestatibus saecularibus, sed etiam spiritualibus obstinate resistent, putantes se tanquam ferrum posse omnia conculcare, propter quod Deo maxime displicebunt. — Quintus vero status erit ex parte ferreum, quantum ad hypocritas supradictos, et ex parte terreum, quantum ad illos, qui saecularibus negotiis se totaliter miscebunt. Et sicut vidisti in pedibus, quod testa ex luto cocta et ferrum simul apparuit, quae tamen uniri nullatenus possunt, ita erit in extremo statu illius ordinis, quia orietur tanta divisio et tam abominanda inter ambitiosos hypocritas et testeos ex luto temporalium concupiscentia carnis excoctos, quod, sicut testa et ferrum, nequibunt ex discordia maxima convenire. Et contemnent non solum Evangelium et Regulam, sed etiam testis

---

(*a*) Edd. *ad.* — (*b*) Edd. *mirab. erunt tamen dilectores.* — (*c*) Al semel *heu.* — (*d*) Edd. *primorum.* — (*e*) Edd. add. *ferrea, id est.* — (*f*) Edd. *sunt seu erunt.* — (*g*) As, Edd. *terribili.* — (*h*) Al, As *excoquentur.*

---

[1] Phil. 3, 19. — [2] L. c. 3, 19. — [3] I Cor. 13, 1. — [4] L. c. — [5] Matth. 7, 15. — [6] Sap. 6, 7.

ferreis, hoc est, pravis affectionibus et immundis conculcabunt omnem sancti ordinis disciplinam. Et sicut testa et ferrum divisa sunt invicem, ita multi ipsorum inter se dividentur intus et extra; intus quidem contentiose viventes, extra vero partialitatibus et tyraniis saecularibus adhaerentes. Propter quod venient ad tantam displicentiam omnium, quod non solum vix in terris intrare poterunt vel morari, sed vix portare habitum manifeste; et multi eorum punientur et destruentur tormentis horribilibus per homines saeculares, quia tam abominabiles pedes, domus et omne solum vitabit. Hoc autem veniet illis, quia totaliter ab aureo capite recesserunt. Beati autem erunt illi, qui in illis periculosis diebus ad pretiositatis (*a*) capitis monita revertentur, quia *tanquam aurum in fornace* probabit *illos et quasi*[1] *holocausta medullata*[2] *coronam accipient*[3] in aeternum. — Saccus, de quo sum induta, de quo erubescere videor, est sancta paupertas, quae cum sit totius ordinis decor et speculum et custodia singularis et corona et fundamentum omnimodae sanctitatis, deficientibus tamen omnibus studiis virtuosis, ut dictum supra est, de ipsa, scilicet paupertate sanctissima, filii degeneres erubescent, et abiectis vilibus indumentis, eligent pretiosa et cappas varias anxie et simoniace procurabunt. Felices vero et beati erunt, qui usque in finem perseveraverint in his, quae Domino promiserunt ». Et his dictis, statua illa disparuit[4]. Et beatus Franciscus de his vehementer admirans, oves suas tanquam bonus pastor praesentes et futuras Domino cum multis lacrimis recommendavit. Qua visione et aliis pluribus revelationibus futura omnia fratrum vidit et praedixit.

Praedixit enim fratribus (*b*), teste fratre Leone, de aedificatione sumptuosa locorum, dicens: « Fratres mei, post nos venient fratres nostri, qui facient magnas domos, in quibus notabiles saeculares honorifice habitare possent et tunicas facient valde bonas, sed sufficit mihi in tempore illo, quod fratres custodiant se a peccatis mortalibus ».

Praedixit etiam, quod fratres induerentur pretiosis vestimentis, dicens cum dolore maximo praevidens futura: « Adhuc tantum relaxabitur rigor et dominabitur tepor, quod filii pauperis patris non verebuntur portare etiam scarlaticos pannos, solo colore mutatos[5] ».

Praedixit beatus Franciscus per fratres ordinis multa mala exempla dari debere, et multos ordinem intraturos, futuros meliores praedecessoribus suis, dicens: « Veniet tempus, quod malis exemplis malorum fratrum haec Dei dilecta religio diffamabitur ita, ut pudeat exire in publicum. Qui vero tunc temporis ad suscipiendum ordinis habitum venerint, sola Spiritus Sancti operatione ducentur et nullam in eis maculam caro impinget et sanguis, eruntque vere a Domino benedicti. Et licet in eis fuerint operationes meritoriae, tamen frigescente charitate, quae facit sanctos operari ferventer, venturae sunt illis tentationes immensae, et qui in tempore illo fuerint inventi probati, erunt suis praedecessoribus meliores. Vae illis (*c*), qui de

(*a*) Edd. *pretiosi* — (*b*) Al, As *fratres*. — (*c*) Edd. om. *illis*.

[1] Sap. 3, 6. — [2] Ps. 65, 15. — [3] Cf. Iac. 1, 12. — [4] Cf. huius visionis aliam versionem ap. *Chronica 7 tribulat. (Leg. Antiqua)* ed. Doellinger, *Beiträge zur Sektengeschichte des M-A*. (München 1890) II, 432-4; ed. F. Tocco (Roma 1908), 25-7. Cf. *Speculum vitae* (Venetiis 1504), fol. 182r-183r; (Metis 1509), fol. c.; *Speculum Minorum* (Rothomagi 1509), 38 v-40 v. Cf. II Cel. II, 50 (al. III, 27), 82. Cf. *Specul. Perf.* ed. Sabatier, p. LXXX, nota. — [5] *Specul. Perf.* Sabatier, c. 15; II Cel. II, 39 (al III, 15) n. 69.

sola specie et apparentia conversationis religiosae sibi plaudentes et in sua sapientia et scientia confidentes, inventi fuerint otiosi, id est non exercitantes se in operibus virtuosis et in via crucis et poenitentiae et (*a*) pura observantia Evangelii, quod professione tenentur pure et simpliciter observare. Isti enim non resistent constanter tentationibus, quae ad probationem electorum a Deo permittentur. Qui vero probati fuerint et approbati, accipient *coronam vitae* [1], ad quam exercitat eos interim malitia perfidorum et reproborum [2] ».

Praedixit beatus Franciscus fratres a Domino confundendos, qui irent per viam sapientiae et scientiae, et dixit fratribus: « Per vestram sapientiam et scientiam Deus vos confundet. Et ego confido in castaldis Domini, idest daemonibus, quod per ipsos puniet vos Dominus, et adhuc redibitis ad statum vestrum cum vituperio vestro, velitis, nolitis [3] ».

Praedixit etiam, quod fratres, qui propter studium scientiae orationem dimitterent, ad pristinam vocationem, quando voluerint, redire non poterunt. Et dixit: « Multi fratres occasione aedificandi alios, dimittent vocationem suam, videlicet sanctam humilitatem, puram simplicitatem, orationem et devotionem atque dominam nostram paupertatem, et continget illis, quod unde putabunt magis imbui et (*b*) devotione impleri, accendi amore et illuminari cognitione Dei propter intellectum Scripturae, inde occasionaliter intus remanebunt frigidi et vacui. Et sic ad pristinam vocationem redire non poterunt, quia tempus vivendi secundum vocationem suam in vano et falso studio amiserunt. Et timeo, quod illud, quod habere videbantur (*c*), auferatur ab eis, quia id, quod datum erat illis, id est vocationem suam, tenere et imitari penitus neglexerunt [4] ».

De fratribus, qui vota religionis transgrediuntur, beatus Franciscus prophetavit dicens: « quod inimici, qui sunt castaldi [5] Domini ad puniendum in praesenti et in futuro, sument de illis vindictam, qui transgrediuntur mandata Dei et votum professionis suae; eos corrigi ab hominibus huius saeculi in improperium et verecundiam ipsorum, et sic revertentur ad vocationem et professionem suam [6] ».

Beatus Franciscus, ut dixit frater Corradus de Offida, praedixit sui ordinis dilatationem, quam ostendit ei Christus, beato Francisco apparendo, dum oraret in loco Sanctae Mariae de Angelis. Ostendit ei Christus vias plenas hominibus ab oriente, occidente, meridie et septentrione, ad ordinem venientibus. Et de conditionibus fratrum sub specie pomi pulcherrimi, sed in fine pulchri et amari eidem praedixit; et quod diabolo potestas contra ordinem daretur; qui mundum incitaret contra fratres in tantum, quod fratres ad deserta fugient et ipse Christus ibi pascet eos, sicut pavit filios Israel in deserto [7].

5. Decimum octavum (*d*) exemplum ostendens hoc, est quia beatus Franciscus praedixit schisma, quod nunc est in Ecclesia sancta (*e*) Dei, de antipapa et plura alia etiam de ordine praedixit, sicut socii beati Francisci retulerunt. Et frater Leo

(*a*) Edd. add. *in*. — (*b*) As, Edd. *id est*. — (*c*) As, Edd. *videntur*. — (*d*) As, Ed. I denuo *decimum septimum* et secundum hoc, deinceps unum exemplum minus numerant. — (*e*) Al om. *sancta*.

[1] Cf. Iacob. 1, 12. — [2] *Spec.* cit. c, 70; II Cel. II, 116 (al. III, 93) 157. — [3] *Spec.* cit. c. 68. — [4] L. c. c. 72. — [5] Castaldus (Gastaldus) est villae etc. praefectus; Ducange, s. v. — [6] L. c. c. 71. Cf. Angelus Clarenus, *Chron. VII tribul.*, trib. I, ed Döllinger, II, 454; ed. Tocco, 52 sq. — [7] *Spec.* cit. c. 71, interpol. p. 140 sq. Cf. de pomo I Cel. c. 11 n. 28.

scripsit beatum Franciscum intellexisse venturae et « futurae [1] tribulationis per Spiritum Sanctum tempora appropinquare, in quibus spiritualiter et temporaliter perplexitates et discrimina inundarent, et quod (*a*) caritas multorum refrigesceret, et superabundaret iniquitas, et daemonum potestas plus solito solveretur, et suae religionis et aliarum puritas immaculata deformaretur, et profana discessio et apostasia ab utroque imperio compleretur, in tantum quod summo pontifici et Ecclesiae Romanae paucissimi ex caritate veritatis obedirent. Et quod aliquis, non canonice electus et haeretica pravitate infectus, in articulo tribulationis illius ad papatum assumptus, multis mortem sui erroris sagaciter (*b*) propinare moliretur. Et quod tunc multiplicarentur scandala et divideretur sua religio, et plures ex aliis frangerentur, eo quod non contradicerent, sed consentirent errori. Eruntque (*c*) opiniones et schimata tot et tanta in populo et in religiosis et in clero, quod nisi breviarentur *dies illi* (*d*) iuxta verbum evangelicum [2], *si fieri* posset, inducerentur *in errrorem etiam electi*, nisi in tanto turbine ex immensa Dei misericordia regerentur. Voluit ergo beatus Franciscus, secundum quod ex revelatione perceperat, in illis verbis *Regulae* [3]: « Franciscus promittit obedientiam et reverentiam domino papae Honorio et successoribus eius, canonice intrantibus et Ecclesiae Romanae », obedientiam promittere sedi apostolicae necessariam veris humilibus et pauperibus in Christo, et suae Ecclesiae inseparabiliter et fideliter haerere, amantibus iuxta promissa evangelicae vitae votum discretionis praebere scientiam et venturi in Ecclesia scandali praenuntiare periculum et dare remedium; videlicet, quod tunc caute incederent fratres, forti et perfecta observatione promissae vitae et regulae se munirent, quando aliquis non canonice electus papatum usurpare tyrannice, aut haeretica pravitate infectus perverse tenere videretur, quoniam tunc, ut dicebat, felices, qui perseverabunt in his, quae coeperunt et spontanee promiserunt Domino observare ».

Dicebat etiam beatus Franciscus [4] « coram domino Ostiensi et multis fratribus et etiam populo frequentius praedicavit, quod fratres sui, malignis spiritibus procurantibus, a via sanctae simplicitatis et altissimae paupertatis recederent et pecuniam et testamenta et quaecumque eis legata reciperent; et locis paupereulis et solitariis derelictis, in castris et civitatibus loca aedificarent sumptuosa, quae non statum pauperum ostendunt sed fastum mundi dominorum et principum. Et quod privilegia ab Ecclesia et a summis pontificibus, cum multa astutia et humana prudentia et importunitate procurarent et impetrarent, promissae regulae et vitae sibi a Christo revelatae, non solum relaxantia, sed destruentia puritatem, quibus muniti ad litigia et inferendas iniurias, non solum mundi hominibus, sed etiam aliis religiosis et clero superbiendo prorumperent (*e*). Et quod sibi ipsis laqueum foderent, in quem finaliter caderent, et seminarent semina, de quibus multa meterent scandala. Et quod dignum non pastorem, sed exterminatorem mitteret eis Christus, qui iuxta eorum adinventionem et studium redderet eis. Et movebit tentationem validam sicut me-

(*a*) As, Edd. om. *quod.* — (*b*) Edd. *sagacitate.* — (*c*) Edd. *essentque.* — (*d*) As, Edd. om. *illi.* — (*e*) Al *praement;* As *provenient.*

[1] *Verba Fr. Conradi*, n. 12, op. *Opuscules de critique hist.*, I, 386-90. Angeli Clareni, *Expositio Regulae FF. Min.*, MS. S. Isidori, (Romae) I, 92, fol. 14 a. Applicatio ad schisma est ipsius Pisani. — [2] Matth. 24, 22 sq. — [3] Regula II, c. 1, *Opuscula*, 63. — [4] « *Leg. Vetus* » ap. *Opusc. crit. hist.*, I, 87-90; *Verba Fr. Conr.* n. 10; l. c. I, 383-4.

ruerint, ut involvantur et illaqueentur cupiditatibus desideriorum suorum, ut iusto Dei iudicio castigati, ad suae vocationis statum redeant humiliati, aut a vivifico (*a*), salutari modo vivendi, quem coram Domino usque in finem se servaturos iuraverant, funditus evellantur. Nam veritas tunc a praedicatoribus cooperietur silentio, vel conculcata negabitur, et vitae sanctitas a suis professoribus habebitur in derisum. Qui vero spiritu ferventes paupertati adhaerebunt et pietati, persecutiones innumeras (*b*) sustinebunt ».

Praedicabat [1] etiam beatus Franciscus, sicut socii retulerunt, videlicet fratres Bernardus, Massaeus, Leo et ceteri socii testabantur, quod « tunc tanta erit daemonum et hominum perversorum contra simpliciter gradientes agitatio et insultus, ut relicti ab omnibus cogantur loca deserta et solitaria petere, vel ad infideles transire, aut dispersi, saeculi habitu iterum (*c*) sumpto, peregrinam agere (*d*) vitam, vel latere apud quosque fideles, vel sub innumeris calumniis et querelis poenas innumeras et mortem sustinere. Et beatus erit, dixit (*e*), qui tunc socium poterit invenire fidelem (*f*), nam persequentes eos a malignis spiritibus agitati, magnum esse obsequium Deo dicent tam pestilentes homines interficere et de terra delere ».

Praevidit enim beatus Franciscus et praedixit [2], ut frater Leo et socii beati Francisci testabantur, quod ministri et alii, qui praeessent in ordine, magnam tribulationem facerent regulam volentibus observare. Et hoc ipse beatus Franciscus dixit papae Honorio in regulae confirmatione.

Decimum nonum exemplum est ad hoc, quod beatus Franciscus [3] praedixit (*g*), ordinem suum duraturum usque ad diem iudicii, et quod nullus male vivens in ordine poterit diu permanere; nullum ex industria suum persequentem ordinem diu vivere (*h*); nullum, quamvis peccatorem, si ex corde ordinem dilexerit, divina privari misericordia, sed eam totaliter consecuturum (*i*).

Vigesimum exemplum est ad hoc, quod (*k*) ponitur in *Legenda maiori* parte XI [4]. Nam praevidit casum Christianorum, civitatem Damiatam obsidentium, si bellum inirent cum Saracenis. Et cum monitu socii, exonerando conscientiam suam, hoc praedixisset Christianis iam paratis ad bellum, fidem non adhibentes sanctis verbis, vadunt bellatum (*l*) et tota militia christiana in fugam vertitur, adeo ut inter mortuos sex millia fuerint et captivos. Quo claruit beatum Franciscum spiritum propheticum habuisse, et quae praedicebat, non debere contemni sed exsequi summa cum devotione oportere, utpote de talibus non a se vel homine, sed a summa luce omnia agnoscente illuminatum.

Vigesimum primum exemplum ad hoc est de fratre quodam stricte adeo tenente silentium, ut non nisi nutibus confiteretur, quem fratres sanctitate putabant insignem. Et commendantes eum coram beato Francisco respondet: « Sinite, fratres, nec mihi diabolica figmenta in eo laudetis. In veritate sciatis, quod diabolica tentatio est et

(*a*) Edd. add. *et*. — (*b*) Al *et iniurias*. — (*c*) Edd. om. *iterum*. — (*d*) Edd. *ducere*. — (*e*) Edd. *etiam dicebat*. — (*f*) Edd. om. *fidelem*. — (*g*) Edd. add. *videlicet*. — (*h*) Edd. *victurum*. — (*i*) Al *consequetur*. — (*k*) Edd. *quod b. Franciscus praedixit, quod ponitur;* (Ed. II *et habetur*). — (*l*) Edd. *et bellantur, et tot milia christianorum... convertuntur, ut*.

[1] « *Leg. Vet.* », l. c. I, 89-90. — [2] L. c. I, 90-95. Böhmer, *Analecten zur Gesch. d. Fr.*, 86-88; Angeli Clar., *Chron. VII tribul.* ed. Döllinger, I, 457 sq., ed. Tocco, 58 sq. — [3] *Specul. Perf.* c. 79. Thom. de Eccleston, *De adventu FF. Min. in Angliam,* A F I, 245; A F IV, 190. — [4] C. 11 n. 3.

deceptio fraudulenta ». Non post multos dies, eo religionem egrediente, evidenter ostendit, quanta interioris contuitus luculentia eius cordis secreta vir Dei perspexit, facinoraque (*a*) post exitum committens, poenitentia est privatus et vita [1].

Vigesimum secundum exemplum ad hoc est de milite, qui eum devote apud Celanum suscepit ad prandium, cui mortem mox affuturam beatus Franciscus praedixit. Qui (*b*) dispositis omnibus et poenitentiae armis munitus, subito obiit, prout ei sanctus Franciscus praedixit [2].

Vigesimum tertium de quodam fratre de Spoleto est ad hoc exemplum (*c*). Qui cum apud fratres opinionis esset (*d*) sanae et firmae sanctitatis crederetur beatus Franciscus praedixit fratribus, quod perversus esset et pravus, qui (*e*) ab ordine recedendo et moriendo, beati Francisci veram esse de se sententiam comprobavit. Hoc ponit frater Thomas in sua *Legenda* [3].

Vigesimum quartum ad hoc exemplum est, quod ponit *Legenda maior* parte XI [4] de Gedeone, praebendato et contracto, cui beatus Franciscus praedixit, quod si post liberationem rediret ad vomitum, deteriora esset passurus. Qui post liberationem, immemor beneficii et salutis collatae, cum corpus impudicitiae reddidisset, de sero post coenam cum dormiret, tecto cadente super omnes, solus miser iuxta vaticinium sancti est oppressus.

Vigesimum quintum exemplum ad hoc est de magistro theologiae apud Senas, cui et (*f*) quaestionem solvit, de qua quaesivit et futurorum eventum praedixit, dans sibi indicium sic esse debere, quoddam secretum conscientiae illius scrupulum revelando, de quo ei salubriter consuluit. Et sicut ei beatus Franciscus praedixit, sic finaliter consummavit, et de hoc habetur in XI parte *Legendae* [5].

Vigesimum sextum exemplum ad hoc est, quod beatus Franciscus praedixit cuidam viro nomine Boninsegna de Castro Novo, quod futurus esset frater Minor, et sic evenit. Nam post modicum, militia relicta, factus est frater Iacobus. Postea duo eius filii, mundo relicto, ordinem intraverunt. Uxor vero ipsius cum tribus filiabus monasterium Sororum intraverant.

Vigesimum septimum exemplum ad hoc est, quod de quodam praedixit palatio in castro Fabriani. In dicto enim castro beatus Franciscus, cum praedicaret et praedicatio eius impediretur clamoribus quorumdam construentium unum palatium, nec sua monitione quiescerent, praedixit in brevi dictum palatium, tamen sine alicuius laesione casurum (*g*), et sic evenit. Nam post modicum tempus corruit palatium, nec homo nec asinus, qui in ipso erant, aliquid mali est passus [6].

Vigesimum octavum exemplum est ad hoc, quod evenit in loco Sanctae Mariae de Angelis. Vidit enim beatus Franciscus locum totum a daemonibus circumdatum et obsessum, nec tamen cuiquam ingressum patere ob sanctitatem fratrum ibidem demorantium. Verum cum quidam frater contra alium cogitaret iniqua, diabolo aditus patens (*h*), ab ipso captus est, patre sancto totum vidente. Qui ovi

(*a*) Edd. *facinora enim.* — (*b*) Al om. *Qui—praedixit.* — (*c*) Edd. *exemplum est quoad hoc.* — (*d*) Edd. add. *sanctae.* — (*e*) Al, As om. *qui.* — (*f*) Edd. om. *et* pro quo repet. *b. Franciscus.* — (*g*) As, Edd. *ruiturum.* — (*h*) Edd. *aditu patente.*

[1] *Leg. Mai.* c. 11 n. 10. II Cel. II, 2 (al. II, 1) n. 28. — [2] Cel. *Tract. mirac.* c. 7 n. 41. *Leg. Mai.* c. 11 n. 4. — [3] II Cel. II, 3 (al. II, 1) 29. — [4] C. 11 n. 5; supra p. 15 l. 35. — [5] N. 7; cf. n. 2. — [6] Cf. Wadding ad an. 1215 n. 18.

propriae compatiens, eo vocato et dicto, quid cogitarat (*a*), frater obstupuit et culpam protinus recognoscens, illico a diabolo liberavit sive (*b*) liber fuit [1].

Vigesimum nonum exemplum est ad hoc, quod praedixit domino Ioanni Abassasoli, nobili (*c*) militi, qui cum ad beatum Franciscum accessisset, statim ut eum vidit, ei dixit: « Equus tuus cecidit et mortuus est ». Et sicut dixerat, ita invenit [2].

4. Trigesimum exemplum est ad hoc, quia vidit cogitationem cordis fratris Leonardi de Assisio et sibi eam praedixit; de qua habetur in XI parte *Legendae* [3] et dicetur conformitate XIV huius II libri. Cum post ipsum incederet, beato Francisco in asino eunte, et de hoc ipse murmuraret, statim a beato Francisco est deprehensus.

Trigesimum primum exemplum est ad hoc de muliere de Castro Volusiano (*d*), quae etsi tenera esset et delicata et iuvenis, volebat tamen Deo servire, sed a viro impediebatur. Quae cum ad beatum Franciscum venisset et praefata narrasset, deprecabatur instanter, ut pro viro suo oraret; quod et fecit. Et mulieri dixit: « Vade in pace, indubitanter exspectans de viro tuo consolationem tibi de proximo affuturam ». Et adiecit: « Dices ei ex parte Dei et mea, quod nunc est tempus clementiae, postmodum aequitatis ». Quae a viro Dei recedens, dum praedictum verbum viro dixisset, cecidit Spiritus Sanctus super eum, ac in virum alterum mutatus, dixit uxori: « Domina, serviamus Domino et salvemus animas nostras ». Sicque facientes per multa tempora, eodem die, vir mane et uxor vespere, decesserunt [4].

Trigesimum secundum exemplum est ad hoc, quod ponitur in *Legenda maiori* parte XI [5]. Dum in Sancta Maria de Angelis vicarius beati Francisci capitulum teneret et quidam frater culpam suam commissam nullatenus recognoscere vellet, beatus Franciscus in cella absens et orans, cuncta cernens in spiritu, vidit diabolum supra dorsum fratris inobedientis residere, collum eius strictum tenentem. Qui cum rogaret Deum pro fratre, statim daemon abscessit; ac fratrem per internuntium commonens mandavit, ut humiliter culpam recognosceret; quod et fecit.

Trigesimum tertium ad hoc exemplum est, quod ponitur in *Legenda maiori* parte XI [6], de duobus fratribus a remotis venientibus ad eremitorium de Graecio (*e*), ubi beatus Franciscus pro tunc residebat. Qui cum eum cernere cuperent et benedictionem multo tempore desideratam reportare, venientes autem et beatum Franciscum ad cellam iam rediisse invenientes, desolati abibant. Sed ipsis recedentibus, cum de illorum adventu vel recessu nihil secundum humanum sensum percipere potuisset, praeter morem solitum egressus e cella, clamavit post eos et ipsos iuxta quod optaverant, signo crucis facto, in Christi nomine benedixit.

Trigesimum quartum exemplum est ad hoc de illis de Graecio (*e*). Cum enim in dicto loco beatus Franciscus moraretur et loci illius indigenae luporum ferocium, grandinis et tempestatum multiplici adversitate premerentur (*f*), vir Dei eis compatiens, in publica praedicatione praedixit eis, quod si confiterentur et poenitentiam agerent, pestis cessaret omnium praedictorum, sic tamen ut ad vomitum non redirent, quia

(*a*) As, Edd. *id quod cogitaret.* — (*b*) As, Edd. om. *liberavit sive.* — (*c*) As, *praedixit abcissam domino Iohanni soli nob.* — (*d*) Al *Volisiano;* As *Voliano.* — (*e*) Al *Gerchio.* — (*f*) As, Edd. *punirentur.*

[1] *Actus,* c. 26. — [2] Cf. supra p. 16 l. 20, licet nomen parum mutetur. — [3] *Leg. Mai.* c. 11 n. 8. — [4] II Cel. II, 9 (al. II, 7) 38. *Leg. Mai.* c. 11 n. 6. — [5] C. 11 n. 11. II Cel. II, 6 (al. II, 4) 34. — [6] C. 11 n. 5.

deteriora haberent. Qui beati Francisci monitis acquiescentes, confessionem et poenitentiam agentes, a praefatis sunt malis liberati et bonis omnibus repleti; sed demum Dei obliti peiora addentes prioribus, severitate sunt puniti divina. Nam, peste multis consumptis, castrum totum ultricibus flammis fuit exustum; et sic deteriora prioribus, ut beatus Franciscus eis praedixit, sunt passi [1].

Trigesimum quintum ad hoc est exemplum, quod dum in loco esset de Grecio (*a*), loquens de Perusinis dixit fratribus: « Perusini multa mala fecerunt suis vicinis et cor eorum elevatum est; prope est enim (*b*) Domini ultio et manus eius ad gladium ». Et paucis elapsis diebus Perusium deveniens, in platea civitatis populo praedicare incepit. Sed milites Perusini hastiludentes, equorum cursibus praedicationem impediebant. Et cum per audientes praedicationem monerentur, nec quiescerent, tandem beatus Franciscus ad eos conversus, praedixit eis propter ingratitudinem eorum et superbiam in brevi de Perusio expellendos, ac inter ipsos et populum magnam discordiam oriri debere, propter quae paterentur plura a seipsis et inter se quam aliquando perpessi essent ab hostibus; et sic factum est. Nam plebei insurgentes in nobiles et nobiles in plebeos arma vertentes, taliter se vindicarunt, quod vicini, quos Perusini offenderant, doluerunt [2].

Trigesimum sextum exemplum ad hoc est de fratre antiquo, veniente cum quodam iuvene ad beatum Franciscum de Terra Laboris, [qui] (*c*) ipsum iuvenem socium multipliciter perturbavit. Et cum hoc beatus Franciscus per spiritum agnovisset et socium interrogaret, quomodo in itinere a socio antiquo fuisset tractatus, et ille respondisset: quod satis bene; reprehensus a beato Francisco quod sub specie humilitatis mentiretur, dixit ei beatus Franciscus: « Scio, qualiter erga te se habuit; sed exspecta modicum et videbis ». Miratus est frater plurimum, quomodo tam absentia sic cognovisset. Ad paucos dies, qui iniuriam fecerat fratri, egressus est ab ordine et a patre veniam non petierat, ut in eo severitas appareret (*d*) divinae iustitiae et beati Francisci perspicacitas spiritus prophetiae [3].

Trigesimum septimum exemplum ad hoc est de quodam iuvene nobili de Luca, qui ad fratres veniens dixit se ordinem velle ingredi. Qui ad beatum Franciscum deductus per fratres, rogabat cum lacrimis beatum Franciscum, ut eum ad ordinem recipere dignaretur. Cui beatus Franciscus respondit: « Miser atque carnalis, cur Spiritui Sancto mentiris et mihi mentiri confidis? Carnaliter plangis et spiritus tuus cum Deo non est. Vade, quoniam nihil spiritualiter sapis ». Et his dictis, cum dicto iuveni nuntiaretur parentes astare, eum capere volentes, (*e*) ad ipsos foras egressus, cum ipsis recessit. Et fratres mirati sunt, quomodo beatus Franciscus hoc cognovisset [4] (*f*).

Trigesimum octavum exemplum ad hoc est de quodam fratre, qui devotus et sanctus putabatur ab aliis, verum a diabolo sub specie melius operandi deceptus, ordinem egressus est et, factus peregrinus et advena, ad praecipitium ducebatur, sed tandem divina respectus gratia, ad beatum Franciscum venit. Quem beatus Franciscus ut vidit, ad cellam concite fugiens intus se clausit; de quo fratres plurimum

(*a*) Al *Gerchio.* — (*b*) Edd. om. *enim.* — (*c*) Al, As om. *qui.* — (*d*) Edd. *et in eo sev. apparuit.* — (*e*) Al, As add. *qui.* — (*f*) As, Edd. *quomodo sic b. Fr. agnovisset.*

[1] L. c. c. 8 n. 11; cf. II Cel. II, 7 (al. II, 5) 35-36. Cf. AF IV, 478. — [2] II Cel. II, 8 (al. II, 6); *Specul. Perf.* Sabatier, c. 105; AF IV, 473-4. — [3] *Leg. Mai.* c. 11 n. 13. — [4] II Cel. II, 11 (al. II, 9) 40; *Specul.* cit. c. 103.

sunt mirati. Sed postmodum beatum Franciscum interrogantes de causa fugae, respondit eis: « Vos miramini, quia non advertitis de causa. Ad orationem confugi, ut liberarem erroneum. Vidi in filio quidem (*a*) quod mihi displicuit, scilicet diabolum; sed iam Christi gratia delusio omnis cessavit ». Et praefato fratri dixit: « Indulgeat tibi Deus, sed cave, ne sub specie sanctitatis a tua unquam religione et fratribus separeris ». Quod et fecit, etiam (*b*) fideliter in ordine permanendo usque in finem [1].

Trigesimum nonum exemplum est ad hoc, quod quidam frater de Marsicana custodia (*c*), provinciae Pennae, cum gravem pateretur tentationem, in cor eius ascendit, quod si haberet de unguibus beati Francisci a tentatione, quam patiebatur, illico liberaretur. Et ut obtineret quod cogitaverat, accessit ad locum ubi beatus Franciscus residebat. Et cum a sociis beati Francisci de unguibus peteret, et illi dicerent quod fieri non posset hoc, quia statim ungues praecisas beatus Franciscus iubebat igni dari, beatus Franciscus, cognoscens praefata, Spiritu Sancto revelante, fratrem praefatum ad se vocari faciens, dixit: « Quaeras mihi forcipes, fili ». Quod et fecit. Et beatus Franciscus ungues praecidens, fratri dedit, ut optabat. Illico (*d*) frater fuit ab omni tentatione liberatus [2].

Quadragesimum exemplum est ad hoc de socio beati Francisci. Cum enim pulvinar, quod ipse beatus Franciscus ob infirmitatem sub capite (*e*) tenebat, diabolus intrasset et eum per totam noctem non permittendo dormire inquietasset, beatus Franciscus socio suo praecepit pulvinar extra asportari. Et cum ipsum socius extra cellam portaret, membrorum omnium vires amisit et usum. Quod beatus Franciscus cognoscens spiritu, eum vocavit; cuius vocem dum frater audivit, vigor omnis cordis et corporis sibi fuit plenarie restitutus [3].

Quadragesimum primum exemplum ad hoc est de fratre Leone. Cum enim beatus Franciscus in monte Alvernae [4] cella clausus moraretur, et gravi tentatione non carnis sed spiritus socius eius frater Leo urgeretur, cupiebat aliquid de verbis Domini manu beati Francisci annotatum habere; sed verecundia ductus, beato Francisco pandere non audebat. Sed quod ille non prodidit, Spiritus Sanctus beato Francisco revelavit. Qui faciens sibi per ipsum fratrem Leonem pugilarem, calamum et chartam deferri, iuxta quod ipse frater Leo optaverat, beatus Franciscus scripsit et scriptum fratri Leoni tradidit; et statim ab omni tentatione liber fuit. Scriptura erat haec signo Thau signata scilicet [5]: « *Benedicat tibi Dominus et custodiat te* (*f*). Convertat *faciem suam tibi et misereatur tui. Convertat vultum suum ad te et det tibi pacem.* Dominus benedicat fratrem Leonem [6] ». — Haec scriptura multis, reservata, exstitit causa sanitatis, ut quantae esset efficaciae scriptor eius ex virtute in charta relicta evidenter declaretur.

Quadragesimum secundum exemplum ad hoc est, quia beatus Franciscus dicto fratri Leoni praedixit mira, quae facturus erat Dominus, et in brevi, in sacro monte

(*a*) As, Edd. om. *quidem.* — (*b*) As om. *etiam.* Edd. *Quod etiam f. fid.* — (*c*) As, Edd. *Pennensis.* — (*d*) Edd. *et ill.* — (*e*) (*d*) As, Edd. om. *sub capite.* — (*f*) Edd. om. *te.*

[1] II Cel. II, 6 (al. II, 4) 32-33. — [2] II Cel. II, 13 (al. II, 11) 42. — [3] II Cel. II, 34 (al. 3, 10) 64. *Leg. Mai.* c. 5 n. 2. *Specul. Perf.* Sabatier, c. 98; Lemmens, c. 21. — [4] *Leg. Mai.* c. 21 n. 9; II Cel. II, 20 (al. II, 18) 49. — [5] Num. 6, 24-26. — [6] *Opuscula S. Fr.* 125, 198 sqq. Boehmer, *Analekten,* 69.

Alvernae, sicut libro III et conformitate III dicetur; et sic fuit, quia stigmatizatus ibidem beatus Franciscus a Christo fuit [1].

Quadragesimum tertium ad hoc est exemplum de ipso fratre Leone. Cum enim frater Leo post mortem beati Francisci cuperet habere tunicam ipsius pro sua consolatione et beatus Franciscus tunc in palatio Assisinatis episcopi infirmus moraretur, ipsum fratrem Leonem beatus Franciscus, agnita ipsius cogitatione, vocavit et sibi suam tunicam post mortem, ut optaverat, dimisit [2].

Quadragesimum quartum est ad hoc exemplum, quod beatus Franciscus in vita sua praedixit futuram famem in mundo, qua innumeri homines morerentur, et ipso vivente fuisset, nisi prece unius pauperis Dominus non permisisset (*a*). Post mortem beati Francisci primo (*b*) quasi anno, quo decessit, fames maxima fuit. Et se illum pauperem fuisse, cuius prece non permiserat venire Deus, eidem etiam fratri Leoni declaravit [3].

Quadragesimum quintum ad hoc exemplum est, quod vidit futura et praedixit receptionem duorum scholarium, quos Bononiae ad ordinem recepit, scilicet Riccerii et Peregrini, quos recipiendo ad ordinem, prophetice dixit: « Tu, Riccri, servias fratribus; tu, Peregrine, teneas viam humilitatis ». Et sic factum fuit. Frater Riccerius fratribus servivit. Nam factus est minister et servus fratrum in Marchia. Frater vero Peregrinus, etsi sufficiens esset et bonus decretalista, nunquam voluit ire ut clericus, sed ut laicus. Unde ista humilitate venit ad maximam perfectionem; de quo dicebat frater Bernardus de Quintavalle, quod frater Peregrinus erat unus de perfectioribus fratribus huius mundi [4].

Quadragesimum sextum exemplum ad hoc, est de dicto fratre Riccerio, qui gragravissimam tentationem patiens non carnis sed spiritus, in tantum quod se damnatum putaret, beatus Franciscus dicendo sibi seriem tentationis suae et benedicendo liberavit, prout dicetur in isto II libro conformitate XIV [5].

Quadragesimum septimum est ad hoc exemplum de ave, quae pectorubeus nuncupatur, de quo dictum est supra [6]. Cum enim mater filios suos ad fratres duxisset et recessisset, maior inter eos aliis invidere coepit, et saturatus reliquos repellebat a cibo. Quod beatus Franciscus advertens, dixit fratribus: « Videte quid facit hic avarus; plenus ipse et satur, famelicis invidet fratribus. Mala adhuc morte necabitur, nec quisquam ex eo comedet ». Et statim impletum est quod beatus Franciscus dixit. Ipse enim super vas aqua plenum ascendens, ut biberet, intus cecidit, et illico necatus fuit. Ab inde proiectus, nec gattus nec alius de ipso comedit.

Quadragesimum octavum exemplum ad hoc est de (*c*) porca in comitatu Eugubii, quae occidit agnum. Cui beatus Franciscus maledixit et quod nullus de ea comederet homo vel bestia. Et sic evenit. Nam statim infirmari coepit, et tribus diebus corpoream poenam exsolvens, ultricem tandem pertulit necem. Proiecta in vallum

---

(*a*) Al, As *permisit.* — (*b*) As, Edd. *illo.* — (*c*) Al *quod.*

---

[1] A F IV, 190; III, 646; supra p. 83 l. 20 sqq. — [2] II Cel. II, 21 (al. II, 19) 50. — [3] II Cel. II, 23 (al II, 21) 52. Cf. A F III, 70 sq. — Cf. Salimbene, *Chronica*, (Parmae 1857), p. 7; ed. Holder-Egger, (Hannoverae 1905-9), p. 35; Potthast, *Reg. Rom Pontif.*, (Berolini 1874) 7661. Cf. *Spec. Perf.* Sabatier, p. LVIII. — [4] *Actus*, c. 36; A F IV, 283-4- — [5] *Actus*, c. 37; I Cel. I, 18 n. 49-50. *Leg. Mai.* c. 11 n. 9. — [6] Cf. p. 14 l. 29 sqq. Cf. II Cel. II, 18 (al. II, 16) 47.

quoddam et ibidem longo tempore iacens, in modum tabulae desiccata, nulli fuit esca famelico [1].

Quadragesimum nonum est ad hoc exemplum de tentatione cuiusdam fratris. Quidam frater spiritualis et devotus quamdam patiebatur tentationem, quam nec (*a*) exprimere confessione et detegere prae confusione (*b*) audebat aut poterat. Qui dum die quadam cum beato Francisco ambularet, dixit beatus Franciscus: « Frater, dico tibi, quod tribulationem tuam nulli de cetero debeas confiteri, et noli timere, quia, quod circa te fit, nec tu facis, ad coronam tibi proveniet, non ad culpam. Quoties fueris turbatus, septem *Pater noster* de mea licentia dicas ». Miratus frater, unde hoc sanctus novisset, plurimo exhilaratus gaudio, post vero (*c*) modicum omnem tentationem amisit [2].

5. Quinquagesimum exemplum ad hoc est de fratre Bernardo de Quintavalle, primogenito beati Francisci, de quo beatus Franciscus dixit fratribus, quod dati ei erant ad exercitium subtilissimi daemones. Et addidit: « Tribulabitur, stimulabitur et affligetur, sed tandem (*d*) de omnibus triumphabit ». Et adiunxit: « Circa mortem eius omni tempestate sedata et tentatione victa, mira tranquillitate et pace fruetur, cursuque consummato, feliciter migrabit ad Christum ». Et sic est factum, ut conformitate VIII libri I parte secunda est ostensum [3].

Quinquagesimum primum est exemplum ad hoc de latronibus, quos dum esset apud Montem Casalem prope Burgum Sancti Sepulchri, fratribus praedixit (*e*) convertendos; et sic evenit. Nam omni saevitate (*f*) dimissa, quidam ex ipsis facti sunt fratres Minores, alii vero in saeculo permanentes, poenitentiam de suis egerunt peccatis, ut dictum est conformitate XI libri I [4].

Quinquagesimum secundum ad hoc est exemplum de vinea sacerdotis apud Sanctum Fabianum de Reate. Cum enim apud dictam ecclesiam moraretur beatus Franciscus, ut dictum est conformitate I huius II libri parte secunda [5], et populus accedendo ad beatum Franciscum vineam sacerdotis demoliti essent, et beatus Franciscus petisset a sacerdote: quot salmas vini (*g*) vinea redderet, quando melius (*h*) fructificaret, et ille aisset (*i*) quod tredecim, beatus Franciscus dixit: « Dimitte omnes accipere quantum volunt de uvis, et ego ex parte Dei tibi promitto, quod hoc anno viginti salmas habebit ». Et sicut praedixit beatus Franciscus, sic habuit, divina faciente virtute.

Quinquagesimum tertium exemplum est ad hoc, quod praedixit fratri Eliae exsistenti eius vicario. Semel enim beatus Franciscus cum quosdam magis simplices fratres accepisset per manus et ad mensam iuxta se locasset, ac dixisset fratri Eliae, ut alios fratres locaret, ut sibi placeret, frater Elias, tumens et superbus, dixit voce temeraria ad beatum Franciscum: « Non dubito, quod tu cum tua simplicitate et fatuitate dissipabis ordinem tuum »; beatus Franciscus, divino spiritu totus accensus

(*a*) Edd. om. *nec*. — (*b*) Al, As, Edd. add. *non*. — (*c*) Edd. om. *vero*. — (*d*) As, Edd. *tamen*. — (*e*) Edd. add. *fore*. — (*f*) Al, As *severitate*. — (*g*) As, Edd. om. *vini*. — (*h*) As om. *quando melius*; As, Edd. om. *fructificaret*. — (*i*) As *ait*; Edd. *dixisset*.

[1] *Leg. Mai.* c. 8. n. 6. II Cel. II, 77 (al. III, 54) 111. — [2] II Cel. II, 87 (al. III, 64) 124; cf. *Specul. Perf.* Sabatier, c. 106. — [3] AF IV, 184; III, 38; cf. *Specul. Perf.* Lemmens, pag. 44; Sabatier, c. 107. — [4] *Actus*, c. 19; AF IV, 505 sq. — [5] Supra p. 12-13; *Actus*, c. 21 n. 11 sqq.; *Specul Perf.* Sabatier, c. 104.

dixit ad eum: « Elia, Elia, sis certus, quod tu non morieris in ordine meo ». Et sic evenit. Nam apostata ab ordine et ab Ecclesia mortuus est [1]. Vice alia etiam hoc sibi dixit; et est (*a*):

Quinquagesimum quartum exemplum ad ostendendum beatum Franciscum spiritum prophetiae (*b*) habuisse (*c*). Nam absens cognovit responsionem, quam frater Elias dedit angelo, sibi in specie humana apparenti in loco Sanctae Mariae de Angelis. Cum (*d*) enim angelus loqui vellet fratri Eliae, noluit primo ire, sed postea ivit. Et cum angelus proposuisset sibi quaestionem: an observatoribus sancti Evangelii liceret comedere de omnibus, quae eis apponuntur [2]; frater Elias indignatus noluit sibi respondere, sed ostium in facie angeli clausit, et angelus recessit. Quae omnia beatus Franciscus, in oratione positus, divina revelatione agnovit; a qua surgens, fratrem Eliam acrius reprehendit dicens: « Male facis, frater Elia superbe, qui repellis angelos sanctos, qui veniunt ad nos visitandos et instruendos ». Et tunc etiam dixit beatus Franciscus, quod superbia sua male finiret in ordine isto [3].

Quinquagesimum quintum exemplum ad hoc est de quodam puero, cui praedixit beatus Franciscus, quod futurus erat frater Minor. Nam semel ad beatum Franciscum tres pueri Florentini venerunt, ad quos beatus Franciscus accedens, portavit quinque ficus in manibus, quos collegerat propter illos pueros. Quos cum vidisset et attente considerasset, dedit duobus illorum cuilibet unum ficum de illis quinque; tertio vero dedit tres ficus dicens eidem: « Eris (*e*) adhuc, fili, filius meus ». Quod post modicum temporis impletum est. Post parum enim ingressus est ordinem, et fuit in ordine vir sanctitatis, multae devotionis et optime morigeratus. Et inter alia hoc habebat in consuetudine, quod quando ab homine recedebat, loco salutationis hoc verbum solitus erat dicere: « Benedictum sit nomen Domini nostri Iesu Christi et sua passio benedicta et beatissima virgo Maria et tota caelestis curia ». Cui (*f*) cum beata Maria apparuisset semel, portavit sibi pomum pulcherrimum, dicendo fratri, quod illud acciperet. Et cum frater gratanter acciperet pomum praedictum, quaesivit a beata Maria, quid illud pomum ita pulchrum sibi datum significaret. Respondit beata Virgo: « Fili mi, istud hoc significat, quod quando tu dicis illud dulcissimum verbum: Benedictum sit nomen Domini nostri Iesu Christi etc., tale pomum pro parte tui in paradiso Filio meo praesentatur ».

Quinquagesimum sextum exemplum ad hoc est de quodam puero de Senis, cui dixit: quod esset frater Minor. Cum enim Senis esset beatus Franciscus, et quidam puer turtures plures cepisset, beatus Franciscus hoc videns rogavit dictum puerum, ut eas sibi daret. Quod puer fecit; cui beatus Franciscus dixit (*g*): « Fili, adhuc tu eris frater in isto ordine et servies gratiose Domino nostro » (*h*). Et sic evenit. Ut enim dixit beatus Franciscus, postea est factus frater Minor et vitam duxit in ordine usque in finem moribus exemplarem et multum laudabilem [4].

(*a*) As om.; Edd. *etc.* — (*b*) As, Edd. *prophetico.* — (*c*) Edd. add. *est hoc.* — (*d*) Edd. 1590 om. *cum — recessit.* — (*e*) Edd. *Adhuc, fili, tu eris f. m.* — (*f*) Edd. 1590 om. *cui — praesentatur.* — (*g*) As, Edd. *et b. Fr. dixit illi.* — (*h*) As. Edd. om. *nostro.*

---

[1] *Speculum vitae b. Fr.*, ed. Venetiis 1503, ed. Metis 1509, fol. 181 v. — [2] Cf. Luc. 10, 5, 8. Regula II, c. 3; *Opuscula S. Fr.* 67. — [3] *Actus*, c. 3 n. 8 sqq. *Specul. vitae*, edd. citt. 35 r. — [4] *Actus*, c. 24.

Quinquagesimum septimum exemplum ad hoc est quia (*a*) beatus Franciscus dixit fratri Ioanni, qui fuit unus de duodecim primis sociis suis, qui quia primo usum capellae sive almutii [1] invenit, dictus est frater Ioannes de (*b*) Capella. Praedixit enim eum propter malitiam suam ab ordine exiturum et mala morte obiturum; et sic accidit. Nam ordinem (*c*) exiens, leprosus factus, tandem seipsum suspendit [2].

Quinquagesimum octavum ad hoc exemplum est de Ottone IV Imperatore, qui (*d*) cum Romam pergeret pro corona imperiali cum magno (*e*) apparatu et pompa et transiret iuxta Rigum tortum de Assisio, beatus (*f*) Franciscus mandavit per unum fratrem sibi dici hanc gloriam sibi modico tempore duraturam. Et sic evenit. Nam accepta corona, quia pugnavit statim cum Romanis et contra mandatum domini papae regnum intravit Apuliae, auferens illud Frederico regi Siciliae, a Papa fuit excommunicatus. Et Fredericus factus contra ipsum Imperator, etiam coronatus, contra ipsum Ottonem praeliando triumphavit [3].

Quinquagesimum nonum exemplum est ad hoc de fratre Angelo de Burgo. Cui beatus Franciscus cum praecepisset, quod iret Burgum ad notificandum ipsum beatum Franciscum accessurum ad Burgum et praedicaturum, frater Angelus, quia erat de nobilioribus de Burgo et illic propter parentes male libenter accedebat, nolebat ire. Cui beatus Franciscus dixit (*g*) quod, ex quo primo dicto non accesserat, sibi mandabat quod iret nudus illuc, quia ex hoc mereretur magnum praemium. Et cum ille quaereret: « Quid »?, respondit beatus Franciscus: « Quia mecum eris in paradiso ». In huius signum crucem sibi in fronte fecit et ipsum osculando subarrhavit. Et sic post mortem evenit, ut claruit pluribus aliis fratribus [4].

Sexagesimum ad hoc est exemplum de quodam barbitonsore, a quo cum beatus Franciscus radi vellet et dixisset sibi, quod cum Dei amore raderet, respondit barbitonsor: « Ego non faciam, nisi certitudinaliter, quod vitam aeternam habeam, mihi promittas ». Quod audiens beatus Franciscus, mente ad caelum et facie levata, stetit per spatium et a Deo certificatus, quod erat de numero praedestinatorum et (*h*) de eius salute certus, promisit ei vitam aeternam. Et quod eam habuerit [5], patet subsequenti exemplo, scilicet, quod est in ordine:

Sexagesimum primum (*i*). Beatus (*k*) enim Franciscus, orando scilicet pro dicto barbitonsore et videndo eum praedestinatum, cum promisisset sibi vitam aeternam, audiens quidam magister de ordine Praedicatorum, hoc reputavit valde temerarium, et petiit a beato Francisco, si sic promisisset. Respondit beatus Franciscus: quod sic. Et cum ille diceret subsanando: « Unde nosti, quod ipse debeat salvari »? Respondit beatus Franciscus: « Ille mihi hoc dixit, qui etiam de te mihi dixit, quod tu nocte praeterita tale peccatum mortale commisisti secrete, et quod es in brevi tuum ordinem exiturus ». Quod sic evenit, ut prophetavit. Patet ergo praefatis beatum Franciscum propheticum spiritum possidere.

(*a*) Edd. *quod.* — (*b*) Edd. *de la.* — (*c*) As, Edd. *de ordine.* — (*d*) As, Edd. om. *qui.* — (*e*) As, Edd. *maximo.* — (*f*) As, Edd. add. *enim.* — (*g*) Al om. *dixit;* Edd. om. *dixit quod.* — (*h*) As, Edd. om. *et.* — (*i*) Edd. II denuo *Sexagesimum,* ita ut dehinc in numeris cum As et Ed. I conveniat. — (*k*) Edd. 1590 om. *Beatus — possidere* (i. e. totum exemplum).

[1] Almutium (almucium) erat amictus, quo tegebatur caput (humerique). — [2] *Actus,* c. 1 n. 3; c. 35 n. 10. A F IV, 178, 440. Cf. *Opuscules de crit. hist.* I, 49, 277; *Chron. 24 gen.,* A F III, 4. — [3] I Cel. I, c. 16 n. 42. — [4] A F IV, 505. Cf. *Specul. Perf.* Sabatier, p. 128, 306 nota *Actus,* c. 29. — [5] Cf. *Leg. Mai.* c. 11 n. 7; cf. *Spec. Perf.* Sabatier, p. 91 nota.

Sexagesimum secundum ad hoc est exemplum de eo, quod uni praedixit, dum esset in Apulia. Cum enim per Apuliam beatus Franciscus pergeret cum socio, quidam ordinis apostata factus est sibi obvius; qui videns beatum Franciscum, pedibus eius advolutus, rogabat instanter, ut ad ordinem reciperetur. Cui beatus Franciscus furcas ibidem exsistentes ostendit dicens: « Si amplius exieris ab ordine, in furcis illis eris suspensus ». Qui parvo tempore elapso post receptionem iteratam ad ordinem, recidivans ab ordine recessit et quaedam committens, in furcis illis divino iudicio, ut beatus Franciscus praedixerat, est suspensus [1].

Sexagesimum tertium exemplum est ad hoc, quia cognovit diabolum esse in bursa dum ambularet cum socio per Apuliam circa Barum, in qua socius pecuniam esse dixit. Unde socio eam accipere volenti mandavit, ut eam caute tolleret; et sic evenit, nam serpens diabolus, dum eam socius accipere vellet, inde exivit [2].

Sexagesimum quartum exemplum ad hoc est de fratre Rufino, quem de praedestinatione, ut dictum est libro I conformitate VIII parte secunda [3], a diabolo deceptum cognovit et qui (*a*) nihil dixerat beato Francisco de tali tentatione et deceptione; eidem beatus Franciscus totam seriem retulit tentationis suae et deceptionis, atque confortato praedixit, quod post suam tentationem magnam experiri debebat consolationem et consequi utilitatem. Et sic evenit. Nam, diabolo a fratre Rufino devicto, peragente (*b*) ut beatus Franciscus ipsum informaverat, Christus sibi apparuit, concessitque sibi hanc gratiam, ut in mundo isto nunquam de cetero tristis esset.

Sexagesimum quintum exemplum ad hoc est de praefato fratre Rufino, cognoscendo ipsum qualis esset apud Deum, et fratribus revelando, dicens eis: « Quem creditis sanctiorem fratrem de ordine »? Et dixit: « Videte fratrem Rufinum; iste est unus de tribus (*c*) sanctioribus totius mundi; et secure sanctum possum (*d*) eum nominare, quia canonisatus in caelo est (*e*) sanctus a Deo [4] ».

Sexagesimum sextum exemplum ad hoc est de capitulo generali. Cum enim apud Assisium capitulum generale tenuisset, in quo ultra quinque millia fratrum fuerunt, ubi beatus Dominicus affuit cum octo fratribus sui ordinis et dominus papa Gregorius IX, Ostiensis episcopus cardinalis, et sciret affuturam divinam providentiam erga fratres, mandavit omnibus fratribus, ut nullus curam aliquam haberet de re aliqua comestibili vel potabili, vel de necessariis corporis, sed a talibus mentes elevantes orationi intenderet tantum et laudi Dei. Quod cum fecissent, Deus corda hominum circumadiacentium civitatum et castrorum tangens, omnia bona necessaria pro corpore sibi et fratribus copiose (*f*) insperato detulerunt et ministrarunt [5],

Sexagesimum septimum exemplum ad hoc est de Soldano, a quo recedens promisit post suam mortem se missurum duos fratres ad ipsum baptizandum; sic peregit, ut dicetur libro III conformitate X parte secunda [6].

Sexagesimum octavum exemplum ad hoc, est de quodam fratre nostri ordinis in sacra theologia magistro, cui beatus Franciscus cum pronuntiasset fratres a regulae

(*a*) Edd. *quia.* — (*b*) Edd. *peragens.* — (*c*) Al *est de tribus unus de* (As *unus de sanctioribus fratribus t. m.*) *superioribus t. m.* — (*d*) As, Edd. *possem.* — (*e*) Al om; As *erat.* — (*f*) Edd. add. *ex.*

[1] *MS. Collegii S. Antonii.* fol. 54 v., ubi 55 r., quoque illud de pomo; supra p. 166 l. 29-36. — [2] Supra p. 12 l. 17 sqq. A F IV 161; II Cel. II, 38 (al. III, 14), 68; *Leg. Mai.* c. 7 n. 5. — [3] A F IV, 199 sq.; cf. *Actus,* c. 31; *Chron. 24 gen.,* A F III, 50. — [4] *Actus,* c. 35; A F III, 46; A F IV, 198. — [5] *Actus,* c. 20; A F IV, 58, 473. — [6] *Actus,* c. 27; A F IV, 40, 60.

observantia declinaturos, dictusque magister beatum Franciscum rogaret, quod si istud tempore suo accideret, quod (*a*) sibi concederet licentiam quod cum aliquibus fratribus ad loca posset ire, ubi regulam observaret, beatus Franciscus respondit osculando pectus eius dicens: « Quod a me postulas, scias a Christo tibi esse concessum ». Et posuit dexteram manum super caput eius dicens: « *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech* [1].

Sexagesimum nonum exemplum ad hoc est de militibus de Assisio, qui eum infirmum reducebant a Nuceria Assisium. Qui cum hora esset comestionis et in villa nomine Satrianum cibos pecunia quaesivissent, nec invenissent, beatus Franciscus dixit eis, quod si humiliter Dei amore peterent, certe invenirent. Et sic factum est, ut beatus Franciscus praedixit [2].

6. Septuagesimum exemplum ad hoc est de medico, quem mandavit fratribus, ut eum ad prandium invitarent. Et cum fratres dicerent: « Quomodo invitabimus eum, qui nihil habemus ad apponendum ei »? et beatus Franciscus dixit eis: « *Modicae fidei* [3], nolite me facere amplius vobis dicere ». Et cum essent in mensa, porta fuit pulsata, et frater unus de mensa surgens, cum aperuisset portam, quaedam mulier magnum canistrum plenum pulchro pane et piscibus et pastillis gammarorum [4] et melle et uvis recentibus apportavit, quae omnia domina cuiusdam castri, distantis bene per septem milliaria, beato Francisco mittebat. Quae omnia fratres simul cum medico cernentes, de praevidentia beati Francisci valde sunt mirati [5].

Septuagesimum primum exemplum ad hoc est, quod praedixit beatus Franciscus fratribus (*b*) de episcopo Assisinate et potestate Assisii. Cum enim guerra esset inter eos, beatus Franciscus sociis mandavit, ut prius potestate et magnatibus ac aliis pluribus de Assisio congregatis in palatio episcopi, coram episcopo, potestate et aliis civibus, canticum fratris solis, quod ipse composuerat, decantarent, dicens: « Ego confido in Domino, quod (*c*) statim humiliabit corda eorum, et ad pristinam dilectionem revertentur ». Et sic factum est. Nam cum fratres inciperent cantare, potestas statim surrexit et iunctis manibus et brachiis ipsos tanquam Evangelium Domini cum maxima devotione et etiam multis lacrimis intente audivit. Finitis dictis laudibus, potestas dixit coram omnibus: « In veritate dico vobis, quod non solum domino episcopo, quem volo et debeo habere pro domino meo, sed si quis interfecisset mihi (*d*) germanum meum aut filium meum, indulgerem sibi ». Et sic dicens, proiecit se ad pedes episcopi et ait illi: « Ego paratus sum per omnia satisfacere vobis, sicut vobis placuerit amore Domini nostri Iesu Christi et servi sui beati Francisci ». Episcopus autem, accipiens eum cum manibus, surrexit et dixit ei: « Ex officio meo conveniret me esse humilem, sed quia naturaliter ad iracundiam sum pronus, oportet quod mihi indulgeas ». Et sic cum multa benignitate et dilectione amplexati sunt se ad invicem. Fratres vero stupefacti sunt, videntes ad litteram esse impletum,

(*a*) Edd. om. *quod*. — (*b*) As, Edd. *sociis suis*. — (*c*) Edd. add. *ipse*. — (*d*) As, Edd. om. *mihi*.

[1] Ps. 109, 4. « *Leg. vet.* » ap. *Opusc. crit. hist.*, I, 96 s. Angelus Clar., *Chron. VII trib.*, ed. Doellinger, II, 448 sq.; ed. Tocco, 46 sq. — [2] S. Bonav., *Leg. Mai.*, c. 7 n. 10. II Cel. II, 47 (al. III, 23), 77; *Specul. Perf.* Sabatier, c. 22; cf. supra p. 121 n. 16. — [3] Matth. 14, 31. — [4] Videtur pistorium opus e cancris (ital.: gamberi; Al postea corr. *gambarorum*) confectum. Vox deest ap. Ducange, *Gloss.* — [5] *Spec. Perf.* Sabatier, c. 110; *Cod. Coll. S. Ant.* f. 57 v.

quod beatus Franciscus praedixerat. Sed et saeculares hoc pro magno miraculo habuerunt, totum ascribentes beati Francisci meritis [1].

Septuagesimum secundum ad hoc est exemplum de fratre Massaeo, cuius beatus Franciscus vidit cordis arcana, cum intra se murmuraret, quia beatus Franciscus fecerat eum circumvolvi velut pilam coram multis, et quia de Senis recesserat insalutato episcopo. Et quia de hoc dicetur in isto II libro conformitate XIV, ad praesens totum non scribendo sufficiat, quod cordis arcana praevidit, dicendo fratri Massaeo, qui ipsum per spatium praecedebat: « Ad ea, quae nunc cogitas, te teneas, quia illa bona et utilia sunt tibi et a Domino inspirata; murmuratio vero prima, quam faciebas, est caeca et mala, et a diabolo tibi in anima seminata ». Quod audiens frater Massaeus, fuit valde miratus, quod cordis eius arcana beatus Franciscus vidisset [2].

Septuagesimum tertium exemplum ad hoc est, quod beatus Franciscus salvationem futuram et damnationem fratrum agnovit. Cum enim beatus Franciscus cerneret fratres a pristino statu paulatim discedere et nimis de hoc doleret, Christus apparuit ei dicens: « Noli tristari (*a*), quia semper erunt in ordine tuo et religione, qui viam tenebunt perfectionis, et isti ibunt in vitam aeternam; et alii volent et non poterunt, et (*b*) ibunt ad purgatorium; alii mundi sequentur delicias, et de istis non curabo, nec tu cures [3] ».

Septuagesimum quartum est ad hoc exemplum, quod futuram suam gloriam, Deo revelante, agnovit et praedixit. Nam cum ad visitandum beatam Claram cum socio fratre Leonardo de Assisio beatus Franciscus in Sancto Damiano ivisset et, sermone protracto usque ad prandii horam, ad comedendum ibidem remansisset et iam quatuor bolos (*c*) manducasset, facie in caelum elevata (*d*) diu stetit attonitus, et ad se reversus clamavit voce magna dicens: « Laudato sia el (*e*) Signore », id est: « Laudatus sit Dominus (*f*) ». Et prosiliens de mensa posuit se in terra, et statim fuit raptus. Et sic raptus stetit per tantum spatium, quod homo ivisset a Sancto Damiano usque ad Sanctam Mariam de Portiuncula et rediisset, quod est spatium sex (*g*) milliariorum in eundo et redeundo [4]. In se autem reversus, dum a socio confidenter reprehensus fuisset de clamore in mensa et de subita a mensa surrectione et in terra positione, respondit: quod non potuit aliud agere. Et mandans sibi per obedientiam, quod nulli dicenda revelaret, dixit ei, quod Dominus locutus est sibi dicens: « Francisce, promitto tibi vitam aeternam et investio [4], quod eam non perdes nec perdere poteris ». « Unde de hoc tantum gaudium habui, quod non potui me continere ». Et sic beatus Franciscus stetit octo diebus in tanto gaudio, quod horas canonicas persolvere non potuit, ex laetitia et continua laude dicendo semper: « Laudatus sit Dominus ».

Septuagesimum quintum exemplum ad hoc est, quod beatus Franciscus diem suae mortis praescivit et fratribus praedixit sibi a Christo fuisse revelatum, ut XIV pars *Legendae maioris* ponit [5]; et de episcopatu Assisii ad Sanctam Mariam de Portiuncula, ut ibi moreretur, fecit se deferri.

Septuagesimum sextum exemplum est ad hoc, quod prophetavit suum corpus honorandum et praedixit. « Cum in episcopatu Assisii iaceret beatus Franciscus infir-

(*a*) As, Edd. *timere*. — (*b*) Edd. add. *isti*. — (*c*) As, Edd. *morsellos*. — (*d*) Edd. *elevatus*. — (*e*) As, Edd. *lo*. — (*f*) As, Edd. *laudetur Deus*. — (*g*) As, Edd. *quasi quatuor*.

[1] *Specul. Perf.* Sabatier, c. 101. — [2] *Actus*, c. 11. — [3] *Leggenda antica*, (ed. Minocchi) c. 44; (cf. *Specul.* cit. c. 81); *Cod. Coll. S. Ant.* f. 54 v. — [4] I. e. assevero, oppignero. — [5] C. 14 n. 3.

mus, quidam frater spiritualis quasi ludendo dixit ei: « Quantum venderes Domino tuos saccos? Multi baldachini et panni de serico ponentur super corpusculum tuum, quod modo indutum est sacco ». Habebat enim beatus Franciscus infulam coopertam de sacco et etiam indumentum de sacco. Et ait cum magno fervore et laetitia spiritus: « Tu vero (*a*) verum dicis, quoniam ita erit pro laude et gloria Domini [1] ».

Septuagesimum septimum ad hoc est exemplum cum in loco Sanctae Mariae infirmitate ultima decubaret et tempore nocturno appetisset de petrosillo manducare, petiit si adesset. Et cum coquinarius diceret, quod ipsum decerpserat (*b*) tantumque praeciderat, quod non solum tunc nocte, sed nec de die colligere posset, beatus Franciscus dixit sibi: « Vade ad hortum et primas herbas, quas manu contigeris, afferto ». Qui ivit et primas herbas sibi (*c*) occurrentes arripiens, petrosillum frondosum et tenerum invenit inter ipsas. De quo parum comedens, multum confortatus est [2].

Septuagesimum octavum ad hoc exemplum est de beata Clara. « In illa hebdomada, qua beatus Franciscus migravit, beata Clara, cum graviter ipsa infirmaretur et mori crederet, optaretque beatum Franciscum ante suum obitum videre, et quia propter infirmitatem beati Francisci (*d*) hoc implere non valebat, dolebat valde (*e*) et plorabat amarissime; unde haec per quemdam significabat beato Francisco. Quod audiens beatus Franciscus et videns, quod pro tunc fieri non poterat, ut eum videret, scripsit ei et sororibus ad consolationem litteram, in qua dabat benedictionem suam et absolvebat eam ab omni defectu, si quem fecisset, contra admonitionem suam et contra mandata et consilia Filii Dei; et ut deponeret omnem tristitiam, dixit illi fratri, quem ipsa (*f*) miserat: « Vade et dic dominae (*g*) Clarae, quod deponat omnem dolorem et tristitiam, quia me modo videre non potest, sed in veritate sciat, quod ante obitum suum, tam ipsa quam sorores me videbunt et de me plurimum consolabuntur ». Et sic factum est. Nam cum beatus Franciscus sabbato de sero migrasset, de mane die dominico populus de Assisio et fratres tulerunt corpus de loco Sanctae Mariae, ubi obierat, et deferebant ad civitatem Assisii. Et divina voluntate factum est, ut impleretur verbum beati Francisci; quia sic corpus deferrendo transierunt per Sanctum Damianum, ubi erat beata Clara. Et remota crate ferrea, per quam communicare solebant et audire verbum Dei, tulerunt fratres sanctum corpus de feretro et tenuerunt ipsum inter manus ad fenestram per magnum spatium, donec domina (*h*) Clara et sorores de ipso sunt consolatae, licet essent plenae et afflictae doloribus et lacrimis multis, videntes se privatas consolationibus et admonitionibus (*i*) tanti patris [3] ».

Septuagesimum nonum ad hoc est exemplum de domina Iacoba de Septemsoliis. Cum enim eidem (*k*) de sua morte vellet notificare, videlicet, quod ipsa ante talem diem veniret Assisium, si eum vivum reperire optaret, et quod portaret pannum cilicinum ad corpus eius involvendum et induendum; et dum scribi faceret litteram, revelatum est sibi, quod ipsa domina Iacoba veniebat et secum omnia deferebat, quae beatus Franciscus fecit scribi (*l*) in littera ad ipsam deferenda. Hoc cognoscens

(*a*) As, Edd. om. *vero.* — (*b*) Al *decosserat.* — (*c*) Al *eidem.* — (*d*) Edd. *beatus Franciscus.* — (*e*) Edd. om. *dolebat valde et.* — (*f*) Edd *ipse.* — (*g*) Edd. *sorori.* — (*h*) As, Edd. *sancta.* — (*i*) Edd. om. *et admonitionibus.* — (*k*) As, Edd. *sibi.* — (*l*) As, Edd. *dicebat in litt. ab ipsa deferenda.*

[1] *Specul. Perf.* Lemmens, c. 8; Sabatier, c. 109. — [2] II Cel. II 22 (al. II, 20) 51. — [3] *Specul. Perf.* Sabatier, c. 109; (Lemmens, c. 18).

beatus Franciscus dixit scriptori: « Non scribas ulterius, quia non oportet ». Et statim affuit ipsa domina Iacoba portans omnia, quae beatus Franciscus portanda mandabat [1].

Octogesimum exemplum est ad hoc, quod dictae dominae Iacobae remittere volenti partem suae comitivae, quia venerat cum duobus filiis senatoribus et multis aliis, beatus Franciscus dixit: « Non facias, quia die sabbati de sero ego moriar, et sic cum tota ista tua comitiva poteris abire ». Et sic evenit, quia hora, qua dixit, mortuus fuit [2].

Octogesimum primum exemplum ad hoc est de benedictione data civitati Assisii. Cum enim de palatio episcopi Assisinatis ad Sanctam Mariam de Angelis deferretur a sociis et ad hospitale cruciferorum, quod est in via, devenisset et ibi aliquantulum quievisset, volvens ipse beatus Franciscus faciem suam versus Assisium dixit: « Benedicta tu a Domino, quia per te multae animae salvabuntur, et in te multi servi Altissimi habitabunt, et de te multi eligentur ad regnum aeternum [3] ». Et sic evenit, quia multi fratres et sorores et alii viri sancti de ipsa civitate fuerunt, ac ad ipsam de longinquis partibus plures alii advenientes, sicut et nunc quidam sunt in dicta civitate vitam caelibem actitantes, caeli tandem praemia adiere. Sicut praefata domina Iacoba de Urbe rediens Assisium, ob reverentiam beati Francisci toto tempore vitae suae in poenitentia victitans in civitate ipsa stetit Assisii, tandem iuxta altare beati Francisci ibidem tumulata est.

Octogesimum secundum exemplum ad hoc est, ut dicit pars XIV *Legendae maioris* [4], beatus Franciscus ex hoc mundo migraturus fratribus praedixit, quod futura erat tentatio, et tribulatio appropinquabat. « Felices qui perseverabunt in his, quae coeperunt. De qua vero tentatione et tribulatione, cum ordo multas habuerit, beatus Franciscus intellexerit, frater Bonaventura *Legendam* componens non declaravit.

Octogesimum tertium (*a*) exemplum ad hoc est, cum beatus Franciscus morti esset propinquus, petiit, ut ad se frater Bernardus, eius filius inter fratres primogenitus, accederet, dicens: « Veniat primogenitus meus frater Bernardus, *ut benedicat* sibi *anima mea, antequam moriar* [5] ». Et cum essent ibi multi fratres praesentes et specialiter frater Elias, qui tunc erat ordinis vicarius, frater Bernardus eidem innuit, ut se ad manum dexteram beati Francisci locaret; ipse vero frater Bernardus ad manum sinistram se posuit sancti patris. Et quia beatus Franciscus caecutiens erat non antiquitate sed lacrimis, cum posuisset manum suam dexteram super caput fratris Eliae dixit: « Hoc non est caput primogeniti mei fratris Bernardi », et tunc manus cancellando dexteram posuit super caput fratris Bernardi »; sinistram vero super caput fratris Eliae, ipsumque fratrem Bernardum multipliciter benedixit, ut dictum est libro I conformitate VIII [6].

Sic ergo praefatis octoginta tribus (*b*) exemplis luculenter apparet beatum Franciscum, spiritu prophetico radiatum et illustratum, verum fuisse prophetam, et con-

(*a*) Sic Al; cf. supra p. 166 n. (*d*); p. 176 n. (*i*); As, Edd. *octog. secundum*. — (*b*) As, Edd. *82*.

[1] *Specul.* cit. c. 112, p. 220, 223 not., p. 273-7. — [2] L. c. p. 274. Bern. de Bessa, *Lib. de Laud.* AF III, 687; cf. Cel. *Tract. mirac.* c. 6. n. 37 sqq.; *Fioretti, Delle sacre stimate,* consid. IV. — [3] *Specul. cit.* c. 124, p. 245; *Fioretti,* l. c. ubi haec forma benedictionis invenitur. — [4] C. 14 n. 5. — [5] Gen. 27, 4. Ex *Actus,* c. 5 n. 8. *Specul. Perf.* Lemmens, c. 7; Sabatier, c. 107. — [6] AF IV, 185.

sequenter veram esse secundam partem huius VI conformitatis, quae dicit: *Franciscus radiatur,* id est, spiritu prophetico fuit illuminatus. Apparet ergo, quam copiose Spiritus Sanctus menti se infuderit beati Francisci, non solum praeterita ei referendo, verum etiam praesentia et futura, ut supra positis exemplis evidenter astruitur; immo, quod maius est, secreta cordium declarando, sicut conformitate XIV huius II libri dicetur.

FRUCTUS ET CONFORMITAS SEPTIMA ET IN ORDINE DECIMA NONA

Iesus Vacans Laboribus. — Franciscus Imitatur.

Expositio primae partis, videlicet: **Iesus vacans laboribus.**

Antiquus ille et vetus Adam, etsi in suae conditionis primordio a Deo accepit et pro se ac pro sua posteritate iustitiam originalem, quae etsi ordinabat eum principaliter ad Deum, consequenter tamen ad se, ut caro per omnia, ipsa manente, spiritui subiiceretur, nec in aliquo rebellis exsisteret, aut eius iudicium quoquomodo effugeret seu declinaret; verum, diaboli faciente nequitia, inobediens facta (*a*) Deo, caro non modo non subdita, sed contraria in omnibus exsistit rationi, dicente Apostolo Galat. 5 17: *Caro enim concupiscit adversus spiritum,* et *spiritus adversus carnem.* Haec enim sibi adversantur invicem, non modo principiis, quia haec ab inferiori, ille a superiori movetur, sed etiam effectibus et operibus, prout idem Apostolus ibidem [1] declarat dicens: *Manifesta sunt opera carnis, quae sunt fornicatio,* adulterium *immunditia* etc *Fructus* vero *spiritus* sunt *caritas, gaudium, pax* etc. Et quia ab origine peccatum contrahimus originale, nisi gratia Dei (*b*) quis ab eodem praeservetur, taleque peccatum, teste Magistro *Sententiarum* [2] libr. II dist. 30: « Lex sit carnis, lex membrorum, languor naturae, fomes peccati, concupiscentia, concupiscibilitas ac tyrannus » et sic de aliis sit, ac per baptismum, etsi deleatur quoad culpam, manet tamen quoad poenam, nisi gratia in quibusdam extenuetur; prout dicit Magister ibidem [3]; non immerito rebellionem causat carnis ad spiritum, adeo ut Doctor ipse clamare cogatur, Rom. 7 23 sqq.: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Sequitur: *Gratia Dei, per Iesum Christum Dominum nostrum.* Et subdit: *Igitur ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.* Et quia idem Apostolus dicit, Galat. 5, 16: *Spiritu ambulate et desideria carnis non perficietis;* et rationem assignat, Rom. 8. 13: *Si secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Nam *caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt,* I Cor. 15, 50. Quare ipsam carnem hostem et inimicum nostrum, quem nobiscum ferimus quocumque pergamus, ad servitutem spiritus reducere pro posse conari debemus. Abusio enim magna est dominam ancillari et ancillam dominari, spiritum subiici carni, et carnem spiritui dominari, cum caro facta sit propter spiritum et non e converso. — Et quia difficilis est via spiritus, cum *arcta* sit *via, quae ducit ad vitam,* Matth. 7 14; hinc est, quod Dominus et Salvator noster, Dominus Iesus Christus, licet caro eius per omnia subdita fuerit spiritui, nec indigeret castigatione poenitentiae nec laborum flagello, quia datus erat nobis in exemplum et speculum, normamque omnium virtutum, volens nobis ostendere qualiter carnem nostram macerare debemus poenitentia et la-

(*a*) As, Edd. *factus.* — (*b*) As, Edd. *divina.*

[1] Gal. 5, 19 sqq. — [2] II Sent. d. 30, c. 7. — [3] L. c. 8.

bore, hoc in se prius sumere voluit, corpus suum ieiuniis, vigiliis, laboribus, discursibus ac aliis poenitentiae et macerationis exercitiis supponendo. — Quod autem corpus suum animae beatae coniunctum et deitati, et (*a*) consequenter quod in laboribus fuerit non solum in iuventute, sed in pueritia, patet, si eius vita inspiciatur.

1. Primo si attendatur eius in mundum nativitas et ortus. Panni viles et pauci et praesertim tempore magni algoris, quibus eius sacrum corpus fuit contectum; arctitudo loci, *quia non* fuit ei *locus in diversorio* [1]; foenum et paleae, in quibus fuit locatus; et non in pluma, non in palatio, sed in praesepio et loco foetente et horrido, ubi abfuit cunctorum commoditas, quae communiter fit pueris in ipsorum ortu; nec non et durities loci: quae (*b*) omnia arguunt Dominum Iesum Christum corpus incepisse crucifigere, et doctrinam facto nobis dedisse ad hoc.

Secundo hoc astruit ad Aegyptum fuga [2] et per septennium in Aegypto permansio. Incessus per desertum, pueri Iesu in brachiis virginis Matris baiulatio, cum aerumna et labore et cum carentia necessariorum, quoad victum, stratum, operimentum, societatem, non hominum sed ferarum, et sic de aliis, incommoda multa cum fatigatione itineris Dominum Iesum accepisse demonstrant. Sed perventio ad Aegyptum cum paupertate summa, incognitio eius a cunctis ac permansio septennalis ibidem cum penuria omnium suppetentium (*c*) facultatum, miro modo et poenitentiam acclamant Domini Iesu Christi, et non in deliciis fuisse corporis (*d*), sed afflictionem ostendunt.

Tertio id exclamat eius ad terram Israel reversio [3]. Cum enim esset iam grandaevus, in brachiis non potuit duci matris, ideo per tantum iter peragendo, vexationem sui corporis (*d*) habuisse patet clare. Quid de aliis dicemus ad corporis nutrimentum spectantibus, cum paupertatem semper haberet comitem, dominam, sociam et magistram? Sed timor perveniendo ad terram Israel propter Archelaum, qui regnabat ibidem, dolorem non gaudium eum cum parentibus recepisse declarat (*e*), cum laborioso accessu ad civitatem Nazareth.

Quarto si attendatur eius in triduo in Ierusalem, parentibus ignorantibus, permansio [4]. Ad Ierusalem fatigatione nimia ob longitudinem viae venit corpore vexatus. Quo vero cibo, hospitio et consortio sit refocillatus Evangelium non pandit. Unde, etsi inter doctos consederit suae sapientiae patefaciendo arcana, in triduo quo inibi fuit, teste beato Bernardo [5], stipem ostiatim quaesivit, et forte non sufficienter invenit, et in loco pauperum forsitan dormitavit.

Quinto idipsum ponit eius sub tutela matris educatio. Cum per triginta annos sub regimine fuerit beatae Mariae, etsi per spatium aliquod fuerit et Ioseph, quia pauperes erant, incommodis corporis omnibus subiectus fuit. Et quae postmodum reservavit suo facienda eloquio, prius effecit opere et exemplo. Psalmi [6] igitur dictum in eo impletum est: *Pauper sum ego, et in laboribus a iuventute mea* etc.

Sexto hoc ostendit post susceptum a Ioanne baptismum ad desertum accessio, ubi socius fuit non hominum sed ferarum, ubi non in deliciis fuit corporis, utpote ieiunans quadraginta diebus et quadraginta noctibus, et in arcto lapide commorans, ac tentationibus daemonis impetitus, quia carnem fregit et diabolum vicit; pro utriusque victoria post dies quadraginta suae in deserto mansionis, *angeli accesserunt et ministrabant ei*, Matt. 4, 11.

Septimo hoc ipsum probat ipsius Salvatoris convictus et conversatio. Quia enim sanctos Apostolos ad sui discipulatum vocando, nihil eos voluit retinere de mundanis sed totum abiicere et dari pauperibus [7], semetipsos abnegare et crucem poenitentialem suscipiendo post

(*a*) Edd. om. *et cons. quod.* — (*b*) Edd. om. *quae omnia.* — (*c*) Edd. om. *suppetentium.* — (*d*) As, Edd. *carnis.* — (*e*) As, Edd. *declamat.*

[1] Luc. 2, 7 sqq. — [2] Matt. 2, 13 sqq. — [3] L. c. 2, 21 sqq. — [4] Luc. 2, 42 sqq. 3, 1 sqq. — [5] *De Iesu duod.* n. 6; *Medit. vitae Christi,* c. 12; cf. supra p. 98 n. 2. — [6] Ps. 87, 16. — [7] Matth. 19, 21.

ipsum incedere [1], signum evidens exstitit Dominum Iesum non blanditias corporis, sed laborem cum carnis crucifixione dilexisse in se et in suis.

Octavo idipsum ostendit Iesu praedicatio. Dicit Evangelista Matth. 4 sqq., et Luc. 4 sqq., quod Iesus ibat per civitates et castella praedicando, non solum in Galilaea sed in Iudaea docendo. Ibat ergo ipse Dominus pauper et discalceatus et *fatigatus ex itinere,* ut dicit Evangelista Ioan. 4, 6; *regnum Dei* praedicando in villis, castris et civitatibus, nec ei fuit aliquis locus ad hoc firmus, etsi in Ierusalem pluries et in aliis regionibus praedicaverit quam alibi. Qui discursus praedicationis eum arguit subiisse continue laborem itineris magnum. Ipse enim Salvator praedicavit in Corozaim [2] distantem ab Ierusalem per 72 milliaria. In Gerasa, a qua regio Gerasenorum dicitur, Matth. 8, 28 sqq. et Marc. 5, 1, ubi daemones expellendo in porcos concessit intrare, et distat ab Ierusalem per 70 milliaria. In Capharnaum [3], et distat ab Ierusalem per 80 milliaria. In Iericho, Luc. 18, 35 sqq., distat ab Ierusalem per 15 milliaria. In monte (*a*), qui vocatur Mensa, ubi Dominus satiavit quinque millia hominum et sermonem fecit, distantem ab Ierusalem per 80 milliaria. In Tiberiade [4], quae distat ab Ierusalem per 68 milliaria. In Bethsaida [5], civitate Petri et Andreae, et distat ab Ierusalem per 80 milliaria. In Decapoli [6], id est decem civitatibus, quae per multa milliaria distant a Ierusalem. In Caesarea Philippi [7], quae est terminus septentrionalis terrae promissionis, et distat ab Ierusalem per plura milliaria. In Sichar, Ioann. 4, 5, et distat ab Ierusalem per 26 milliaria. In Naim, ubi in porta suscitavit filium viduae, Lucae 7, 11 sqq., et distat ab Ierusalem per 60 milliaria In monte Thabor, ubi transfiguratus est, et in descensu praecepit discipulis, ne dicerent visionem, Matth. 17, 9 sqq., et distat a Ierusalem per 62 milliaria. In Cana Galilaeae, ubi aquam mutavit in vinum, Ioan. 2, 1 sqq., et distat ab Ierusalem per 60 et ultra milliaria. In Nazareth, quae distat a Ierusalem per 65 milliaria. In Sidone [8], ubi curavit filiam Cananaeae. In Tyro [9], ubi mulier clamavit: *Beatus venter,* etc. In multis aliis civitatibus et locis, inspicientibus Evangelia apparet Dominum nostrum Iesum praedicasse. Sed praefata posita sunt, ut quantum laboraret in praedicando et discurrendo de Ierusalem ad praefata loca, quia saepissime erat, aliqualiter perpenderetur. Quibus patet eum multum laborasse et carnem laboribus subdidisse.

Nono praefata etiam declamant plura, scilicet, vigilatio et oratio. Nam vigilabat et pernoctabat in oratione, ut dicit Luc. 5, 16; 6, 12 et 9 28 sq. et Matth. 14, 23 et Marc. 1, 13. Nam pergebat ad montes et ad deserta, et ibi pernoctans orabat. — Nuditas et vestimentorum eius vilitas. Commendavit Ioannem, Matth. 11, 8, de his; quare et ipse hoc in se praehabuit, quae, tempore algoris et quia discalceatus, eius corpori moestitiam ingerebant.

Decimo id acclamat per totam diem ieiunatio. Nam cum per totam diem occuparetur in praedicando quasi communiter, quia non comedebat nisi de sero, semper ieiunabat. Et adeo plerumque inedia angebatur, ut discipuli ex fame transeundo per sata, spicas divellendo manducarent, ut habetur Marc. 2, 23 et Luc. 6, 1.

Undecimo ad propositum ostendendum, est omnis delectationis corporalis abiectio. Si de lecto loquimur, non habuit ubi caput suum reclinaret, Matth. 8, 20, et sic nec lecti mollitiem. Non vestimenta mollia, quia sic de aspero (*b*) non laudasset beatum Ioannem Baptistam. Non panem ad comedendum, ut patet Ioan. 4, 8, nec vinum ad bibendum. Nam discipuli ad panes emendos perrexerant, quando a Samaritana aquam petiit ad bibendum. Pecuniam non habuit, quia id Apostolis prohibuerat, Matth. 10, 9 et Luc. 9, 3. Non quietem per diem et noctem: per diem praedicando et noctem orando et discurrendo per omnia. Quae ingerunt corporalem delectationem aliis, nihil tale in tota vita Christi reperitur.

(*a*) Al om. *in monte — 80 milliaria,* et tunc alia pauca verba quoque. — (*b*) Al, As *arcto.*

[1] Matth. 16, 24. — [2] Matth. 11, 21; Luc. 11, 13. — [3] Luc. 10, 15. — [4] Luc. 5, 1. — [5] Matth. 11, 21; Marc. 8, 22. — [6] Marc. 5, 20. — [7] Matth. 16, 13. — [8] L. c. 15, 21 sqq. — [9] L. c. 11, 27.

Duodecimo quod concludit finaliter et propositum affirmat, est gloriosa Christi passio. Et quia de ipsa dicetur plene libro III conformitate IV, ad praesens sufficiat, quia ipsa Christi passio fuit acerbissima: Quoad motivum, quia invidia et sine causa, quia neminem laeserat, sed omnibus benefecerat. Quoad personam, quia Deus et homo, omni sanctitate, virtute et perfectione singularissimus. Quoad poenam, quia in singulis sui corporis membris. In capite coronam spinarum. In oculis velationem. In visu lacrimas. In auditu improperia. In olfactu sputorum abominationem. In gustu potum fellis et aceti. In collo ligationem. In spatulis et humeris baiulationem crucis. In brachiis extensionem. In renibus verberum perpessionem, quae, teste Bernardo, ultra legionis numerum fuerunt. In pectore lateris apertionem. In manibus clavorum affixionem et perforationem. In tibiis et pedibus nervorum attractionem ex clavis et apertionem. Sic ergo Dominus Iesus in quolibet corporis membro est singularem poenam passus, ut corpus nostrum similiter subiiciendum poenis declararet. Nulla poena fuit gravior poena, quam Christus est passus. Nulla passio opprobriosior, ut in III libro conformitate IV dicetur. Nulla poena multiplicior, et sic de aliis. Quare, praefatis attentis, Dominus noster carnem domandam poenitentia ostendit et labore cuilibet fideli, sua vita et exemplo. Et quare hoc egit, nisi, ut dictum est, ut sic peragendum suo exemplo induceret et fideles attraheret?

2. Non solum id iam dicto exemplo monstravit, sed etiam carnem edomandam edocuit. — Primo a cibo et potu abstinentia, Luc. 21, 34 dicens: Videte *ne graventur* corpora *vestra in crapula et ebrietate* etc. Et quo cibo est utendum, dicit Ioan. 4, 34: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me.* — Secundo mollium, quoad vestes, absentia. De asperitate vestimentorum commendavit Ioannem Baptistam, Matth. 11, 8; et divitem condemnavit epulonem, *qui induebatur purpura et bysso,* Lucae 16, 19. — Tertio flagellorum acerbitate et disciplinarum Hoc in se expertus, quia flagellis caesus, Marc. 45 15 et Matth. 27, 26 et Ioan. 19, 1, discipulos flagellandos a malis praedixit, Matth. 10, 17, ad edomandum eos.

Quarto laborum varietate. Reprehendendo stantes tota die otiosos, Matth. 20, 6 sq., laborare docuit, et sic in vineam misit. Verbum interdixit otiosum, Matth. 12, 36, quanto magis et otium. — Quinto commodorum indigentia et paupertate. Pauperes clamat beatos, Luc. 6, 20 et Matth. 5, 3. Et *vae* dicit divitibus, qui habent suam consolationem, Lucae 6, 24. Divitem comedentem splendide cotidie, sepultum pandit in inferno, Lucae 16, 19 sqq. Et dives alius loquens animae suae dicit[1]: *Anima* mea, *reposita habes multa bona in annos plurimos: requiesce, comede, bibe* et *epulare*. Et sequitur: *Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te* etc. — Sexto vigiliarum asperitate, Marc. 13, 37 dicens: *Omnibus dico: Vigilate;* et Matth. 24, 42 dicit: *Vigilate, quia nescitis diem neque horam.* — Septimo orationum instantia et assiduitate, Matth. 26, 41: *Vigilate et orate, ne intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma;* et Luc. 21, 36 dicit: *Vigilate omni tempore orantes;* et capitulo 18, 1 dicit: *Oportet semper orare, et non deficere.*

Octavo delectabilium omnium fuga et detestabilitate, Lucae 6, 25 dicens: *Vae vobis, qui saturati estis, quia esurietis. Vae vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis;* et capitulo 16, 25, dictum est diviti epuloni: *Recordare, quia recipisti bona in vita tua;* et sequitur: *Tu vero cruciaris.* Et Matth. 6, 25 et 31: *Nolite solliciti esse, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini* etc. — Nono iniuriarum supportatione et patientia, Lucae 21, 19: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* — Decimo vitae futurae attentione et advertentia, Matth. 20, 8: *Voca operarios et redde illis mercedem* suam. Via carnis lata ducit ad perditionem, sed via macerationis et poenitentiae arcta ducit ad vitam, Matth. 7, 13 sq. — Undecimo a consortii mulieris vitatione, Matth. 5, 28: *Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo.* — Duodecimo sensuum custodia et gubernatione, Matth. 5, 29: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum et proiice abs te* etc.

[1] Luc. 12, 19 sq.

3. Praefatis igitur caro edomatur, suppeditatur et maceratur, non solum Salvatoris doctrina, sed sacrae Scripturae attestatione et exemplis, ac doctorum. Quo sic patet breviter et succincte:

Et primo de abstinentia a (*a*) superfluitate cibi et potus, Prov. 20. 1: *Luxuriosa res est vinum et tumultuosa ebrietas; quicumque his delectatur, non erit sapiens.* Et Apostolus, Eph. 5, 18: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Salomon, Eccl. 2, 3, dicit. *Cogitavi carnem meam abstrahere a vino, ut transferrem animam meam ad sapientiae* studium. Sancta Iudith *ieiunabat omnibus diebus vitae suae* ut habetur Iudith. 8, 6. Isidorus *De summo bono* libro 44 [1] cap. 3 dicit: « Abstinentia et occidit et vivificat; vivificat animam et corpus necat ». Et cap. 42 [2] dicit: « Sicut omnes carnales cupiditates abstinentia resecantur, ita omnes animae virtutes edacitatis vitio destruuntur. Neque enim est possibile quempiam virtutum perfectionem attingere, nisi prius edomuerit ventris ingluviem. Nemo potest dominari ceteris vitiis, nisi prius ingluviem ventris restrinxerit, nec quisquam facile a semetipso spiritus immundos expellere, nisi per abstinentiam gulae ».

Secundo de vestium fugienda mollitie. Ioannes Baptista indutus fuit de pilis camelorum, Matth. 3, 4 et Marc. 1, 6. Iudith super lumbos suos habebat cilicium, Iud. 8, 6. Petrus in prima canonica cap. 3, 3, indumenti et vestimentorum cultum interdicit. Unde Chrysostomus *Super Matth. I* et Glossa [3], Matth. 3: « Ad speciem visionis habere vestitum servis (*b*) Dei non convenit, nec ad delectamentum (*c*) corporis, sed tantum ad tegumentum nuditatis ». Et Bernardus [4] dicit: quod milites Christi in mollitie vestimentorum ultro se hostibus sine sanguine tradunt inermes.

Tertio de flagellorum et verberum attritione. Psalmista dicit Psalm. 2, 12: *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus* etc. et Apostolus dicit Galat. 5, 24: *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* etc. Benedictus abbas, prout ait beatus Gregorius II Dialogorum [5]: « Carnis tentationem superavit, carnem spinarum aculeis et urticarum incendiis flagellando, adeo ut tale quid in se minime aliquando sentiret ».

Quarto de laborum occupatione. Eccli. 33, 29: Multa mala *docuit otiositas;* et Ezech. 16, 49: *Haec fuit iniquitas Sodomae, superabundantia panis et vini et otium.* Hieronymus in *Epistola ad Rusticum monachum* [6]: « Facito aliquid operis, ut semper diabolus te inveniat occupatum. In desideriis est enim omnis otiosus. Aegyptiorum monasteria hunc modum tenent, ut nullus absque opere et labore suscipiatur, non tam propter victus necessaria, quam propter animae salutem ». Isidorus in *Synonym.* lib. II [7]: « Gravis libido urit, quem otiosum invenit. Cedet autem libido rebus, cedet operi, cedet industriae et labori ». Paulus Apostolus laborabat manibus, Eph. 4, 28 [8], et Act. 20, 34. Unde, qui laborat ad corpus edomandum, potest dicere cum Ecclesiastico cap. 51, 35: *Modicum laboravi, et inveni mihi multam requiem.* Labor enim quantum (*d*) valeat et ad quid, dicit Fulgentius, quod quidam sapiens, interrogatus ad quid exercitatio laboris esset utilis, respondit: « Honestus labor humanae naturae fida est custodia, dormientis naturae stimulus, sopiti caloris lima, superfluitatis consumptio, vitiorum fuga, morborum mors, languoris medicina, lucrum operis, iuventutis debitum, adolescentiae disciplina, senectutis gaudium, salutis adiutorium; nutricis omnium malorum, id est otii, est inimicus. Ille autem solus ab exercitio se subtrahat, qui felicitatis gaudio carere desiderat ».

(*a*) Edd. *et.* — (*b*) Edd. *servum.* — (*c*) As, Edd. add. *carnis seu.* — (*d*) Al *quantumque.*

[1] *Sentent.* l. II, c. 44 n. 4 (P. L. 83, 651). — [2] L. c. c. 42 n. 10 (P. L. 83, 648 sq). — [3] Glossa ord. in Matth. 3, 3. — [4] *Super* « Missus est », *Homil.* IV n. 10 (P. L. 183, 85). — [5] *Dial.* l. II, c. 2 (P. L. 66, 132). — [6] Ep. 125 (al. 4) n. 11 (P. L. 22, 1078). — [7] L. c. n. 17 (P. L. 83, 849). — [8] Pot. II Thess. 3, 8.

Quinto de incommodorum et rerum penuria. Ut enim dicit beatus Gregorius I Moralium [1]; « Solet rerum abundantia tanto magis a timore divino mentem solvere, quanto magis exigit hanc diversa cogitare ». Superfluitas enim idololatriam adinvenit. Sap. 30 [2], Salomon a Domino petebat non divitias nec paupertatem, sed tantum victui suo necessaria; et Paulus, I Tim. 6, 8, dicit: *Habentes alimenta et quibus tegimur, his contenti simus.* De frugalitate, id est paupertate, ad propositum loquitur Valerius lib. II rubrica prima, cap. 28, dicens [3]: « Bonae valetudinis quasi quaedam mater est frugalitas, inimica luxuriosis epulis et aliena nimiae vini abundantiae et immoderato Veneris usui adversa ». Et subdit: « A patre Libero, id est vino, ad inconcessam Venerem est proximus gradus intemperantiae [4] ».

Sexto a somno vigilantia. I Tim. 4 [5]: *Vigilemus et sobrii simus, et non dormiamus sicut ceteri* etc.; Rom. 13, 11: *Hora est iam nos de somno surgere.* Et I Petr. 5, 8: *Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus* etc. Apoc. 16, 15, dicitur: *Beatus, qui vigilat et custodit vestimenta sua.* David media nocte surgebat [6], et de luce vigilabat [7]. Paulus fuit *in vigiliis multis,* II Cor. 6, 5 et 11, 27. Cato dicit: « Plus vigila semper, nec somno deditus esto ». Aristoteles in *Oeconomica* dicit: « Surgere oportet de nocte. Hoc est ad sanitatem et ad dispositionem et ad philosophiam utile [8] ».

Septimo de orationis instantia et assiduitate. I Pet. 4, 7 dicitur: *Vigilate in orationibus;* et Paulus, I Thess. 5, 17: *Sine intermissione orate.* Ratio, quia Amalech, id est diabolus, debellatur et vitia extinguuntur. Isidorus *De summo bono* dicit, libro III, c. 7 [9]: « Hoc est remedium ei, qui vitiorum tentamentis aestuat, ut quoties quolibet tangitur vitio, toties ad orationem se subdat; quia frequens oratio vitiorum impugnationem exstinguit. Tam perseveranter intendere oportet animum nostrum orando atque pulsando, quousque (*a*) importunas desideriorum carnalium suggestiones, quae nostris obstrepunt sensibus, fortissima intentione superemus, ac tamdiu insistere, quousque persistendo vincamus ».

Octavo de fuga delectabilium et abominatione, ut dicam cum Iob 6, 7: *Quae prius tangere nolebat anima mea, nunc prae angustia cibi mei sunt.* Et cum Salomone, Eccl. 2, 1 ss: qui prius dixit in corde suo: *Vadam et affluam deliciis et fruar bonis;* et sequitur: *Vidi in omnibus afflictionem animi et vanitatem, et nihil permanere sub sole. Detestatus sum omnem industriam meam* et quae *sub sole studiosissimè laboravi.* Et David Psalmo [10] dicit: « *Ego autem, cum mihi molesti essent,* induebam me *cilicio* etc. *Humiliabam in ieiunio animam meam* etc. Et Psal. 68, 11 dicit: *Operui in ieiunio animam meam;* et sequitur: *posui vestimentum meum cilicium* etc. Et Psal. 101, 10: *Cinerem tanquam panem manducabam, et poculum meum cum flectu miscebam* etc. Sic rex Ninivae vestimentum suum mutavit, *et indutus est sacco* etc., Ion. 3, 6. Sic et regina Esther, vestimentis regalibus exuta, *indumenta suscepit fletibus et luctibus apta, et pro unguentis variis* (*b*) *cinere et stercore implevit caput suum* etc., Esth. 14, 2. Iudith 9, 1: Induit *se cilicio et posuit* pulverem cinereum *super caput suum* (*c*) etc. Dan. 10, 3: *Panem desiderabilem non* comedit, *et caro et vinum non* introivit *in os* suum etc.

Nono de iniuriarum et tribulationum tolerantia loquitur Apostolus, Heb. 12, 6, dicens: *Quem diligit Deus, castigat. Flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Quare, si Deus nos infirmitatibus vexat et adversitatibus fatigat, non murmurare debemus sed patienter portare, quia id facit, ne caro nostra incolumitate gaudens, ad peccandum sit prona. Unde Isidorus Lib. III *De summo bono,* cap. 3 [11] dicit: « Quosdam videns Deus nolle proprio voto corrigi, adversitatum tangit stimulis. Quosdam etiam praesciens multum peccare posse in

(*a*) Al *quoties.* — (*b*) Al *vanis.* — (*c*) As, Edd. om. *Iud. 9, 1* — *caput suum.*

[1] *Moral.* I c. 5 (P. L. 75, 531). — [2] Potius Prov. 30, 8. — [3] *Dictor. fact. memorab.*, l. II, c. 1 n. 5. — [4] L. c. l. II c. 1 n. 5. — [5] Pot. I Thess. 5, 6. — [6] Ps. 118, 62. — [7] Ps. 62, 2. — [8] *Oecon.* l. I c. 6. — [9] L. c. n. 1 sq. (P. L. 83, 671 sq.). — [10] Ps. 34, 13. — [11] *Sentent.* l. III, c. 3 n. 2, 5 (P. L. 83, 658 sq.).

sanitate, flagellat eos corporis infirmitate, ne peccent, ut eis utilius sit laboribus frangi ad salutem, quam manere incolumes ad damnationem ». Qui valentiores sunt et sani, utile est illis infirmari et non peccare, ne per salutis vigorem illicitis sordidentur cupiditatum et luxuriae desideriis ». Et subdit capitulo 4 [1]: « Murmurare in flagellis Dei peccator homo non debet, quia maxime per hoc, quod corripitur, emendatur ». « Ad magnam utilitatem divino iudicio mens iusti diversis tentationum passionibus agitatur, pro quibus si Deo gratias egerit, suaeque culpae, quod talibus dignus sit reputaverit, hoc quod ex passione tollerat, ei pro virtutibus reputatur. Quia et divinam agnoscit iustitiam et suam culpam intelligit. Et capitulo I dicit [2]: « Valde necessarium est iustum in hac vita et vitiis tentari et verberari flagello, ut dum vitiis pulsatur, de virtutibus non superbiat; dum vero animi aut carnis dolore atteritur, a mundi amore retrahatur. Durius in hac vita circa suos electos agit, ut dum fortioribus flagelli stimulis feriuntur, nulla illos oblectamenta praesentis vitae delectent, sed caelestem patriam, ubi certa requies exspectatur, indesinenter (*a*) desiderent ». Sic ergo patet, quod Dominus suos tribulationibus pulsat, ut iuxta dictum Psalmi [3]: *Multiplicatae sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt,* quia ad Deum recurrunt, iuxta documentum, Ecclesiastici 38, 9: *Fili, in tua infirmitate ne despicias temetipsum* etc. Insuper, ut eos corrigat, iuxta illud Apoc. 3, 19: *Quos amo, arguo,* corrigo *et castigo,* ac ut a peccato cessent, iuxta illud Ierem. 31, 18: *Castigasti me, et eruditus sum* (*b*). Ad propositum loquitur de hoc Ecclesiasticus 2, 1 sqq. dicens: *Fili, accedens ad servitutem Dei* etc., *in humilitate patientiam habe. Quoniam in igne probatur aurum et argentum, homines autem in camino humilitatis* etc. Per illationem iniuriarum et afflictionum quidam a tentatione validissima fuit per quemdam patrem liberatus, prout dicit Ioan. Climacus in libro *Scalarum* suarum.

Decimo de vitae futurae, quoad praemia et damnationem, prospectu et advertentia. Multos enim timor gehennae a peccato retraxit et carnis curam abhorrere fecit. Scriptura dicit, Eccli. 7, 40: Fili, *memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis.* Et Gregorius dicit [4]: « Nihil adeo valet ad domandum carnis (*c*) desideria, sicut cogitare, qualis sit caro futura ». Sed super omnia homines ad carnem crucifigendam inducere debet praemium caelestis gloriae, dicente Apostolo, Rom. 8, 13: *Si autem facta carnis mortificaveritis, vivetis Laborum bonorum gloriosus est fructus,* Sap. 3, 15.

Undecimo de vitatione consortii mulierum. Debet enim a viro, qui carnem vult subiicere rationi et spiritui, mulier vitari. Quoad aspectum, quia non aspicienda, Eccli. 9, 5, 8 sq.: *Virginem ne aspicias, ne scandalizeris in decore illius* (*d*). Et sequitur: *Averte faciem tuam a muliere compta;* et sequitur: *Propter speciem mulieris multi perierunt, et ex hoc concupiscentia quasi ignis inardescit.* Quoad colloquium, Eccl. 9, 11: *Colloquium illius quasi ignis ardescit* (*e*). Et Prov. 5, 3 sq.: *Favus distillans labia meretricis;* et sequitur: *Novissima illius amara quasi absynthium et acuta quasi gladius biceps.* Quoad consortium et tactum, Eccli 9, 12: *Cum muliere aliena ne sedeas, nec accumbas cum ea super cubitum;* et cap. 26, 10: *Qui* tenuerit eam, *quasi qui apprehendit scorpionem.* Et ideo beatus Hieronymus dicit [5]: « Si pudicitiam quaeris, femina quam videris bene conversantem, mente visita, non corporali frequentia. Ostiolum (*f*) tuum aut raro aut nunquam mulierum pedes terant; vide, ne sub eodem tecto cum eis manseris, nec in praeterita castitate confidas. Nec enim David sanctior, nec Salomone sapientior, nec Samsone fortior esse poteris. Memento, quod paradisi colonum de possessione sua mulier eiecerit. Solus cum sola et absque arbitris non sedeas. Crede mihi, non potest cum Domino toto corde habitare, qui feminarum accessibus copulatur. Ego iudico, si cum viris feminae habitent, viscarium diabolo non deerit ». Haec Hieronymus.

(*a*) Al *desiderabiliter.* — (*b*) Edd. denuo *nono* (*ad prop.*). — (*c*) Al *corporis.* — (*d*) As, Edd. *eius.* — (*e*) Edd. *exardescit.* (*f*) Edd. *ostium.*

[1] L. c. c. 4 n. 1 et 5 (L. c. 659 sq.) — [2] L. c. c. 1. n. 11 sqq. (L. c. 654). — [3] Ps. 15, 4.
[4] *Moral.* l. XVI, c. 69 (P. L. 75, 1162). — [5] Epist. 52 n. 5 (P. L. 22, 531 sq.).

Duodecimo de sensuum cohibitione. Cum enim, teste beato Augustino, per ianuam quinque sensuum aut mors aut vita ad animam nostram ingreditur, hinc est, quod sollicitudine summa custodire condecet nostros sensus, ne per fenestras has mors peccati ad animam habeat ingressum. Unde et Salomon Prov. 4, 23: *Omni custodia serva cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit* et (*a*) mors. Dina non custodiendo visum, fuit deflorata, Gen. 34, 1 sq. Holofernes, quia oculis custodiam non adhibuit, captus de Iudith, Iud. 10, 17, ab ea occisus fuit. Amnon de Thamar sensum visus non custodiendo, defloratione eius fuit ab Absalon interfectus, II Reg 13, 29; et sic de aliis sensibus in sacro Eloquio plura ponuntur exempla. Quare iuxta dictum Apostoli, II Cor. 11, 3: Timendum est, *ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua,* sic et *sensus* nostri *corrumpantur a simplicitate, quae est in Christo Iesu.* Qualiter sancti viri custodierunt sensus suos, longum esset retexere.

Sic ergo apparet praefatis, quod Dominus noster et Magister tam exemplo quam verbo nos docuit carnem castigare et spiritui eam subiicere, et hoc vacando diversis laboribus, prout ex iam dictis evidenter apparet. Et sic consequenter claret prima pars huius VII conformitatis, videlicet: **Iesus vacans laboribus.**

Secunda pars septimi fructus et conformitatis secundi libri, et decimae nonae in ordine, videlicet:

Franciscus imitatur.

Expositio.

Summi (*b*) magistri et virtutum Domini nostri Iesu Christi in carnis crucifixione, etsi multi fuerint exemplar (*c*) secuti tam in coetu Apostolorum, ut patet in Paulo apostolo, Galat. 2, et ult., quam in agmine martyrum, qui « corpora sua tradiderunt propter Deum ad supplicia [1] », et in ordine patrum et anachoretarum, qui vigiliis, ieiuniis et disciplinis, et omnibus aliis carnis incommodis se afflixerunt, ut gesta ipsorum patrum liquet intuentibus; praecipue tamen pater noster beatus Franciscus imitator praecipuus exstitit, qui « carnis supercilium legi subiecit spiritus [2] » potestative in omnibus: et sic eum fecisse dicit secunda pars huius conformitatis, dicens: *Franciscus imitatur,* scilicet Christum, et hoc, prout vult haec conformitas, specialiter quoad carnis macerationem et subiectionem perfectam ipsius carnis spiritui et rationi. Et ad hoc ostendendum plura declarant[ur] et ostendunt[ur] (*d*):

1. Et primum, si attendamus beati Francisci victum. Victus enim beati Francisci fuit arctus et singularis. Quod patet primo, si attendatur cibus, habitus et usus post suam perfectam ad Dominum conversionem. Dum enim beatus Franciscus esset ad Dominum conversus post dimissionem omnium mundanorum et abdicationem factam patri carnali coram episcopo Assisii et (*e*) staret cum sacerdote ecclesiae Sancti Damiani, cuius reparationi mandato Crucifixi intendebat, et dictus presbyter, considerando beatum Franciscum deliciose nutritum, pro victu ei aliquid faceret omni die speciale, hoc perpendens vir sanctus dixit ad seipsum: « Hunc sacerdotem quocumque perrexeris non semper invenies, qui tibi sic praeparet, nec est haec via pauperis hominis, quam elegisti ». Unde sacerdoti interdixit, ne aliquid ulterius prae-

(*a*) As, Edd. om. *et mors.* — (*b*) Edd. *Summam* (om. *et*). — (*c*) As, Edd. om. *exemplar.* — (*d*) As *declarandum et ostendendum plura demonstravit* (Edd. *faciunt*). — (*e*) Al, As om. *et.*

[1] *De com. plur. Martyrum,* noct. I, resp. 3. — [2] *Offic. S. P. Francisci,* ad matut. hymnus: *In caelesti collegio,* str. 4.

pararet, sed accepta paropside ostiatim per Assisium mendicando, diversa in paropside cibaria recepit. Quae primo abhorruit, utpote inassuetus, sed tandem seipsum vincens, de praefatis comedit. Et ut postmodum referebat fratribus, nunquam aliquod electuarium gustaverat, quod eidem sic sapidum fuerit. Quibus comestis, tantum cor eius exsultavit in Domino, quod caro eius debilis et afflicta, corroborata est ad quaecumque aspera et amara laetanter pro Domino toleranda. Unde postea acquisita libentius quam aliter praeparata comedebat [1]. — Accepta a beato Francisco ex auditu Evangelii norma evangelica in vivendo, et cum Deus eum iam fratribus fecundasset, ob penuriam eleemosynae panis, quae sibi et sociis non sic, ut decebat, in principio donabatur, cum magna spiritus consolatione rapas ob panis defectum cum sociis comedebat [2]. Sed multiplicatis iam fratribus, quali abstinentia corpus suum domuerit cibariis utendo, dicit V pars *Legenda maioris* [3], quod « sanitatis tempore cocta cibaria vix admittebat et raro, admissa vero, aut commixtione cineris interdum faciebat amara, aut aquei superinfusione liquoris, ut plurimum, reddebat insipida ». Egrediens vero ad exteriora, iuxta sancti Evangelii doctrinam [4] se ceteris in comedendo conformabat, semper tamen parcitatem in cibi sumptione servando, ut vix sumeret necessaria sustentationi naturae. Regressus ad interiora, modos inveniebat poenitentiae potiores. Per totum quasi tempus anni ieiunabat. « Quadragesimam (*a*) etenim quando Christus latuit in deserto, quanta poterat cibi et potus arctitudine, reclusus in cella ieiunabat [5] ». Sic (*b*) ob reverentiam Virginis gloriosae a festo apostolorum Petri et Pauli usque ad Assumptionem beatissimae Virginis devotissime ieiunabat [6]. Ab Assumptione vero Virginis usque ad festum sancti Michaelis ieiunabat ad honorem ipsius archangeli Michaelis [7]. Quadragesimam a festo omnium Sanctorum usque ad Domini Nativitatem et maiorem quadragesimam, iuxta regulam, ieiunabat [8]. Pentecostes (*c*) etiam a festo Resurrectionis usque ad Spiritus Sancti missionem ieiunabat [9]. Ob reverentiam apostolorum Petri et Pauli quadragesimae specialis ieiunium dedicabat [10]. Et (*d*) sic, ut apparet, quasi (*e*) semper ieiunabat.

De austeritate vitae et poenitentiae beati Francisci loquens sanctus frater Aegidius dixit: Quod si beatus Franciscus habuisset corpus sanum et forte, ut ipse, ad id, quod poenitentiae effecisset, totus mundus eum sequi non potuisset. Abstinentia ergo assidua cibi suum castigavit, quod habebat, corpusculum, ut domesticum sibi hostem perfecte subigeret et candidum vestimentum munditiae a voluptatis incendio praeservaret.

Non solum beatus Franciscus arctitudinem in cibo tenuit quoad paucitatem, sed quoad qualitatem. Cum enim, sive invitatus ab aliquo sive non, propter amorem sanctae paupertatis, ut dictum est conformitate IV huius II libri [11], mendicando ante semper iret, de pane acquisito frusta viliora cum summa parcitate sumebat. Et dixit fratribus [12]: « Non fui latro de eleemosynis, acquirendo eas vel utendo ultra ne-

(*a*) As transponit ***Quadrages. enim—cella ieiunabat*** post ***Ab Assumpt.—archang. Michaelis.*** — (*b*) As, Edd. om. ***Sic ob — devot. ieiunabat.*** — (*c*) As, Edd. transpon. ***Pentecostes — miss. ieiun.*** post. ***Ob rev. apost.—ieiunium dedicabat.*** — (*d*) Ed. II (et III) om. ***Et sic—ieiunabat.*** — (*e*) Ed. I om. ***quasi.***

[1] *Leg. 3 soc.* c. 7 n. 22. — [2] I Cel. I, 16 n. 42. — [3] C. 5 n. 1; Verba vero sunt *Leg. Min.* III lect. 1. — [4] Luc. 10, 7. — [5] *Leg. Mai.* c. 9 n. 2. — [6] L. c. n. 3. — [7] L. c. — [8] *Regula* II, c. 3, *Opuscula,* p. 66. — [9] Cf. *Leg. Mai.* c. 9 n. 3 nota 3. — [10] L. c. n. 3. — [11] Supra p. 113 sq. — [12] *Specul. Perf.* Sabatier, c. 12.

cessitatem. Semper minus accepi, quam me contingeret, ne alii pauperes fraudarentur portione sua, quia contrarium facere furtum esset ». — Quando vero panis hordacei frusta mendicando inveniebat, tunc laetabatur et gaudebat, ut patuit cum panem mendicando cum fratre Massaeo, dum iret versus Franciam, gratias Deo referendo panis praefati fragmenta comedit, ut dictum est libro I conformitate VIII [1]. — Si quando ratione infirmitatis carnes comedisset vel coquinam conditam lardo, ad proprii corporis vindictam animatus et opprobrium, mira exercebat ad carnis edomationem, suique contemptum. Cum in quadam infirmitate de pitantia comedisset, tempore magni algoris nudum et quartanarium de ecclesia Sancti Rufini Assisii se, fune iniecta collo, trahi fecit per socium usque ad locum malefactorum in platea civitatis; ubi populo congregato, facta praedicatione, in fine dixit eis: quod non erat ut sanctus ab eis honorandus, sed ut gluto, quia in illa infirmitate carnes comederat, ab omnibus reputandus et (*a*) contemnendus [2]. — Vice alia in eremitorio Graecii cum infirmitate quadam (*b*) coquinam comedisset cum lardone, populo magno ad eius praedicationem congregato, se de hoc acriter incusavit [3]. — Nolebat insuper, ad corporis opprobrium animatus, in mensa comedere tobaleis [4] et aliis praeparata, immo in terra ante malebat comedere, ut patuit cum apud Reate fratres propter adventum unius ministri in Domini Natali mensam praeparassent, in terra (*c*) comedit, fratribus incommoda, quae passa est beata Maria cum filio tali die, ingerens [5]. — Cum minoribus fratribus et simplicioribus libentius comedebat quam cum maioribus, ut in praefatis conformitatibus de humilitate et prophetia est dictum [6]. — Dicebat beatus Franciscus fratribus, qui excedebant modum paupertatis in cibo: « Non putant fratres quod corpori meo esset necessaria pitantia? Sed quia oportet me esse formam et exemplum aliorum, nolo uti, sed volo esse contentus paucis et pauperculis cibis, et omnibus aliis rebus uti secundum paupertatem, atque sumptuosa et delicata penitus abhorrere ». Sic beatus Franciscus rigidus in se, tamen omnia volebat fieri cum discretione, et fratribus dicebat [7]: « Unisquisque consideret naturam suam; quia, licet aliquis vestrum sustentari valeat pauciori cibo quam alius, nolo tamen quod ille, qui maiori cibo indiget, nitatur illum in hoc imitari, sed naturam suam considerans, tribuat corpori suo necessitatem suam, ut sufficiat spiritui servire. Sicut enim a superfluitate comestionis, quae obest corpori et animae, tenemur nobis abstinere et nobis cavere, ita etiam a nimia abstinentia; immo magis, quoniam Dominus *misericordiam* vult *et non sacrificium* [8]. Nonne ipse condescendit, ut iam dicta ostendunt (*d*) in praecedentibus, fratri, qui nimia abstinentia in nocte deficiebat, ei mensam praeparando et ad verecundiam sibi tollendam cum ipso comedendo [9]? Sic et alteri, eum ad comedendum uvas in vineam ducendo, et ne ruborem haberet, prius de uvis degustando et tollendo [10]. Corpus ergo suum paucitate cibi et asperitate castigavit omnino.

(*a*) Al om. ***reputandus et.*** — (*b*) As, Edd. om. ***infirmitate quadam.*** — (*c*) Edd. add. ***enim.*** — (*d*) Edd. ***dicunt.***

---

[1] *Actus,* c. 13 n. 21 sqq.; supra p. 103; AF IV, 608. — [2] *Specul.* cit. c. 61; supra p. 134 n. 2. — [3] *Specul.* cit. c. 62; cf. II Cel. II, 94 (al. III, 71) 131; supra 134 n. 3. — [4] I. e. lintea, quibus mensae teguntur. — [5] *Specul.* cit. 20; cf. II Cel. II, 31 (al. III, 7) 61; supra p. 139 n. 11. — [6] P. 130 sqq. 160 sqq. — [7] *Specul.* cit. c. 27; Lemmens, c. 24; cf. II Cel. I, 15 n. 22. — [8] Matth. 9, 13; 12, 7; Os. 6, 6. — [9] Supra p. 139, n. 9. — [10] L. c. n. 10.

Patet per hoc (a) beati Francisci abstinentia et corporis edomatio secundo, si inspiciamus eius potum, de quo *Legenda maior* parte V [1] loquens dicit: « De potu vini quid dicam, cum et de aqua, quando sitis aestuaret ardore, vix audebat ad sufficientiam bibere ». Et quia in potu abstinentissimus fuit, Salvator noster piissimus, dum vinum ipse beatus Franciscus appeteret non ad voluptatem, sed ad naturae necessitatem apud eremum Sancti Urbani, et non adesset, aquam eidem concessit commutare in vinum [2]. Sic et sitienti viro, cuius beatus Franciscus vehebatur asello, aquam oratione ipsius Christus propinavit in monte [3].

Apparet erga corpus beati Francisci rigiditas tertio, si inspiciamus eius cultum seu corporis amictum et tegumentum « Vestis enim horrebat, ut dicit V pars *Legendae maioris* [4], mollitiem, asperitatem amabat, asserens propter hoc Ioannem Baptistam a Domino fuisse laudatum [5]. Si quando vero in sibi data tunica lenitatem sentiret, chordulis eam contexebat interius, quia non in casulis pauperum, sed in *palatiis principum,* iuxta Veritatis verbum [6], vestimentorum dixit requirendam mollitiem. Experientia enim certa didicerat daemones asperitate terreri, deliciosis autem et mollibus ad tentandum fortius animari ». — Una tantum contentus tunicula, in frigore et nuditate Domino serviebat. — Circa vero eius mortem, tam propter sanguinem, qui exibat de plaga vulneris lateralis, quam propter infirmitatem, fratres et socii tunicas habituales plures ei fecerunt ad ipsum mutandum. Nunquam tamen ultra tunicam habitualem, nec habuit in dorso, nec tenuit [7]. « Tunica enim habituali, chorda et femoralibus dives usque ad mortem fuit [8] ». — Semel apud eremitorium sancti Eleutherii de Reate propter magnum frigus tunicam suam et socii intus quibusdam petiis repetiavit; propter quae corpus eius coepit aliqualiter consolari. Sed paulo post ab oratione rediens, dixit socio suo: « Me oportet esse formam et exemplum omnium fratrum; et ideo, licet corpori modo sit necesse habere tunicam repetiatam, tamen oportet me considerare alios fratres meos, quibus istud idem est necesse. Et ideo nolo habere tunicam sic ab intus repetiatam, quia ipsi forsitan nec habere possunt; unde in hoc oportet me eis condescendere, ut ego patiar easdem necessitates, quas et ipsi patiuntur, ut hoc in me videntes, magis patienter valeant sustinere [9] ». — Cum propter infirmitatem splenis et stomachi, et quia magnum frigus erat, unus ex sociis, guardianus suus, vellet suere sub tunica habituali aliquantulum ad splenem et stomachum de pelle vulpis, respondit beatus Franciscus: « Si vis, ut habeam sub tunica de pelle vulpis, pone unum frustum desuper, ut homines videant, quod interius habeo pellem vulpis [10] ». Et sic factum est, etsi parum portaverit. — Raro enim [11] vel nunquam tunicam novam volebat portare, sed dando eam alteri, quaerebat aliquam ab alio fratre diu portatam. Tuniculam etiam volebat habere de petiis repetiatam. Et quandoque ab uno fratre accipiebat partem tunicae suae et ab altero aliam partem, et adinvicem consuendo deferebat. Fratribus tunicam habitualem petentibus dabat libenter. Id enim fecit duobus fratribus de Francia. Nam petentibus eius tunicam, statim concessit [12]. — Pauperibus, si habebat mantellum vel

(a) As, Edd. om. *per hoc.*

[1] L. c. n. 1. — [2] *Leg. Mai.* c. 5, n. 10. — [3] L. c. c. 7 n. 12. — [4] C. 5 n. 2. — [5] Matth. 11, 8; Luc. 7, 25. — [6] L. citt. — [7] *Specul.* Sabatier, c. 34. — [8] *Leg. Min.* III, l. 5. — [9] *Specul.* Sabatier, c. 16; supra p. 105 l 7 sqq. — [10] L. c. c. 62. — [11] L. c. c. 34. — [12] L. c.

pannum, statim dabat. Sic et faciebat de tunica, dando vel dissuendo, et partem pauperibus erogando [1].

Et quia vestimento rudi, vili et grosso et despecto in praesenti vita fuit usus beatus Franciscus, fratri Petro de Monticulo (*a*) beatus Franciscus cum Ioanne Evangelista apparens, gloriosior eo in vestitu est visus; et causa a beato Ioanne fratri Petro interroganti est data: quia in praesenti vilioribus eo fuit indutus [2]. « Exsecrabatur [3] ipse pater beatus Franciscus vestitos triplicibus, et qui praeter necessitatem mollibus utebantur in ordine vestibus. Necessitatem vero, quam non ratio sed voluptas ostentat, signum exstincti spiritus asserebat ». Unde et dicebat: « Spiritu (*b*) tepido et paulatim a gratia refrigescente, necesse est carnem et sanguinem quae sua sunt quaerere ». Et dicebat: « Quid [4] restat enim, quando anima caret spiritualibus deliciis, nisi ut caro convertatur ad suas? Et tunc animalis appetitus necessitatis articulum palliat, tunc sensus carnis conscientiam format. Si adest, inquit, fratri meo vera necessitas, et statim satisfacere properat, quid mercedis accipiet? Accidit enim occasio meriti, sed displicuisse sibi probavit. Ipsas namque indigentias non patienter ferre, nihil aliud est nisi Aegyptum repetere ». Nulla occasione volebat fratres habere plures (*c*) quam duas tunicas, quas concedebat petiis suffultari (*d*). Exquisitos pannos, horrendos esse dicebat et acerrime mordebat oppositum facientes; atque ut suo exemplo tales confunderet, semper super tunicam suam saccum asperum consuebat. Fratribus autem, quos urgebat necessitas vel infirmitas, indulgebat aliam tunicam mollem (*e*) subtus ad carnem, ita tamen, quod foris (*f*) in habitu asperitas et vilitas servaretur. Dicebat enim cum dolore maximo: « Adhuc tantum relaxabitur rigor ordinis et dominabitur tepor, quod filii pauperis patris non verebuntur portare etiam scarlaticos pannos, solo colore mutatos [5] ». — « Interrogatus quandoque, quomodo vestitu tam tenui tueri posset se ab hiemalis algoris frigore, in spiritus fervore respondit: « Si supernae patriae flamma per desiderium contingeremur interius, frigus istud exterius facile portaremus » etc. [6]. — In morte denique sua iussit exsequialem tunicam sacco cooperiri [7]. (*g*) Victu et vestitu tanta rigiditate cum aliis corpus suum fatigavit et domuit, ut in mortis articulo se culpabilem fratri corpori dixit esse, eo quod ipsum male, plusquam decerat, tractaverat [8].

Asperitas beati Francisci erga corpus ostenditur, si quarto eius attendamus l e c t u m. Ut enim V pars *Legendae maioris* [9] dicit: « Lectulus lassato corpusculo erat nuda humus, etsi sedens multoties dormiret ». Cervical [10] vero lignum vel lapis. — Et quia in pluma vir sanctus dormire nolebat, in eremitorio Graecii, infirmitate oculorum gravatus, semel habuit cervical de pluma ad caput. Quod diabolus intrans, eum per totam noctem non permisit dormire. Et quia (*h*) sic fuerat vexatus, socium vocavit ei mandando, ut ipsum cervical longius exportaret (*i*); quod faciens, rigidus effectus in membris a diabolo, loquelam amisit. Sed beato patre eum vocante, dum eius

(*a*) Edd. ***Monticello***. — (*b*) Ed. III om. ***Spiritu—repetere***. — (*c*) Edd. ***plus***. — (*d*) Edd. ***suffulciri***. (*e*) As, Edd. add. ***de***. — (*f*) Edd. ***conformis***. — (*g*) Edd. add. ***Demum***. — (*h*) As, Edd. ***cum sic fuerit*** (Edd. ***fuisset***). — (*i*) As, Edd. ***asportaret***.

[1] *Specul.* cit. c. 29 sqq. II Cel. II, 53 sqq. (al III, 30 sqq.) 86 sqq. — [2] *Actus,* c. 74, AF IV, 277; AF III, 410 sq.; supra p. 105 n. 3. — [3] *Specul.* cit. c. 15; II Cel. II, 39 (III, 15) 69; AF IV, 627 sq. supra p. 104. — [4] Ll. citt. — [5] Ll. citt. — [6] *Leg. Mai.* c. 5 n. 2; cf. supra p. 104 l. 21 sqq. — [7] *Specul.* cit. c. 15; II. Cel. II, 39 (III, 15) 69. — [8] II Cel. II, 160 (III 137) 211. — [9] C. 5 n. 1. — [10] L. c. n. 2; *Leg. Min.* III, l. 1.

vocem audivit, omni effugata rigiditate, loquelam rehabuit ». Non solum lectum huiusmodi de pluma habere noluit, sed nec fratres habere permisit. Unde in capitulo generali, quod de carticineis [1] (*a*), apud Sanctam Mariam de Portiuncula celebratum, est vocatum, ubi fuerunt ultra quinque millia fratrum, omnes iacebant super terram aut super paleas (*b*) [2]. — Semel in Sancta Maria, dum capitulum celebraretur, adfuit dominus cardinalis Hostiensis, qui postea fuit papa dominus Gregorius IX, et intrans cum militibus et clericis dormitorium fratrum et videns, quod fratres iacebant (*c*) in terra et nihil subtus habebant nisi modicum de palea et quasdam cultras pauperculas et cervicalia nulla, coepit fortiter lacrimari dicens: « Ecce hic dormiunt fratres; nos vero miseri tot superfluitatibus utimur: quid erit de nobis ». Mensam etiam nullam ibi vidit, quia fratres comedebant in terra. Nam quamdiu beatus Franciscus vixit in loco Sanctae Mariae semper fratres in terra comedebant [3].

Verum, etsi in cibo et potu, vestitu et lecto, ut patet ex praedictis beatus Franciscus sibi ipsi fuerit rigidus et austerus, considerans et intelligens propter animam corpus esse creatum, et actus corporales propter spirituales esse agendos, dicebat fratribus [4]: « Servus Dei in comedendo et bibendo et alias corporis necessitates sumendo, debet cum discretione suo corpori satisfacere, ita quod frater corpus non valeat murmurare, dicens: Non possum stare rectus et insistere orationi, nec in tribulationibus meis laetari, nec alia bona (*d*) operari, quia non satisfacis indigentiae meae. Si enim (*e*) servus Dei cum discretione et satis bono modo et honesto suo corpori satisfaceret, et frater corpus vellet esset negligens et pigrum vel somnolentum in oratione, ieiuniis et aliis bonis operibus, tunc debet ipsum castigare tanquam malum et pigrum iumentum, quia vult comedere et non vult lucrari, nec onus portare. Si (*f*) vero propter inopiam et paupertatem frater corpus necessitates suas in sanitate et infirmitate habere non potest, dum honeste et humiliter petierit a fratre vel praelato suo, Dei amore, et sibi non datur, sustineat patienter amóre Domini, qui quaesivit, *qui eum consolaretur, et non invenit* [5]. Et haec necessitas a Domino sibi pro martyrio imputabitur (*g*). Et quia fecit quod suum est, id est, quia petiit humiliter suam necessitatem, excusatur a peccato, etiam si corpus inde gravius infirmaretur ». — Et non solum beatus Franciscus lectum abhorruit, sed somnum evitavit, vigilando in orationibus, etsi aliquando fingeret dormire, ne agnosceretur orare; sicut patuit quando cum fratre Bernardo, exsistente saeculari, dormivit. Qui fingendo se statim post cenam velle dormire, ad orandum post modicum surgens, per totam noctem in oratione perstitit, ut dictum est in conformitate VIII [6]. — Sic a quodam puero novitio observatus, cum suam chordam cum beati Francisci chorda ligasset, postea solutam chordam et (*h*) plane [7] beatum Franciscum surrexisse invenit; et silvam ingressus, invenit eum cum Christo, beata Maria, Ioanne Baptista et Ioanne

(*a*) Al *carticinis;* As *caricunis.* — (*b*) Edd. pergunt *Quod videns dominus cardinalis, ut superius saepe dictum est, flebat.* Tunc omittunt *Semel—comedebant in terra.* — (*c*) As *dormiebant.* — (*d*) Edd. add. *opera.* — (*e*) Edd. *vero.* — (*f*) Edd. om. *Si—infirmaretur;* pro quo habent: *etc. ut supra fr. XII I libri p. secunda cap. XI.* — (*g*) As *reputabitur.* — (*h*) Al, As om. *et.*

[1] Carticinea i. e. domus, cuius stramento vel paleis teguntur tecta; cf. Ducange, s. v. — [2] *Specul.* cit. c. 8, 68; *Leg. Mai.* c. 4 n. 10. — [3] *Specul.* cit. c. 21; supra p. 113 n. 2. — [4] *Spec.* cit. c. 97, II Cel. II, 92 (III, 69) 129. — [5] Cf. Ps. 68, 28. — [6] A F IV, 179; *Actus,* c. 1 n. 11 s — [7] Plane ex ital. *piano,* i. e. quiete.

Evangelista loquentem [1]. Frequentissime (*a*) per totam noctem in orationibus pernoctabat, sicut frater Leo pluries est expertus in monte Alvernae, eum videndo sublevatum et cum Deo loquentem, et alii eius socii in locis aliis.

Si rigiditatem beati Francisci ad suum corpus cupimus videre quinto, suum corpus intueamur multipliciter subiugatum. Ipse enim beatus Franciscus, cum fuerit in deliciis (*b*) nutritus et multum delicate, nihilominus corpus noluit post suam conversionem in deliciis tenere, sed in austeritate. — Primo quoad frigus. Nam exspoliando se coram episcopo Assisii, fuit vili mantello sibi dato, ex ipso formando habitum, indutus [2]. Quo contectus, dum semel tempore magni frigoris oraret, frater carnalis suus ironice fecit, ut diceret quidam beato Francisco, ut de suo sibi venderet sudore nummatam [3]. Et semper, ut dictum est [4], solam tunicam detulit habitualem et discalceatus, sive tempore hiemali sive alio tempore. — Secundo quoad onus. Nam pro reparatione trium ecclesiarum, videlicet Sancti Damiani, Sancti Petri et Sanctae Mariae de Portiuncula, quas reparavit procurando lapides et portando, corpus suum multipliciter afflixit [5]. — Tertio quoad servitium. Relicto mundo, statim ad serviendum leprosis se transtulit, lavando eis « pedes [6], ligando ulcera, educendo plagarum putredinem et saniem abstergendo et fervore inaudito ulcerosarum plagarum ruendo in oscula, ut (*c*) *saturatus opprobriis* [7] carnis supercilium *legi spiritus* [8] potestative subderet, suique dominium, hoste subacto domestico, pacifice possideret ».

Quarto quoad pabulum. Cibo enim tenuissimo, ut dictum est [9], corpus suum quoad vixit sustentavit. — Quinto quoad incessum. Nam etsi post conversionem suam per duos annos calceamenta in pedibus tulerit, audito (*d*) Evangelio: quod non deferret, statim calceamenta ipsa deposuit et nudis pedibus semper incessit [10]. — Sexto quoad iter et peregrinationem. Saecularis exsistens, ob reverentiam Apostolorum Romam ivit. Factus autem frater, visitavit pluries limina apostolorum Petri et Pauli, Sanctum Iacobum de Galecia, Sanctum Angelum de Monte Gargano [11] et Domini Sepulchrum [12]; ob praedicationem vero omnia loca Italiae et, quod maius est, ter ad partes infidelium accessit [13]. — Septimo quoad verbera. In eremitorio de Sartiano ad edomandum carnis tentationem se durissime verberavit [14]. — Similiter « magni algoris tempore in foveam glacie et nive plenam se plerumque immersit, ut domesticum hostem, scilicet carnem perfecte subiiceret et candidum vestimentum pudoris a voluptatis incendio praeservaret [15] ». « Unde corpus suum fratrem asinum appellabat, tanquam laboriosis supponendum oneribus, crebris caedendum flagellis et vili pabulo sustentandum [16] ».

2. Apparet beati Francisci sexto quoad corpus afflictio, si intueatur (*e*) eius exercitium et labor. « Otium enim, (*f*) omnium malarum cogitationum sentinam, do-

(*a*) Edd. add. ***etiam***. — (*b*) Edd. om. ***in deliciis***, et tunc ***et***. — (*c*) As, Edd. add. ***sic***. — (*d*) Edd. add. ***tamen***. — (*e*) Edd. ***inspiciatur***. (*f*) As, Edd. add. ***tanquam***.

[1] *Actus*, c. 19; supra p. 82. — [2] *Leg. Mai.* c. 2 n. 4. — [3] *Leg. 3 soc.* c. 7 n. 23; A F IV, 122. — [4] P. 192. — [5] *Leg. Mai.* c. 2 n. 7. — [6] *Leg. Min* I, l. 8; cf. *Leg. Mai.* c. 2 n. 6; cf. supra p. 131 sq. — [7] Thren. 3, 30. — [8] Rom. 8, 2. — [9] P. 189 sq. — [10] *Leg. Mai.* c. 3 n. 1, 3. — [11] Cf. supra p. 121 l. 14 sqq. — [12] Cf. G. Golubovich, *Biblioteca bio-bibl. di Terra Santa*, I (Quaracchi 1906), 14 sqq. — [13] Supra p. 121 n. 1. — [14] *Leg. Mai.* c. 5 n. 4. — [15] L. c. n. 3. — [16] L. c. n. 6.

cebat summopere fugiendum, exemplo demonstrans carnem spiritui rebellem disciplinis continuis feriendam (*a*) et fructuosis laboribus subiugandam [1] ». In principio suae conversionis, ecclesia Sancti Damiani reparata, ne corpus torperet ignavia, ad reparandum duas alias se dedit, scilicet beati Petri et Virginis gloriosae [2]. Scopabat ecclesias, quando in alio non poterat occupari [3]. — Ibat in principio religionis solus ipse ad panem quaerendum, non sine magno labore sui corporis et fatigatione [4]. Exercitium et laborem ostendit, factus evangelicus praeco; quia ad praedicandum erat a Domino destinatus. Hac de causa nunquam in eodem loco stabat, sed ad instar Christi terras diversas circuibat et loca. Ipse non solum otium vitavit laborando et semper aliquid exercendo, sed et fratres invitare voluit, volendo et concedendo, quod fratres laborarent manibus, ut dicit *Regula* [5]; et in *Testamento* [6] dimisit, ut otium animae inimicum, omnino a fratribus excluderetur. Unde dicebat: « Volo [7] fratres meos laborare et exercitari, ne otio dediti per illicita corde vel lingua vagentur ». — Fratrem (*b*) quemdam in principio religionis ab ordine expellit, qui otio deditus bene comedit et parum oravit et nihil laborabat, dicens ei: « Vade, frater musca, quia aliorum laborum comedens in opere Dei otiosus vis esse [8] ». — Beati Francisci exemplo inducti, antiqui fratres de labore proprio panem suum comedere volebant, sicut dictum est de sancto fratre Aegidio et de fratre Iunipero conformitate VIII libri I [9].

Apparet beati Francisci austeritas ad corpus septimo, si intellectum vertamus ad l o c u m. Hominum enim beatus Franciscus, ut poterat, consortia fugiebat et ad loca remota pergebat libenter et stabat, ut patet de eremo Sancti Urbani, Sancti Eleutherii de Reate, loci de Graecio, sacri montis Alvernae, Montis Casalis prope Burgum Sancti Sepulchri, et sic de aliis [10]. Accipiebat enim loca, prout poterat, a gentibus separata. Multa enim loca in provincia Sancti Francisci, Romana et Tusciae ac aliarum provinciarum accepit, quorum nonnulla sunt dimissa et pauca a fratribus retenta, quae utique solitaria erant et devota. Pauca enim loca in civitatibus accepit et castris. In locis vero solitariis degendo, in omni arctitudine vitam ducebat, Regulam ad litteram et sanctum Evangelium observando. Et multoties in dictis locis stans, se intra cellam claudebat, in qua pluribus diebus morabatur, nec permittebat se ab aliquo, nisi a socio, visitari [11]. Et tunc quidquid pulveris ex conversatione humana eidem inhaeserat, lacrimis expiabat et oratione [12]. Vacabat etiam meditationibus divinorum, sicut episcopus Assisinas in se divina correctione fuit expertus [13], frater Leo [14] et alii socii eiusdem patris. Nec in talibus cellas habere volebat de lapidibus sive de lignis dolatis, sed de paleis sive arborum ramis. Cellam de lignis dolatis a fratre quodam sibi praeparatam noluit inhabitare, nisi prius interius et exterius de paleis et arborum ramis frondiaretur, (*c*) adeo ut de lignis praefatis nihil penitus appareret [15]. Ad dicta loca, si sanus erat, ibat per se; si vero debilis vel infirmus,

(*a*) As *fovendam;* Edd. *castigandam.* — (*b*) Edd. om. *Fratrem—esse* (lin. 16). — (*c*) Al *foderaretur;* Edd. *tegeretur.*

[1] L. c. — [2] Cf. p. 195 5. — [3] Supra p. 143 n. 5. — [4] Supra p. 113 l. 14 sq. — [5] *Reg.* II c. 5; *Opuscula,* p. 68. — [6] *Opusc.* p. 79. — [7] *Specul. Perf.* Sabatier, c. 75; A F IV, 617. — [8] Supra p. 115, l. 17 sqq — [9] A F IV, 205 sq., 245 sqq. — [10] A F IV, 178 sqq., 245 sqq., 252 sqq. — [11] Cf. *Leg. Mai.* c. 10 n. 2 sqq. — [12] L. c. c. 13 n. 1. I Cel. II, 27 n. 71. — [13] *Leg. Mai.* c. 10 n. 5; II Cel. II, 66 (III, 43) 100. — [14] Supra p. 82 l. 32 sqq, — [15] *Specul.* cit. c. 9.

faciebat se per asinum ab aliis illuc deduci, sicut patuit quando fontem in monte oratione produxit homini, cuius tunc ipse vectabatur asino [1] (*a*).

Beati Francisci apparet ad corpus rigiditas octavo, si tempus videamus. Ubi sciendum, quod beatus Franciscus non uno tempore rigidus in disciplina super suam custodiam stetit et stabat, sed omni tempore. Non sicut quidam, qui incipiunt et statim desinunt, sed semper quod incepit servavit. — Si de ieiunio loquimur, per totum quasi annum ieiunabat quadragesimas multas faciendo, ut dictum est [2]. Si de vestitu arcto, usque ad mortem tunica, chorda et femoralibus erat contentus [3]. Si de servitio Domini circa leprosos, circa finem vitae suae, etsi esset infirmus, ad humilitatis cupiebat redire primordia [4], ut leprosis serviret, sicut fecerat a principio. Si de paupertate, nihil in proprio vel in communi aliquid unquam usque ad mortem habere voluit, nec fratres habere permisit [5]; immo in morte se denudavit, ut foedus, quod cum sancta paupertate inierat, non solum in vita sed in morte servaret. Si de obedientia, usque in finem suae vitae habere guardianum voluit, cui in vita et etiam in morte humiliter obedivit, ut patet de concessione tunicae habitualis sibi in mortis articulo constituto et nudo et mandato facto, cui paruit reverenter [6]. Si de custodia castitatis, usque in finem sollicitudinem assiduam gessit de impretiabilis custodia thesauri. Si de amore ad Christum et fratres, usque ad finem tenuit et ostendit, ut patet *Legendam* [7] de eius transitu legenti.

Rigiditas beati Francisci nono apparet ad corpus, si videamus verbum. Etsi verbo beatus Franciscus fuerit disertus, non verbis otiosis aliquando fuit deditus, sed divinae laudi, praedicationi fratrum et saecularium, vel informationi eorum et succincte, prout in *Regula* [8] mandavit, vacabat [9]. Nec loquebatur de saecularibus; sed de divinis semper. Unde die quadam loquendo de Deo cum sociis, Iesus in specie iuvenis pulcherrimi apparuit in medio eorum [10]. — Occulta, quae sibi divinae sapientiae a Domino pandebantur, non pandebat exterius, nisi quantum zelus fraternae salutis urgebat et supernae revelationis dictabat (*b*) instinctus. Quomodo ad verba otiosa eius lingua laxaretur, qui (*c*) saepissime cum Deo et beata Virgine fuit locutus? sicut patet quando indulgentiam Sanctae Mariae de Portiuncula a Christo, mediante beata Virgine, impetravit [11]; in monte Alvernae, ut frater Leo vidit et audivit [12]; cum Ioanne Baptista et Ioanne Evangelista, sicut puer quidam a proposito [13] observando beatum Franciscum vidit et audivit [14]; cum sanctis apostolis Petro et Paulo, ut fuit Romae in ecclesia Sancti Petri, quando eum amplexati sunt [15]. Et non modo semel cum Christo, Virgine et sanctis fuit locutus, sed multoties, ut eius facta pandunt. — Linguam suam laxabat ad praedicationes devotas, quas non solum homines, sed et volucres libenter audiebant; ad informationes particulares, per quas ad servitutem (*d*) Christi multos attraxit, ut patuit de beata Clara et aliis. — Ad divinum officium, quod Deo cum summa devotione et attentione, ac si Deo praesenti, solvebat, licet infirmus, non haerendo parieti, sed rectus stabat cum capite discooperto et aliquando genuflexus [16].

(*a*) As, Edd. ***asello.*** — (*b*) Edd. ***et superne revelabat instinctus.*** — (*d*) Edd. ***quae... locuta.*** — (*c*) Edd. ***servitutes.***

---

[1] *Leg. Mai.* c. 7 n. 12; supra p. 12 n. 10. — [2] Supra p. 190 l. 18 sqq. — [3] Supra p. 192 l. 9 sqq. — [4] I Cel. II, 6 n. 103. — [5] Supra p. 102 sqq. — [6] Supra p. 118 l. 20 sqq. — [7] *Leg. Mai.* c. 14. — [8] *Reg.* II, c. IX; *Opusc.* p. 71. — [9] *Leg. Mai.* c. 12 n. 1. — [10] *Actus,* c. 14; supra p. 81. — [11] Supra p. 32 sqq. — [12] P. 82 sq. — [13] A proposito, (ital.), i. e. data opera vel consulto. — [14] P. 82, l. 3 sqq.; p. 194 l. 34 sqq. — [15] *Actus,* c. 13; AF IV, 196. — [16] *Leg. Mai.* c. 10 n. 6.

Et non solum ipse, sed et fratres voluit ut evangelicum servarent silentium, ut videlicet ab omni verbo otioso omni tempore abstinerent sollicite, tanquam reddituri in die Iudicii de huiusmodi rationem. Sed si quem fratrem invenisset verbis assuetum inanibus, acriter arguebat, taciturnitatem modestam et puri cordis affirmans custodiam, et non modicam esse virtutem, pro eo, quod mors et vita fore dicantur in manibus linguae, non tam ratione gustus quam loquelae [1].

Austeritas beati Francisci ad suum corpus apparet decimo, si ad visum et eius aspectum oculos defigamus. Sic quidem a contuitu mulierum oculos averterat, ut quasi nullam in facie agnosceret. Ipsarum « familiaritates, colloquia et aspectus, quae multis occasio sunt ruinae, sollicitius evitari iubebat, asserens per huiusmodi debilem frangi et fortem saepe spiritum infirmari. Harum contagionem, conversantem cum eis, nisi probatissimum virum, tam facile dixit effugere (*a*) quam, iuxta Scripturam [2], ambulare in igne et non comburere plantas. Non enim securum esse putabat earum (*b*) formarum introrsus haurire imagines, quae possunt, aut edomitae carnis suscitare igniculum, aut pudicae mentis maculare nitorem. Asserebat etiam frivolum esse mulierum colloquium, excepta confessione vel instructione brevissima, iuxta quod saluti expedit et congruit honestati. « Quae, inquit, sunt religioso cum muliere tractanda negotia, nisi cum sanctam poenitentiam vel melioris vitae consilium religiosa petitione deposcit? Ex nimia securitate minus cavetur hostis; et diabolus, si de suo capillum habere potest in homine, cito facit excrescere in trabem [3] ». Sic ergo in visu et contuitu rigidus fuit, ut quasi nullam per visum cognosceret mulierem.

Apparet undecimo beati Francisci ad corpus rigiditas, si attendatur hostis, scilicet diabolus, quem a se sua rigiditate expulit in eremo de Sartiano, se disciplinando et in nives immergendo [4]; superavit in ecclesia Sancti Petri de Bovario (*c*) [5]. Cum ipso multoties manu conflixit ad manum vitae rigiditate et oratione, et vicit; et demum a multis ipsum violenter eiecit. Non dedit beatus Franciscus vitae arctae relaxatione seu abstinentia aliquando locum diabolo; quare in pace sua possidens [6], ab hoste minime aliquando fuit superatus.

Duodecimo apparet beati Francisci ad carnem rigor, si ab eius anima quaeratur et spiritu, an praedominati fuerint ipsi per omnia. Et certe dicent, quod beatus Franciscus *carnem suam* crucifixit *cum vitiis et concupiscentiis* [7], sic ut perfecte se spiritui subderet, et in his, quae Dei sunt, sine difficultate pareret. Et licet eius caro per omnia spiritui foret subiecta, nihilominus ei flagella et poenas, ne a proposito resiliret, irrogare non destitit, quoad vixit, ut aliis sic faciendi exemplum praeberet et formam.

Sic ergo duodecim praemissis manifeste apparet ad instar Domini Iesu Christi beatum patrem Franciscum carnem laboribus et aliis afflictionibus variis eidem illatis ipsam potestative spiritui subiecisse, et quemadmodum in aliis praecedentibus, sic et in hoc, caput totius perfectionis *Christum imitatum fuisse*, prout secunda pars istius VII conformitatis dicebat.

(*a*) Al in marg.; As om.; Edd. *evitare*. — (*b*) As, Edd. *mulierum* (quod Al correx.); Edd. om. *formarum*. — (*c*) Edd. *Bevanio*.

---

[1] L. c. — [2] Cf. Prov. 6, 28. — [3] Ex *Leg. Mai.* c. 5 n. 5. — [4] Supra p. 195 n. 14. — [5] *Leg. Mai.* c. 6 n. 6; supra 138 l. 9 sqq. — [6] Cf. Luc. 11, 21. — [7] Gal. 5, 24.

FRUCTUS ET CONFORMITAS OCTAVA ET IN ORDINE VIGESIMA:

Iesus Pacem dans Fluctibus. — Franciscus Solidatur.

Expositio primae partis, videlicet: **Iesus pacem dans fluctibus.**

Omnium Salvator et Dominus inclytus Iesus Christus, cum mirabilia operetur absque numero, assidue *prodigia* faciendo *in caelo sursum* et *signa* stupenda *in terra deorsum* [1], fueritque mirabilis in mundi exordio caelum creando, adornando sideribus, legeque aeterna in suo motu regulando. In terra tot herbis, arbustis, animalibus, volucribus, fluviis et fontibus eam adornando, in aquis dividendo aquas, partem aquarum (*a*) statuit in supremo scilicet supra firmamentum, reliquam in inferioribus collocando, ipsas diversis piscium generibus fecundando; temporis in processu post innumera exhibita opera, suae deitati testimonia perhibentia, ad faciendum in mari praeclara transit et stupenda, ut Dominus caeli, terrae et marium firmissime teneretur et probaretur. Sed quia nomen maris in sacro Eloquio varie accipitur et tam mystice quam veraciter (*b*), quomodo sit operatus in mari mirabilia, quia prima pars istius VIII conformitatis dicit ipsum Dominum Iesum *pacem dedisse fluctibus* ipsius maris, ac per hoc mira exercuisse (*c*), est breviter nunc disserendum.

1. Nomen maris mystice et figurative aliquando accipitur pro ipsa poenitentia et homine in poenitentia exsistente, iuxta quod habetur Thren. 2, 13, ubi de vero poenitente dicitur: *Magna est velut mare contritio tua.* Et Apoc. 10, 2 habetur, quod angelus descendens de coelo, *posuit pedem dextrum super mare, sinistrum vero super terram,* quia Deus pedem dextrum, id est suae gratiae et misericordiae, ponit super poenitentes et demum collocat ad suam dexteram; terrestres vero et terrenis deditos non respicit, gratiam eis infundendo; et perseverantes a se reiicit, et in futuro collocat cum sinistris.

Secundo accipitur mare secundum beatum Ambrosium pro mundo isto. Et sic exponit illud Psal. 103, 25: *Hoc mare magnum et spatiosum manibus; illic reptilia, quorum non est numerus,* id est diversa genera inimicorum, qui secundum nostrarum virium quantitatem compensato nobiscum agone luctantur etc.

Tertio accipitur, secundum Bernardum *Super Cantica, sermone* XIII [2], pro Christo Domino nostro. Et sic exponit illud [3]: *Omnia flumina intrant mare* etc.

Quarto modo accipitur litteraliter. Et sic accipitur Gen. 1, 10; vel secundum modum loquendi Iudaeorum, qui quamlibet congregationem aquarum, mare appellant [4]. Et sic accipitur in proposito pro expositione huius primae partis huius VIII conformitatis.

Accipiendo ergo mare primo modo, dico, quod accipitur pro poenitentia et poenitente veraciter. Poenitentia enim per mare accipitur et significatur:

Et primo ratione amaritudinis. Dicitur enim mare, secundum Isidorum [5], ab amaritudine, quia amaras aquas habet, ut patet experientia. Poenitentia enim, etsi iustis sit dulcissima, et sic etiam debeat esse peccatoribus, utpote quia ea mediante veniam inveniunt et gratiam; tamen in deliciis mundi constitutis et vitiis deditis valde aspera videtur et amara. Filiis Israel, in deliciis Aegypti nutritis, aquae Mara (*d*) in deserto apparebant amarae, Exod. 15, 25 sqq. *Arcta* enim *est via,* scilicet poenitentia, *quae ducit ad vitam; et pauci sunt, qui* ingrediuntur per *eam,* Matth. 7, 14. Tales enim delectat peccare, sed non pro peccato poenitere. Contra

(*a*) Edd. *quarum.* — (*b*) Edd. *litteraliter.* — (*c*) As, Edd. *exhibuisse.* — (*d*) Codd., Edd. *Marath.*

[1] Act. 2, 19. — [2] L. c. *Sermo* XIII n. 1 (P. L. 183, 833 sq.). — [3] Eccles. 1, 7. — [4] Cf. infra p. 205 n. 5. — [5] *Etymolog.* l. XIII, c. 14 n. 1. (P. L. 82, 483).

tales loquitur Augustinus *Psalmo* L dicens [1]: « Sunt multi, quos peccare non pudet, agere poenitentiam pudet. O incredibilis insania. De vulnere ipso non erubescis, et de ligatura vulneris erubescis. Nonne vulnus foedius et putridius est? Confuge ergo ad medicum et age poenitentiam, dicens [2]: *Iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccavi,* qui solus es sine peccato ». Ad poenitentiam exercendam, etsi appareat amara, hortatur nos beatus Bernardus in quodam *Sermone* [3] dicens: « Fugite de medio Babylonis et salvate animas vestras; volate ad urbes refugii, ubi possitis et de praeteritis poenitentiam agere et in praesenti obtinere gratiam et futuram gloriam fiducialiter praestolari. Non vos retardet conscientia, quia ubi peccata superabundaverunt, superabundare consuevit et gratia [4]. Nec poenitentiae ipsa austeritas deterreat; nec enim *condignae sunt passiones huius* saeculi et *temporis* ad praeteritam culpam, quae remittitur, non ad praesentis consolationis gratiam, quae immititur, non *ad futuram gloriam* [5], quae promittitur. Si verbis non creditis [6], operibus credite, exemplis acquiescite plurimorum. Currunt undique ad poenitentiam peccatores, et natura pariter et consuetudine delectati (*a*). Nihil credentibus impossibile; nihil amantibus difficile; nihil asperum mitibus; nihil humilibus arduum reperitur, quibus et gratia fit in auxilium et obediendi devotio lenit imperium ».

Poenitentia mari assimilatur secundo, ratione impetuositatis et vertiginis. Mare enim dicitur pelagus, id est undas pellens. Sic poenitentia undas tentationis diaboli pellit et elidit. Hoc patuit in abbate Antonio [7] et pluribus aliis, qui impetus tentationum sancta poenitentia coercuit; in capite Christo, qui in deserto poenitentia diaboli triplicem tentationem superavit et repulit [8].

Assimilatur mari poenitentia tertio, ratione tranquillitatis post commotionem. Mare dicitur aequor, quia in mari aquae aequantur post tempestatem [9]. Sic anima per poenitentiam tranquillatur in conscientia, quia ubi erat remorsus, desinit, et ubi a diabolo inquietabatur, pacata remanet et quieta. Patuit in beato Benedicto, qui poenitentia peracta contra carnis incendium, ex tunc in pace a tali vitio et quietus permansit, ut docet beatus Gregorius II *Dialogorum* [10]. Verum mare, etsi tempestuosum sit, vento tamen subtracto quiescit, et eius amaritudo per nubium ab ipso sublevationem dulcescit, ac eius aquae per subterraneas derivationes (*b*). Sic et poenitentia, ubi ventus mundanae delectationis abiiciatur, nubes vero adsit, id est contemplatio caelestium, et meditatio adsit inferorum, non solum homo instigatur ad poenitentiam exercendam, sed fructus dignos efficit poenitentiae, prout in simili declarat beatus Gregorius III *Dialogorum* [11], exponens illud Iudic. 2, quod Caleb (*c*) *dedit* Axae filiae *irriguum superius et inferius.* Ubi duos compunctionis declarando modos, contemplatione caelestium et attentione inferorum, ad bonum pandit hominem incitari et in bono solidari.

Non solum poenitentia et verus poenitens mare potest dici ex praefatis, sed ex effectibus, quos mare causat, spiritualiter intelligendo. Mare enim ut docet experientia: — Primo est sui purgativum. Cadavera immunda et mortua, ut dicit Gregorius [12], a se expellit et reiicit. Poenitentia a peccato purgat, in cuius signum dicit beatus Petrus, Act. 3, 19: *Poenitemini, ut deleantur peccata vestra.* Et quod poenitentia deleantur et purgentur peccata, habetur II Reg. 12, 13, de David qui post adulterium et homicidium dixit; *Peccavi,* et sequitur: *Dominus transtulit peccatum tuum.* — Secundo per venas occultissimas sui diffusi-

(*a*) Edd. *delicati.* — (*b*) As, Ed. I *deviationes*; Ed. II *demanationes.* — (*c*) Codd. Edd. *Caleph.*

[1] *Enarr. in Psal.* L. 8 sq. (P. L. 36, 590). — [2] Ps. 50, 5 sq. — [3] *Sermo de convers. ad clericos,* c. 21 (P. L. 182, 855). — [4] Cf. Rom. 5, 20. — [5] Rom. 8, 18. — [6] Cf. Ioan. 10, 38. — [7] *Vitae Patrum* l. I, c. 4 sqq. (P. L. 73, 130 sq.). — [8] Matth. 4, 1 sqq. — [9] Isidorus, l. c. n. 2. — [10] L. c. c. 2 (P. L. 66, 132). — [11] *Dial.* l. III. c. 34 (P. L. 77, 300 sqq.) sed est in Ios., 15, 19. — [12] *Moral.* l. V c. 3 (P. L. 76, 6).

vum, ut dicit Isidorus [1] super Ecclesiasticum, est mare. Poenitentia a pelago infinito divinae pietatis venam attrahit indulgentiae peccatori. Patuit in Maria Magdalena, cui Dominus omnia peccata dimisit, Luc. 7, 48. — Tertio mare est animalium diversarum formarum productivum, ut dicit Rabanus [2] *Super 43 cap. Eccli.*, et plurium quam sint in terra. Poenitentia in anima virtutes diversas multiplicat et producit. Patet in Ioanne Baptista, qui ob innumeras virtutes Christus fuit creditus, Ioan. 1, 20. — Quarto mare licet sit fluidum, multorum tamen durorum est generativum, ut patet de conchilibus et testis plurium piscium, et de lapidibus pretiosis seu margaritis. Poenitentia facit validum et fortem; patet de sancta Iudith [3] contra Holofernem (*a*), de Machabaeo Iuda, I Mach. 3, 47, et de de Ionatha, I Mach. 11, 71, qui post ieiunium et cineris in capite aspersionem victoriam de hostibus, diabolum significantibus, habuerunt. — Quinto mare est multarum infirmitatum curativum, ut patet de ulcerosis et aliis, quos aqua maris sanat. Abstinentia et poenitentia sanitatem inducit, Eccli. 37, 33 sq.: *In multis escis erit infirmitas, et propter crapulam multi perierunt.* Qui autem abstinens est, adiiciet vitam. Seneca *Ad Lucillum* [4]: « Multos morbos multa fercula fecerunt »; unde Hieronymus: « Mater sanitatis est abstinentia; mater vero aegritudinis est voluptas ». Et ut ostendit [5] lib II *Contra Iovinianum:* « A multis infirmitatibus poenitentia et abstinentia plures sunt liberati ». In Iordane, qui poenitentiam significat, baptizatus, Naaman a lepra corporali et spirituali mundatur, IV Reg. 5, 14.

2. Sexto mare saporum, quoad aquas terrarum, per quas transit susceptivum est et dulcedinem trahit, ut dicit Macrobius et Aristoteles. Poenitentia in his, in quibus habitat, non solum (*b*) se praebet dulcissimam per remissionem omnium peccatorum et dimissionem per diaboli superationem et virtutum susceptionem, sed per (*c*) caelestium contemplationem et divinae dulcedinis immissionem. Tam arduam poenitentiam sancti viri humano auxilio vigorati minime agere potuissent, nisi divino freti auxilio, prout abbas Chaeremon in *Collatione, De protectione Dei* [6] declarat. Moyses post ieiunium et poenitentiam intrat divinam caliginem et loquitur cum Deo, Exod 24, 18. Sic Elias ieiunando quadraginta dies intrat in Horeb, et in Sina audit et videt Dei magnalia, Eccli. 50 [7]; Petrus in monte poenitentiae constitutus transfiguratum Christum videt et clamat dulcedine mira: *Bonum est nos hic esse* [8]. — Septimo mare suo motu est suae substantiae a corruptione conservativum. Poenitentia, qui vult praeservari a peccato, est continuanda. Corpora aloe et quibusdam amaris a putredine praeservantur et vermibus, ut dicunt libri medicinales; et quod poenitentia praeservet a peccato, patet de Manasse, qui prius malus, postea egit poenitentiam valde coram Deo et deinceps fecit rectum in conspectu Domini, II Paral. 33, 13 sqq. — Octavo mare etsi liquidum, non est tamen sui termini exitivum, ut dicit Psalm. [9]: *Terminum posuisti eis, quem non transgredientur* etc. Poenitentia intra limites retinet rationis. Noe quamdiu in archa poenitentiae fuit, non est transgressus limites rationis; sed exeundo de arca, inebriatur, Gen. 9, 21. Loth Gen. 25 [10] vino a ratione alienatur et incestatur cum filiabus. Iudith non contaminata cibo aut Holofernis potu, in sua manet integritate, Iud. 12, 19. Daniel, cibis gentilium quia non inquinatur, ratione viget et sapientia, Dan. 1, 8 sqq. — Nono mare est ventorum originativum, ut dicit Beda. Ignem diaboli poenitentia exstinguit. Hoc patuit, ut dictum est in praecedenti conformitate de beato Francisco [11], qui libidinem poenitentia exstinxit. Benedictus vento poenitentiae, qui *venit a regione deserti,* Iob. 1, 19, impetum libidinis mortificavit, ut dicit Gregorius II *Dialogorum* [12]. Eccli. 43, 22 dicitur, quod

(*a*) Edd. *quae Hol. occidit.* — (*b*) Edd. om. *non solum.... sed.* — (*c*) As, Edd. *supercaelestium.*

[1] Cf. *Etymol.* l. XIII, c. 14 (P. L. 83, 483). — [2] P. L. 109, 1079. — [3] Iud. 9, 1; 13, 9. — [4] *Epist.* 95 ante med. — [5] L. II, n. 12 (P. L. 23, 301 sqq.). — [6] Cassianus, *Coll.* XIII, c. 6 (P. L. 49, 906 sqq.) — [7] Potius Eccli. 48, 7. — [8] Matth. 17, 14. — [9] Ps. 103, 9. — [10] Potius Gen. 19, 33. — [11] P. 189 sqq. — [12] L. II, c. 2 (P. L. 66, 132).

frigidus ventus aquilo flavit et gelavit crystallum, quia castam mentem facit, exstinguendo omnem ignem libidinis. Et Prov. 25, 23: *Ventus aquilo dissipat pluviam,* quia poenitentia sancta frigida ab aestu concupiscentiae mentem reddit immunem. — Decimo mare est nubium procreativum, ut patet III Reg. 18, 44, et etiam experientia. Sic poenitentia gratiam impetrat, qua homo iustificatur, ut patet de publicano, Luc. 13, 14, qui *iustificatus descendit in domum suam.* Et sub nube gratiae per desertum huius saeculi manet semper, usquequo ad terram caelestis promissionis pervenitur, ut habetur in figura de filiis Israel [1]. — Undecimo mare est radiorum solarium receptivum. — Poenitentia est divinae sapientiae propinativa et dativa: patet de Daniele, Dan. 1, 17, cui, ut poenitentiae dedito, et sociis suis *dedit Deus* sapientiam, *scientiam et disciplinam, in omni libro.* — Duodecimo mare est ad multas regiones, ubi multa bona habentur, deductivum, ut patet experientia. Poenitentia hic peccata remittit et culpam. Patet de Ninivitis, Ion. 3, 10; de filiis Israel, Iudic. 2, 1 sqq. Sed et regnum caelorum dat et promittit, Matth. 4, 17: *Poenitentiam agite: appropinquat regnum caelorum.*

Ad propositum huic mari, dicit nostra prima pars: *Iesus dat pacem fluctibus:* quomodo intelligitur? Certe homini et volenti et peragenti poenitentiam venti insurgunt tentationum diabolicarum, ut patuit in ipso Christo, Salvatore nostro, qui statim ut ingressus est desertum poenitentiae, tentatus est multipliciter a diabolo. Christus ergo suos adiuvando, diabolicos fluctus et insultus reprimit; quia *non* permittit nos *tentari supra id, quod* possumus, ut dicit Apost., I Cor. 10, 13, *sed faciet cum tentatione proventum,* quia ipse dat victoriam; ut patuit in beato Antonio abbate, Hilarione et aliis sanctis patribus [2], quibus fluctibus diabolicis poenitentia suppressis, Deus *pacatum reddit habitaculum* tuum, Iob. 8, 6; *et bestiae terrae,* id est daemones infernales, *pacificatae erunt tibi,* Iob. 5, 23. Tunc enim homo, facta poenitentia, clamat dicens cum Psalmista, Psal. 4, 9: *In pace in idipsum dormiam et requiescam.* Et sic apparet de primo mari, scilicet poenitentia, quomodo eius fluctibus Christus dat pacem

Accipiendo secundo mare pro mundo isto, videnda sunt duo: Primo quomodo mundus per mare signatur; secundo quomodo mare istud, id est mundus, a fluctibus suis per Christum tranquillatur.

Circa primum advertendum, quod mundus recte per mare habet designari. Mare enim est: Primo amarissimum. Sic et *mundus,* quia *positus est totus in maligno,* I Ioan. 5, 19. Princeps mundi huius diabolus, Ioan. 15 [3]. — Secundo instabile, immo instabilissimum. Mundi *omnia vanitas et afflictio spiritus,* Eccl. 1, 14. — Tertio turbulentissimum. Mundus totus est plenus peccato superbiae, avaritiae et immunditiae, Ioan. 2, 16. — Quarto inquietissimum. Mundus pressuram dat suis dilectoribus, Ioan. 16, 33. — Quinto profundissimum. Sic mundus malitia et pravitate, Ioan. 7, 7: *Ego testimonium perhibeo de mundo, quod eius opera mala sunt.*

Sexto periculosissimum, Eccli. 43, 26: *Qui navigant mare, enarrent pericula.* In mundo *non est qui faciat bonum, non est usque ad unum,* Psal. 13, 1. — Septimo varietatis contentivum. *Mundus transit et concupiscentia eius,* I Ioan. 2, 17. — Octavo deceptivum. Mundus suos decipit amatores, et quando credunt eum tenere, fugit velut umbra, I Cor. 7, 31: *Praeterit figura huius mundi.* — Nono diversorum monstrorum productivum. Mundus daemonibus est plenus, Apoc. 12, 12: *Vae* habitantibus terram, *quia descendit ad vos diabolus, habens iram magnam* etc. — Decimo doloris causativum. Mundus suos replet miseriis multis, Rom. 8, 22: *Omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc;* vallis enim lachrimarum vocatur, Psal. 83, 7. — Undecimo est nubium originativum. Mundus obcaecat se adamantes, Ioan. 1, 10: *Mundus eum non cognovit.* Nihil credunt de futura vita mundi amatores,

---

[1] Exod. 13, 21 sq. — [2] *Vitae Patrum,* l. I, c. 4 sqq. (P. L. 73, 130 sqq.); et P. L. 23, 29 sqq. — [3] Pot. Ioan. 12, 31.

ut habetur, Sap. 2, 2 sqq. — Duodecimo multorum submersivum et occisivum. Mundus occidit spiritualiter se diligentes. Ratio, quia, qui amicus est mundi huius, inimicus efficitur Dei. O quot hic mundus occidit spiritualiter se diligentes (*a*), de quibus satis est dictum libro I conformitate IV [1]. Sic ergo praefatis et aliis pluribus apparet, quomodo mundus per mare recte significatur et figuratur.

3. Sed videndum est nunc, quomodo Christus pacem mundi dat fluctibus. Ubi sciendum, quod mundus iste fluctuat continue, multiplici vento commotus et agitatus. Nam mundani agitantur septemplici vento, scilicet vitiorum superbiae, avaritiae, invidiae, luxuriae, gulae, accidiae et irae. Isti sunt venti, qui *pugnant in mari magno,* Dan. 7, 2. — Octavo movetur vento prosperitatis. Tales ambulant *super pennas ventorum* et volant, Psal. 17, 11. – Nono movetur vento spei diu vivendi. Hic ventus *concussit quatuor angulos domus* filiorum Iob et occidit eos, Iob 1, 19. — Decimo agitatur vento incredulitatis vitae futurae, quia mundani nihil credunt de vita futura. Et hic est *ventus turbinis,* Ezech. 1, 4. — Undecimo praesumptionis nimiae de misericordia Dei. Hic est *ventus aquilo,* qui *dissipat pluviam,* Prov. 25, 23, quia gratiam ab anima removet tali spe peccando. — Duodecimo falsae doctrinae de mundi regimine, quia casu quidam ponunt eum regi, nec divina providentia ponunt eum gubernari. Unde contra tales dicit Apostolus, Eph. 4, 14: *Non simus parvuli, fluctuantes omni vento doctrinae.* Istis duodecim ventis hoc mare, id est mundus, movetur et conturbatur.

Sed licet mundus praefatis ventorum impellatur fluctibus, Iesus, qui pax est, Eph. 2, 14, talibus fluctibus dat pacem. Nam ipse *imperat mari et vento, et fit tranquillitas magna,* ut habetur Matth. 8, 26 et 14, 24 sqq., quia sua sancta doctrina compescit: Primo superbiam et superbiae ventum, dicens, Matth. 23, 12 [2]: *Qui se exaltat humiliabitur et qui se humiliat exaltabitur.* — Secundo ventum avaritiae, Luc. 6, 24: *Vae vobis divitibus, qui habetis nunc consolationem vestram,* et Matth. 19, 23: *Dives difficile intrabit in regnum caelorum.* — Tertio ventum invidiae, Matth. 19, 19: *Dilige proximum tuum sicut teipsum.* Et Matth. 5, [3]: Quod tibi non vis fieri, alteri non feceris. — Quarto ventum luxuriae, Matth. 5, 28: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo;* et Matth. 19, 12: *Sunt eunuchi, qui se castraverunt propter regnum caelorum.* — Quinto ventum gulae, Lucae 21, 34: *Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra crapula et ebrietate et curis huius* saeculi, *et superveniat in vos repentine dies illa.*

Sexto ventum accidiae, Matth. 20, 6: *Quid hic statis tota die otiosi? Ite in vineam meam, et quod iustum fuerit, dabo vobis.* – Septimo ventum irae, Matth. 5, 22, 39: *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio; qui te percusserit in unam maxillam, praebe ei et alteram.* — Octavo ventum prosperitatis, Ioan. 6, 15: Iesus fugit, cum eum regem facere vellent; et Ioan. 18, 36: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Et Lucae 6, 25: *Vae vobis, qui ridetis, quia flebitis.* Et Luc. 19, 41; videndo prosperitatem Ierusalem, *flevit super eam* etc. — Nono ventum fiduciae vivendi, Lucae 12, 20; *Stulte, hac nocte repetent animam tuam a te.* — Decimo ventum incredulitatis vitae futurae, Matth. 25, 46: *Ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam.* — Undecimo ventum praesumptionis divinae misericordiae, Matth. 25, 33: *Statuet quidem oves a dextris, haedos autem a sinistris. Reddet unicuique secundum opera sua,* Luc. 12 [4]. — Duodecimo ventum falsae doctrinae de mundi regimine, Matth. 20, 23: *Sedere autem ad dexteram vel ad sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.*

His Christi sermonibus compescitur omnis ventus, quo mundus miser agitatur et conturbatur. Petrus Christi verbo laxat rete, Lucae 5, 5, et ambulat supra mare, Matth. 16 [5].

(*a*) As, Edd. om. *spiritualiter se diligentes.*

[1] A F IV, 130 sqq. — [2] Pot. Luc. 18, 14. — [3] Pot. Matth. 7, 12; cf. Luc. 6, 31; Tob. 4, 16. [4] Pot. Matth. 16, 27. — [5] Pot. Matth. 14, 29.

Christus enim, sicut dicit Chrysogonus martyr ad beatam Anastasiam, ambulans super undas maris, ad te veniens uno iussionis suae sermone diaboli adversus te flantem ventum compescet. Ventus enim contrarius est naviculae mundanorum, ac fluctibus iactitatur. Ventus ergo et tempestas abscedit, dum Christus loquitur et navem ascendit: habetur Matth. 14, 27 sqq Et tunc Christus pacem dat, *non quomodo* hic *mundus dat:* habetur Ioan. 14, 27. Vis videre mundanos et mundo deditos, sermone Christi ad pacem perfectam redire? Vide apostolos laborantes remigando, Christi verbo tranquillari, Matth. 8, 26, 14, 27 sqq. et Marc. 6, 50 sqq. Vide Matthaeum sedentem ad telonium, Matth. 9, 9, Zachaeum, Luc. 19, 2 sqq. ad acquirendum mundana inhiantes, diversis gurgitibus curarum mundi commotos et quasi submersos, voce sola Christi e talibus fluctibus eductos, tranquillitate frui optata; et sic de pluribus aliis habes in sancto Evangelio.

Tertio intelligitur per mare divinitas (*a*) Domini Iesu Christi, iuxta dictum Bernardi *Super Cantic. Sermone* XV, ubi sic inquit [1]: « Origo fontium et fluminum mare est: *virtutum* [2] et *scientiarum Dominus* [3] Iesus. Quis est enim *Dominus virtutum,* nisi ipse? Continentia carnis, cordis industria, voluntatis rectitudo ex illo fonte emanant. Non solum autem haec, sed si quis pollet ingenio, nitet eloquio, si quis moribus placet, inde est. Inde scientiae, inde sapientiae sermo, *thesauri* quidem *sapientiae et scientiae* ibi *omnes sunt absconditi* [4]. Quid casta consilia, iusta iudicia, sancta desideria? nonne rivuli sunt fontis illius? Quicquid te virtutum habere confidis, totum Dei virtuti et Dei sapientiae reputa Christo ». Haec Bernardus. — Deitas (*b*) per mare merito significatur, etsi impropriissime, cum nulla creatura deitas perfecte significetur; ratione profunditatis; quia ipsa est pelagus infinitum, quia bonum infinitum. Ratione altitudinis, quia ipsa super omnia est. Ratione diffusionis, quia sua bonitas remanens inexhausta, se multipliciter diffundit in creaturas, tam per esse communicationem quam per suae gratiae diffusionem. Ratione productionis, quia omnium est principium, manutenentia ipsa deitas et origo, quia *ab ipso et in ipso et per ipsum sunt omnia* [5]; et sic de aliis conditionibus maris ad deitatem applicatis. Iesus ergo, qui est mare hoc maximum ratione suae deitatis et gratiarum copiosissime suae animae diffusarum, non dat mari pacem, scilicet suae deitati, nisi quia deitatem contra hominem peccato concitatam sua passione placavit ipsum Deo reconciliando, ut ait Apostolus, Col. 1, 19 sq.: *In ipso* enim *complacuit omnem plenitudinem inhabitare et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, sive quae in caelis sive quae in terris sunt;* unde Christo reconciliante hominem Deo Patri, impletum est illud Psal [6]: *Motum fluctuum eius,* scilicet deitatis, *tu mitigas.* Sic intelligendo patet, quomodo mari et maris fluctibus irae Dei Christus pacem dedit. Sed et ipsum mare pacem dedit fluctibus, id est humanitatis Christi motibus, ipsam humanitatem perfectissime sanctificando, in omni gratia confirmando, ut Deus homo et homo sit Deus. Unde Psalmista, loquens de perfecta mitigatione et pace humanitatis Christi quoad corpus et animam, inquit Psal. 45, 6: *Deus in medio eius;* sequitur: *non commovebitur.* Quare *in pace factus est locus eius* [7], scilicet deitatis in Christi humanitate; et sic patet, quomodo per mare Deum intelligendo, Salvator dat mari pacem et tranquillitatem, in signum cuius in suo ortu angeli pacem promulgant. Christus post suam passionem tripliciter pacem dando apostolis [8], pacem inter Deum et hominem, angelum et hominem, hominem fecisse et hominem, evidenter ostendit et promit.

Sed quarto intelligendo mare litteraliter, quia sic intelligit prima pars huius conformitatis, cuius expositioni insisto, cum dicit: *Iesus pacem dat fluctibus,* est sciendum, quod Dominus noster in mari exercuit opera mira tam in Veteri Testamento quam in Novo. In Veteri Testamento ipse mare rubrum in duodecim divisit partes, secundum quod duodecim

(*a*) Al *intelligendo deitatem,* om. *per mare.* — (*b*) As, Edd. *divinitas;* sic Edd. etiam infra.

[1] Est in *Serm.* XIII *sup. Cant.*, n. 1 (P. L. 183, 833 sqq.). — [2] Ps. 23, 10. — [3] I Reg. 2, 3. — [4] Col. 2, 3. — [5] Rom. 11, 36. — [6] Ps. 88, 10. — [7] Ps. 75, 3. — [8] Ioan. 20, 19 sqq.

erant tribus, ut unaquaeque tribus per suam transiret partem, ut simul et semel omnes mare transeuntes, terram simul attingerent et Aegyptios hostes, eos in sequentes evaderent; et per tot divisiones et partes Aegyptii insequentes intrantes, omnes simul et semel ingressi necarentur. Et mirabile fuit, quod aquae divisae in tot partes immobiles starent et essent pro muro a dextris et a sinistris transeuntibus, ut habetur Exod. 14, 22. Sed mirabile fuit et stupendum de Aegyptiis, qui omnes mare intrantes, sic omnes sunt submersi ut nullus de eis vivus remaneret, ut habetur Exod. 14, 28. Sed stupendissimum exstitit de carmine, scilicet *Cantemus Domino gloriose* [1], a tot millibus hominum, mulierum, parvulorum et puellarum concorditer decantato. Sic ergo mare dividendo filiis Israel pro ipsorum transitu, et redeundo super Aegyptios ad eorum interitum, mirabilem in fluctibus se maris Dominus ostendit. Stupenda gessit Dominus in mari circa Ionam prophetam, figuram suae resurrectionis, qui proiectus in mare a belua marina susceptus et deglutitus, in ventre in diem tertiam vivens, a pisce evomitur, ut habetur Ionae 1, 12 sqq. In mari in mundi exordio mira fecit, sibi, ut terram non cooperiret, terminum ponendo ac ipsum multiplicibus piscium generationibus replendo, Gen. 1, 21. Sed in Novo mira fecit in mari. Sed sciendum quod, ut dicit magister in *Historia scholastica* [2], omnem collectionem aquarum Hebraei vocant tharsis, id est mare; et a regione vel civitatibus, ut mare Galilaeae vel Tiberiadis seu Genesareth, et sic de aliis, dicebant. In mari magno vel mediterraneo quod Christus fuerit, non legimus, etsi prope fuerit transeundo per fines Tyri et Sidonis. In mari ergo, id est lacu, qui fit a Iordanis fluvio, qui mare dicitur a Iudaeis, ipse Salvator, et circa ipsum, mira exercere voluit. Iuxta mare Galilaeae ambulando, Petrum, Andream, Iacobum et Ioannem ad sui discipulatum vocavit, Matth. 4, 18 sq. et Marc. 1, 16 sq. Ipsum mare turbatum pluries tranquillavit, ut habetur Matth. 8, 26 et 14, 28 sqq. et Marc. 6, 48 sqq. Petro petenti ire supra mare ad se concessit, et submergentem manum porrigendo liberavit, Matth. 14, 31. Per hoc mare de loco ad locum transeundo navigio ambulavit, ut habetur Matth. 8, 23; 16, 5; 13, 2. Super mare pluries ambulavit, ut habetur Matth. 14, 25 et Mar. 6, 48. Trans (*a*) mare Galilaeae de quinque panibus et duobus piscibus satiavit quinque millia hominum, Ioan. 6, 10 sqq. Et secus mare stando populos docuit et informavit, ut habetur Matth. 13, 2 sqq. Sed veniendo ad propositum; quare haec conformitas ponitur Christus Dominus ascendit pluries naviculam et stando in ea de navicula docuit populum, ut habetur Matth. 13, 2 sq Marc. 4, 1 et Lucae 5, 3. Et quia, ut dicit Lucas 5, 3, inter alias vices una (*b*) fuit dum staret secus stagnum, id est mare Genesareth, cuius, propter assiduum ventum, undae quasi continue crispabantur, ascendit naviculam et *de navicula docebat turbas*; miraculum subticetur, videlicet, quia cum undae essent assiduae in dicta parte maris, nam Genesar aura interpraetatur, navicula, in qua Christus fuit, immobilis stetit, et sic immobilis permanendo turbis praedicavit, et docuit. Ubi miraculum ostendendo de immobilitate naviculae, sic consistendo immobilis inter fluctus, turbam informavit.

4. Sed de quibus, habetur Matth. 13, 3 sqq.: *In parabolis eis* praedicavit. Et primam proposuit eis de satore et semine dicens: *Exiit, qui seminat, seminare semen suum* etc. ubi se satorem asserit, ut patet in sermonis explanatione a Salvatore ipso facta, verbique divini praedicatorem et doctrinae caelestis doctorem. Sed audientium ipsum verbum Dei triplicem ponit distinctionem, non efficaciter sed vane ipsum audientium. Et demum audientium veraciter (*c*) ipsum verbum Dei ponit modum (*d*) fructuum et conclusionem; et sic primam parabolam declarat, sic figurative propositam.

(*a*) As, Edd. om. *Trans—Ioan. 6, 10.* — (*b*) Edd. *semel;* om. *fuit.* — (*c*) As, Edd. om. *veraciter.* — (*d*) As *modicum fructum.*

[1] Exod. 15, 1. — [2] P. Comest., *In Evang.* c. 40 (P. L. 198, 1560).

Sed attendendum est unum praecipue in hac parabola et notandum, videlicet, quod Salvator verbum Dei comparat semini; nec immerito, quia semen habet:

Primo virtutem mutativam. Transit enim semen a forma propria in aliam, quia semen, ut experientia patet, mortificatur; sic verbum Dei audientes de malo mutat in bonum. Patet de ministris, qui missi fuerunt ad capiendum Iesum, Ioan. 7, 44 sqq., qui eius audientes verba mutati sunt, nec ipsum ceperunt, sed magis ad eius praeconium conversi sunt dicentes: *Nunquam sic locutus est homo.* — Habet semen secundo virtutem attractivam. Attrahit enim semen terrae humorem, aliter non fructificaret. Semen, scilicet verbum Dei, penetrat *usque ad divisionem animae* et spiritus, Heb. 4, 12, quia *vivus est sermo Dei et efficax.* Patuit in apostolis verbo Christi tractis ad se dicentis [1]: *Sequere me* etc.; sequitur: Et *secuti sunt eum.* Et, Ioann. 6, 68 sqq., dicente Christo apostolis: *Et vos vultis abire? Respondit Petrus: Domine, ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes.* — Tertio habet virtutem mollificativam. Totum semen liquefit et suam duritiem dimittit. Verbum Dei animam prius duram liquefacit, Cant. 5, 6: *Anima mea liquefacta est, ut locutus est dilectus.* Exemplum habes in libro Iudicum [2], quod filii Israel fleverunt, ut angelus Domini locutus est eis. Et Nehem. 8, 9, flevit populus audiendo verba legis. Et Petrus, gallo canente [3]. Ad verbum Domini dicentis per Isaiam 1, 16: *Lavamimi, mundi estote* etc., quidam mutatus et sanatus est, ut in *Vitis Patrum* [4] habetur. Gutta cavat lapidem; et verbum Domini timorem in corde generat, ut habetur in *Vitis Patrum* [5].

Habet quarto virtutem gratificativam. Nam terra propter semen diligitur, et non e converso. Et verbo Domini mens a Deo gratificatur, quia domus Dei efficitur, Ioan. 14, 23: *Si quis diligit me, sermonem* etc.; et sequitur: *Et ad eum veniemus et mansionem* etc. — Quinto habet virtutem despectivam. Semen habet quoad visum despectibilitatem et antequam mortificetur et mortificatum fuerit, quia turpe ad videndum. Verbum Domini dictum a quibusdam, videtur habere despectibilitatem, sicut patet de caeco nato docente Iudaeos, Ioan. 9, 30 sqq. Et tamen habet virtutem magnam, ut patuit in apostolis, Act. 4, 4. — Sexto habet virtutem unitivam et solidativam; ex se stipitem producit et solidat contra impetus et ventos. Verbum Domini solidat et roborat; Iudas suos sermonibus armavit, I Mach. 3, 1 sqq. Et *gladius spiritus est verbum Domini,* Eph. ult., 17. Verbo Dei, ut armis invictissimis, se Christus contra diabolum in deserto munivit, Matth. 4, 4 sqq. — Habet septimo virtutem fructificativam, ut docet experientia. Sic et verbum Dei, Isa. 52 [6]: *Sicut imber et ros descendit et terram germinare facit* etc., *sic* (*a*) *erit verbum meum* etc. Et dicit Evangelium, quod facit fructum centesimum [7], quia ipso vita habetur aeterna, ubi centuplum quilibet accipiet, Matth. 19, 29.

Octavo habet virtutem multiplicativam. Patet, quia uno grano seminis plura colliguntur et multiplicantur. Verbum Dei fideles multiplicat. Petro loquente verbum Dei, tria millia hominum conversi sunt, Act. 2, 41. Et post Christum, ut dicit Evangelium [8], post eum totus mundus ibat; et *turbae irruebant in eum,* scilicet Christum, *ut audirent verbum Dei,* Lucae 5, 1. — Nono habet virtutem conservativam. Virtualiter in semine fructus conservatur. Anima verbo Dei in fructu spiritus conservatur. Iesus ad conservandum apostolos eis loquebatur continue (*b*) de regno Dei, Matth. 11. Unde dicit, Ioan. 6, 64: *Verba, quae ego loquor vobis spiritus et vita sunt. Et verba mea, si in vobis manserint* etc. — Decimo habet virtutem recreativam, quia ex semine procedit fructus, qui impinguat, recreat et satiat; sic et verbum Dei. Magdalena stabat ad pedes Iesu et audiendo verbum illius, unde recreabatur, Lucae 10, 39. Et Deut. 8, 3 dicitur: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore*

(*a*) Al om. *sic—dicit.* — (*b*) As, Edd. *cotidie.*

[1] Marc. 2, 14; Matth. 4, 22. — [2] Iudic. 2, 4. — [3] Matth. 26, 75. — [4] *Vit. Patr.*, (P. L. 73, 795 sqq.). — [5] L. c. (P. L. 73, 983). — [6] Pot. 55, 10 sq. — [7] Matth. 13, 8. — [8] Ioan. 12, 19.

Dei; unde verbum Dei est pabulum animarum in praesenti. Multi sanctorum, verbo Dei recreati, alio cibo pro tunc non sunt usi. Et in futuro est cibus angelorum et sanctorum. — Undecimo habet virtutem ditativam. Nam ex semine fructus procedit, quo homo ditatur. Et verbo Dei omnia bona proveniunt et habentur. Nam ipso habetur Spiritus Sanctus, quo omne bonum gratiae habetur et virtutis, Act. 2, 1 sqq., 38 sqq. — Habet duodecimo virtutem laetificativam. Nam fructuum perceptione ex semine provenientium agricola iucundatur. Et verbum Dei gentes audientes, gavisae sunt et glorificabant verbum Dei, Act. 12, 4 sqq.; nec immerito, quia ipse est, qui *potest salvare animas* nostras, Iaçob. 1, 21. Sic ergo patet, quod ex mutua similitudine verbi ad semen et e converso, a Domino semen vocatur verbum Dei.

Et proposita prima parabola, ubi ostendit diversitatem audientium suam evangelicam doctrinam, subdit secundam parabolam de homine, qui bonum semen seminavit in agro suo etc. [1]. Ubi ostendit, quod diaboli operatione, sua sancta doctrina, significata per bonum semen satum in agro militantis Ecclesiae, per haereticos velut zizanicos debebat post apostolorum dormitionem depravari, et talis pravitas usque ad ultimum iudicii diem stare habebat.

Tertiam parabolam proposuit de grano sinapis modico [2], suam doctrinam, pro tunc modicam pravitate Iudaeorum intelligens, quae sua fortitudine volucres caeli, id est sapientes mundi ad quiescendum sub eius ramis debebat attrahere.

Quartam parabolam edixit de fermento, farinam [3] quoad magnam quantitatem ad suam vim trahente et fermentationem. Per hoc innuens suam doctrinam praedicandam per apostolos, mundum ad eius notitiam pro maiori parte trahi debere, iuxta illud Psalm. [4]: *In omnem terram exivit sonus eorum* etc.

Quintam edidit parabolam de thesauro in agro reperto [5], id est de fine, quem docet ipsius Salvatoris doctrina, scilicet regno caelorum, pro cuius adeptione homo universa vendidit iuxta Christi documentum, ut dictum thesaurum habeat et agrum.

Sextam parabolam proposuit (*a*) de negotiatione, margarita reperta [6], id est dulcedine divina praegustata, pro qua obtinenda vendit homo sua cuncta et dispergit.

Septima parabola (*b*) expressit Ecclesiam militantem in praesenti tenere sub sagena [7] fidei bonos et malos, usque dum in iudicio per piscatorem Christum mali foras et boni in vasa ponantur suae beatitudinis.

Octavam parabolam enarravit dicens, quod doctor evangelicus talis debet esse quoad doctrinam, si cupit ea obtinere regnum caelorum, ut proferat nova, scilicet a Christo dicta instituta et peracta, et deinde vetera [8], id est in Veteri Testamento. Ratio, quia vetera umbrae et figurae fuerunt, et nova sunt vera et veritate plena et gratia per Christum, Ioan. 1, 14.

Praefatas ergo octo parabolas, Matth. 13, Dominum Iesum dixisse ponit de navicula ad turbas. Circa quarum expositionem non insisto causa brevitatis, quia de eis alias erit sermo, Christo duce. Quarum (*c*) parabolarum expositione facta per Christum apostolis [9], quibus *datum fuit nosse mysterium regni Dei,* tranquillatum fuit mare, id est appetitus intellectus; et sic Dominus Iesus Christus, ascendendo naviculam **pacem** et tranquillitatem **dedit fluctibus**, prout dicebat prima pars istius VIII conformitatis et XX in ordine.

Praefatis ergo a Christo mirabilibus in mari operatis et circa mare, ostenditur nobis fidelibus ipsum Dominum Iesum Christum habere potestatem super omnia elementa et elementata (*d*), scilicet Dominum esse caeli et terrae, maris et omnium, quae in eis sunt; etsi

(*a*) As *finxit;* Edd. *praemisit.* — (*b*) Al, As *Septiman parabolam.* — (*c*) Edd. *quare.* — (*d*) Al om. *et elementata.*

[1] Matth. 13, 24-30. — [2] Matth. 13, 31-2. — [3] L. c. v. 33. — [4] Ps. 18, 5. — [5] Matth. 13, 44. — [6] V. 45-6. — [7] V. 47-50. — [8] V. 52. — [9] Marc. 4, 11.

mirabiles sint (*a*) *elationes maris* [1], mirabiliorem ipsum esse in altis Dominum, se istum mundum, per mare significatum, gubernare, eius tribulationum tumefactiones contra bonos mitigare. Nec posse quemquam ab huius mundi naufragio eripi, nisi ab ipso erutum et liberatum, ventumque diabolicae tentationis, quo in hoc mundo exurimur, ut in mari, nec vincere nec mitigare nos valere sine ipso. Deficere necesse esse (*b*) hominem in hoc mundo uti in mari, nisi divini auxilii cibo recrearetur divino et robararetur. Beatum fore, quem evocat ab hoc mari, id est mundo. Quibus pandat suam mirificam doctrinam, iam dictis patet, quia videlicet a mari seclusis et stantibus in littore elongatis scilicet a strepitu mundanorum. Per mare Dominum ambulare, suos est in navem suae protectionis assumere et gubernationis. Supra mare ambulare, est ostensio (*c*) Domini Iesu innocentiae et immunitatis a peccato; ac quem a peccato praeservat sua gratia, supra mare iubet ambulare cum Petro, et deinde ipsum esse, qui per Petri naviculam, id est fidem rectam, nos per mare ducendo vitae praesentis, tandem ducit in civitatem suam, quia in futuro fideles liberatos a mari, id est a praesenti saeculo nequam, ad suam gloriam perducit. Amen.

Secunda pars fructus octavi et conformitatis secundi libri, et vigesimae in ordine, videlicet:

Franciscus solidatur.

Expositio.

Benignissimus Dominus noster Iesus Christus suis discipulis dilectis et filiis, non solum pro seipsis sed pro aliis fidelibus ipsi tota mentis intentione adhaerentibus et devotione, concessit, ut mira quae gessit non solum facerent, sed et maiora, ut patet Ioan. 14, 12. Quod utique in principe apostolorum Petro exstitit verificatum, cuius umbra, quod de Christo non legitur, sanabat infirmos, ut patet Act. 4 [2], etsi (*d*) virtute Christi. Hilarion mari terminum posuit [3]; Gregorius Caesariensis movit montem [4] et sic de aliis; Honoratus in sublime fecit stare lapidem [5]; Martinus lapidem saltare fecit, ut dicit Gregorius [6]; Benedictus, solum respiciendo, hominem ligatum solvit [7]; multique sancti similia peregerunt. Quibus benignitas ad ipsos astruitur Salvatoris, piis eorum condescendendo votis et talem virtutem in signum dilectionis ab ipso eis plenissime conferendo.

1. Etsi circa sanctos diversos Dominus noster diversa sit operatus, ac distincta munera dederit gratiarum, praecipue tamen benignus et clemens erga patrem nostrum beatum Franciscum praecedentibus conformitatibus et sequentibus declaratur, et specialiter, ut praesens conformitas proponit (*e*), ipsum beatum Franciscum signis maximis mundo reserando. Cui concessit benigne non modo (*f*) in supernis et Angelis, in elementis et herbis, in animalibus brutis et hominibus, sed in elemento de sui natura instabilissimo et inquietissimo, videlicet in mari, mirabilia operari, prout secunda pars huius VIII conformitatis declarare intendit dicens: *Franciscus solidatur,*

(*a*) Al, As *esse.* — (*b*) Edd. *nec. est;* Al *def. tenere condecet h.;* As *def. tenere contra h.* — (*c*) As *ostensive;* Edd. *ostensivum.* — (*d*) As, Edd. *quamvis.* — (*e*) Edd. *proposuit.* — (*f*) Edd. *solummodo.*

---

[1] Ps. 92, 4. — [1] Est. Act. 5, 15. — [2] S. Hieronymus, *Vita S. Hilarionis* n. 40 (P. L. 23, 49 sq.). — [4] Greg. Nyss. *Vita S. Gregorii* (P. G. 46, 918). — [5] *Dialog.* l. I, c. 1 (P. L. 77, 156). — [6] *Dialog.* l. III, c. 16 (P. L. 77, 260 sqq.). — [7] L. c, l. II, c. 31 (P. L. 66, 190).

id est in mari non agitatur eius impulsu, sed mare sub eius persona mira tranquillitate adeo tenetur, donec ipse pater Franciscus oraret in mari navicula permanendo, et demum iuxta littus permanendo, dum populo praedicaret.

Et quod id sic fuerit, ponit Dominus frater Bonaventura episcopus cardinalis Albanensis in XII parte *Maioris Legendae* [1]. Et idipsum ponit in V parte *Minoris* (*a*) *Legendae* [2], ubi sic inquit: « Quodam tempore quo famulus Dei Franciscus semel in maris littore (*b*) Gaietae praedicaret, turbis prae devotione irruentibus, ut eum contingerent, horrens Christi famulus tantum populorum applausum, in unam haerentem littori naviculam prosiliit solus. Illa vero, tanquam si rationis participe (*c*) motore moveretur intrinseco, sine aliquo (*d*) remige, cernentibus et mirantibus cunctis, se longius a terra protraxit. Dum autem aliquanto spatio in maris altitudinem secessisset, stetit inter fluctus immobilis, quamdiu vir sanctus turbis exspectantibus in littore [3] praedicare complacuit. Cumque, audito sermone, visoque miraculo ac benedictione accepta, ipso rogante, multitudo recederet, non alterius quam caelestis iussionis impulsu navis ad terram applicuit ». Et concludit [4]: « Tanquam si *creatura Factori deserviens* [5] Creatoris perfecto cultori et sine rebellione se subderet et sine retardatione pareret ». Haec praefatus doctor.

Ubi primo est videnda beati Francisci in hoc miraculo ad Christum conformitas. Et demum videndum erit, quomodo beato Francisco, ut Christo conformi et maritimorum fluctuum subiugatori idoneo, maris altitudo subiici per omnia debebat.

Circa primum de conformitate est advertendum quod, ut patet ex dictis in prima parte huius conformitatis, habetur Luc. 5, 1 sqq., ac etiam ex dictis in hac secunda parte huius conformitatis, conformitas accipitur:

Primo quoad situm. Iesus *stabat secus stagnum Genesareth*, quod stagnum in Evangelio saepe mare vocatur. Franciscus secus mare Gaietae.

Secundo quoad turbae devotionem, quia *turbae irruebant in Iesum*. Et turbae prae devotione irruebant in beatum Franciscum.

Tertio quoad verbum, quia *turbae irruebant* in Christum, *ut tangerent eum*, principaliter *quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes*, Luc. 6, 19 sq. et *ut audirent* ab eo *verbum Dei*. Nam *nunquam sic locutus est homo* [6]. Turbae in beatum Franciscum irruebant, ut tangerent eum et demum ut praedicantem audirent. Omnis sexus et aetas ad beatum Franciscum accedebant, ut audirent, viderent et eum tangerent, ut dicit XII pars *Legendae maioris* et dictum est I libro conformitate X [7].

Quarto quoad actum, quia Iesus turbarum volens vitare taedium et applausum, ac ostendere, ut dicetur, miraculum, *ascendit unam naviculam, quae erat Simonis*, et a terra fecit se abduci. Beatus Franciscus populorum volens vitare applausum, et Deus volens ostendere beati Francisci sanctitatem, ascendit solus unam naviculam littori cohaerentem, quae a longe eum abduxit.

Quinto quoad miraculum (*e*) ostendendum, etsi in Evangelio non dicatur, quod Christi navicula non stetit vel stetit (*f*) immobilis, tamen subintelligi datur, quia ali-

(*a*) Al, Edd. *maioris*. — (*b*) Al add. in marg. *dum*. — (*c*) As, Edd. *particeps*. — (*d*) Edd. *alio*. — (*e*) As *mirabilem*; As, Edd. om. *ostendendum*. — (*f*) Edd. om. *vel stetit*.

[1] *Leg. Mai.* c. 12 n. 6. — [2] *Leg. Min.* part. V, lectio 4, (p. 252); supra p. 12 n. 11; A F IV, 477. Revera autem textum *Leg. Mai.* profert Pisanus. — [3] Hinc *Leg. Min.* sequitur. — [4] *Leg. Min.* l. c. — [5] Sap. 16, 24. — [6] Ioan. 7, 46. — [7] A F IV, 468 sqq. 477.

ter non potuisset bono modo praedicare populo propter mobilitatem. Miraculum etiam innuitur, cum stagnum sive mare in illa parte Genesareth esset semper inquietum, et tunc praedicante Christo navicula immobili permanente, sub ea fuit quietum. — In beato Francisco primum miraculum fuit, quia navicula se sola sine alio remige in altum protraxit ac a terra elongavit. — Secundum, quia elongata a terra inter fluctus immobilis permansit, quamdiu beato Francisco praedicare complacuit. — Tertium, quia finita praedicatione, se sola navicula ad terram reduxit.

Sexto (*a*) quoad praedicationem. Christus exsistens in navicula, turbis exsistentibus in littore stagni, de navicula eis praedicavit et eas docuit. Sic beatus Franciscus stans in navicula, praedicando eos docuit.

Septimo quoad doctrinam. Iesus docebat de regno Dei. Matth. 21 [1]. Beatus Franciscus, quod ipse Christus Dei virtus et sapientia eidem inspirabat, docebat; unde eius verba erant medullas cordis penetrantia et omnes ad Christum velle trahere videbantur.

Octavo quoad studium. Christus nec tempore nec loco ob zelum animarum cessavit a doctrina. Sic beatus Franciscus, factus evangelicus praeco; patet, quia nec in mari exsistens ab instructione fidelium se retraxit, ut docet haec conformitas.

Nono (*b*) quoad doctrinae approbationem. Sicut Christus ad authenticandum doctrinam suam opera faciebat divina, propter quod dicit, Ioan. 10, 38: *Si mihi non vultis credere, operibus credite* etc., et facta praedicatione de navicula, miraculum fecit de piscium captione, Petro laxante rete, ut habetur Luc. 5, 4 sqq., et de illorum, qui in Petri navi una cum Petro erant, ad sui discipulatus vocationem, nam, *relictis omnibus,* ut habetur ibidem, *secuti sunt eum,* sic Deus ad firmandum beati Francisci doctrinam, utpote ab ipso inspiratam eidem, tam evidenti miraculo, ut praedictum est, voluit esse testatam, quare non spernendam (*c*) sed ab omnibus ut Deo placitam accipiendam. Est advertendum in hoc, quod Dominus Iesus in beato Francisco fecit, quod ipse nunquam peragerat. Nam ipse (*d*) Petrum rogavit, ut abduceret eum a terra; et tamen beatum Franciscum navis impulsu divino suscepit, a terra subtraxit, immobilis stetit et demum, praedicatione finita, reduxit, ut quantum beatus Franciscus esset ei dilectus ostenderet; circa quem mira exercuit, quae ipse in vita circa se et per se non peregit. Et sic patet succincte de primo, videlicet de conformitate praesenti inter Dominum Iesum Christum et beatum Franciscum.

2. Videndum est nunc de secundo, pro nostra instructione et beati Francisci commendatione, quomodo maris elatio seu fluctus subiici beato Francisco debebat et sub eo tranquillari et immobilitari. Ubi sciendum, quod cum dictum sit [2], quod aliquando mare in sacro Eloquio pro poenitentia accipitur, et hoc mare beatus Franciscus perfecte transierit et tranquillaverit poenitentiam agendo (*e*), ut plane deductum est conformitate praecedenti [3], ubi est deductum quod beatum Franciscum poenitentiam egisse ostendunt cibus, potus, vestis, cultus et lectus, corpus viliter contectum,

(*a*) As, *quarto,* et secundum hoc, deinde. — (*b*) As *septimo.* — (*c*) Edd. *spernenda est... placita accipienda.* — (*d*) Edd. *ipsum.* — (*e*) As, Edd. *exercendo.*

[1] Pot. 20 sqq. — [2] Supra p. 199, l. 16 sqq. — [3] Supra p. 189-198.

subiugatum oneribus, servitiis mancipatum, extenuatum ieiuniis, disciplinis maceratum, itineribus fatigatum, exercitium et labor, locus, quia habitatio in desertis, verbum, visus et aspectus, et sic de aliis, quae beatum Franciscum poenitentiam acerbam peregisse attestantur. Mare, per quod mundus accipitur, tranquillavit beatus Franciscus ipsum deserendo, abdicando, abrenuntiando et totaliter dimittendo, ut ostensum est conformitate VI [1] libri I et XVI [2] huius II; unde ipsum ab hoc mundo mari exivisse et consequenter in tranquillo stetisse praefata declarant, et quia paupertatem super omnia dilexit, despiciendo divitias mundi, delicias, pompas, status, vestes, victum largum, domos amplas et sumptuosas, nil suum esse profitendo et paupertatem sibi in sponsam perpetuam coniungendo, ut in dictis locis patet evidenter.

Tertium mare (*a*) tempestuosum et mobile, id est propriam voluntatem, beatus Franciscus tranquillavit, se despiciendo, nihil reputando, se totaliter abnegando, iniurias libenti animo sustinendo, praelationem fugiendo et deponendo, laudes proprias abhorrendo, leprosis et abiectis personis serviendo, minimis se subiiciendo ac humilitatis opera semper exercendo, et deinde superbiam et quidquid ad ipsam spectat detestando, ut conformitate V huius II libri [3] est declaratum. Ac mari infinito et immenso non mobili sed immobilissimo Domino Deo, beatus Franciscus fuit perfecta cohaesione coniunctus et copulatus, eius praecepta servando, voluntatem indagando, quae ei placent operando, displicentia sibi detestando, sibi animam et corpus continue (*b*) immolando, nihil nisi ipsum adamando, nec aliud quidquam optando, ipsius contemplationi assidue vacando, iugiter eius crucem in corpore et anima baiulando. Non mirum ergo fuit, si maris creatura beato Francisco, Creatoris servo intimo, se subderet, immobilem redderet et quietum, ac Deum, qui est *mirabilis in sanctis* eius [4], beatum Franciscum tanto miraculo honorificare voluisse, cum ipse antea dixerat, I Reg. 2, 30: *Quicumque* honorificaverit me, honorificabo eum, et *quicumque glorificaverit me, glorificabo eum.*

Sic ergo Dominus beatum patrem Franciscum praefato modo in maritimo elemento mirificavit Gaietae, et sibi in hoc conformem exhibuit, qui paulo ante in mari Sclavoniae, ipsi (*c*) beato patri, redire volenti ad portum Anconae, et cibaria misit et demum, pluribus diebus vi ventorum nautis nusquam navigare valentibus et cibariis eorumdem omnibus consumptis, sic cibaria viro Dei collata multiplicavit, ut diebus pluribus in mari propter tempestatem continuam moram contrahentibus, usque ad portum Anconae omnium necessitatibus plenarie subveniret [5]. Unde nautae videntes per Dei servi merita se mortis evasisse discrimina, tanquam qui maris horrenda pericula senserant et miranda Dei *opera* viderant *in profundo* [6], gratias egerunt omnipotenti Deo, qui semper in suis amicis et servis mirabilem et amabilem se ostendit. Sic ergo praefatis apparet succincte expositio secundae partis huius conformitatis, scilicet: *Franciscus solidatur.* Ad (*d*) Christi laudem. Amen.

(*a*) As om. *tertium mare.* — (*b*) As, Edd. *cotidie.* — (*c*) Edd. breviant *eius et aliorum necessitatibus plenarie subvenit.* — (*d*) As, Edd. om. *ad Ch. l. Amen.*

---

[1] AF IV, 144 sqq. — [2] Supra 100 sqq. — [3] Supra p. 129 sqq. — [4] Ps. 67, 36. — [5] *Leg. Mai.* c. 9 n. 5; I Cel. I, 20 n. 55. *Tract. mirac.* c. 5 n. 33. — [6] Ps. 106, 24.

FRUCTUS ET CONFORMITAS NONA ET IN ORDINE VIGESIMA PRIMA: Iesu Daemon Expellitur. — Franciscus Effugator.

Expositio primae partis, videlicet: **Iesu daemon expellitur.**

Dominus noster et Salvator Iesus Christus, propter nos homo factus, etsi ut nos redimeret propterea venit et nostram salutem, attamen ad liberandum nos a manibus diaboli et nos in pristinam libertatem ponendos venisse etiam comprobatur. Diabolus enim ante Christi mortem et nostram redemptionem peccato primorum parentum omnes decedentes ex hac vita sub sua detinebat potestate: malos enim in inferno; alios vero sive purgandos in purgatorio, non purgandos, utpote sanctos et bonos, in limbo includendo et detinendo. Unde duas manus habere probatur (*a*): unam ad impellendum in peccatum, aliam vero ad detinendum, doctores sancti III *Sententiarum* dist. 19, eidem dant et tribuunt. In vita vero praesenti omnes, exceptis quibusdam Israelitis Dei legem servantibus et cultum, quasi possidebat tam idololatriae subiectione quam vitiorum sordibus et prava operatione, quibus mundus tunc totus inficiebatur et subdebatur. Omnes enim, Israelitis exceptis et quibusdam forte secundum legem naturae degentibus, idola colebant, vitia sectabantur potius quam virtutes, et adeo in praefatis mundus errabat, ut non unum idolum, sed infinita[s] factione[s] daemonum adorabant, creaturas omnes caelestes, terrestres et subterrestres, Creatore omnium summo praetermisso, excolendo. Nec virtutes quis imitari satagebat nisi ad superbiae faustum et vanam (*b*) gloriam, prout declarat beatus Augustinus V *De civitate Dei* [1]. Insuper homines guerris [2], divisionibus, seditionibus et discordiis pluribus laborabant, non se amantes ut fratres et proximos, sed se odientes et bona mutuo auferentes. Quibus mundus infinitis guerris et bellis laborabat, et vitiis omnibus plenus, nequitiis diabolicis subiacebat, prout recitat Paulus Orosius [3] in suis primis V libris *De Ormesta mundi.* Nec mirum, cum diabolus, qui et Sathanas, tunc non esset ligatus, sed solutus. Et nos *natura filii irae* [4], potius originali delicto proni ad malum quam faciles ad bonum inveniebamur. Salvator ergo noster volens a diaboli manibus humanum genus eripere et post ereptionem formam praebere, non solum evadendi diaboli laqueos et eius tentationes, sed ipsum in omnibus superandi diabolum, in se primo diabolicas suscipiendo et perferendo tentationes, ipsum vincendo et superando, modum praebuit suppeditandi [5] diabolum et superandi. De quo modo dictum est sufficienter in I libro huius operis conformitate VII [6]. Verum quia non solum particulariter, quoad singulos homines, sed etiam generaliter, quoad omnes homines cuiuscumque conditionis, status, sexus et aetatis essent, ipse hostis diabolus erat supprimendus et a mundo expellendus, ipse Salvator noster Christus, ut *fortis armatus* [7] multa peragendo et ordinando diabolum vicit, superavit et ab eius manibus genus humanum potenter eripuit. Volens enim hominem a diabolo liberare:

1. Primum quod egit, fuit eius incarnatio. Carnem enim suscipiendo (*c*), teste Gregorio [8] et Augustino, escam et muscipulam ad ipsum capiendum eidem tetendit. Nam mysterium incarnationis diabolo, teste Ambrosio [9], fuit celatum; unde certa scientia nunquam cognovit eum esse hominem Deum, etsi quibusdam coniecturis aliquando id deprompsisset.

(*a*) As, Edd. om. ***probatur.*** — (*b*) As, Edd. ***inanem.*** — (*c*) As, Edd. ***sumendo.***

---

[1] L. c. l. V, c. 18 (P. L. 41, 162 sqq.). — [2] Guerra, i. e. bellum. — [3] *Histor.*, (P. L. 31, 663-986. — [4] Ephes. 2, 3. — [5] I. e. pedihus calcandi. — [6] AF IV, 149 sqq. — [7] Luc. 11, 21. — [8] *Moral.* l. 33, c. 7 (P. L. 76, 680). — [9] *In Luc.* l. II n. 3 (P. L. 15, 1553 sq.).

Secundum quod egit, ut dictum est libro I conformitate VII [1], est in deserto cum diabolo colluctatio et superatio. Hoc non solum ostendit diabolum divina virtute superari, sed et modum ostendit et docuit eum a fidelibus superandi.

Quod tertium egit, est sanctae doctrinae vera informatio. Ostendit enim opera diaboli pessima vitia abhorrenda, quibus homo capitur a diabolo et tenetur, ut patet ex serie sancti Evangelii et specialiter Matth. 5; 6 et 7 sqq.

Quod quartum egit, est veri cultus demonstratio. Nam ostendit veram fidem, Deum trinum et unum esse et solum (*a*) adorandum, qui omnia creavit, et nullo modo creaturam colendam (*b*), quare et cultum idololatriae subvertit et deiecit, et (*c*) Deum ostendit adorandum in *spiritu et veritate,* Ioan. 4, 23.

Quod quintum egit Christus, est sacramentorum institutio. Baptismus enim tollit peccatum et liberat a diabolo, praestat gratiam, per quam operibus diaboli quis abneget et vitam Christi prosequatur. Et sic de aliis sacramentis, per quae contra diabolum homo armatur, defensatur et roboratur.

Quod sextum egit, est inter servientes diabolo et Deo distinctionis ostensio; quia tales in praesenti habent in patrem diabolum, alii vero Deum. Ratio, quia cuius opera quis peragit, eius et filius nuncupatur; et demum post hanc vitam filii diaboli vadunt *in supplicium aeternum, iusti autem,* Dei filii, vadunt *in vitam aeternam,* Matth. 25, 46.

Quod septimum egit Christus contra diabolum, est poenitentiae publicatio et praedicatio. Ipsa enim poenitentia a diabolo liberat et appropinquare facit regnum caelorum, Matth. 4, 17.

Octavum quod egit Christus contra diabolum, est peccatoribus (*d*) indulgentiae condonatio. Sic enim faciendo, a diabolo perfecte hominem liberat. Patuit in Magdalena, a qua septem daemonia eiiecit, Marc. 16, 9 et Luc. 7, 37 sqq., et de muliere in adulterio deprehensa, Ioann. 8, 3 sqq.

Nonum quod egit Christus, est sui sancti nominis ad invocandum contra diabolum declamatio. Vis a diabolo eripi, nec ipsum timere? Nomina Iesum. Marc. (*e*) ult., 17: *In nomine meo daemonia eiicient* etc. Et Luc. 10, 17: *In nomine tuo daemonia subiiciuntur nobis* etc.

Decimum quod egit Christus, est pro nobis sui Deo Patri in ara crucis oblatio. Mors enim Christi nos a morte peccati et diabolo liberavit. In cuius signum diabolus, dum crucis et crucifixi Iesu signum intuetur, statim aufugit.

Undecimum quod egit Dominus Iesus Christus contra diabolum, est a suis manibus patrum et aliorum defunctorum cum gratia decedentium, tam de limbo quam de purgatorio liberatio. Descendit enim ad interna, et genus humanum ab ipso potenter eripuit et accepit.

Duodecimum quod egit Christus, est ipsius Luciferi, omnis malitiae capitis, captivatio et ligatio. Nam *ligavit ipsum per annos mille* catena magna, ut habetur Apoc. 19 [2]. Qua captivatione facta, diaboli potestas, dominium et malitia sunt deprehensa. Post mortem Christi praedicatione Apostolorum et sanctorum idololatriae cultus est amotus, et humanum genus non sicut prius sic est tentatum aut superatum. Et quia diabolus, cum sit spiritus et per consequens non a nobis visibilis, eiusque potestas sit magna, ut humana virtus ei aequiparari non possit, Iob 41, 1 sqq.; ex quo Dominus noster Iesus Christus venit ad liberandum nos, quod diabolum valeret vincere, debuit hoc fidelibus ostendi: primo signo visibili et materiali, ut effectu homo apprehenderet (*f*) et Christi potentiam contra diabolum et efficaciam, ac proculdubio fide firma teneret per ipsius Christi passionem efficacissimam se non solum ab operibus diaboli, sed a manibus veracissime liberatum. Sed quibus signis virtus

(*a*) Edd. repet. *esse*, om. *solum*. — (*b*) As, Edd. *creatura colenda*. — (*c*) As, Edd. *quem*. — (*d*) As, Edd. *peccatorum*. — (*e*) Codd., Edd. *Matth.* — (*f*) As, Edd. *comprehenderet*.

[1] AF IV, 151. — [2] Pot. Apoc. 20, 1 sq.

Christi contra virtutem diaboli debebat ostendi? Certe homines a diabolo vexatos liberando. A spiritibus immundis Iesus homines liberando, effectu ostendit se et velle et posse homines de manibus diaboli liberare. Fecitne sic Dominus Iesus? Certe sic; et sic esse huius conformitatis IX prima pars dicit: *Iesu,* id est per Iesum et propter Iesum, *daemon expellitur.* In sacro enim Evangelio Dominus Iesus a daemonio vexatos plures liberavit. Magdalenam enim, teste Marco 16, 9, a septem daemonibus liberavit, ab ipsa eos eiiciendo. Daemonia habentes curavit, Matth. 4, 24. Multos daemonia habentes et verbo eiiciebat, Matth. 8, 28 sqq. Hominem mutum et daemonium habentem curavit, Matth. 9, 32 sqq. Caecum et mutum habentem daemonium curavit, Matth. 12, 22 sqq. Filiam curavit Cananeae daemoniacam, Matth. 15, 22 sqq. Filium cuiusdam, qui habebat daemonium et erat lunaticus, quem apostoli curare non potuerunt, Iesus liberavit, Matth. 17, 14 sqq. Alium habentem legionem daemonum Iesus curavit, ut habetur Matth. 8 [1]. Mulieres plures liberavit a daemonio, ut habetur Luc. 8, 2; et sic de aliis. Quibus effectibus visibilibus argumentum fuit omnibus, et Dominum Iesum Christum potestatem habere maiorem quam daemones, et venisse ad hominem a diabolo liberandum. Quod vero genus humanum a diabolo liberaret, praedictum fuerat a Zacharia propheta, 9, 11: *Tu* autem *sanguine testamenti tui emisisti vinctos de lacu, in quo non est aqua.* Articulus est nostrae fidei Christum descendisse ad inferos, ad patres liberandum. Et quod secum patres eduxerit, dicit Psal. [2]: *Captivam duxit captivitatem,* et ad caelum et in altum ascendendo eam secum duxit. Et quod per Christum sit habita victoria contra diabolum, et diabolus sit ab eo victus, ligatus et enervatus, patet in sanctis viris et mulieribus, qui crucis Christi signo et virtute daemonibus imperant, expellunt et suppeditant. Benedictus, crucis signo edito, diabolum in specie avis merulae eidem apparentis effugavit [3]. Fortunatus legionem unam a muliere eiecit [4]. Hilarion signo crucis multos oppressos a diabolo liberavit [5]; et sic de aliis sanctis: vide *Legendas* sanctorum. In signum eorum deiectionis, debellationis et annullationis a Christo et specialiter a sua efficacissima passione est, quia ipsi pravi daemones signum crucis nec possunt aspicere, nec Christi passionem vel sanguinem valent audire nominare. Statim enim fugiunt, si crucis signum viderint vel passionem Christi audierint. Daemones immissi per Cyprianum magum ad sanctam Iustinam [6], viso signo crucis statim recesserunt; quo cognito, Cyprianus ad fidem conversus est. Sic et sanctus Christophorus [7], et sic de aliis. Quare, cum Dominus et Salvator noster diabolum vicerit, ceperit et ligaverit ac sub sua potestate eum teneat, ac Christi invocatione et nominis, signique ipsius sacri (*a*) in fronte, pectore ac in ceteris membris impressione diabolus effugetur et abiiciatur; hinc est, quod suum sanctissimum nomen semper invocandum est a nobis, ac signum crucis summa cum devotione corporeis membris imprimendum, sive non tentemur a diabolo, ut praeservemur, sive ab ipso tentatione quacumque pulsemur, ut ab ipsa liberemur. Quia ab omnibus periculis, impulsibus, tentationibus et deceptionibus eripiet inimici, si ipsius nomen invocatum fuerit devote, cui *omne genu* flectitur *caelestium, terrestrium et infernorum* [8], ac passionis ipsius impressum nobis fuerit signum, cui data est *omnis potestas in caelo et in terra* [9]. E sic patet quod, licet multa sint remedia a Christo instituta contra diabolum ad ipsum vincendum et fugandum, duo praefata, scilicet sui nominis invocatio et crucis consignatio, valida sunt et efficacissima contra diabolum.

2. Nomen Domini dictum, scilicet Iesus, et sit (*b*) nomen: Primo audientibus dignissimum et reverendissimum et venerabilissimum, utpote quia dicit Apostolus, Philip. 2, 10: *In nomine eius omne genu flectatur* etc.

(*a*) Al *sacra;* As *facto.* — (*b*) Edd. *est;* om. *etsi.*

[1] Pot. Marc. 5, 2 sqq. — [2] Ps. 67, 19; cf. Eph. 4, 8. — [3] S. Greg. *Dialog.* l. II, c. 2 (P. L. 66, 132). — [4] L. c. l. I c. 10. (P. L. 77, 200 sq.). — [5] P. L. 23, 31 sqq. — [6] *Acta SS.* Sept. VII, 20. — [7] *Acta SS.* Iul. VI, 146 sqq. — [8] Phil. 2, 9. — [9] Matth. 28, 18.

Sit (*a*) secundo poenitentibus gratissimum, quia in refrigerium divinae placationis. Iesus enim Salvator interpretatur, quia *salvum* facit *populum suum a peccatis eorum*[1]; unde Ioannes in I Canonica 2, 12 dicit: *Filioli, remittuntur vobis peccata propter nomen eius.*

Sit tertio aegrotantibus efficacissimum. Marc. ult. 17 sq.: *In nomine meo* etc.; sequitur: *Super aegros manus imponent, et bene habebunt.* Istud reddidit claudis gressum: Act. 3, 6: *In nomine Iesu surge et ambula,* dixit Petrus claudo; caecis visum: Dionysius nominando Iesum, caecum illuminavit, et sic de aliis Iesu nomine sanatis infirmitatibus.

Sit quarto patientibus gratiosissimum, quia in solatium consolationis, Matth. 5, 11, dixit Christus: *Beati estis, cum maledixerint vobis homines* etc. *propter* nomen meum. Et Act. 5, 41: *Ibant* Apostoli *gaudentes* etc., sequitur: *Quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.*

Sit quinto proficientibus virtuosissimum, quia est speculum et perfectum exemplar omnis perfectionis. Psalm.[2]: *Deduxit me super semitas iustitiae propter nomen suum.* Bernardus *Sermone* XV *Super Cant.* dicit[3]: « Siquidem cum nomino Iesum, hominem mihi propono mitem et humilem corde, sobrium, benignum, castum, misericordem in opere, et omni denique sanctitate conspicuum ».

Sit sexto nomen excellentissimum. Nam duas naturas in Christo explicat, scilicet divinam et humanam et unam personam, prout dicit Papa Innocentius in suis *Sermonibus*[4] et allegat sanctus Antonius noster in suis *Sermonibus* dicens: « Hoc nomen Iesu duas habet syllabas, quia Iesus duas habet naturas, divinam videlicet et humanam. Divinam ex Patre, ex quo natus est sine matre. Humanam de matre, ex qua natus est sine patre. Duae ergo syllabae in hoc sunt nomine, quia duae sunt naturae in hac una persona. Habet quinque litteras, tres vocales et duas consonantes. Vocalis est illa, quae dat vocem per se. Consonans, quae reddit sonum (*b*) cum alia. Per tres ergo vocales significatur deitas, quae cum sit una per se, sonat in tribus personis. Nam[5]: *Tres sunt, qui testimonium dant in caelo. Pater, Verbum et Spiritus Sanctus; et hi tres unum sunt.* Per duas consonantes humanitas (*c*) signatur, quae cum habeat duas substantias, videlicet carnem et animam, non sonant per se sed magis cum alia, cui coniuncta est in unitate personae. « Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus[6] ». Persona siquidem dicitur rationalis substantia per se sonans, quae est Christus, Deus quidem et homo. Sed Deus per se sonat in quantum Deus, non autem in quantum homo; quia Deus recepit humanitatem illius, personalitatem non assumens. Sed humanitas accepit deitatem et illius deitatis personalitatem. Et persona non assumpsit personam, sed natura naturam assumpsit ». Haec sanctus Antonius. Ex quo patet, quod cum nihil sit Deo excellentius et in creaturis terrenis homine, hoc nomen Iesus exprimens haec duo, nomen excellentissimum esse comprobatur.

Sit septimo singularissimum insolitum et speciale, quia *nomen novum* ab Isaia dicitur[7]; quia ut competit Christo, nulli convenit. Ratio, quia nullus est generalis mundi Salvator, nec liberat populum a peccatis, nisi solus Christus.

Sit octavo deficientibus solidissimum sustentamentum. Patet de claudo nomine Iesu a Petro, ut dictum est, sublevato, Act. 3, 6; per quod innuitur, quod Iesu nomen est nostrum sublevamentum.

Sit nono confitentibus honorabilissimum, ad decus videlicet ipsorum et honorem. Angelus a Ioanne Iesu nomine decorato, non permisit se adorari, Apoc. 22, 9. Ratio, quia ipse Christus *dedit* hominibus *potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius*[8].

(*a*) Edd. om. *sit*, etiam infra. — (*b*) Edd. *vocem*. — (*c*) As, Edd. om. *humanitas;* tunc *quod* pro *quae*.

---

[1] Matth. 1, 21. — [2] Ps. 22, 3. — [3] L. c. n. 6 (P. L. 183, 847); cf. Sap. 7, 23; Ioel, 2, 13; Tit. 1, 8. — [4] *Sermo in Circumcisione Domini,* post init. (P. L. 217, 465 sq.). — [5] I Ioann. 5, 7. — [6] Symbolum « Quicumque » (Athanasianum) v. 35. — [7] Is. 62, 2. — [8] Ioan. 1, 12.

Sit decimo praedicantibus veracissimum, ad testimonium datum attestationis veritatis. Marc. ult. 15 sqq. dicit Iesus apostolis: *Ite in mundum universum et praedicate Evangelium* etc. sequitur: *In nomine meo daemonia eiicient* etc.

Sit undecimo memorantibus devotissimum, quia in suspirium devotionis. Bernardus [1]:

Nil canitur suavius,
Auditur nil iucundius,
Nil cogitatur dulcius,
Quam (*a*) Iesus Dei Filius.

Unde Is. 26, 8: *Domine, nomen tuum in desiderio animae* meae.

Sit duodecimo experientibus dulcissimum, quia in gustu et fructu delectationis. Cant. 1, 2 dicitur: *Oleum effusum nomen tuum.* Bernardus [2]: « Aridus est omnis cibus animae, si non hoc oleo condiatur ».

Sit tertio decimo postulantibus acceptissimum, quia facit obtinere, quod petitur. Ioan. 15, 16: *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis;* unde Ecclesia ad obtinendum quod petit, in fine orationum semper ponit: « Per Dominum nostrum Iesum Christum ».

Sit quarto decimo perseverantibus gloriosissimum. In patria est praemium glorificationis, Psal. [3]: *Gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum.* Et Apoc. 14, 1: Beati habebunt *nomen eius scriptum in frontibus suis.* Et Act. 3 [4]: *Non est datum aliud nomen sub caelo hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* etc.

3. Sed hoc nomen Iesus, etsi datum est nobis quoad praefata, est etiam datum nobis pugnantibus et stantibus in hoc mundo in auxilium fortissimum et validissimum protectionis, quia ipsum nomen benedictum *Iesus* daemones expellit, ut dictum est et habetur Marc. ult. 17 et Luc. 10, 17. Valet etiam contra omnes alios impetus, dicente Domino per Psalmistam [5]: *Protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.* Et Prov. 18, 10: *Turris fortissima nomen Domini.* Hoc ergo nomen Domini invocandum est pie, dulciter et instanter in cunctis adversitatibus, tentationibus et periculis, Ioel 2, 32: *Quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Quapropter devotus Bernardus *Super Cantic. Sermone* XV [6] sic loquebatur de nomine benedicto Iesu: « An non toties confortaris, quoties recordaris de eo? Quid aeque cogitantis mentem impinguat? Quid ita exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat mores bonos, castas fovet affectiones, ut nomen Iesu? Iesus mel in ore, in aure melos, in corde iubilus. Est etiam hoc nomen medicina. Tristatur aliquis vestrum? Veniat in cor Iesus, et inde saliat in ore. Et ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, et redit serenum. Labitur quis in crimine (*b*)? Currit insuper ad laqueum mortis desperando? Nonne, si invocet nomen vitae, confestim respirabit ad vitam? Cui stetit aliquando ante faciem Salvatoris (*c*) nominis cordis duritia, ut assolet, ignaviae torpor, animi rancor, languor accidiae? Cui forte siccatus lacrimarum fons, invocato Iesu, non continue rupit uberior, fluxit suavior? Cui in periculis palpitanti et trepidanti invocatum hoc virtutis nomen non statim fiduciam praestitit, repulit metum? Cui, quaeso, in dubiis aestuanti et fluctuanti ad invocationem clari nominis non subito emicuit certitudo? Cui in adversis diffidenti, iam iamque deficienti, si nomen adiutorii sonuit, defuit fortitudo »? Et subdit: « Nihil ita irae impetum cohibet, superbiae tumorem sedat, sanat livoris vulnus, restringit luxuriae fluxum, exstinguit libidinis flammam, sitim temperat avaritiae, ac totius indecoris

(*a*) As, Edd. *Iesu Dei Filio,* (om. *quam*). — (*b*) As, Edd. *crimine.* — (*c*) As, Edd. *salutaris.*

[1] *Iubilus rhythmicus de Nomine Iesu,* int. *Opp. S. Bernardi,* str. 2 (P. L. 184, 1317). — [2] *In Cant. Serm.* XV n. 6 (P. L. 183, 847). — [3] Ps. 5, 12. — [4] Pot. Act. 4, 12. — [5] Ps. 90, 14 — [6] L. c. n. 6 (P. L. 183, 847).

fugat pruriginem. Siquidem cum nomino Iesum, hominem mihi propono, eumdemque omnipotentem, qui suo me sanet exemplo et roboret adiutorio ». Haec devotus Bernardus. Patet ergo, quanta est efficacia nominis Iesu et spiritualiter contra hostes daemones. Quare saepe recogitandum et devote est in omnibus eventibus invocandum.

Secundum nobis datum remedium contra diabolum est sanctae crucis consignatio et deificum crucis signum, quod signum est quidem singularissimum, videlicet:

Primo foederis divini et humani, quod datum est humano generi, Gen. 9, 13 sqq., quod deinceps aquis diluvii terra non dissiparetur; quia in cruce cum sit facta pacificatio inter Deum et hominem et consequenter peccatum primorum parentum per Christum solutum, deinceps terra eo non erat dissipanda, scilicet homines terreni. *Chirographum decreti* affixit Iesus cruci, Col. 1 [1].

Secundo rebellium hominum Deo reconciliandorum (*a*). Num. 17, 10: virga, id est crux, mandato Domini est servata *in signum rebellium.* Quia Deo *cum essemus inimici, reconciliati sumus* in sanguine *Filii eius,* Rom. 5, 10, et consequenter signo crucis; unde Apostolus, Eph. 2, 16: *Inimicitias* Christus *per crucem* interfecit *in semetipso.*

Tertio est signum, in quo homo salvatur et quod datur Rahab, ut pater eius salvetur, Iosue 2, 18. In cruce a Christo latroni paradisus promittitur, Lucae 23, 43.

Quarto signum summo desiderio petitum a Gedeone pro victoria obtinenda, Iudic. 6, 37; a David, Psal. 85, 17: *Fac mecum signum in bonum* etc. Hoc signum a diabolo liberat, prout habetur in *Vitis Patrum* [2]. A carnis tentatione; beatus Franciscus fratri tentato imprimendo signum crucis liberum reddidit [3].

Quinto signum levatum ad congregandas nationes hominum, Isa. 11, 12, et hoc sub fide una et cultu Dei viventis. Hoc enim signo Dei vivi consignantur omnes Christiani et qui regnum caelorum debent ingredi, ut habetur Apoc. 7, 3.

Sexto est signum mirabile datum regi Ezechiae, IV Reg. 20, 10 sq., in quo sol Christus decem gradibus retrocessit; quia decem horis, incipiendo ab hora tertiarum, qua crucifixus est petitione Iudaeorum, usquequo de cruce depositus fuit et traditus sepulturae, ipse sol retrocedendo per humiliationem et sui omnimodam vilificationem stetit.

Septimo est signum clementiae reginae Esther, Esth. 8, 4, quia hoc Deus Pater, viso signo ut Filii sui passionis declarativo (*b*), statim peccatoribus ad impendendum misericordiam et clementiam flectitur, prout exemplis pluribus est probatum, et devotus dicit Bernardus.

Octavo est *signum* positum *ad sagittam,* Thren. 3, 12, quia post vitam Christi, in hoc signo crucis et cruce demonstratam ut dicetur libro III et conformitate III, si quis incesserit, non in irritum ibit, sed directe in civitatem Domini.

Nono est signum omnis perfectionis contentivum, quia est *signum Dei vivi,* Apoc. 72. In cruce enim factorum Christi, verborum et permanentiae (*c*), ac suorum membrorum cruci cohaesionis, et sanguinis rubricationis (*d*) serie, efficacia ostenditur crucis. Unde devotus Bernardus ad propositum loquens, dicit sic: In cruce enim pendet omnis fructus vitae, quia ipsa est arbor vitae *in medio paradisi* [4]. Ipsa est moestorum consolatio, esurientium refectio, perfectorum gloriatio. Circumire possum, Domine, coelum et terram, mare et aridam, et nunquam te inveniam, nisi in cruce tantum. Ibi dormis, ibi pasceris, ibi cubas *in meridie* [5]. Crux enim tua, fides est (*e*) cuius latitudo charitas, longitudo bonitas et benignitas, altitudo spes, timor profunditas. In hac cruce te invenit, quicumque invenit. In hac

---

(*a*) Edd. *reconciliatorum.* — (*b*) As *et... declaratum;* Al, Edd. *ut... declarativum.* — (*c*) Edd. *In his enim, quae Christus in cruce gessit et locutus est, et in sua ibi permansione.* — (*d*) Edd. *cohaesione.... rubricatione* (om. *serie*) *efficacia* — (*e*) As, Edd. *eius.*

---

[1] Pot. Col. 2, 14. — [2] P. L. 73, 133, 138, 240 etc. — [3] I. e. Fr. Ricerium, A F IV, 284-5; supra 173 n. 5. — [4] Gen. 2, 9 et 3, 4. — [5] Cant. 1, 6.

cruce anima a terra suspenditur et dulcia poma decerpit de ligno vitae; in hac Domino suo dulciter adhaerens decantat: *Susceptor meus es tu, gloria mea et exaltans caput meum*[1]. Nullus te quaerat nisi in cruce, quia nullus te invenit nisi crucifixum.

Quod crux sit signum perfectionis, et omnis perfectio ex ipsa habeatur, patet de Apostolo[2], qui nihil dicit se *scire, nisi Christum et hunc crucifixum.* In amore crucis iugiter morabatur, propter quod dicit (*a*): *Confixus sum cruci*[3]; nihil aliud eum delectabat, propter quod dicit: *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi*[4]. Andreas Apostolus cognoscens virtutem et perfectionem sanctae crucis ab ipsa deponi noluit, sed in ea mori voluit. Multos sanctos adducere possem, qui crucis amici fuerunt; sed causa brevitatis omitto, quia in III libro conformitate III de cruce erit sermo prolixior. Sufficiat nunc nullum sanctorum ad perfectionem venire potuisse, nisi per aspectum crucis dominicae (*b*).

Decimo est signum victoriae. In cruce enim Dominus Iesus Christus de diabolo triumphavit, vicit, cepit, ligavit et carceravit. Hoc est *signum auxilii a Deo* de caelo missi, II Mach. 15, 35, ut dicit Augustinus *Super Ioannem*: « Hoc signum prosternit superbiam diaboli deceptoris, si tamen cordi adsit memoria redemptoris ». Constantinus Imperator hoc signo habuit victoriam contra Maxentium. Hoc signo beatus Martinus protectus, non clipeo aut galea, hostium cuneos dixit se velle penetrare securus[5].

Undecimo est signum omnis medelae et efficaciae impensivum et collativum. Unde Rabanus *De laude crucis*[6] sic dicit: « In te Angeli, crux sancta, gaudia accumulata sua aspiciunt, in te homines iura salutis suae agnoscunt, in te inferi iustam retributionem fraudis suae percipiunt. Omnibus es aequa, omnibus bona, omnibus iusta; praeterita renovas, praesentia illustras, futura praemonstras, perdita requiris, quaesita invenis et inventa custodis ». In te insinuatur a morte nostra redemptio, demonstratur sancta morum conversatio, intimatur omnium virtutum perfectio, promittitur ad aeternam vitam resurrectio, aeternae beatitudinis speratur adeptio et verae felicitatis acquisitio. « Tu, sancta crux, peccatorum es remissio, pietatis exhibitio et meritorum augmentatio, infirmorum remedium, laborantium auxilium, lapsorum refrigerium, sanorum incolumitas, quietorum serenitas et fortunatorum felicitas. Tu, sancta crux, cura es aegrotos medicans, tu es gaudium moestos consolans, tu sanitas infirmos laetificans, tu status credentium recte, tu firmitas operantium bene, tu beatitudo rite perseverantium, sancta, pia, bona, iusta ». Et beatus Augustinus loquens de cruce, ad propositum dicit in *Sermone de Parasceve*[7]: « Crux Christi nobis totius est causa salutis. Haec nos a caecitate liberavit erroris, haec a tenebris reddidit luci, haec debellatos reddidit quieti, haec alienos Deo coniunxit, longe constitutos proximos praesentavit » Et plura alia dicit ad crucis efficaciam exprimendam et declarandam. Idipsum Ioannes Chrysostomus[8] explicat dicens: « Crux est spes Christianorum, resurrectio mortuorum, dux caecorum, baculus claudorum, consolatio pauperum et egenorum, paedagogus adolescentulorum, sustentatio pusillanimium, erectio desperantium, gubernatio navigantium, portus periclitantium, liberatio captivorum, sapientia insensatorum, libertas servorum et subiectorum, philosophia imperitorum, lex impiorum, praeconizatio populorum, annuntiatio apostolorum, gloria martyrum, abstinentia monachorum, castitas virginum, gloria sacerdotum et totius Ecclesiae fundamentum ». Haec Chrysostomus. Nec mirum debet esse fideli de praefatis, si consideret facta a Christo in cruce et cogitat, quod in cruce pependit, qui est omnia in omnibus. Quare et crux in omnibus efficacissima comprobatur.

(*a*) As, Edd. *Christo dicente.* — (*b*) Al om. *dominicae.*

---

[1] Ps. 3, 4. — [2] I Cor. 2, 2. — [3] Gal. 2, 19. — [4] Gal. 6, 14. — [5] *Officium S. Martini*, Noct. I, ant. II. *Legenda aurea* cap. CLXVI (161) 11 Nov.; Sulp. Sev. *De Vita S. M.* n. 4. (P. L. 20, 162 sq.). — [6] *De Laudibus S. Crucis*, l. I, fig. 21, (P. L. 107, 233 sq.). — [7] *Sermo* CLV (inter spuria) n. 1. (P. L. 39, 2047). — [8] Potius S. Ephrem Syr., *Sermo de SS. cruce Domini*, ante med.

Duodecimo et ultimo crux est signum adeptionis gloriae; in cuius signum Christus de cruce et latro de cruce transivit ad regnum paradisum, quia anima Christi egressa a corpore, in portione inferiori fuit statim beatificata, et latro gloria Christi beatificatus. Nisi enim hoc signo quis fuerit veraciter consignatus, regnum caelorum intrare nequibit. Hoc enim est *signum Filii hominis* Iesu Christi, quod *apparebit in caelo*, id est in tota caelesti curia, Matth. 24, 30.

Sic ergo apparet de benedicto signo crucis, quale est et specialiter contra diabolum. Et sic ex praefatis apparet prima pars istius conformitatis declarata, videlicet: **Iesu daemon expellitur**, non solum ipso, sed per ordinata pro nobis ab ipso, qui est benedictus in saecula. Amen.

Secunda pars noni fructus et conformitatis secundi libri, et vigesimae primae in ordine, videlicet:

Franciscus effugator.

Expositio.

Hostis noster et malitiae caput, diabolus, cum diversis viis et modis hominem inquietet assidue ac tentet, nec unquam cessat, nisi vincatur perfecte et superetur, et quia cum ipso nostra est continua pugna et rara victoria, succumbuntque homines, quia ad invocandum divinum adiutorium non assurgunt, et invocantes (*a*) succumberent, nisi divino auxilio protegerentur et iuvarentur; ratio quia ei mille sunt nocendi artes, voluntas eius ad malefaciendum promptissima ac potestas, cui nulla terrestris aequiparatur, ut habetur Iob. 41, 1 sqq.; attamen, ut sacri dicunt doctores, si ab homine, quem tentat, superetur, de eodem vitio tentare vel ipsummet (*b*) amplius non praesumit, nec, ut dicitur (*c*), alium quempiam: hinc est, quod si divina gratia diabolum contingat a nobis superari, nunquam torpore resolvi debemus, quia multos, quos pugna superare non valuit, ignavia prostravit et vicit, ut patuit de David in figura; quia dum persequeretur non, sed postquam quietus fuit a bellis et persecutione, commisit adulterium et homicidium [1]. Debemus ergo diligenter conspicere vias et modos, per quos ipse hostis antiquus accessus ad nos potest habere et introitum, et omni studio (*d*) semper, invocato divino auxilio, sine quo nihil possumus, super custodiam stare prudenter, vigilanter et attente.

1. Etsi multorum ad hoc sanctorum exemplo inducimur, praecipue tamen beati patris nostri Francisci, qui, etsi in habitu saeculari aliquando a diabolo tentatus fuerit et superatus, respectus in suis a Domino et benedictionibus praeventus, postquam mundo abrenuntiavit et Dominum Iesum perfecte induit, a diabolo minime, etsi tentatus, aliquando fuit superatus nec victus.

Diabolus enim beatum Franciscum, ut dictum est libro I conformitate VII [2], multipliciter tentavit, sed ipsum beatus Franciscus divina gratia vicit et superavit. Habuit enim magno tempore implacabile bellum cum hoste nostro et suis complicibus, sed ipsos prostravit et suppeditavit. Vicit enim Luciferum, de quo Isa. 14, 14 habetur, profundissima humilitate; de qua dictum est in isto II libro conformitate

(*a*) Edd. *innocentes* — (*b*) Al, As *ipsemet*. — (*c*) As, Edd. *creditur*. — (*d*) Al, As *et in omni custodia*.

[1] II Reg. 11, 2 sqq. — [2] A F IV, 156 sqq.

XVII [1]. Principem mundi, de quo Ioan. 15 [2], mundi abdicatione, ut patuit libro I conformitate VI [3] et (*a*) libro II conformitate IV [4]. Mammona, de quo Lucae 16, 9, divitiarum abiectione et paupertatis amplexu; de quo dictum est conformitate IV huius II libri [5]. Beelzebub (*b*), de quo IV Reg. 1, 6 et Luc. 11, 15, operositate et omnis otiositatis vitatione, ut patet conformitate VII huius II [6]. Asmodaeum, de quo Tob. 3, 8 patientia, ut patuit huius II libri conformitate IV et VII [7]; Behemoth, de quo Iob. 40, 10 sqq. corporis puritate et castitate, ut habetur I conformitate VII [8] et dicetur (*c*) III conformitate III. Leviathan, de quo Iob, 3, 8, omnium dilectione, ut patuit huius II conformitate II [9]. Sathan, de quo Iob 1, 6, Deo per omnia suae voluntatis conformatione et impletione; de quo dictum est huius II conformitate VII et conformitate praecedenti [10]. Belial, de quo I Reg. 1, 16, obedientiae in omnibus subiectione et suppositione, ut dictum est conformitate V huius II libri [11] (*d*). Abaddon, de quo Apoc. 9, 11, ad omnes compassione et pietate; de quo habitum est conformitate II huius II [12]. Diabolum, a peccatis puritate; de quo libro I conformitate VII [13], et de quo dicetur conformitate sequenti et libro III conformitate III. Daemonium, sancta simplicitate et omnis mundanae sapientiae despectione; de qua dictum est I libro conformitate X et XII [14]. — Lucifer tentat de superbia, Princeps mundi de concupiscentia ad mundum, Mammon de divitiis. Beelzebub Deus est muscarum; sic interpretatur; et tentat de otiositate. Asmodaeus facturae iudicium vel plasmatio interpretatur, et de impatientia tentat. Behemoth habitat in thalamis, et sic de incontinentia tentat. Leviathan persequens eos interpretatur, et sic tentat de odio et displicentia ad proximum. Sathan interpretatur contrarium, et tentat ut Dei voluntas non perficiatur, immo oppositum peragatur. Belial interpretatur sine iugo, et tentat de inobedientia. Abaddon interpretatur exterminator, et de impietate tentat et incompassione. Diabolus interpretatur criminator, et sic ad peccata inducit tentatione. Daemonium sciens intepraetatur, et sic tentat ut scientia mundi acquiratur potius ad deceptionem et faustum quam ad veritatem et bonum. Contra omnes praefatos, attentis beati Francisci operibus et modis, ipse pater pugnavit et vicit.

Verum, licet beatus pater Franciscus contra hostem nostrum et suos complices habuisset victoriam; attamen, quia quamdiu in praesenti vita sumus, semper in acie stamus, quia ut dicit Iob 5 [15]: *Militia est vita hominis super terram,* se semper munivit et super custodiam suam stetit, omnem viam et modum praecludendo, per quem hostis diabolus ad eum posset habere accessum. Noverat enim ipse beatus pater diabolum quosdam tentasse, tentatos superasse et sui iuris effectos subintrasse, ac ipsos subintratos crudeliter inquietasse (*e*), vexasse et afflixisse, et hoc diversis ex causis. Quare, casibus praefatorum attentis, diligenter contraria ad praefatos, ne in ipsum diabolus acciperet potestatem, ipse sanctus pater Franciscus peregit.

(*a*) Ed. II add. ***in hoc.*** — (*b*) As, Edd. om. ***Beelzebub — h. II libri.*** — (*c*) As, Edd. om. ***et dicetur III conf. III—huius II conf. VII.*** — (*d*) Al, As, om. ***h. II libri;*** Ed. II add. ***vel VII.*** — (*e*) As, Edd. om. ***inquietasse.***

[1] Supra p. 129 sqq. — [2] Pot. Ioan. 12, 31. — [3] A F IV, 138 sqq. — [4] Supra p. 100 sqq. — [5] L. c. — [6] P. 119 sqq. — [7] P. 103 sqq., 195 sqq. — [8] A F IV, 168 sqq.; supra p. 86 sqq. — [9] Supra p. 28 sqq. — [10] Supra p. 189 sqq. et p. 208 sqq. — [11] Supra p. 129 sqq. — [12] Supra 28 sqq. — [13] A F IV, 168 sqq. — [14] A F IV, 464 sqq.; 580 sqq. — [15] Pot. Iob 7, 1.

Diabolus enim post tentationem, ut (*a*) superatos, intravit et cepit: quosdam ratione inobedientiae, sicut intravit in Saul, I Reg. 16, 14: *Exagitabat* enim *eum spiritus nequam a Domino.* Quosdam ratione conceptae malitiae, sicut in Iudam, cui misit in cor, ut Dominum traderet, Ioan. 13, 2. Et post (*b*) *buccellam* acceptam *introivit* in illum *Sathanas,* ibidem 13, 27. Quosdam ratione patratae nequitiae; et sic Magdalenam subiectam septem daemoniis tenuit (*c*), quae ab ea Christus abiecit, Marc. 16, 9. Quosdam ratione edacitatis et gulositatis nimiae, sicut monialem, ut habetur I *Dialogorum* [1], quae (*d*) momordit lactucam, non praemisso crucis signo. Quosdam ratione praesumptionis et superbiae, ut II *Dialogorum* [2], clericum, cui beatus Benedictus interdixit ascensum ad sacros ordines; et oppositum faciendo, diabolus in eum intrando eum occidit. Quosdam ratione carnalitatis et lasciviae, sicut habetur I *Dialogorum* [3], de muliere, quae per totam noctem carnaliter steterat cum viro, eunte (*e*) ad ecclesiam Sancti Sebastiani: diabolus in eam, immo legio daemonum intravit; quam postea sanctus Fortunatus, episcopus Tudertinus, a daemonibus liberavit. Quosdam ratione temerariae audaciae, sicut intravit diabolus abbatem Isaac indebite in maxillam percutientem, ut dicit Gregorius III *Dialogorum* [4]. Quosdam ratione deceptionis et fallaciae; et sic diabolus idola subintravit et intrat, ut homines decipiat et illudat. Quosdam ratione impositionis criminis falsi et infamiae; et sic plures intravit mulieres, quae diversos sanctos infamarunt, et specialiter eam, quae beatum Macharium infamavit eam impraegnasse, prout in *Vitis* habetur *sanctorum Patrum* [5]. Quosdam ratione operationis nefariae, sicut filium praefecti Romani, qui beatam Agnetem contingere voluit polluto amore, ut dicit Ambrosius, ut eam scilicet defloraret [6]. Quosdam ratione impietatis et inclementiae, sicut patet de pluribus, qui martyres afflixerunt, sicut de Paulino in *Legenda* sanctorum Processi et Martiniani [7]; de Lucretio in *Legenda* sanctorum Simplicii, Faustini et Beatricis [8]; de Publio, ut habetur in *Legenda* sanctae Anastasiae [9]; et sic de aliis. Quosdam ratione ostensionis divinae iustitiae; et sic diabolus intrabit Antichristum. Aliis de causis diabolus et accepit aliquos et subintravit, ut patet *Legendas* intuentibus; de quibus ad praesens non est sermo, brevitatis causa.

2. Et quia praedicta sufficiunt ad nostrum propositum, beatus Franciscus, ne quoquomodo non solum diabolus eum tangeret, immo nec ad ipsum appropinquaret, quantum est ratione sui et praefatorum, effecit, contraria praedictis omnino peragendo. Ipse enim contra inobedientiam fuit Deo obedientissimus, ut dictum est conformitate VII [10] huius II. Mandata Dei servavit et consilia; socio et aliis promittendo obedientiam; promissam servavit, ut dicit pas VI *Legendae maioris* [11]. Contra malitiam fuit devotissimus; Iesus enim ut *myrrhae fasciculus* assidue intra cordis ubera morabatur [12] et nihil amabat aut sciebat *nisi Christum et hunc crucifixum,* I Cor. 2, 2. Contra nequitiam mundissimus, scilicet a peccato; remissa sunt ei omnia

(*a*) Edd. om. *ut.* — (*b*) As, Edd. *per.* — (*c*) As, Edd. om. *tenuit.* — (*d*) Al om. *quae* — *II Dial.* — (*e*) Edd. *dum iret.*

[1] *Dial.* l. I, c. I, c. 4 (P. L. 77, 169 sq.). — [2] *Dial.* l. II, c. 16 (P. L. 66, 164). — [3] L. c. c. 10 (P. L. 77, 200 sq.). — [4] *Dial.* l. III, c. 14 (P. L. 77, 244). — [5] *Vit. Patr.* l. V, 15 n. 35 (P. L. 73, 958 sq.). — [6] *Acta SS.* Ian. II, 351-2. *Leg. aurea,* c. 24; ed. cit. p. 115. — [7] *Acta SS.* Iul. II, p. 304. — [8] *Acta SS.* Iul. VII, 36; *Leg. aur.* c. 104 (99), p. 443. — [9] *Leg. aur.* c. 7, p. 48. — [10] Supra p. 189 sqq. — [11] C. 6 n. 4 sqq. — [12] Cf. Cant. 1, 12.

peccata, usque videlicet ad *quadrantem novissimum*, ut dicit IV pars *Legendae*[1]. Contra ingluviem abstinentissimus, vix sumendo necessaria sustentationi naturae, prout dicit V pars *Legendae maioris*[2]. Contra superbiam humillimus et in suis oculis abiectissimus, cum vas sanctificationis electum esset, se maximum peccatorum fatebatur, ut dicit II pars *Legendae maioris*[3]. Contra lasciviam castissimus; cum virgo esset corpore, tamen *carnem* crucifixit *cum vitiis*, ut dicit V pars *Legendae maioris*[4]. Contra audaciam Dei timori subiectissimus, nulli iniuriam faciendo et sibi factas libenter sustinendo et appetendo, ut dicit VI pars *Legendae maioris*[5]. Contra falla-ciam veracissimus, hypocrisim et omnem duplicitatem abhorrendo et declinando, ac defectus latentes publica confessione detegendo, ut dicit VI pars *Legendae maioris*[6]. Contra infamiam detestator infamantium singularissimus; contra tales mira severitate procedebat et volebat procedi, ut dicit VIII *Legendae maioris*[7], et volebat talem omnibus notabilem, ac censebat talem habitu ordinis spoliandum. Insuper de omnibus melius quam de se ipso semper sentiebat et sic esse dicebat, ut dicit VI pars *Legendae maioris*[8]. Contra immisericordiam ipse fuit clementissimus et benignissimus. Clementiam habuit ingenitam, quam Christi charitas duplicabat; omnibus quibus non poterat manum, exhibebat affectum, ut dicit VIII pars *Legendae maioris*[9]. Contra mala opera fuit vita sanctissimus, de cuius sanctitate dicetur conformitate XIII huius II. Contra Dei displicentiam ipse fuit Deo *acceptissimus*, ut dictum est conformitate IV huius II[10] et dicetur conformitate XI huius II; in signum acceptationis et in omnibus fuit exauditus, et prae aliis sanctis a Christo stigmatizatus.

Quia igitur beatus Franciscus sic peregit, non solum (*a*) a se diabolum effugavit. Ut (*b*) enim diabolus habuit dicere domino Bartholomaeo de Romandiola, prius advocato in Romana Curia et, demum converso, facto fratri de tertio ordine beati Francisci, ad tres dietas ad ipsum non valebat accedere. Et quia diabolus plura habuit dicere de beato Francisco et ordine ipsius, tam ratione praefatorum quam ostensionis effugationis diaboli a beato Francisco, praefata sunt hic scribenda. Et quod dicitur hic, valet etiam pro fructu et conformitate II libri I[11], ubi ostenditur, quod beatus Franciscus a Domino singulariter destinatus fuit; et pro conformitate III libri III de stigmatizatione beati Francisci hoc etiam valet.

Signum, quod beatus Franciscus diabolum vicerat, erat quia beati Francisci praesentiam per plures dietas fugiebat, quod patuit ipsius daemonis confessione facta cuidam Bartholomaeo de Romandiola, prius advocato, sed divina gratia respecto, sub habitu tertii ordinis beati Francisci dignos fructus poenitentiae peragebat. Hic dominus Bartholomaeus beato Francisco fuit notissimus, adeo quod ei beatus Franciscus concessit, quod posset fratres ad ordinem recipere, eius sancta vita considerata et devotione. In huius domini Bartholomaei domo erat quaedam puella a daemone obsessa, per quam daemon dabat responsa sciscitantibus. Hic daemon per tres dies siluit, nec responsa solita ulli dedit. Quarto die venit beatus Franciscus ad locum, domum videlicet dicti domini Bartholomaei, et die quinto versus Lombardiam iter suum coepit aggredi. Quo per dietam beato Francisco (*c*) elongato a praedicti do-

(*a*) Edd. add. *sic*. — (*b*) Ed. III om. *Ut — Bartholomaeo*, 224 p. l. 19. — (*c*) Edd. om. *beato Francisco*.

[1] Potius *Leg. Mai.* c. 3 n. 6; cf. *Leg. Min.* II, l. 3; subinde respicitur Matth. 5, 26. — [2] C. 5. n. 1 sq. — [3] Potius c. 6 n. 6; cf. Act. 9, 15. — [4] C. 5 n. 1 sqq.; cf. Gal. 5, 24. — [5] C. 6 n. 3 sqq. — [6] L. c. — [7] C. 8 n. 4. — [8] C. 6 n. 6. — [9] C. 8 n. 5. — [10] Supra p. 119-23. — [11] A F IV, 69 sqq.

mini Bartholomaei hospitio, daemon coepit more solito loqui; quem coram quadraginta et amplius personis dictus dominus Bartholomaeus interrogavit, cur tot diebus praeter morem tacuisset. Cui daemon respondit: « Postquam hic Franciscus ad talem collem applicuit, a quo ad domum Bartholomaei tridui diei iter erat, et totam istam regionem transiens ad quoddam castrum Lombardiae pervenit, ad quod ipsa die, qua a domo dicti domini Bartholomaei recedens, ipse pervenit (*a*), fui vehementissime constrictus et in tantum afflictus, quod nec (*b*) loqui poteram, ut vidistis ». Ad quem Bartholomaeus: « Numquid tantus est homo iste, quod propter eum tanta et talia posses pati »? Ad quem daemon: « Vere tantus est, quod totus mundus sanctitatis eius eminentiam nondum n vit. Dico enim tibi, quod nullum factum inchoatum est in mundo, ex quo ille Christus vir passus est, de quo tantum horrorem et terrorem conceperint universi exercitus inferorum, ut cor eius intelleximus (*c*) in suo proposito esse fixum ». Cui dominus Bartholomaeus: « Si igitur tantus est iste et tam ardua inchoavit, numquid vos de eius adventu aliquid praescivistis »? « Vere, ait daemon, huius praesentia non erat nobis nota, antequam iste inciperet. Ex multis tamen experimentis praeteritis temporibus habitis, aliquid (*d*) simile futurum timebamus, quia Deus nunquam humanum genus in tanta errorum caligine et salutis desperatione reliquit, quando ei aliquem vel aliquos mitteret, per quos ab errorum caecitate ad lumen veritatis, a praecipitio ad viam salutis ipsum reduceret, ut (*e*) post peccatum primorum parentum, quando *omnis caro corruperat viam suam* [1], missus est Noe, in quo semen iustum salvatum est. Post quem, genere humano (*f*) idololatriae tandem dedito, et unius cultu Dei per totum mundum relicto, missus est Abraham; post quem Moyses, post quem prophetae, post quos ultimo ipse Christus. Nunc vero animadvertentes mundum tot erroribus obcaecatum, tot sceleribus obvolutum adeo, quod via salutis paucissimis iam patebat, coniiciebamus ex praeteritis habitis argumentis, aliquem a Deo mittendum, cuius vita et doctrina mundo innotesceret via vitae. Inspicientes igitur hunc Franciscum suamque poenitentiam in tanto fervore spiritus inchoantem, incepimus nobiscum inquirere, si hic esset quem timebâmus (*g*) ad salutem hominum destinandum. Quem tamen hominem idiotam et simplicem attendentes, mirabamur, si per hunc talia patrari possent. Cum tamen iam eius fervorem tam validum videremus, ac virtuosarum operationum suarum impugnationes evidentissimas ac fortissimas sentiremus, hunc esse pro certo intelleximus, cuius adventum antea timebamus (*g*). Quo indubitanter comperto, princeps noster nos insimul adunavit, nosque sic alloqui exorsus ait: « Intuens Deus Pater, genus humanum toties ab ipso reductum, nunc gravioribus quam antea erroribus iterato involutum, iratus cogitavit ipsum disperdere. Cuius iram et sententiam mitigaturus, Filius Patri astitit rogans, ut mundo nunc parcere dignaretur, obligans se in mundo passionem suam renovaturum et aliquem, per quem genus humanum redimeret, missurum ». Unde dominus Bartholomaeus daemoni dixit: « Quomodo passio Christi est in hoc homine renovanda? Numquid iste Franciscus, sicut et Christus, pro humano genere patietur »? Cui daemon: « Adhuc, inquit, notum erit toti mundo, qualiter Christi passio in hoc homine renovetur (*h*) ». Hoc autem dixit daemon per biennium, antequam eius sacro

(*a*) Al *fuit.* — (*b*) Edd. *non.* — (*c*) Edd. *intellexerunt.* — (*d*) Al, As om. *aliquid—timebamus.* — (*e*) Edd. *unde.* — (*f*) Al, As om. *genere humano.* — (*g*) Al, As *sperabamus.* — (*h*) Edd. *renovabitur.*

[1] Gen. 6, 12.

corpori essent stigmata Crucifixi impressa. Et adiecit daemon: « Post haec intulit princeps noster: « Nunc ergo hic homo a Deo missus incepit, et prosperabitur e exaltabitur et multiplicabitur valde et invalescet viribus contra nos, nec ei resistere poterimus, quin plures, quos iam quietos possidebamus, iure nobis auferat, nostraque virtus et potentia per suam suorumque potentiam validissime prosternatur. Sed impugnandi eos viam reperi, per quam et fervor in eis spiritus minuetur, et aliorum devotio erga ipsos. Cumque ad hoc deducti fuerint, ut a pristino statu videantur quasi omnino excidisse, tunc surget unus inter eos, de cuius industria et vita parva ante opinio habebatur, qui ad tantam perfectionem attinget, quod satis maiora faciet quam Franciscus. Huic Virgo frequenter apparens, familiari allocutione de sua suorumque fratrum et ceterorum conversatione et (*a*) recuperanda iam quasi perdita perfectione instruet. Et duae partes totius orbis virorum ac mulierum, in propriis habitantes domibus huius ordinis, dignos poenitentiae agent fructus ». His igitur, ait daemon, relatione principis nostri compertis, ad horum hominum impugnationem vires nostras direximus, sed contra eos minime possumus praevalere. In tali enim civitate erant multa millia daemonum, ad decipiendos et impugnandos ipsius incolas assignata, qui relicta omni civitatis multitudine, ad impugnandum solum quinque fratres huius ordinis, qui illuc ad habitandum convenerant, unanimiter convenerunt, nec tamen eos deiicere potuerunt. Unde hunc nostrum totum conatum et studium direximus contra ipsos ». Hoc inquit (*b*) daemon praedicto domino Bartholomaeo [1].

Quibus dictis apparet quod dictum est, beatum Franciscum adeo vicisse daemones, quod ab eius fugerent praesentia.

Idipsum diabolus alius dixit cuidam baroni, quod omnes ad mortem beati Francisci accedentes, appropinquare non potuerunt, prae multitudine angelorum [2]. Et alibi habetur, quod alter diabolus habuit dicere, quod per decem milliaria circumcirca beato Francisco appropinquare non poterant, prae multitudine angelorum eum custodientium.

5. Et quia ipse pater a se primo diaboli dominium, secundo opera et tertio quae subdunt hominem diabolo, ut visum est, effugavit (*c*); hinc est, quod Deus beato Francisco hanc gratiam contulit, quod non solum a se, sed etiam ab aliis malignos spiritus eiecit et fugavit. Quia enim virtuose ipsos vicit, contulit ei Deus potestatem super daemonia, ut ea a fidelibus ab libitum propulsaret. Et sic esse dicit secunda pars huius conformitatis: *Franciscus effugator*, scilicet daemonum a se et ab aliis. Et quia tam in I libro conformitate VII [3] quam hic visum est, quomodo a se abiiecit, videndum est nunc succincte, quomodo daemones ab aliis propulsavit.

Non enim uno modo, sed pluribus ipsos expulit a se et ab aliis. Abiecit diabolum a se: Primo in bono opere incepto persistentia. Dum enim esset saecularis et viam incepisset Domini perambulare, diabolus eidem apparens minatus est, quod nisi ab incepto desisteret, eum proclivem redderet et gibbosum. Sed beatus Franciscus in proposito permanendo, diabolum expulit, nec gibbosus fuit [4].

(*a*) Al om *et.* — (*b*) Edd. *dixit.* — (*c*) As om.; Edd. *excussit.*

[1] Cf. *Chron. 24 gen.* A F III, 27-9: Similis, sed pluribus differens, narratio legitur in *Chronica 7 Tribul.* Angeli Clareni, ed. Döllinger, l. c. II, 451-54; ed. Tocco, 48-52; *Leggenda antica,* c. 22. Cf. A F IV, 73, 81, 97 sq., 437. Cf. supra p. 11, l. 25 sqq. — [2] *Fioretti,* Consid. V d. s. stigm. — [3] A F IV 156, sqq. — [4] *Leg. 3 soc.* c. 4 n. 12; A F IV, 123, 158; II Cel. I, 5 n. 9.

Secundo patientia. In Sancto Damiano graviter afflictus infirmitate oculorum, per totam quadragesimam daemones in specie murium inquietarunt eum, quiescere non sinentes; quos tandem patientia effugavit [1].

Tertio sua vilipensione et abiectione. In ecclesia Sancti Petri de Bovario (*a*) iuxta Trevium, cum de nocte post orationem vellet quiescere, nec daemones (*b*) sinerent, dixit ad eos, quod de se facerent quidquid vellent, quia nullum hostem habebat maiorem corpore suo; unde percutiendo vindicarent eum de inimico suo. Quod audientes, daemones abscesserunt [2].

Quarto carnis afflictione. In eremo de Sartiano tempore nivium et magni algoris immersus in foveam nive et glacie plenam, carnis incendium cum diabolo effugavit [3].

Quinto humilitate. Serviendo horribilissimo leproso, ac cum summa humilitate lavando et manibus contrectando, diabolum cum lepra ab eo emisit [4].

Sexto pietate. Compassione motus et clementia, civitatem Aretii, plenam daemonibus ad mutuam caedem cives impellentibus, suo iussu expellendo, liberavit [5].

Septimo panis benedictione. Buccella panis a Francisco benedicta et posita in fratris ore daemonium patientis, ipsum ab eo expulit [6].

Octavo oratione. Multoties in oratione cum diabolo luctamen habuit, sed vi orationis eum subiecit [7].

Nono verbo suo et vocatione. Socius proprius, beati Francisci mandato, cervical ubi erat diabolus e cella ferendo, rigefactus a diabolo, vocantis patris dum audivit vocem, statim a diabolo est dimissus [8].

Decimo praevisione. Fratrem Rufinum a diabolo deceptum, fratrem Leonem et quemdam alium ab hoste tentatione spiritus afflictos, beatus Franciscus sua sacra providentia liberavit, ut dictum est libro I conformitate VIII et conformitate I huius II libri [9].

Undecimo praecepto et iussione. In civitate Castelli [10] imperando daemoni vexanti mulierem, et in Sancto Geminiano alteri mulieri sic patienti, ab eis ipsum depulit [11].

Duodecimo crucis signatione. Nam mulierem a diabolo possessam, quae multa de sanctitate beati Francisci dixit, beatus Franciscus signando crucis signo (*c*) ab ipso diabolo liberam reddidit [12], et multos alios sic eripuit.

Fratrem Angelum socium suum, propter timorem daemonum non valentem solum stare de nocte, signatum a se, misit eum solum in montem valde altum, et mandavit ut diceret: « Superbi daemones, omnes venite ad me modo, et quidquid poteritis, facite mihi ». Quod cum egisset, nec aliquis daemon venisset ad eum, deinde impavidus est effectus [13].

Beatus Franciscus a daemonibus aliquando sic fuit oppressus, ut diceret fratribus: « Si scirent fratres tribulationes quas faciunt mihi daemones, nullus esset

(*a*) Al *Bovanio*. — (*b*) Edd. add. *eum*. — (*c*) As, Edd. om. *crucis signo*.

[1] A F IV, 162; *Specul. Perf.* Sabatier, c. 100; *Actus*, c. 21. — [2] A F IV, 16; *Specul.* cit. c. 59; cf. II Cel. II, 86 (III, 63) 122. — [3] A F IV, 163; *Leg. Mai.* 5 n. 4. — [4] Supra p. 132. — [5] Supra p. 17; A F IV, 476; *Leg. Mai.* c. 6 n. 9. — [6] Supra p. 15 l. 5-11; *Leg. Mai.* c. 12 n. 11. — [7] Cf. A F IV, 158 sqq. — [8] Supra p. 17; IV, 159; *Leg. Mai.* c. 5 n. 2. — [9] A F IV, 199 sqq.; supra p. 15 l. 15 sqq. — [10] A F IV 476; *Leg. Mai.* c. 12 n. 10. — [11] Ll. citt. — [12] Thom. Cel. *Tract. de mirac.* c. 16 n. 152. — [13] A F IV, 161, 193.

illorum, qui non pietatem magnam et compassionem de me haberet ». Et ideo dixit multoties sociis, quod non poterat de se satisfacere fratribus et ostendere eis aliquando familiaritatem, sicut fratres desiderabant [1]. — Semel fuit per plures menses gravissima spiritus tentatione vexatus, adeo ut se putaret a Christo derelictum; sed Domino sibi apparente et dicente illud Evangelii ac exponente: *Si habueritis fidem ut granum sinapis, et dicetis monti* etc. [2], quod mons erat tentatio, fuit ab ipso Domino ab omni tentatione liberatus [3]. — Fratrem inobedientem, apud Sanctam Mariam de Angelis a diabolo subactum, per internuntium commonendo, obedientiae (*a*) se submittendo, ab ipso hoste liberavit . — Obsessum vidit beatus Franciscus a magno daemonum exercitu locum Sanctae Mariae de Angelis et quemdam fratrem contra alium iniqua meditantem, data ex hoc daemoni intrandi via coepisse, (*b*) beato Francisco fratrem praefatum arguente, a diabolo, recognoscendo culpam, est liberatus [5]. — A pluribus aliis, videlicet fratre Riccerio ministro Marchiae, ut dictum est libro I conformitate VIII, *Tractatu de Provincia Marchiae* [6], tentationem validissimam diaboli removit, crucis signaculo consignando; et sic de aliis mirificus vir Franciscus repulit daemonis laqueos, insidias et tentationes, et Christo Deo amicos et complices reddidit, decoratos omni perfectione. — Sic ergo succincte declaratio istius secundae partis patet, videlicet, quod beatus *Franciscus* fuit *effugator*, scilicet hostis daemonis, non solum a se, sed etiam ab aliis. Ad laudem Christi. Amen (*c*).

FRUCTUS ET CONFORMITAS DECIMA ET IN ORDINE VIGESIMA SECUNDA: Iesu Aqua Convertitur. — Franciscus Commutator.

Expositio primae partis, videlicet: **Iesu aqua convertitur.**

Primum miraculum, quod egit noster Salvator Dominus Iesus Christus, fuit in Cana Galilaeae, quando aquam ibidem, dictis beatae Mariae matris suae dicentis: *Vinum non habent* [7], in vinum optimum commutavit. Et quia circa istud miraculum dicta sunt plura in opere a me edito *De vita beatae Mariae* fructu XLVI, vide ibi [8]. Attamen nonnulla alia hic tangendo pro expositione primae partis huius conformitatis X istius II libri et XXII in ordine; ante omnia, praesupposito quod, ut dicit Ioannes 2, 11: *Hoc fuit initium signorum Iesu,* quaerendum est prae omnibus, quare Dominus Iesus voluit esse primum suum miraculum in mutatione aquae in vinum, et potius facere in elemento aquae quam aliis elementis. Respondendum mihi videtur, quod hoc fecit multis de causis; et hoc si attendatur, quid in sacro Eloquio per aquam, et quid per vinum importatur. Aqua enim aliquando importat peccatum, iuxta dictum Psalmistae: *Intraverunt aquae usque ad animam meam,* Psal. 68, 2. Ista est aqua, quae convertitur in sanguinem et putrescit, Exod. 7, 17 sqq.; qua Pharao, id est peccator, submergitur, Exod. 14, 27; et est falsa, IV Reg. 2, 19, et pessima. Vinum accipitur pro ipso baptismo, quo homo a peccato lavatur et mundatur. Gen. 49, 11 habetur, quod *lavabit,* scilicet homo, *in vino stolam suam.*

(*a*) Edd. *ut obedientiae se submitteret.* — (*b*) As, Edd. add. *verum.* — (*c*) Ed. II om. *Amen.*

[1] *Specul. Perf.* Sabatier, c. 99; AF IV 162. — [2] Matth. 17, 19. — [3] *Specul.* l. c. — [4] *Leg. Mai.* c. 11 n. 11. — [5] Supra p. 15 n. 9; *Actus,* c. 26. — [6] AF IV, 284 sq. — [7] Ioan. 2, 3 sq. — [8] Venetiis 1596; lib. IV, fructus 10, p. 591 sqq.

1. Ad propositum Dominus Iesus Christus voluit primum suum miraculum ostendere convertendo aquam in vinum, videlicet, ut ostenderet miraculum visibile in aqua, quod mirabile et invisibiliter (*a*) peregerat in aqua, scilicet baptismi. Dominus enim baptizatus fuit, antequam praedicare inciperet [1] et miracula visibiliter operaretur, ut videlicet aquam sanctificaret suo contactu, et consequenter fideles aqua baptismi perloti (*b*) per invisibile miraculum a peccato tam originali quam actuali, si quod inesset, mundarentur. In baptismo siquidem miraculum fuit vocis paternae intonatio, Spiritus Sancti in specie columbae descensio; et invisibile miraculum suo contactu salvifico aquae sanctificatio, concedens aquis baptismi lotionem a quolibet peccato, quod invenit. Et quemadmodum aqua per sui depurationem a sole vertitur in vinum, sic aqua baptismi virtute solis iustitiae in vinum, id est munditiam, vertitur. Ad ostendendum ergo, quod invisibiliter et miraculose aquam, id est peccatum, verterat in vinum, id est munditiam, visibili et primo miraculo voluit praedicta ostendere, aquam convertendo in vinum. Sed adverte, quod sex hydriae plenae aqua in vinum convertuntur, quia sex modis contingit peccare, videlicet cogitatione et delectatione, omissione, consensu, verbo et opere. Si quis ergo praefatis modis se aqua peccati implesset et ad baptismum debite accedat, purgatur ab omnibus et in vinum convertitur, quia in conspectu Domini vinum mundum habetur et tenetur.

Secunda de causa (*c*), praefatum miraculum primum esse voluit (*d*), ut per eius operationem ostenderet (*e*) ad quid venerat et carnem acceperat. Venit enim, ut dicit Apostolus, *ut nos redimeret ab omni* peccato et faceret nos *populum sibi* (*f*) *acceptabilem, sectatorem bonorum operum,* Tit. 2, 14. Quare et aquam peccati in vinum convertere: *lavit* enim *nos a peccatis nostris in sanguine suo,* Apoc. 1, 5. Venit, ut doceret nos de regno Dei; quia ad hoc missus fuit, ut habetur (*g*) Matth. 4, 23. Differentiam doctrinae Christi ad doctrinam aliorum ostendere voluit in aqua et vino, quia doctrina aliorum insipida est ut aqua, utpote animalis (*h*) et terrena sapiens; doctrina Christi est vinum dulcissimum inebrians corda audientium, utpote Patris caelestis et de Deo; unde in eius laudem dixerunt eius hostes [2]: *Nunquam sic locutus est homo.* Huius vini, id est doctrinae Christi, Magdalena gustata dulcedine ad pedes eius sedebat [3]. Aquam in vinum Christus vertit, quando homines sua doctrina fecit doctrinam mundanam despicere et suam prosequi, et consequenter vinum caeleste degustare. Et sic factum fuisse, habetur Act. 19, 19, quia multi, qui vana fuerant secuti, libros combusserunt et Paulo adhaeserunt. Doctrina humana insipida est et sine humore gratiae, quia non perducens ad vitam aeternam, et sic non perducens ad vinum laetificationis, nisi Christus eam, ut aquam, convertat in vinum.

Tertia de causa, aquam in vinum commutando primum egit miraculum, ut ostenderet Novum Testamentum ab ipso condendum, quantum (*i*) differret a Veteri. Vetus enim erat, ut aqua non clara, utpote figuris et verbis prophetalibus obvolutum, eratque amarum, utpote grave et importabile, ut ait Petrus [4], ad servandum et portandum. Sed Novum est ut vinum laetificans. Ratio, quia, ut dicit Christus, Matth. 11, 30: *Iugum enim meum suave est et onus meum leve.* Ad ostendendum Vetus Testamentum conversum et impletum in Novo, quia amaritudo et gravitas legis in suavitatem per ipsum convertenda, primum miraculum egit aquam convertendo in vinum.

Quarta causa, cum aqua tribulationem significet, dicente David Psal. 17, 17: *Assumpsit me de aquis multis* etc. et Psal. 123, 5, tribulationem immensam *aquam intolerabilem* vocat, in vinum Dominus aquam mutavit, ut ipsi sancti apostoli, coram quibus specialiter fiebat

(*a*) Edd. *invisibile.* — (*b*) Edd. *loti.* — (*c*) As, Edd. *Secunda causa, quare.* — (*d*) Edd. add. *est.* — (*e*) Edd. *ostenderetur.* — (*f*) Edd. om. *sibi.* — (*g*) As, Edd. om. *ut habetur.* — (*h*) Edd. add. *et terrena (et t. sap.).* — (*i*) As, Edd. *quod.*

[1] Matth. 3, 13 sqq. — [2] Ioan. 7, 46. — [3] Luc. 10, 39. — [4] Act. 15, 10.

miraculum, omnem tribulationem libenter pro Christo susciperent et sustinerent, cum eis omnis tribulatio pro Christo suscepta converti deberet in vinum, id est consolationem et gaudium, ipso eis dicente, Matth. 5, 11: *Beati eritis, cum maledixerint vobis homines et persecuti vos fuerint* etc. *propter* nomen meum. Et Ioan. 15 [1]: *Tristitia vestra convertetur in gaudium.* Et [2] *Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis.*

Quinta de causa hoc miraculum Christus egit, ut ostenderet quod miracula, cum sint attestantia divinam potentiam, non debent fieri nisi prout tempus requirit et negotium. Quia enim vinum deficiebat in nuptiis, nec infirmitas aut mors seu alia materia ad faciendum miracula occurrebat ad occurrendum (*a*) necessitati, quae inerat, scilicet de defectu vini, sua providentia occurrit aquam commutando in vinum.

Sexta de causa, cum Christus pluries apostolos de aqua, ubi inerant ad piscandum, vocasset, ut patet Matth. 4, 18 sqq., voluit in ipso elemento aquae miraculum facere, ut quis esset ostenderet eis, et ad fidem ponendam in ipsum totaliter animaret; quod et factum est, ut sanctum in fine dicit (*b*) Evangelium.

Septima de causa id miraculum fecit, quia sic sua mater instanter et humiliter fieri depoposcit (*c*). Et sicut per ipsam, carnem sumendo, mundo innotuit; sic eius prece miraculum faciendo, quantae esset potentiae se hominibus declaravit. Quo ostendit virgineis precibus aquam, scilicet peccata et tribulationem omnem nobis debitam, in vinum transferre purgationis et laetificationis.

Octava de causa, ut cum nuptiae, quibus Christus interfuit, nuptias significent aeternales, ibique sit omnis miseriae depositio et omnis consolationis concessio, ad id significandum et exprimendum in nuptiis Dominus aquam in vinum convertit. Plures aliae causae et congruentiae possent adduci, sed praedictae sufficiant.

2. Ut ergo videatur de isto primo miraculo Christi aliquid, sunt aliqua ulterius indaganda. — Et primum est ubi factum est; et ut dicit Evangelium, Ioan. 2, 1, quod *in Cana Galilaeae.* Ecce locus aptus divino miraculo et praesentiae Domini. Cana zelus interpretatur; Galilaea vero transmigratio interpretatur. Ubi est amor et zelus Dei, ibi Deus adest; ratio, quia charitas fecit eum hominem. A fortiori fecit praesentem, ubi ipsa est et zelus Dei. Stat enim in medio Dominus discipulorum et in suo nomine congregatorum, Matth. 18, 20; ac a mundo transmigrantibus, ut patet in apostolis, semper adest *usque ad consummationem saeculi,* Matth. ult., 20. Sed quibus Dominus se manifestat regem esse potentem et *Dominum virtutum* et *gloriae* [3], nisi eius zelantibus honorem? Patet in Elia, III Reg. 1 [4], qui zelando zelum Dei, in Horeb Dei praesentiam meruit sentire et videre. Dicit ergo Evangelium, quod Dominus miraculum fecit in *Cana Galilaeae:* ecce locus. Fecerat Deus miracula magna in pluribus aliis locis, ut in Aegypto, prout habetur in libro Exodi [5], in mari rubro, in deserto et sic de aliis locis, ut patet ex serie sacrae Scripturae. Sed ad commutandum aquam in vinum locum elegit *Cana Galilaeae,* ut declararet, quod Dei honorem zelantibus aqua omnis tribulationis in vinum consolationis mutatur, quia, ut dicit Apostolus Rom. 8, 28: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

Secundum videndum est de tempore. Et dicit Evangelium, quod tempore nuptiarum, quia inquit: *Nuptiae factae sunt.* Ubi libet intueri, primo an decuit Christum et beatam Mariam nuptiis adesse, consideratis levitatibus et aliis, quae communiter sunt in nuptiis, cum Christus et Maria essent omni sanctitate plenissimi et perfectissimi. Re-

(*a*) Edd. om. *ad occurrendum.* — (*b*) As, Edd. *ostendit.* — (*c*) Edd. *postulavit.*

[1] Pot. Ioan. 16, 20. — [2] Rom. 8, 18. — [3] Ps. 23, 10. — [4] Pot. III Reg. 19, 8 sqq. — [5] Exod. 7 sqq.

spondetur, quod accessus Christi et Mariae ad nuptias in nullo eorum derogat sanctitati. Christus enim ad nuptias accessit multis de causis. — Primo, ut sacramentum matrimonii, per Adam praeconizatum, a Deo institutum, per sanctos patriarchas et prophetas debite servatum, bonum et licitum declararet, contra futuros haereticos, scilicet Manichaeos, ipsum ut malum condemnantes. — Secundo, quia Ioannes, cuius erant huiusmodi (*a*) nuptiae, Christi erat frater, et Dominus Iesus nondum erat notus miraculis et praedicatione; (*b*) sibi non derogabat in aliquo talis ad nuptias accessus. — Tertio accessit, ut, teste Hieronymo et Augustino, sponsum Ioannem ad statum virginitatis vocaret ac virginem dignissimum consecraret. — Quarto, quia enim Dominus Iesus non solum venit ad informandum perfectos, sed etiam imperfectos; quare in suis actibus conformis voluit esse utrisque: perfectis se virginitatis exemplar praebendo; imperfectis, qui virginitatem sic non possunt servare, matrimonii sacramentum licitum esse declarando, in nuptiis personaliter assistendo. Erat enim mundi ipse monarcha; quare legem dare decebat perfectis et imperfectis: virginitatis perfectis, matrimonii imperfectis. — Quinto Christus venerat sanare, vocare et salvare tam virgines quam coniugatos; quare et in licitis conformare eis se poterat. — Sexto, cum Christus esset *sanctus sanctorum* [1] et sic beata Maria, ad sanctificandum nuptias et recumbentes accessit; quod et fecit in sponso, secundum Hieronymum, et discipulos, qui crediderunt in eum. — Septimo, ut ostenderet qualiter nuptiae essent celebrandae, et qui vocandi; quia non discoli et dissoluti, sed Dei timorem habentes. Ad has enim nuptias Christus, Maria et discipuli accesserunt.

Sed beata Maria ad nuptias accessit: — Primo, quia attinens sponso, scilicet Ioanni, utpote eius matertera. — Secundo, quia cum ipsa in numero esset astrictorum matrimoniali foedere, etsi non corporis coniunctione, quod in se suscepit, in aliis condemnare non decebat. — Tertio, ut ostenderet, quod status matrimonialis cum perpetua virginitate stare et esse posset, sicut fuit in se et Ioseph; sic et factum est in his nuptiis, scilicet in Ioanne et eius uxore, ubi fuit traditio potestatis corporum cum privatione usus ipsorum perpetua. — Quarto, cum status virginitatis tunc non esset publicatus melior matrimoniali, quare accedendo ad nuptias in nullo tali statui derogavit.

Plures sunt causae aliae tam de Christo quam de Virgine, quare nuptiis interfuerunt; de quibus dixi in opere *De vita beatae Mariae,* fructu XLVI [2]. Nec credendum est, quod ubi Christus affuit, virgo Maria et apostoli, aliquid fuerit indecens et lascivum peractum. Si enim nuptiae Tobiae iunioris, Tob. 9, 12, fiebant cum Domini timore, a fortiori fuerunt istae nuptiae, in quibus erat *sanctus sanctorum,* Christus, et beata Maria, sanctissima creaturarum, et sancti apostoli. O quales fuerunt hae nuptiae, consideratis personis! Commendatum fuit convivium Assueri, quod peregit omnibus principibus et servis pro coniunctione et nuptiis Esther, Esth. 2, 18; non est tamen comparandum huic convivio nuptiali, ubi adest Imperator caeli et terrae, *Deus deorum et Dominus dominantium* [3], Regina mundi et iudices saeculi, scilicet apostoli: personis talibus dignificatae sunt hae nuptiae; insuper etiam primo miraculo Christi et vocatione sponsi Ioannis, secundum Hieronymum, ad perpetuum virginitatis coelibatum. Nullibi nec aliquando factae sunt tales nuptiae.

Tertium (*c*) videndum est de verbis beatae Mariae. Quare beata Virgo non petiit a Filio miraculum fieri expresse, sed solum insinuavit, dicens: *Vinum non habent?* Respondetur, quod virgo Maria, cum fuerit prudentissima, si expresse a Filio petiisset miraculum, indebite fuisset visum et vanagloriose hoc expetere, quemadmodum dicit Ioan. (*d*) 7, 3, quod fratres Christi dixerunt sibi: *Vade in Iudaeam, ut et discipuli tui videant opera tua* etc. Insuper, quia ipsa sciebat Filium suum Deum esse, cui omnia sunt manifesta, et conse-

(*a*) Edd. ***hae.*** — (*b*) Edd. add. ***ideo.*** — (*c*) As, Edd. ***secundo.*** — (*d*) Al ***Ioan. Chrysostomus.***

[1] Dan. 9, 24. — [2] Cf. l. c. — [3] Deut. 10, 17.

quenter pium et misericordem et qui non labiis et verbis sed corde vult deprecari [1], ac ad Ioannem magno ferri amore, insinuare solum Christo visum est beatae Mariae fieri. Sic enim Maria et Martha sorores, dum Lazarus frater earum infirmaretur egerunt: ipsum infirmum insinuantes dixerunt: *Domine, ecce, quem amas, infirmatur* [2]. Dicit ergo beata Maria: *Vinum non habent;* quasi diceret, defectum insinuo, sed tu, qui Deus es, provide de remedio opportuno. Quo verbo ostenditur prudentia Mariae: sciebat enim in multiloquio Deum non delectari, nec exaudire [3]; quare paucis verbis usa est, simile faciendi (*a*), dum a Deo aliquid obtinere desideramus, praebens nobis exemplum. Circumspectio sua statim perpendit de defectu, et de remedio providit misericordia sua et pietas ad pauperes; quorum pauperiem aspiciendo, providere decrevit et fecit. Quo datur intelligi, quod qui ipsam habet in praecipuam reverentiam et advocatam, in nullo habet dubitare, diffidere nec contristari, quia sua benigna pietate statim providet et subvenit in cunctis.

Quartum (*b*) videndum et inquirendum est de Christi responsione facta insinuationi beatae Mariae. Respondit enim: *Quid mihi et tibi mulier? Nondum venit hora mea.* Videtur enim eam inhonorasse tali modo loquendi, nec (*c*) vocando matrem sed mulierem, ac se fore extraneum ab ipsa insinuasse. Respondetur, quod Dominus Iesus et reverenter se habuit, et matrem honoravit et exaltavit, sic respondendo. — Sic enim respondendo ostendit: Primo, quia ostendit se ad ipsam nihil habere carnalis affectus, sed solum spiritualis; quia ei non condescendit ut matri carnali, sed ut mulieri (*d*) plenae pietate viscerali; unde in huius signum non vocat eam matrem, sed mulierem. Ad gloriam matris est, quod filius potius sit spiritualis quam carnalis, et ab omni affectu carnali segregatus quam eius oppositum; quare et virginis Mariae. — Secundo sic dicendo ostendit, quod non propter vanam gloriam seu vanam suggestionem aut vanitatem aliqua miracula erat facturus, nec blanditiis aut adulationibus inclinatus; quare pro tanto honorabilius fuit matri. — Tertio sic dicendo expressit se aliud ultra humanitatem habere, scilicet habere deitatem et potentiam, quam a matre non acceperat, et per consequens se esse Deum, cui competit miracula facere; et sic ad honorem Mariae esse, quod ipsum Deum genuerit. — Quarto sic dicendo, quia de non hora fecit horam ad faciendum miraculum precibus beatae Mariae, ipsam merito dignificavit, utpote condescendens ei in petitis; et eius precibus fieri (*e*) per anticipationem, quod pro tunc Deus non est facturus. Sed eam vocat mulierem et non matrem, videlicet ab affectu pietatis et misericordiae, qua inclinabatur ad inopiam sublevandam praefati sponsi. Non enim erat dura in pietate, sed dulcis tota et mollis pietate; et cum mulier dicatur a mollitie, eam tali de causa sic vocare dignatus est.

Sed quid est, quod dicit: *Nondum venit hora mea*? Respondetur, quod etsi Deus in omni momento et hora miraculum, teste Augustino, exerceat circa creaturam, utpote in esse conservando; attamen non omnia, quae possunt fieri miracula a Deo circa creaturam operatur; sed loco et tempore et modis congruentibus. Potest et aliter dici, quod hora non erat, scilicet necessitatis. Miracula fienda erant necessaria (*f*) propter praedicationem confirmandam; et quia Christus tunc non praedicabat, quare hora non erat, scilicet necessitatis; sed hora fuit congruitatis, quia videlicet ad exaudiendum preces beatae Mariae erat semper decens et congruum; unde beatae Virgini ad exaudiendum ipsam nec tempus exspectat nec horam. Sic ergo praefatis patet de loco et tempore, quia *in Cana,* ecce locus, et tempore nuptiarum. Quo patet, quod multi aderant huic miraculo Domini. Etsi Evangelium dicat, quod Iesus, Maria et discipuli vocati sunt ad nuptias, per hoc etiam datur intelligi, quod multi alii affuerunt, quia nuptiae erant; et sic miraculum Christi multis innotuit aliis.

(*a*) As *faciendum* postmodum add. *nobis.* — (*b*) As, Edd. *Tertio.* — (*c*) Edd. *non.* — (*d*) As *matri.* — (*e*) Edd. *faciens.* — (*f*) As, Edd. *necessario.*

[1] Cf. Matth. 15, 8. — [2] Ioan. 11, 3. — [3] Cf. Matth. 6, 7.

Quintum (*a*) videndum est de modo, quo miraculum est a Christo celebratum. Et dicit Evangelium, quod beata Virgo, post responsionem factam eidem ac internaliter (*b*) radiata de voluntate Filii ad miraculum operandum, ipsa (*c*) ait ministris: *Quaecumque dixerit vobis, facite.* O verbum summae sapientiae contentivum! Expressit nobis virgo Maria paucissimis verbis, quomodo a Deo obtinere possumus quidquid volumus. Inquit: Si vultis obtinere a Filio meo, quod optatis, tam pro praesenti quam pro futuro, documentum est saluberrimum et verissimum, videlicet, quidquid *dixerit vobis, facite:* sic enim peragendo, quidquid petetis, fiet vobis ab ipso. — Non exaudimur a Deo. Ratio, quia documentum Virginis non servamus, scilicet quaecumque dicit Christus nobis faciendo; immo oppositum exercemus. Non mirum (*d*) ergo, si vos non exaudit. Peragamus (*e*), iuxta consilium beatae Mariae, quae Christus nobis praecipit agenda, videlicet paupertatem amare, caritatem habere, castitatem servare, obedientiae iugum suscipere, mansuetudinem exhibere, misericordiam circa miseros et indigentes operari, inimicos diligere, rectitudinem intentionis tenere, verbum otiosum vitare, carnis curam omittere, fratrem corripere, se custodire, iuste agere et toto affectu ad aeternam patriam anhelare, et sic de aliis, quae in sancto Evangelio mandat servare (*f*); ut sic faciendo, quod petimus ab ipso proculdubio habeamus.

Sed quid Christus dicit ad miraculum operandum? *Implete hydrias aqua.* Hoc dicit, ut miraculum sit patentius. Non enim voluit, quod hydriae evacuarentur et vinum ibidem noviter crearetur, ne putaretur ibi non creatum, sed ante immissum. Vult, quod hydriae impleantur aqua, ut pateat, tam ex vasis deputatis pro aqua quam ex aqua plenissime superposita, miraculum. Factum est, ut imperavit. Quo facto, cum in virtute ipsius sit omnis creaturae tam esse substantiale quam accidentale, aquas convertit in vinum; iussitque, ut ministri deferrent architriclino, principi et praeposito nuptiarum, ut gustaret. Et architriclinus gustavit vinum, ex aqua factum. O quale vinum fuit istud, divina virtute sic operatum! Nullum unquam potuit suavitati, bonitati et dulcedini eius aequiparari vinum omne, etsi a Deo ut a principali causa fiat, tamen cursu fit naturae. Sed hic naturae ordo impraemissus (*g*) fuit, divina potentia statim factum, aqua scilicet in vinum mutata. Quare, cum opera Dei sint perfecta, hoc inter vina fuit perfectissimum. Quibus evidenter astruitur omnipotentia Domini Iesu, cui omnia parent ad nutum; eiusque est (*h*) mandatis parendum, qui parentibus statim subvenit; nec qui eius se subdit mandatis, habet de aliquo haesitare, cui Dominus subvenit et alit in fame, ac eius fit in omnibus protector et adiutor. O quanto Maria exsultavit gaudio videndo se a Filio exauditam, indigentium inopiam sublevatam, Filium tam stupendo miraculo Deum declaratum, apostolos confirmatos in fide, sponsum ad virginitatis perpetuum statum vocatum, ministros aquam portantes (*i*) ad Christi reverentiam inclinatos, architriclinum stupore perterritum, assistentes admiratos, sponsam ad vitam coelibem advocatam: quia credendum est, ex quo sponsum vocavit, quod et sponsam non dimisit, etsi per doctores nihil de ipsa dicatur; cunctos vino miraculose concesso laetificatos et in viros alios degustantes commutatos! Multa alia essent dicenda pro huius miraculi primi commendatione, de quibus dictum est in opere *De vita beatae Mariae,* fructu XLVI [1]; quae hic omitto causa brevitatis.

Miraculo ergo isto Dominus Iesus est ostensus pius condescendendo pauperibus, quos diligit, quia ad ipsorum nuptias pauperes (*k*) pergit; quam dulciter ad suam fertur matrem Mariam, quam statim exaudit, quam prudenter loquitur et omnia peragit; quomodo suo contubernio amara in dulcia convertit, sua gratia corda commutat, sibi coniunctos iucun-

(*a*) As, Edd. *quarto.* — (*b*) As *interius;* Edd. *internam radiationem.* — (*c*) As, Edd. om. *ipsa.* — (*d*) Edd. *miremur.* — (*e*) Al; As add. manu posteriore; Edd. om. *Peragamus—carit. habere.* — (*f*) Edd. *mandat, necesse est, ut.* — (*g*) As *inpraemissis;* Edd. *praetermissus.* — (*h*) Edd. *esse.* — (*i*) As, Edd. *ponentes.* — (*k*) Edd. *quia ad pauperum nuptias pergit.*

[1] P. 592 sqq.

dat consolationibus, contemptoribus mundi se iungit et Deum inquirentibus, per Cana et Galilaeam significatis; omnem sexum, statum et aetatem salubriter instruit, suamque doctrinam docet dare mellifluam; et demum se esse, qui nos saginat et reficit iucunditate aeterna. Sic ergo praefatis apparet succincte declaratio primae partis huius X conformitatis, videlicet: **Iesu aqua convertitur.**

Secunda pars decimi fructus et conformitatis secundi libri, et vigesimae secundae in ordine, videlicet:

Franciscus commutator.

Expositio.

Gloriosus Christi confessor, dilectus Deo et hominibus beatus pater noster Franciscus, qui (*a*) Christi amore mundana contempsit, eidem toto inhaesit praecordio (*b*), vitia crucifixit et cum diabolo superavit, evangelicorum consiliorum inobservatum nec apicem praetermisit, ipsumque solum dilexit appetiit et habere curavit. Quia ergo (*c*) sic sua monita servavit et mandata, hinc est quod is, in cuius ditione, virtute, potentia et providentia cuncta sunt posita, ad nutum condescendit in opportunitatibus et votis, Etsi de hoc satis sit dictum conformitate III [1], nunc tamen pro expositione huius secundae partis, scilicet *Franciscus commutator*, est aliqualiter videndum (*d*); Dominus enim Iesus Christus, beato Francisco condescendendo in commutatione vini facta ex aqua, eum sibi conformem reddere placuit et notabilem, quod hoc duo prae aliis ostendunt exempla.

1. De quorum primo habetur in *Legenda maiori* parte V [2], ubi dominus frater Bonaventura ad propositum loquens, sic inquit: « Apud eremum Sancti Urbani, beato Francisco Dei servo aegritudine gravissima laborante, cum ipse naturae defectum sentiens, vini poculum postulasset, nihilque de vino, quod sibi dari posset, responderetur (*e*) adesse; iussit aquam afferri, et allatam crucis signo edito benedixit. Mox vinum efficitur optimum, quod fuerat aqua pura; et quod deserti loci paupertas non potuit, viri sancti puritas impetravit. Ad cuius gustum tanta protinus facilitate convaluit, ut saporis novitas et innovatio sanitatis » attestarentur illud poculum Francisco suo indigenti liberaliter a Christo concessum, qui in nuptiis indigentiam pauperis sublevavit sponsi, aquam convertendo in vinum. Huius [3] denique vini gustu, a largo Datore propinati, ab infirmitate sublevatus Franciscus et gustu suavissime dulcedinis supernaturaliter innovatus, perfectam in ipso exspoliationem veteris hominis et induitionem novi duplici attestatione firmaverunt. — Sic ergo patet, qualiter beatus Franciscus in commutatione aquae in vinum est similatus Christo. Etsi dispa-

(*a*) Edd. *quia*. — (*b*) Edd. *totis... praecordiis*. — (*c*) Edd. om. *ergo*. — (*d*) As, Edd. *suadendum*. — (*e*) Edd. *responderent*.

[1] Supra p. 75 sqq.; sed potius Conf. 1, p. 10 sqq. — [2] C. 5 n. 10. — [3] Hinc cf. etiam *Leg. Min.* V, l. 2.

ritas sit in loco, aequalitas tamen reperitur in effectu, etsi causa utriusque sit Dominus Iesus Christus, Salvator noster.

Secundo exemplo idipsum ostenditur de commutatione aquae in vinum facta a beato Francisco, prout in *Legenda* habetur *antiqua* [1]. Cum enim pater sanctus beatus Franciscus in Marchia Anconitana apud locum de Trabe Bonante (*a*) moram traheret ac ecclesiam quamdam dicti loci faceret fabricare, et hoc tempore aestivo, et operarii sitis aestuarent ardore, iamque ipse beatus Pater ad acquirendum vinum fratres misisset; dum redire diu tardant, laborantes a beato Francisco cum instantia vinum bibere deposcunt. Et cum diceret beatus Franciscus ad Castrum Iovis eis propinquum fratres misisse pro vino et cito reversuros, ipsis tamen ob sitim conquerentibus nec exspectare valentibus, beatus Franciscus ad fontem ibi vicinum perrexit et ibi, facta oratione, fontem crucis signo cum signasset, aqua ipsius fontis in vinum optimum est conversa. Et talis conversio aquae in vinum bene per horam duravit. De quo vino omnes operarii abundantissime biberunt. Et quidam nomine Ioannes de Villa Alcini, comitatus Camerini, de isto bibit vino et tantum patratum miraculum a beato Francisco fratri Bonaventurae de Tolentino enarravit. — Sic ergo tam in miraculo praecedenti quam in isto, beatus Franciscus Christo Domino in commutatione aquae in vinum similis reperitur.

2. Et non solum beatus Franciscus aquam commutavit in vinum, verum etiam acetum fortissimum in vinum optimum commutasse invenitur. Cum enim beatus Franciscus apud ecclesiam Sancti Christophori de Interamne pranderet cum multis, fecit sibi cyathum de aceto deferri. Quo allato, cum quidam presbyter nomine Ioannes, capellanus ecclesiae Sancti Cassiani de Interamne, accessisset ad eum, beatus Franciscus dictum cyathum de aceto sibi delatum (*b*) eidem presbytero obtulit ad bibendum. Quo hausto, dictus sacerdos interrogatus ab astantibus, quid bibisset, respondit, quod melius vinum quam gustasset toto tempore vitae suae. De quo omnes, qui aderant, sunt valde admirati [2].

Sic ergo praefatis apparet, quam votive et mirabiliter in suis opportunitatibus Dominus Iesus beato Francisco condescendit, qui sibi concessit elementum aquae in vinum convertere, ac etiam in vinum acetum mutare, et (*c*) sitienti pauperculo cuius vehebatur asello, ut dictum est conformitate III [3], aquam vivam de petra durissima propinare. Quo innuitur beatum Franciscum, iuxta beatae Mariae documentum, cuncta, quae Christus dixerat, servasse et custodisse perfecte; quare et obsequentem eumdem Dominum sibi et parentem ad placitum invenisse; ac beatum Franciscum a peccato per aquam significato purgatum, tribulationes aqua figuratas et adversitates libenter Iesu amore suscepisse. Quo primo in vinum mutatur puritatis angelicae; et secundo, vino degustato divinae dulcedinis, Christum eidem immo eumdem, ut aquam, in vinum mutasse a fidelibus reperitur. Sic ergo patet secunda pars succincte declarata, videlicet, *Franciscus*, ut Iesus, aquae in vinum est *commutator*.

(*a*) Al *Trabe Bonate;* As *Trabe Bonace.* — (*b*) As, Edd. *allàtum.* — (*c*) Edd. om. *Et sit — propinare.*

---

[1] Cf. A F IV, 512; Wadding, ad an. 1215 n. 26, (I^2, 235) e Mariano, qui hoc e Pisano hausisse videtur. — [2] Cf. Wadding, ad an. 1213 n. 9, (I^2, 154). — [3] Supra p. 121 l. 27 sq.; p. 12 l. 19 sq.

FRUCTUS ET CONFORMITAS UNDECIMA ET IN ORDINE VIGESIMA TERTIA:
Iesus Orans Inspicitur. — Franciscus Exorator.

Expositio primae partis, videlicet: **Iesus orans inspicitur.**

Magister veritatis et doctor, Dominus noster Iesus Christus, cum sua doctrina pariter et vita fuerint ad hoc praecipue, ut hominem spiritualem redderent potius quam corporalem, ac consequenter Deo iuxta posse totaliter inhaerentem, ut videlicet unus spiritus efficeretur cum ipso; hinc est, quod inter virtutes oratio hominem mente cum habeat sublevare et Deo praesentem exhibere, dicentibus Damasceno [1]: « Oratio est ascensus intellectus in Deum », et Augustino *De spiritu et anima* [2]: « Oratio est mentis conversio in Deum per pium et humilem affectum »: ipsi Domino et Salvatori nostro complacuit hanc virtutem tam verbo quam exemplo suo docere, prout praesentis conformitatis prima pars declarare intendit dicens: *Iesus orans,* pro nostro exemplo et instructione, *inspicitur.*

1 Ubi sciendum, quod homo fidelis et imitator Christi, etsi orationi iuxta dictum Christi debeat semper instare propter eius multiplices praerogativas et utilitates, utpote quia ipsa Deo placet: patet, quia: Ipsa homo Deo coniungitur et cum Deo loquitur, ut dicit Alexander papa et martyr [3]. Daemones fugat, Marc. 9 28: *Hoc genus daemoniorum non eiicitur, nisi per orationem et ieiunium.* Diabolum cruciat, ut in *Legenda* beati Bartholomaei apostoli [4]: « Incendunt me orationes tuae ». De hostibus spiritualibus triumphat; Isidorus *De summo bono* [5] dicit: « Hoc est remedium eius, qui vitiorum tentamentis exaestuat, ut quoties quocumque (*a*) vitio tangitur, toties se orationi subdat ». Corporis infirmitates sanat, Eccli. 38, 9: *Fili, in tua infirmitate ne despicias teipsum, sed ora Dominum et ipse curabit te;* Iacob. ult., 15: *Oratio fidei sanabit infirmum.* Vitam prolongat; patuit de Ezechia qui oravit et a morte liberatus fuit, et anni quindecim pro vita sibi a Deo conceduntur, Is. 38, 3 sqq. Liberat ab opprobrio; patet de Sara, filia Raguelis, Tob. 3, 11. A morte liberat; patet de Susanna, Dan. 13, 42 sqq. Morbos spirituales sanat; Hieronymus: « Ieiunio sanantur pestes corporis; per orationes pestes mentis ». In bello corporali triumphat et superat; Moysis oratione Amalech debellatur (*b*), Exod. 17, 11. Mentem illuminat; unde super illud Act. 10, 9, quod Petrus in Ioppe orabat, Augustinus dicit: Oratione melius dubia solvuntur, quam inquisitione alia. Sancti homines oratione spiritum non solum prophetiae, sed scientiae et intellectus acceperunt. Cor inflammat; ad orationem Eliae ignis de caelo descendit, IV, Reg. 1, 10 sqq. Mundat; Isidorus [6]: « Orationibus mundamur ». Confortat; Iesu orante, Lucae 22, 43, tempore passionis, *angelus* Domini descendit *confortans eum.* Caelum aperit; *Iesu baptizato et orante, apertum est caelum,* Lucae 3, 21. Deum placat; unde super illud Tob. 3, 10 sq., quod Sara stetit tribus diebus in oratione, dicit Glossa [7], quod oratio Deum lenit, sed lacrima pungit; haec ungit, illa pungit. Quod petit, impetrat a Deo, Matth. 21, 22: *Omnia quaecumque petieritis in oratione credentes, accipietis.* Plures sunt aliae orationis commoditates, sed brevitatis causa dimitto, quia patent cuilibet sacram Scripturam inspicienti. Sic ergo, utilitatibus pensatis, homo debet orationi incumbere.

(*a*) Al *quolibet, tunc ad orationem.* — (*b*) As, Edd. *Moyses... ddbellavit.*

[1] *De fide orthod.* l. III, c. 24 (P. G. 94, 1090). — [2] Inter opp. S. Aug. c. 50 (P. L. 40, 816). — [3] Cf. eius *Legendam, Acta SS.* Mai. I, 3700. — [4] Eius *Leg., Acta SS.* Aug. V, 34. — [5] Sent. l. III c. 7 n. 1 (P. L. 83, 671 sq.). — [6] Cf. Sent. III, c. 7 n. 1 sqq. (P. L. 83, 671 sqq.). — [7] Gl. interlin. ap. Lyranum in. h. l. ubi vero: lacrima cogit.

Debet nihilominus peragere hoc praecipue Salvatoris nostri: primo, exemplo, secundo, documento.

Primo Christi exemplo est orandum. Ipse enim oravit, etsi non indigeret, ad dandum nobis orandi exemplum. — Primo ipso baptizato, cui oranti *apertum est caelum,* Lucae 3, 21. Secundo, Matth. 14, 23, quando satiatis quinque millibus hominum, exceptis parvulis et mulieribus, *ascendit in montem solus orare.* — Tertio quando, multis a morbo et daemoniis curatis, *diluculo valde consurgens, egressus ibat in desertum locum, ibique orabat*[1]. — Quarto curata manu arida in sabbato, *exiit in montem orare; et erat pernoctans in oratione Dei,* Lucae 6, 12. — Quinto quando transfiguratus est; nam, ut habetur Lucae 9, 29, dum enim in monte *oraret, facta est* facies (*a*) *eius altera.* — Sexto *cum esset in loco quodam orans, ut cessavit* orare, docuit discipulos orare et dicere: *Pater noster,* ut habetur Lucae 11, 1 sqq. — Septimo post cenam, ut habetur Ioan. 17, 1 sqq., ubi informatis apostolis de pluribus, sublevatis oculis in caelum dixit: *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum* etc.; ubi multa ad Deum Patrem orasse legitur. Imminente passione et in horto oravit Patrem ter, ut calicem passionis ab eo transferret etc., ut habetur Matth. 26, 39 sqq. et Luc. 22, 41 sqq. Orasse Dominum ostenditur, quando ascendit Hierosolymam cum parentibus, cum duodecim esset annorum[2]; et quando in ceteris festivitatibus Ierusalem ascendebat. Insuper, quando diluculo surgebat et ibat in templum[3], credendum est, quod antequam praedicaret, ad exemplum Patrem orabat. In cruce moriturus oravit Patrem, ut parceret crucifixoribus[4]. Et, ut ait Apostolus, Hebr. 5, 7: *Cum lacrimis et clamore valido preces, supplicationesque offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Ac de mundo recedens, orando Patrique commendando spiritum suum mortuus est, Luc. 23, 46. Sic ergo nobis Dominus noster suo exemplo ostendit nos orare debere.

Hoc idem estendit secundo suo verbo et documento, dicens Matth. 26, 41: *Vigilate et orate* etc. Et dixit Iesus, quod *oportet semper orare et* nunquam *deficere,* Luc. 18, 1; et Matth. 24, 20: *Orate, ne fiat fuga vestra* etc. — Sed advertendum, quod Dominus noster Iesus Christus, dicens nos orare debere, ostendit:

Primo totam intentionem nostram dirigendam ad Deum et non ad favorem habendum mundanorum, ipso dicente, Matth. 6, 5 sq.: *Cum oratis* (*b*), *non eritis sicut hypocritae;* et sequitur: *qui amant in synagogis et in angulis platearum orare, ut videantur ab hominibus. Tu autem, cum oraveris, intra cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem in abscondito; et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.*

Secundo potius corde quam ore, Matth. 6, 6: *Intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito.*

Tertio vitata superfluitate verborum, Matth. 6, 7: *Orantes, nolite multum loqui, sicut ethnici* etc.

Quarto locum ostendit dicens, Matth. 6, 6: *Intra in cubiculum,* id est in locum secretum, quod ostendit dum, dimissa turba, aliquando in montem, aliquando in desertum, aliquando in hortum separatus ab aliis ad orandum accessit, et ad templum, ut dictum est.

Quinto ostendit modum, quia reverenter et facie inclinata et humiliata; Matth. 26, 39. habetur, quod ipse *orans procidit in faciem suam* etc.

Sexto formam dedit orandi dicens, Matth. 6, 9: *Sic ergo vos orabitis: Pater noster, qui es in caelis* etc.

Septimo ostendit tempus, quia scilicet omni tempore, ipso dicente, Luc. 18, 1: *Oportet semper orare et* numquam *deficere.* Hoc verbum Domini Salvatoris, cum sit affirmativum, non videtur includere *semper,* sed *pro semper;* sic videlicet, ut homo omni tempore ad orandum

(*a*) As, Edd. *species.* — (*b*) Al om.; Edd. *oraveritis.*

[1] Marc. 1, 35. — [2] Luc. 2, 42 sqq. — [3] Ioan. 8, 2. — [4] Luc. 23, 34.

praeparatus exsistat, taliter peragendo, ut cum oraverit, eius oratio in conspectu Domini sit accepta. Ut enim dicunt doctores: ille non cessat orare, qui non cessat benefacere. Vel potest dici, quod oratio est adeo utilis, insuper semper divino auxilio indigemus, ac a diabolo infestamur; quare et quando possumus, semper orare debemus. Et licet sit semper orandum, attamen iuxta exemplum Christi praecipue orandum est: De nocte; nam, ut dicitur Lucae 6, 12, Iesus *erat pernoctans in oratione Dei.* De mane, Marc. 1, 35: *Diluculo valde consurgens, egressus,* scilicet de civitate, *ibat in locum desertum, ibique orabat;* et Ioan. 8, 2: *Diluculo ibat in templum.* Hora vespertina, Matth. 14, 23 dicitur quod, *dimissa turba, ascendit in montem solus orare;* et sequitur: *Vespere autem facto, solus erat ibi.* Sic ergo patet de tempore, quo est orandum praecipue.

Octavo quomodo est orandum; quia attente. Dicens, Matth. 16, 41: *Vigilate et orate,* praemisit *Vigilate;* unde Glossa super illud I Petri ult. [1] dicit: Ne animus aliquid cogitet praeter illud solum, quod precatur. Dolenter (*a*) et cum lacrimis; sic ipse fecit, Heb. 5, 7. Instanter; ter enim in parvo tempore et spatio tempore passionis oravit, Matth. 26, 43. Humiliter: in faciem procidit, Matth. 26, 39; quare et humiliter. Desiderio magno Christus oravit *cum clamore valido,* Heb. 5, 7, in signum magni desiderii. Discrete; patet, quia multiloquium vetat, Matth. 6, 7, et in oratione sua paucissimis verbis ad Patrem usus est, Matth. 26, 39 sqq. Confidenter, Matth. 7 [2]: *Quidquid orantes petitis, credite, quia accipietis.* Perseveranter; Christus in vita oravit, et demum in cruce moriendo, dum Patri animam commendavit. Debite et honeste quoad petita, dicens Matth. 6, 9: *Cum orabitis, dicite: Pater noster, qui es in caelis, sanctificetur nomen tuum* etc,

Nono ostendit quem orare debemus, Matth. 6, 9, quia Patrem, dicens (*b*): *Pater noster, qui es in caelis* etc., quia ipse sic Patrem oravit, Matth. 26, 39.

Decimo quid orandum et petendum a Patre caelesti. Certe ipse docet, Matth. 6, 9, et Lucae 11, 2, quod debemus dicere: *Sanctificetur nomen tuum* etc. Ubi ponit, quod septem sunt ab eo petenda et oranda. Et quia forma ista a Domino nostro Iesu Christo est nobis tradita, est circa ipsam nobis aliqualiter insistendum, ut quid ea petatur, a dicentibus intelligatur. Sed ante in generali sunt aliqua praenotanda.

Primum, quod ista oratio est valde singularis, utpote, quia ab ore Dei viventis promulgata, ab ipso edita et petentibus apostolis tradita et demonstrata, prout habetur Lucae 11, 2. Est etiam singularis ex verborum brevitate; quod egit Christus, quia, ut ipse dicit, Matth. 6, 7: in oratione non oportet *multum loqui.* Egit etiam, ut facilius traderetur memoriae, saepius diceretur, et taedium in dicendo vitaretur ac omnis excusatio tolleretur. Est et valde singularis ex petitionibus. Sicut enim in septenario numero omne tempus complectitur et universitas designatur, ut dicit Gregorius [3], sic in septem huius orationis petitionibus, quidquid a Deo tam pro aeternis quam pro temporalibus peti decet, continetur, ut patebit in expositione.

Secundo est sciendum, quod in speciali (*c*) nihil a Deo petitur. Ratio, quia petendo generaliter, quid cuilibet sit opus cum noscat et quid indigemus et quo, dat cuilibet, prout opus habet. Insuper in hac oratione nullus petit nomine proprio sed communi. Ratio, quia opus caritatis quanto communius, tanto melius. Teste enim Hieronymo in quadam *Epistola* [4]: Psalmus et missa dicta pro centum, tantum valet cuilibet ac si pro quolibet in speciali diceretur. Rogando pro alio, pro seipso rogare probatur; et specialiter hanc orationem dominicam dicendo, quae quoslibet eam dicentes tangit. Unde Psalmista ait [5]: *Oratio mea in sinu meo*

(*a*) Al transp. erronee *Dolenter—Hebr.* 5, 7 post *Instanter—Matth. 26, 43.* — (*b*) Edd. *dicentes.* — (*c*) Edd. *singulari.*

---

[1] Pot. I Petr. penult. (4), 7. — [2] Pot. Marc. 11, 24. — [3] *Homil. in Evang.* 33 n. 1 (P. L. 76, 1239). — [4] Ad sensum ap. *Flores Doctorum.* — [5] Ps. 34, 13.

convertetur. Unde et pro aliis sive in aliorum persona dicendo, pro semetipso eam dicere comprobatur; ut enim ait beatus Gregorius [1] XXV *Moralium*: « Quisquis pro aliis intercedere nititur, sibi potius ex charitate suffragatur, et pro semetipso exaudiri tanto citius meretur, quanto devotius pro aliis intercedit ».

2. Tertio advertendum, quod doctores hanc orationem dominicam diversimode exponunt; quare eorum vestigiis et dictis inhaerendo, est breviter secundum eorum dicta declaranda. Sed advertendum, quod Dominus noster huic orationi quoddam praeambulum (*a*) praemittit, ad quod cunctas petitiones merito adnectit. Praemittit enim quod dicamus: *Pater noster, qui es in caelis.* — *Pater noster.* Inquit Augustinus [2]: Nunquam invenitur praeceptum in Veteri Testamento, quod orationi praemitteretur *Pater noster,* sed solum Christianis, sed aliis Dominus; nobis mandatur (*b*), ut dicamus: *Pater noster,* qui per spiritum adoptionis a Christo accepimus, ut sic eius (*c*) Pater natura, sic noster sit Pater singulari affectu et dilectione. Cum dicitur *Pater noster,* impetrandi fiducia datur, dicente Bernardo: Oratio, quae Patris dulcescit nomine, petitionum mearum impetrandarum fiduciam mihi praestat. Sic eum, uti est, Patrem nostrum dicendo (*d*), affectus noster inflammatur; tanti Patris amorem pensando, qui nos pravos in filios vult habere, insurgit homo ad singularem eminentiam et praerogativam, dum prostratum non se cernit peccato, sed gratia nobilitatum, dum Deum suum vocat Patrem; quare et ipse gratia filius (*e*) Dei est. Ac quia sumus Dei peculiari modo filii, sumus et fratres Christi, quia Christus Deus factus est homo; et per consequens eius regni coheredes. In eo vero, quod eidem dicimus non solum *Pater* sed etiam *noster,* quia sic est unius sicut et alterius; quare nullus potest se iactare de generis nobilitate, quia omnes filii sumus unius Dei Patris, inclinat Christus Patrem ad benevolam aurem porrigendam orantibus, dum devote facit, quod dicatur eidem *Pater noster,* ut benevolentiam eius ad nos doceat, quia *Pater noster,* et reverentiam insinuat per nos eidem exhiberi (*f*), ut Patri obedientiam, et fiduciam totam in ipsum ponendam. Hanc ergo orationem quilibet, tam nobilis quam ignobilis, dicere valet, quia Pater est Deus tam divitis quam pauperis. Sed summopere est praecavendum sollicite (*g*), ne qui dicit *Pater noster,* non tanto Patre sit indignus. Divites enim et nobiles vere et pie nequeunt *Pater noster* Deo depromere, nisi ignobilium et pauperum pandant se esse omnino fratres: *Omnes enim vos fratres estis,* ait Salvator noster, Matth. 18 [3]. Sed hic Pater noster ubi habitet, specialiter ostendit Christus dicens: *Qui es in caelis.* Per caelum, teste Augustino [4], intelliguntur sancti et iusti, quia sunt viri spirituales et caelestes. Deus etsi sit ubique per essentiam, potentiam et praesentiam, tamen singulari modo est in sanctis per gratiam. Per caelum etiam intelligi potest caelestis patria, ubi est habitatio beatorum. Dicitur ergo Deus habitare specialiter in caelis, ad ostendendum quod ibi (*h*) principaliter suae caelestis curiae refulget celsitudo, suae gloriae pulchritudo et magnitudo. Licet enim anima sit tota in toto corpore et tota in qualibet parte, principaliter tamen censetur fore in corde per vivificam ad totum corpus operationem, sic et Deus, cum sit ubique, in sanctis principaliter est et in caelis, quia effectus suae virtutis perfectius dicitur in praefatis praelucere. Dicitur etiam *Pater noster, qui es in caelis,* ut ait Chrysostomus [5], ut erubescat dicens se terrenis rebus substernere, qui Patrem profitetur se habere caelestem. Vel ut dicitur in *Vitis Patrum,* ideo dicimus, *Pater noster* et specialiter *qui es in caelis,* quia ad illam regionem mentem sublevare debemus, in qua Patrem nostrum com-

(*a*) As, Edd. om. ***praeambulum.*** — (*b*) Edd. ***Christianis, et alias Dominus nobis mandatur.*** — (*c*) As, Edd. om. ***eius.*** — (*d*) Edd. ***appellando.*** — (*e*) As, Edd. om. ***filius.*** — (*f*) Al, As om. ***exhiberi.*** — (*g*) Edd. om. ***sollicite.*** — (*h*) Edd. add. ***specialiter et.***

[1] *Moral.* lib. 3, c. 10 sqq. (P. L. 76, 760 sq.). — [2] *De Sermone Domini,* l. II c. 4. (P. L. 34, 1275 sq.). — [3] Pot. Matth. 23, 8. — [4] *Sermo* 64 (int. Opp. S. Aug., al. *De tempore* 182) n. 4 (P. L. 39, 1868). — [5] *Opus imperf. in Matth.* hom. 14, int. Opp. S. Ioan. Chrysostomi (P. G. 56, 711).

morari fatemur. Dicamus ergo *Pater noster;* sic enim dicendo confitemur Deo Patri nostro per Filium suum Dominum Iesum Christum, nos in adoptionem filiorum ascitos. Quare nihil agamus, quod hac professione et nostra nobilitate nos indignos constituat. Ait abbas Isaac in *Collationibus Patrum*[1], collatione I cap. 18: *Qui es in caelis* dicitur, ut ibi affixi semper simus mente, ubi appetimus cum ipso Deo Patre nostro perpetuo commorari. Quibus praemissis ad petitionum expositionem accedendum est. Sed advertendum, quod Dominus septem petitiones apponit (*a*).

Et prima est: *Sanctificetur nomen tuum.* Augustinus[2]: « Id est, sanctum innotescat, ut nihil sanctius existimetur ». Chrysostomus[3]: « Sanctificetur, id est, fac nos sic vivere, ut per nos omnes te glorificent ». Cyprianus[4]: « Petimus hac prima petitione et rogamus, ut qui in baptismo baptizati sumus, in eo quod esse coepimus perseveremus »; petimus, ut sanctificemur, « ut qui quotidie delinquimus, delicta nostra sanctificatione assidua purgemus ». abbas Isaac in *Collationibus Patrum*[5], collatione I cap. 18: *Sanctificetur nomen tuum,* id est nostrum desiderium, nostrum gaudium sit esse (*b*) gloriam, scilicet ipsius Patris, exemplo Christi, qui dicit: *Gloriam eius quaero*[6], qui misit me. Paulus Apostolus, ut ad gloriam summi Patris salus totius Israeliticae plebis accrescat, anathema optat fieri a Christo[7]. Sic et Moyses[8] de libro, quem scripsit Dominus, petit abradi, ut indulgentiae concessio peccantibus detur ad honorem summi Patris. *Sanctificetur,* inquit abbas Isaac[9], taliter potest accipi: « Sanctificatio Dei nostra perfectio est. Dicentes ergo *Sanctificetur nomen tuum,* hoc dicimus: Tales nos facito, Pater, ut sanctificationem tuam quanta sit, vel capere mereamur vel certe intelligere, vel in nostra conversatione spirituali sanctus appareas. Quod efficaciter tunc in nobis impletur, quando vident homines opera nostra bona et glorificant *Patrem* nostrum, *qui est in caelis*[10] ». — *Sanctificetur nomen tuum,* Bonaventura in *Breviloquio*[11], parte V cap. 10, exponit: « *Sanctificetur nomen tuum,* id est, notitia tui nominis perfectis, sanctis et mundis donetur ». Aliter quidam exponunt dicentes: *Sanctificetur nomen tuum,* id est, clarificetur nomen tuum in nobis, et hoc fiat per Dei notitiam, ut Deum cognoscamus per fidem et fides in nobis augeatur plenarie. *Sanctificetur nomen tuum,* id est, quod semper est sanctum, ut omnibus innotescat et in nobis sanctificetur, oramus. Nomen Dei notitia de eo est; ut est in angelis visione manifesta, sit in Ecclesia fide vera. Cum ergo in notitia Dei sanctificamur, ut ipse sit Pater, nos autem filii similes illi, tunc nomen Dei sanctificatur et sanctissimum nobis esse manifestatur. *Sanctificetur nomen tuum,* id est, ut dicit Psalm.[12]: *Sanctum et terribile nomen eius,* scilicet Dei, id est, *Pater noster,* ab effectu *sanctum nomen* tuum, ut dicit Maria (*c*)[13], ostendatur in nobis, de peccato et non sancto ad sanctitatem ducendo, augmentum in sanctitate concedendo ac in sanctitate nos continuando et perpetuando.

Secunda petitio est: *Adveniat regnum tuum.* Hieronymus[14]: « Id est, ut in unoquoque nostrum regnet Deus, et non regnet peccatum in corpore mortalis hominis ». Cyprianus[15]: « Regnum petimus advenire, a Deo nobis repromissum et Christi sanguine acquisitum, ut qui ante saeculo servivimus, postmodum, Christo donante, regnemus ». Augustinus *Ad Probam*[16]: Regnum Dei, sive velimus sive nolimus, adveniet. Sed cum dicimus *Adveniat regnum tuum,* desiderium nostrum ad illud regnum excitamus, ut nobis veniat atque in eo re-

(*a*) As, Edd. *apposuit.* — (*b*) Edd. *sit de gloria.* — (*c*) Edd. *beata Virgo.*

[1] Cassianus, *Collat.* IX, (non I, et sic deinceps) c. 18 (P. L. 49, 789). — [2] *Sermo* 64 cit. n. 5 (P. L. 39, 1868). — [3] *Homil. in Matth.* 19 n. 4 (P. G. 57, 279). — [4] Cyprianus, *De orat. dom.* n. 14 (P. L. 4, 527). — [5] *Collat.* IX, c. 18 (L. c.). — [6] Ioan. 8, 50. — [7] Rom. 9, 3. — [8] Exod. 32, 32. — [9] *Collat.* l. c. — [10] Matth. 5, 16. — [11] S. Bonaventura, p. V, c. 10. (Opp. V, 264). — [12] Ps. 110, 9. — [13] Luc. 1, 49. — [14] *Comm. in Ev. Matth.* l. I (P. L. 26, 43). — [15] *De orat. dom.* n. 13. (P. L. 4, 527). — [16] *Epist.* 130 (al. 121) c. 11 (P. L. 33, 502).

gnemus. Augustinus *De bono perseverantiae* [1]: « *Adveniat regnum tuum* cum petitur, quid orant, qui iam sunt sancti, nisi quod in ea sanctitate, quae illis data est, perseverent »? abbas Isaac, loco praeallegato c. 19 [2]: « Secunda petitio mentis purissimae venire iam sui Patris regnum exoptat, vel illud quo quotidie, scilicet, Deus regnat in sanctis quod ita fit cum, diaboli imperio de cordibus nostris pulso per exstinctionem vitiorum, Deus in nobis per bonam virtutum fragrantiam coeperit dominari ». « Vel certe illud petit regnum, quod praestatuto tempore est omnibus perfectis ac Dei filiis generaliter repromissum, in quo eis dicetur a Christo [3]: *Venite, benedicti Patris mei, possidete regnum, paratum vobis a constitutione mundi* ». *Adveniat regnum tuum,* ut non regnet peccatum in nobis, sed tu. *Adveniat regnum tuum,* id est, tales nos fac, ut simus digni regno tuo.

Tertia petitio: *Fiat voluntas tua, sicut in caelo et in terra.* Augustinus [4]: Sicut in angelis, qui in caelo sunt, fit voluntas tua, ita fiat in sanctis tuis, qui in terra sunt; vel fiat voluntas tua, id est tuis obediatur praeceptis, *sicut in caelo et in terra,* id est sicut ab angelis, sic et ab hominibus. Augustinus in *Sermone de monte* [5]: *Fiat voluntas tua* etc., id est sicut in iustis, ita sic et in peccatoribus, ut omnes faciant voluntatem tuam ». Cyprianus [6]: « Petimus, ut facere possimus, quod Deus vult », et ad faciendum Deus facultatem concedat et potentiam. Chrysostomus [7]: « *Sicut in caelo et in terra,* id est in toto mundo, ut tua voluntas ab omnibus agnoscatur ». Isaac, loco praeallegato c. 20 [8]: « Tertia, inquit, supplicatio filiorum est: *Fiat voluntas tua, sicut in caelo et in terra.* Non potest esse maior oratio quam optare, ut terrena mereantur caelestibus coaequari. Nam quid est aliud dicere: *Fiat voluntas tua, sicut in caelo et in terra,* quam ut sint homines similes angelis, et sicut voluntas Dei ab illis impletur in caelo, ita etiam hi, qui sunt in terra, non suam sed eius universi faciant voluntatem »? Et subdit, quod « hoc nemo ex affectu dicere praevalebit, nisi is solus, qui Deum credit omnia, quae videntur vel adversa vel prospera, pro nostris utilitatibus dispensare, magisque eum pro suorum salute et commodis providum atque sollicitum, quam nos ipsos esse pro nobis ». Idem Isaac: « *Fiat voluntas tua* etc., id est ut sicut hi, qui in caelo sunt, ita omnes, qui in terra consistunt, tua, Pater, voluntate, qua vis omnes homines salvos fieri, salventur ». Alii exponunt: *Fiat voluntas tua,* etc. *voluntas Dei,* ut dicit Apostolus [9], est *sanctificatio* nostra. Vel aliter: voluntas Dei est observantia mandatorum. *Sicut in caelo,* id est sicut Deus est in caelo cum angelis et iustis, sic fiat *in terra* per gratiam in nobis. *Fiat voluntas tua* etc., ut quomodo inculpate tibi angeli serviunt in caelo, ita et nos tibi in terra serviamus. Vel aliter, per caelum intelligendo spiritum hominis, per terram corpus. *Fiat* ergo *voluntas tua,* ut sicut spiritus bonus Deo non resistit, ita corpus spiritui non resistat, quia dum contendunt caro et spiritus, praecepta Dei minus implere valemus. Vel aliter, per caelum Christum, per terram intelligendo Ecclesiam. *Fiat voluntas tua,* o Pater, sicut per Christum, sic et per Ecclesiam *fiat voluntas tua.* Potest etiam dici, quod dum dicimus: *Fiat voluntas tua* etc., petimus, ut voluntas nostra, sicut tenetur, voluntati divinae opere per omnia sit conformis.

Quarta petitio est: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Augustinus dicit [10], quod in quatuor istis petitionibus prosequentibus temporalia petuntur. *Panem nostrum* etc. Hieronymus [11]: « Alius Evangelista [12] dicit *supersubstantialem,* id est illum petimus panem de quo in Evangelio: *Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi* [13]. Augustinus [14]: « *Panem* etc. Panis, qui est necessarius, petitur ». Item idem Augustinus: *De bono perseverantiae* [15]: « *Pa-*

[1] I. e. *De dono persev.* c. 2 n. 5 (P. L. 46, 997). — [2] *Collat.* IX c. 19 (P. L. 49, 791 sq.). — [3] Matth. 25, 34. — [4] *De serm. Domini in monte,* l. II, c. 6 n. 21 (P. L. 34, 1278). — [5] L. c. n. 22 (L. c. 1279). — [6] Cf. *De orat. dom.* n. 14 (P. L. 4, 528). — [7] Cf. *Homil. in Matth.* 19, n. 5 (P. G. 57, 280). — [8] *Collat.* IX, c. 20 (P. L. 49, 793 sq. — [9] I Thess. 4, 3. — [10] *Sermo* 57 (al. *de divers.* 9) c. 7 (P. L. 38, 389). — [11] Cf. *Comm.* cit. (P. L. 26, 43). — [12] Matth. 6, 11. — [13] Ioan. 6, 51. — [14] *Sermo* 57 cit. c. 7. (L. c.). — [15] *De dono persev.* c. IV n. 7 (P. L. 46, 998).

nem nostrum etc. Perseverantiam a Domino poscunt, quando panem petunt, ne a Christi corpore separentur, sed in ea sanctitate permaneant, ut nullum crimen admittant ». Chrysostomus [1]: « Panem supersubstantialem (*a*) ponit, hoc est quotidianum ». Vel panem, secundum Augustinum [2], quotidianum « praecepta scilicet divina, quae oportet quotidie meditari et operari ». Isaac loco praeallegato, cap. 21 [3] et Hieronymus [4]: per panem substantialem intelligitur Deus, qui est super omnes substantias; eius proprietatem petimus quotidie, quia sine ipso nullo die vitam spiritualem capere valemus. *Hodie* ad praesentem vitam referri potest, id est: dum in hoc saeculo commoramur, praesta nobis hunc panem, quia nisi quis te percipere, panem vitae, in hac meruerit, in illa particeps, scilicet aeterna vita, esse non poterit. Panem supersubstantialem vel quotidianum. Per panem supersubstantialem intelligi potest corpus Domini Iesu, qui est panis vitae. Hunc dari a Deo Patre petimus nobis hodie; et semper nobis petimus, id est, fideliter credere ipsum esse veraciter corpus Dei: sic credere est manducare, et consequenter ipsum panem habere. Per panem quotidianum hodie nobis dari dum petimus, intelligi potest cibus, sine quo vita praesens esse non potest. Vel per panem dandum intelligi potest omne, quod pertinet ad sustentationem vitae praesentis et quoad corpus et quoad spiritum et conversationem: id est tu, Domine, qui animam fecisti et corpus, *da nobis hodie,* quae ad ipsorum sunt conservationem.

Quinta petitio: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Hac parte non sine peccato convincimur nos ducere vitam, ut dicit Cyprianus [5]. Ratio, quia ut peccatores pro dimissione peccatorum orare compellimur, non innocentes sed nocentes sumus. Nonne (*b*) quotidie peccare instruimur, qui quotidie pro peccatorum dimissione iubemur orare? Et quia homo posset haesitare, an orando pro peccatis veniam a Deo perciperet ac quomodo hoc ad sui notitiam posset devenire, ab ipso Deo datur nobis notitia de peccatorum dimissione; et hoc si, videlicet, *debitoribus dimittimus nostris.* Ut enim ait Salvator [6]: *Dimittite, et dimittetur vobis;* ergo ex dimissione debitorum nostrorum proximo, arguere possumus a Deo dimissionem peccatorum nostrorum. Quapropter, ut dicit Augustinus [7]: In manibus nostris et nostro arbitrio posuit Deus, unde salvemur et damnemur. Dimitte et dimittetur tibi [8]. Si non dimiseris, nec Deus dimittet tibi. Ineffabilis est Dei clementia, quae neminem vult perire, viamque brevem salutem inveniendi ostendit. Quisquis ergo odio ac inimicitia erga fratrem movetur, nec eidem vult noxam dimittere, dicendo: *Dimitte nobis debita nostra* etc., non ut sibi detur venia supplicat, sed ut a Deo puniatur exorat. Quisquis (*c*) ergo suorum magnitudinem attenderet peccatorum, quidquid a proximo sibi inferretur, minimum putaret ad id, quod in Deum ipse peccavit; et veniam proximo libenter impenderet, ut suorum a Deo debitorum indulgentiam ipse obtinere valeret. Sed advertendum, quod licet proximus alteri sit debitor in pecunia et aliis, de irrogatis iniuriis et earum dimissione intelligit. Sine primis salus haberi potest, sed non sine secundis. Sed numquid homo non dimittendo iniurias, debeat ab oratione dominica dicenda abstinere? Certe non. Ratio est, quia dicendo praecedentia cum devotione, ut eum ad dimittendum convertat exorat, ut patet ex tribus primis petitionibus.

Sexta petitio est: *Et ne nos inducas in tentationem.* Augustinus [9]. « Aliud est tentari, et aliud in tentationem induci ». Non petimus non tentari, quia sine tentatione nemo probatus esse potest, « sed ne inducamur in tentationem, quam ferre non possimus ». Isaac [10] loco

(*a*) Al, As *substantialem.* — (*b*) As, Edd. *nam.* — (*c*) As, Edd. *quicumque.*

[1] *Homil. in Matth.* 19 n. 5 (P. G. 57, 280). — [2] *De serm. Dom.* l. II c. 7 n. 27 (P. L. 34, 1280). — [3] Cf. *Collat.* IX, c. 21 (L. c. 795). — [4] *Comm.* cit (P. L. 26, 43). — [5] Cf. *De orat. dom.* n. 22 (P. L. 4, 534). — [6] Luc. 6, 37. — [7] *Sermo* 225 (int. opp. Aug., al. 47 *de Sanctis*) n. 5 (P. L 39, 2162). — [8] Cf. Luc. 6, 37. — [9] *De serm. Dom.* l. II, c. 9 n. 30 (P. L. 34, 1282). — [10] *Collat.* IX, c. 23 (L. c. 799).

praeallegato, c. 23: « *Ne inducas nos in tentationem,* non hoc sonat, ut non permittas nos aliquando tentari, sed ne permittas nos in tentatione positos superari ». Augustinus [1] *De bono perseverantiae*: « Quid aliud petunt cum dicunt: *Ne inferas in tentationem,* nisi quod in sanctitate perseverent, precantur? ». Cyprianus [2]. « In hac parte, cum dicitur: *Et ne nos inducas in tentationem,* ostenditur contra nos nihil posse adversarium, nisi Deus ante permiserit; et ne nos Deus permittat tentari supra id, quod possumus, deprecamur, ut omnis noster amor et devotio ad ipsum convertatur ».

Septima petitio est: *Sed libera nos a malo.* Chrysostomus [3]: « Diabolum vocat malum, quia bellum contra nos implacabile habet ». Libera nos a malo, id est diabolo, et ne permittas nos superari ab eo. Augustinus *De sermone Domini* [4]: « Orandum est non solum, ut non inducamur in malum, quo caremus, sed etiam ut ab illo liberemur, in quod iam inducti sumus ». Cyprianus [5]: « Petimus, ut securi simus et tuti ». Isaac loco praeallegato, c. 23 [6]: « *Libera nos a malo,* id est ne permittas nos a diabolo tentari supra id, quod possumus, sed fac cum tentatione etiam exitum, ut sustinere possumus ».

Amen. Hieronymus [7]: « Id est, vere ». Sic fiat nobis per te, Pater, quod in petitionibus praefatis tibi a nobis est humiliter supplicatum.

Sic ergo praefatis apparet expositio orationis dominicae. In qua forma et modulo, ut dicit abbas Isaac, loco iam dicto et *Collatione,* cap. 24 [8]: « Nulla divitiarum petitio, nulla memoria dignitatum, nulla potentatus ac fortitudinis postulatio, nulla corporeae sanitatis seu temporalis vitae mentio continetur. Nihil enim caducum vult a se, nihil vile, nihil temporale, aeternitatis Conditor implorari. Itaque magnificentiae eius ac munificentiae maximam irrogat iniuriam, quisquis his sempiternis eius petitionibus praetermissis, transitorium aliquid et caducum ab eo maluerit postulare, et offensam potius quam propitiationem Iudicis sui vilitate orationis incurret ». Haec abbas Isaac. Sic ergo patet, quod Dominus Salvator noster in dicta oratione ostendit, quid Patri nos exhibere debeamus, dum petimus ab eo in nobis eius gratiam perficiendam. Est timor filialis exhibendus: *Sanctificetur nomen tuum.* Amor super omnia conferendus: *Adveniat regnum tuum.* Honor impendendus: *Fiat voluntas tua.* Et quia pater filios debet nutrire, ideo petimus: *Panem nostrum* etc. Offensas indulgere: *Dimitte nobis debita nostra.* Non permittere eum nos offendere: *Et ne nos inducas in tentationem.* Ab omni malo liberare et praeservare, ideo: *Sed libera nos a malo,* dicimus eidem.

Aliter quidam doctor *Pater noster* exponit dicens: *Pater noster,* privilegio conditionis, beneficio recreationis, ministerio pietatis, testimonio supernae hereditatis. *Qui es in coelis,* per illustrantem gratiam, per gubernantem potentiam, per dirigentem misericordiam vel(*a*) sublimantem gloriam. *Sanctificetur nomen tuum,* a nobis per honestam vitam, in nobis per mundam conscientiam, ex nobis per bonam famam, supra nos per repraesentationem vitae angelicae. *Adveniat regnum tuum:* caelestis patria per revelationem, sancta Ecclesia per assumptionem, fidelis anima per iustificationem, sacra Scriptura per eruditionem. *Fiat voluntas tua,* cordis simplicitate, corporis castitate, oris veritate, operis sanctitate. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie,* humanae necessitatis, doctrinae veritatis, hostiae salutaris, supernae societatis. *Et dimitte nobis debita nostra* etc., non retinentes in corde, non improperantes in ore, non reddentes malum pro malo, non recedentes a beneficio. *Et ne nos inducas in tentationem,* fraudulentam quae decipit, violentam quae vires frangit, subitam quae cogitationem praevenit, importunam quae non recedit. *Sed libera nos a malo,* mundanae adversitatis, humanae perversitatis, diabolicae calliditatis, sempiternae calamitatis.

(*a*) As, Edd. *per.*

[1] *De dono pers.* c. 5 n. 9 (L. c. 999). — [2] *De orat. dom.* n. 25 (L. c. 536). — [3] *Homil. in Matth.* 19 n. 6 (P. G. 57, 282). — [4] L. c. l. II, c. 9 n. 33 (P. L. 34, 1284). — [5] *De orat. dom.* n. 27 (L. c. 537). — [6] *Collat.* IX, c. 23 (L. c. 799 sq.). — [7] *Comm.* cit. (P. L. 26, 43). — [8] L. c. c. 38 (p. 800 sq.).

3. Sed beatus noster pater Franciscus aliter exponebat, ut statim (*a*) dicetur in expositione secundae partis huius conformitatis [1].

Sic ergo patet, quid orandum et a Patre petendum. Ex praefatis igitur dominicae orationis verbis et Christi circa orationem sententiis servandis, patet solutio cuiusdam quaestionis et dubitationis, videlicet: unde est, quod orans a Domino non exauditur? Respondetur, secundum apostolum Iacobum in sua Canonica 4, 3: *Petitis et non accipitis, eo quod male petatis.* Male autem petere potest referri et ad personam orantis, quia est in peccato, iuxta illud Isa. 1, 15: *Cum multiplicaveritis orationes vestras, non exaudiam; manus enim vestrae sanguine*, id est peccato, *plenae sunt;* et cap. 59, 2: *Peccata vestra absconderunt faciem eius a vobis, ne exaudiret.* Vel quia dubitat, Iacobi 1, 6 sqq.: *Postulet in fide, nihil haesitans;* et subdit: *Non aestimet ergo homo ille, quod accipiat aliquid a Domino.* Bernardus: Indignus coelesti benedictione convincitur, qui Deum dubio quaerit affectu. Vel quia Dei legem observare contemnit. Prov. 28, 9: *Qui declinat aurem suam, ne audiat Dei legem, eius oratio erit exsecrabilis.* Vel quia peccatum peccato addit non cessando, Eccli. 34, 29: *Unus orans et alius maledicens; cuius vocem exaudiet Dominus?* Vel quia iniurias proximo non remittit, Eccli. 28, 2: *Relinque proximo tuo nocenti* tibi, *et tunc deprecanti peccata solventur.* Marc. 11, 25 sq.: *Cum stabitis ad orandum, dimittite, si quid habetis adversus aliquem, ut etiam Pater vester* caelestis *dimittat peccata vestra; quod si non dimiseritis, nec Pater vester* caelestis *dimittet vobis peccata vestra.* Vel quia crudelis ad pauperes exsistit, Prov. 21, 13: *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, clamabit et ipse, et non exaudietur.* — Male petere potest etiam referri ad personam, pro qua oratur, quia indigna est, Ierem. 7, 16; 11, 14: *Noli orare pro populo isto, neque assumas pro eis laudem nec orationem, quia non exaudiam.* — Male petere potest referri ad id, pro quo oratur et petitur: vel quia vile est, quod petitur; ideo Christus filiis Zebedaei, Matth. 20, 22, dixit: *Nescitis, quid petatis;* vel non expediens petenti, sicut Paulo, petenti amotionem stimuli, dictum est a Domino: *Sufficit tibi, Paule, gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur* [2]. Vel quia meliora, quam petat, Deus dare disponit. Isidorus: « Multi orantes non exaudiuntur. Providet enim Deus illis meliora, quam petant ». Ex quo apparet, quod superbi qui petunt statum, avari qui petunt aurum, scientia praediti qui petunt famam, pugnatores qui petunt corporis vires, tempus bonum ut petunt agricolae, scientia quam petunt philosophi, gulosi qui petunt voluptuosa, mali vitae longevitatem, iracundi vindictam de hostibus, divites filiorum multiplicationem, mulieres pulchritudinem, praelationes et dignitates ut petunt clerici, et sic de similibus, a Deo non exaudiuntur, quia petenti talia non expediunt, ut plurimum.

Male potest referri ad modum petendi. Vel quia ibi non est cor propter malarum cogitationum multitudinem, scilicet nec ad Deum a quo petit, nec respectu eius quod petit. Abraham, Gen. 15, 11, a sacrificio volucres abigebat, id est cogitationes vanas et superfluas. Vel quia non est magnitudo desiderii sed parvitas. Psalmus [3]: *Tacui, dum clamarem tota die.* Gregorius [4]: « Aeternam vitam si ore petimus, nec tamen corde desideramus, clamantes tacemus »; et Augustinus [5]: « Servat tibi Deus, quod non vult tibi dare, ut tu discas magna magne desiderare ». Vel quia impatiens et impatientia ducitur; Saul propter impatientiam consulendo Dominum, non exauditur, I Reg. 11 [6]; Deo enim humilium et mansuetorum semper placet supplicatio et deprecatio, Iudith. 9, 1 sqq. Vel imperseverantia; Luc. 11, 5 sqq.: perseverans plus pulsans exauditur. Augustinus: Si non est amota oratio, securus esto, quod nec misericordia. Sic ergo patet, quod male petere ex praefatis potest multipliciter accidere, propter quod homo non exauditur. Quae omnia includuntur in praefata oratione dominica, videlicet, quod iam dicti modi sunt omnes contrarii petitionibus, quae sunt in dicta oratione, ut patet

(*a*) Edd. *ut dictum est in expositione secundae partis XII conformitatis.*

[1] Cf. p. 256. l. 34 sqq. — [2] II Cor. 12, 9. — [3] Ps. 31, 3. — [4] *Moralium* l. 22, c. 17 (P. L. 76, 238). — [5] *Sermo* 61 (al. 5 *de verbis Dom.*) c. 5 (P. L. 38, 411). — [6] Pot. I Reg. 13, 8 sqq.

diligenter praedicta intuenti. In talibus enim non est nominis Dei sanctificatio, nec adventus Dei regni petitio (*a*), nec divinae voluntatis perfectio et (*b*) operatio, et sic de aliis; quare non mirum, si non exaudiuntur.

Et per oppositum ad praefatos multi in sua oratione sunt a Deo auditi et exauditi, ut patet de Abraham, qui oravit pro Abimelech, Gen. 21, 22 sqq.; de Isaac, qui rogavit, ut conceptum daret Rebeccae, Gen. 25, 21; de Moyse qui oravit pro populi offensa, Exod. 32, 11 sqq.; de Salomone, III Reg. 8, 22 sqq.; de Anna matre Samuelis, Reg. 1, 12 sqq.; de Elia, III Reg. 18, 30 sqq.; et sic de aliis, ut patet ex serie sacrae Scripture. Hos exaudivit Dominus et similes, qui sanctificaverunt nomen Domini, eiusque voluntatem fecerunt; et sic de aliis. Dominus noster, quando dicit, quod duo consentientes, de omni re quam petent, fiet eis, Matth. 18, 19; ratio (*c*), quia ipsi voluntatem Dei perficiunt. Quando dicit, quod fidem habentes ut granum sinapis, Matth. 17, 19, quod petunt, fiet eis (*d*); tales advenisse regnum Dei in se ostendunt et pro aliis quaerunt. Quando assiduitate orationis dicit exauditionem concedi (*e*), Lucae 11, 2 [1], talis clamat: *Pater noster, qui es in caelis;* et: *Panem quotidianum da nobis hodie.* Quando emendatione vitae et misericordiae impensione dicit exaudiri, talis dicit (*f*): *Dimitte nobis debita nostra;* et de facto: *Et ne nos inducas in tentationem,* proclamat. In tribulatione clamantes, iuxta illud. Ps. [2]: *Ad Dominum cum tribularer clamavi, et exaudivit me,* quid, petentes sic, aliud dicunt nisi *Fiat voluntas tua,* et *libera nos a malo*? Et sic de similibus, quae in sacro Eloquio reperiuntur, propter quae Deus exaudire promisit in partibus vel in toto orationis dominicae, reperiuntur tales proclamare contentos. Sic ergo patet, quod oratio dominica, si modis traditis a Christo dicatur, inefficax dicenti nullatenus aliquando reperitur; quia quod petit, Deus exhibet, vel differt ad meliora donanda. In hac Domini oratione, ut patet inspicienti, omnis orationum continetur diffinitio (*g*). Hic est gratiarum actio in cognitione et assertione Patris caelestis; postulatio pro gratiis ampliandis, implorandis: *Panem nostrum quotidianum* (*h*) *da nobis hodie* etc.; obsecratio pro periculis amovendis: *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo*; oratio stricte accepta pro gratiis ampliandis: *Sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum* etc. Sic ergo patet, quanta est oratio dominica, quia omnis supplicationis contentiva; qualis est, quia omnium, si debite dicatur, quae quaerimus a Deo obtinere, consecutiva; quia si non uno modo, saltem habetur alio modo. Quapropter ipsa est a nobis iugiter dicenda Deo Patri; et quia ipsa, iuxta dictum Christi, petimus et quaerimus primo regnum Dei, et Deus scit, quid nobis expediat, ipsa omnia adiicimus nobis [3]. Et si non in praesenti, quoad modum aliquando, quo petimus, tamen alio modo; semper tamen in futuro incunctanter nobis a Deo donabitur.

Praefatis ergo apparet primae partis huius XI conformitatis expositio, videlicet: **Iesus orans inspicitur,** et quod orare nos docuit tam verbo quam exemplo.

Secunda pars undecimi fructus et conformitatis secundi libri, et vigesimae tertiae in ordine, videlicet:

Franciscus exorator.

Expositio.

Expositurus secundam partem huius XI conformitatis, videlicet *Franciscus exorator,* ad ipsius expositionem praemittendum puto, quae in beato Francisco, sicut in quolibet alio fideli debent esse ad orationem dispositiva et praeparativa; et demum de oratione beati Francisci qualis fuerit, erit videndum.

(*a*) Al, As om. *petitio.* — (*b*) Edd. om. *perfectio et.* — (*c*) Edd. *hoc ideo est.* — (*d*) Edd. add. *hoc dicit, quia.* — (*e*) Edd. add. *hoc est quia.* — (*f*) As, Edd. om. *dicit.* — (*g*) As, Edd. *divisio.* — (*h*) As, Edd. om. *quotidianum.*

[1] Pot. Matth. 6, 9 sqq. — [2] Ps. 119, 1. — [3] Matth. 6, 33.

1. Ad orationem dispositiva et praeparativa, attestantibus doctoribus et sacra Scriptura, haec sunt, videlicet:

Primo mentis et cordis a terrenis revocatio ad interiora per temporalium (*a*) totalem abdicationem. Isidorus [1]: « Purgandus est primo animus atque a temporalium rerum cogitationibus segregandus, ut pura acies cordis ad Deum vere (*b*) et simpliciter dirigatur. Pura autem est oratio, quam in suo tempore saeculi non interveniunt curae. Longe autem a Deo est animus, qui in orationibus saeculi cogitationibus fuerit occupatus ». Christus, ut dictum est, mandat oranti, Matth. 6, 6, ingredi per contemptum mundialium *cubiculum* cordis et, *ostio clauso* per revocationem a terrenis, *Patrem* caelestem deprecari, et tunc petenti, quod precatur, largitur et reddit. Huiusmodi Christi documentum, ut Franciscus debite oraret, servavit, mundum funditus contemnendo, prout in I libro et in isto II in pluribus conformitatibus est dictum [2]; mentem totaliter a terrenis removendo et ad caelestia dirigendo. Unde de mentis sublevatione ad superna testis exstitit sublevatio corporalis a terra, quae multoties apparuit in beato Francisco, prout conformitate III huius II libri est dictum [3]. Idipsum ostendit transitus per Burgum Sancti Sepulchri, per quod castrum transiens, subvectus infirmitate (*c*) asello, contrectatus a turbis nihil penitus sensit. « Mens quidem ipsius in caelestibus fixa splendoribus, varietatem non senserat locorum nec temporum nec occurrentium personarum », prout X pars *Legendae maioris* [4] ostendit. Et ideo ad propositum loquens *Legenda maior* parte X [5] et ostendens beati Francisci retractionem mentis a terrenis, sic inquit: « Graviter se putabat offendere, si quando orationi deditus, vanis phantasmatibus interius (*d*) vagaretur. Hoc studium sic in usum converterat, ut rarissime muscas huiuscemodi pateretur. Vasculum quoddam in quadragesima fecerat ad vitandum otium et minutias temporis occupandas, quod cum dicenti tertiam in memoriam veniens paulum animum ipsius distraxisset, motus fervore spiritus, ipsum igni tradidit dicens: « Sacrificabo illud Domino, cuius sacrificium impedivit ». Et subditur: « Psalmos cum tanta mentis et spiritus attentione dicebat, quasi praesentem Deum haberet ».

Secundo est intentionis totaliter in Deum (*e*) directio. Ad ipsum Deum solum, cui orationem porrigit, debet attendere, dicente Deo per Psalmistam [6]: *Vacate*, scilicet orationi, *et videte, quoniam ego sum Deus.* Deus enim non attendit quantum porrigitur, sed ex quanto, ut dicit Gregorius. Beatum Franciscum mentem totam cum intentione proiecisse in Deum ostendit, ut dictum est, sublevatio corporis et suspensio a terra. Idipsum ostendit oratio, quam faciebat ipse pater Franciscus, propter quam frater Bernardus de Quintavalle fuit ad Dominum conversus. Per totam enim noctem orando cum multis lacrimis nihil aliud dicebat, nisi hoc verbum: « Deus meus et omnia », de quo dictum est conformitate VIII libri I [7] in *Tractatu de fratre Bernardo* et provincia sancti Francisci. — Beatum Franciscum intentionem suam in Deum iactasse ostendit omnis hypocrisis detestatio, mundi perfecta dimissio et nihil in prae-

---

(*a*) As, Edd. ***temporalem;*** tunc Al ***totalium.*** — (*b*) Edd. add. ***et pure.*** — (*c*) Edd. ***propter infirmitatem.*** — (*d*) Al ***in terrenis.*** — (*e*) Edd. om. ***in Deum.***

---

[1] *Sent.* l. III, c. 7 n. 10 et 8 (P. L. 83, 673 sq.). — [2] AF IV, 146 sqq., 400 sqq., 603 sqq.; supra 83 sq., 100 sqq., 129 sqq. — [3] Supra p. 75-89. — [4] C. 10 n. 2; supra p. 80 l. 27 sqq. — [5] C. 10 n. 6. — [6] Ps. 45, 11 — [7] AF IV, 179 sq.

senti nisi Deum appetisse, ac beati Francisci exauditio precum, de quibus dictum est in praecedentibus et sic in sequentibus dicetur.

Tertio proprii status et conditionis recognitio, III Reg. 8, 38 sq. dicit Salomon: *Si quis cognoverit plagam cordis sui et extenderit manus suas in domo hac, tu exaudies in caelo;* Daniel cognoscendo statum et conditionem sui et populi in Babylone habitantis et Domino confitendo, ab ipso exaudiri promeruit, ut habetur Dan. 9, 3 sqq. Pater beatus Franciscus, ut a Christo exaudiretur in oratione, suam miseriam et parvitatem agnoscendo dicebat Domino: « Quis es Domine? Et quis ego sum vermiculus servus tuus [1] »? Seque censebat vas inutile et sordidum ac maximum peccatorem [2].

Quarto humilitatis retentio, ut omni tempore ante Deum non alta homo orans sapiat de se sed humilia. *Oratio humiliantis se nubes penetrat* [3] etc. Psalmus [4], *Respexit in orationem humilium et non sprevit preces eorum.* Iudith 9, 16 dicit: *Humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio* etc. Hac sanctae humilitatis virtute prae aliis fulsit beatus pater Franciscus, ut dictum est, et conformitate IV huius II libri probatum est [5]. Et quod prae aliis fuerit humillimus, sublimatio ipsius in caelesti patria in sede Luciferi, prout declaratum fuit fratri Pacifico [6], evidenter depromit.

Quinto est ieiunii et eleemosynarum exhibitio. Tob. 12, 8, angelus Raphael dixit quod *bona est oratio cum ieiunio* et cum *eleemosyna.* Salvator dixit, Matth. 5, 7: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Et Isa. 58, 7, 9: *Frange esurienti panem tuum* etc.; et sequitur: *Tunc invocabis, et Dominus exaudiet; clamabis, et dicet: Ecce adsum.* Daniel in ieiunio et cinere deprecando, exauditus est, Dan. 9, 3. Quid dicam de beato Francisco, qui omnia quae poterat pauperibus largiebatur, nulli rei parcendo; et non solum sua sed etiam eis superimpendere conabatur pro posse semetipsum, ut dicit VII pars *Legendae* [7]. De ieiuniis vero eiusdem, ut dictum est conformitate VII [8] huius II libri et V parte *Legendae maioris* [9] cum parte IX [10] eiusdem, quasi omni tempore ieiunabat, ubi non esset infirmitate detentus vel praedicationibus extra locum fratrum occupatus.

Sexto est peccatorum pura confessio. Publicanus orans et confitens peccata dicendo: *Deus propitius esto mihi peccatori,* Lucae 18, 13, exauditur a Deo et iustificatur. Sic sanctus Tobias confitendo peccata, Tob. 3, 3 sqq., a Domino est exauditus. Sic filii Israel, ut patet in libro Iudicum [11], Domino culpabiles se profitentes, exauditi et liberati fuerunt. Beatus Franciscus, etsi indulta peccata usque ad quadrantem novissimum haberet a Domino [12], non tantum (*a*) occulta confessione, sed etiam et publica suorum delictorum seu occultorum detectione tam sacerdoti quam aliis, publica faciebat, ut dictum est supra conformitate V huius II libri [13]. Et quod maius est, non cessabat imbribus lacrimarum oculos expiare mentales, ut dicit V pars *Legendae maioris* [14].

Septimo divinorum praeceptorum adimpletio. Prov. 28, 9: *Qui* avertit *aurem, ne audiat legem Dei, oratio eius erit* inexaudibilis. Gregorius in *Moralibus* [15]: « Clamo-

(*a*) A1, A8 *tamen.*

[1] Supra p. 82-3. — [2] *Leg. Min.* III, l. 4; *Mai.* c. 6 n. 3. — [3] Eccli. 35, 21. — [4] Ps. 101, 18. — [5] Supra p. 129 sqq. — [6] Supra p. 138 l. 14 sqq. — [7] C. 7 n. 1 sqq. — [8] Supra p. 198-90. — [9] C. 5 n. 1. — [10] C. 9 n. 2 sqq. — [11] Iud. 10, 10 sqq. — [12] *Leg. Mai.* c. 3 n. 6. — [13] P. 134 l. 3 sqq. — [14] C. 5 n. 8. — [15] *Moral.* l. XVIII, c. 8 (P. L. 76, 45).

rem angustiae tuae Dominus non audit, quia tranquillitatis tempore in praeceptis suis ipse clamantem Dominum non audisti » (*a*). Et in libro *Dialogorum* dicit Gregorius [1]: Quid mirum, si postulantes tarde a Domino exaudimur, qui praecipientem Deum tarde, aut nullo modo audimus »? Isidorus: « Qui a praeceptis Dei avertitur, quod in oratione postulat, non meretur ». Augustinus [2] *De opere monachorum* dicit: « Citius exauditur una obedientis oratio, quam decem milia contemptoris ». — De beato Francisco cantatur [3], quod non solum divina praecepta servavit, sed etiam consiliorum Christi et Evangelii « nec apicem vel unicum transgreditur » postquam Christum perfecte induit, nec transgressus est, aut iota; unde totum Evangelium ad litteram servavit, ut dictum est libro I conformitate IX [4].

Octavo strepitus mundi fuga et solitudinis delectatio. Bernardus dicit: Si te delectat mundus, semper eris immundus. Salvator, turbis dimissis, montem solus ascendebat orare et ad solitudinem deserti ibat, ut dictum est [5]. In montem excelsum seorsum duxit discipulos ad orandum, ut habetur Lucae 9, 28. Moyses, populo et eius strepitu dimisso, solus Sina ad orandum ascendit [6]. Sic et Elias in vertice montis Carmeli et Horeb [7]. Beatus pater Franciscus, « quia in oratione perceperat Spiritus Sancti desideratam praesentiam, quae tanto se offert familiarius praecantibus, quanto plus invenit elongatos a strepitu mundanorum, ideo loca solitaria quaerens, ad solitudines et ecclesias derelictas oraturus nocte pergebat, ubi daemonum pugnas horribiles frequenter est expertus », ut dicit X pars *Legendae maioris* [8].

Nono lacrimarum profluvium et effusio. Ezechias orando cum fletu a Domino exauditur, Isa. 38, 5. Isidorus [9]: « Cum Deo assistimus, gemere et flere debemus, reminiscentes quam gravia sunt, quae commisimus, quamque dura inferni supplicia, quae timemus ». Idem: « Peccatorum recordatio moerorem gignit; luctus vero mentem puriorem reddit ». In libro *De diademate monachorum* dicitur, quod nunquam est sine fletu orandum. Sic oravit Anna, I Reg. 1, 10 sq., cum fletu, et exaudita est; sic et Tobias et Sara eius nurus, Tob. 3, 1. De beato Francisco dicit X pars *Legendae* [10], quod in oratione persistens « nemora replebat gemitibus, loca spargebat lacrimis, pectora manu tundebat. Et a fratribus pie eum observantibus aliquoties auditus est clamorosis gemitibus apud divinam pro peccatoribus interpellare clementiam, deplorare etiam alta voce, quasi coram positam dominicam passionem ». — Vice etiam quadam in loco solitario orando, cum *annos* suos *in amaritudine* recogitans [11] deploraret, Sancto Spiritu certificatus est de remissione omnium delictorum plenaria [12].

Decimo fervoris intensio. Excitandus est enim in oratione animus (*b*), ut non cum torpore sed fervore sit (*c*), ut non dicat cum Psalmista [13]: *Tacui, dum clamarem tota die.* Moyses etsi taceret ore, clamabat corde, ut habetur Exod. 17, 11; et sic ferventissime Dominum exorabat. Paulus fervescens orando, ad tertium caelum rapitur [14]. Beatus pater Franciscus non solum per scalam creaturarum ad illum, qui est desiderabilis totus [15], fervore nimio ascendebat, ut docet IX pars *Legendae maioris* [16]

(*a*) Al, As *audivit.* — (*b*) Edd. add. *fervore.* — (*c*) As om.; Edd. *oret.*

[1] *Dial.* l. III, c. 15 (P. L. 77, 256). — [2] L. c. c. 17 n. 20 (P. L. 40, 565). — [3] *In officio* eius, auctore Fr. Iuliano Spiren., ad I vesp. ant. 4. — [4] AF IV, 373 sqq. — [5] Supra p. 235 l. 6. — [6] Exod. 19, 1 sqq. — [7] III Reg. 18, 42; 19, 8 sq. — [8] C. 10 n. 3. — [9] *Sent.* l. III c. 7 n. 5 (P. L. 83, 675); transponit duos locos. — [10] C. 10 n. 4. — [11] Is. 38, 15. — [12] C. 3 n. 6. — [13] Ps. 31, 3. — [14] II Cor. 12, 2. — [15] Cant. 5, 16. — [16] C. 9 n. 1.

in principio; sed, ut dicit X pars *Legendae* [1]: Etsi corpore peregrinus esset (*a*) a Domino [2], licet ad terrena per Christi caritatem iam insensibilis esset effectus, « ne foret absque consolatione Dilecti, sine intermissione orans, spiritum (*b*) contendebat exhibere praesentem ».

Undecimo ad orandum cum delectatione accessio. Daniel tribus vicibus orabat in die, Dan. 6, 10; Tobias a civitate sua recedens, cum delectatione ibat ad templum Domini, Tob. 1, 6, et ibi orabat Dominum. De patre beato Francisco dicit X pars *Legendae maioris* [3]: « Erat, inquit, oratio contemplanti solatium, dum, supernarum circuitu mansionum angelorum concivis iam factus, ferventi desiderio quaerebat Dilectum [4], a quo solus eum carnis paries disiungebat. Erat et operanti praesidium, dum in omnibus quae agebat, de sua diffidens industria et de superna pietate confidens, per ipsius instantiam totum in Domino cogitatum iactabat ».

Duodecimo in oratione indesinens exercitatio. Christus [5] dicit, quod *oportet semper orare et nunquam deficere.* In laudem Mariae et apostolorum dicitur, Act. 1, 14, quod *erant perseverantes in oratione.* Anna, filia Phanuel a beato Luca commendatur, Luc. 2, 36 sqq., quod *non discedebat de templo,* deprecationibus vacans die ac nocte. Pater beatus Franciscus hoc similiter (*c*) habuit, videlicet quod orationi semper erat intentus. Dicit X pars *Legendae maioris,* quod [6] « ambulans et sedens, intus et foris, laborans et vacans, orationi adeo erat intentus, ut illi videretur non solum quidquid erat in eo cordis et corporis, verum etiam operis et temporis dedicasse ». Praefatis igitur duodecim apparet, quae sunt ad orandum dispositiva; quae, ut patuit breviter et succincte, in patre beato Francisco fuere.

2. His ut dispositivis praemissis, consequenter est ostendendum quod beatus Franciscus fuit *vir orator,* ut dicit huius XI conformitatis pars secunda. Et ad id ostendendum multa occurrunt, quae id declarant.

Et primum est, si attendatur qualiter in agendis orationem praemittebat semper. Beatus enim Franciscus, adhuc saecularis exsistens, dum oraret Deum ferventer, edoctus fuit divinitus quod oportebat eum omnia contemnere et odire, quae ante carnaliter dilexerat et habere optaverat, si Christi vellet agnoscere voluntatem [7]; et cum facere incepisset, quae prius sibi suavia et dulcia videbantur, essent ei importabilia et amara, atque in his quae prius horrebat, magnam hauriret dulcedinem et suavitatem immensam [8]. Vice alia dum oraret, ut Deus viam eius dirigeret, dixit (*d*) illi Dominus, quod sibi diceret in proximo quid ipsum agere oportebat [9]. Dum beatus Franciscus, assumpta iam vita apostolica et forma in vivendo, dominus Bernardus de Quintavalle, experta sanctitate beati Francisci, eidem vellet vita, habitu et consortio iungi; quam vitam tenere deberent, beato Francisco orante de mane usque ad horam tertiarum cum dicto domino Bernardo, oratione finita, a Domino est directus in trina libri apertione, quod vitam evangelicam assumeret. Quod et

(*a*) Edd. *peregrinum se cognosceret esse;* tunc om. *effectus.* — (*b*) Edd. add. *Deo.* — (*c*) As, Edd. *singulariter.* — (*d*) As, Edd. *ostendit.*

[1] C. 10 n. 1. — [2] Cf. II Cor. 5, 6. — [3] C. 10 n. 1. — [4] Cf. Cant. 3, 1. — [5] Luc. 18, 1. — [6] C. 10 n. 1. — [7] *Leg. Mai.* c. 1 n. 5; *Leg. 3 soc.* c. 3 n. 8; c. 4 n. 11. Cf. Iulianus Spirensis, *Leg. S. Francisci,* c. 1 n. 2. — [8] *Testament. S. Fr.*: *Opuscula,* p. 77. — [9] *Leg. Mai.* c. 1 n. 4; c. 2 n. 1.

factum est, ut dictum est conformitate VIII libri I et *Tractatu de sociis beati Francisci* [1]. Pro confirmatione dum ivisset Romam suae primae regulae, et domino Innocentio papae III sui cordis intimasset propositum pro Evangelii observantia, ac papa post plura eidem dixisset: « Ora, fili, Christum, ut suam per te nobis voluntatem ostendat; qua certius cognita, tuis piis desideriis annuamus », beatus Franciscus totum se conferens ad orandum, precibus devotis obtinuit et quid exterius ipse proferret et quid interius ipse papa sentiret. Cum enim iuxta Domini informationem similitudinem proposuit (*a*) de muliere paupercula contrahente cum rege et filios eidem generante, et subiunxit, quod non erat formidandum, quod ipse fame cum suis periret in suo ordine per spiritum paupertatis generandis; papa, similitudine intellecta, liberaliter petita ei cuncta concessit, ac plura ei concedenda in posterum repromisit, ut dicit III pars *Legendae maioris* [2]. — Regulae primae confirmatione obtenta a domino Innocentio, cum dubitaret una cum sociis, an « inter homines conversari vel ad loca solitaria se conferre deberet, per orationis instantiam divinum super hoc beneplacitum requirendo, fuit a Domino declaratus, quod inter homines esse deberet, quia ad hoc erat a Deo directus, ut Domino animas lucraretur, quas diabolus conabatur auferre ». Quo percepto, ex tunc inter homines magis elegit conversari, quam ad loca solitaria se conferre, ut IV pars dicit *Legendae maioris* [3]. — Sic et vice alia de praefatis fuit per orationem a Domino declaratus, ut ponit XII pars *Legendae maioris* [4]. — In ordinis principio cum pauci fratres essent, utpote octo, et ipsos destinasset ad mundi partes diversas, cum ipsos cuperet simul habere, pro ipsorum ad se accessu beatus Franciscus oravit et obtinuit, ut dicit III pars *Legendae maioris* [5]. — Cum regulam, qua ordo utitur nunc, vellet componere iuxta informationem divinam, ieiunando et orando in loco Fontis Polumbae de Domini voluntate certificari volens quoad singula contenta in regula, prout ipse fratribus dixit, a Deo informatus, quidquid in regula posuit, ab ipso accepit, ut dicit IV pars *Legendae maioris* [6]. Quid de ipso vellet Deus efficere, per orationis instantiam inquirendo, scire promeruit. Nam crucifigendum (*b*) libri Evangeliorum apertione accepit, prout dicit XIII [7] pars *Legendae maioris*. — Et ut huic parti detur terminatio debita, ut dicit IV (*c*) pars *Legendae* [8]: « beatus Franciscus in omnibus agendis de sua diffidens industria et confidens de superna pietate, per orationis instantiam divinum beneplacitum » inquirendo, ab ipso informari promeruit; imitatus beatus Franciscus in hoc humilem regem David, sanctos apostolos pro electione Matthiae, Paulum apostolum, qui in agendis petentes a Domino dirigi, ut Acta regum [9] et apostolorum [10] ostendunt, ab ipso sunt directi.

Secundum ostendens, quod beatus Franciscus fuit vir orator est, si attendatur quid et quoties et qui ei orando apparebat. Nam ei oranti apparuit multoties Dominus Iesus Christus. — Primo dum adhuc esset in habitu saeculari et in quadam ecclesia oraret, Christus ei apparuit crucifixus (*d*), et tunc *liquefacta est anima* eius ob memoriam passionis Christi, adeo ut dum recordaretur vix a lacrimosis gemitibus se continere valeret [11]. — Secundo in ecclesia Sancti Damiani oranti Christus de cruce

(*a*) Edd. *proposuisset*. — (*b*) Edd. *crucifixum*. — (*c*) Al, As *X*. — (*d*) Edd. *cruci confixus*.

[1] AF IV, 178 sqq. — [2] *Leg. Mai.* c. 3 n. 9 et 10; cf. *Leg. 3 soc.* c. 12 n. 49-52. — [3] L. c. c. 4 n. 2. — [4] C. 12 n. 2. — [5] C. 3 n. 7. — [6] L. c. c. 4 n. 11. — [7] C. 13 n. 2. — [8] C. 4 n. 2. — [9] Cf. 1 Reg. 23, 2 sqq.; 28, 6 etc. — [10] Cf. Act. 1, 24; (18, 9); 20, 23. — [11] *Leg. Mai.* c. 1 n. 5. Respicitur Cant. 5, 6.

loquendo, ut ipse Franciscus ecclesiam suam, quae minabatur ruinam, repararet, mandavit. De praefatis habetur: de prima in I parte *Legendae maioris*, et de secunda in II parte *Legendae maioris* [1]. — Tertio apparuit ei Dominus Iesus Christus, in quadam silva oranti, cum Virgine gloriosa, sanctis Ioanne Baptista et Ioanne Evangelista, ac cum multitudine angelorum; et cum ipso Christus cum praefatis est locutus, prout quidam puer, observans beatum Franciscum, vidit [2]. — Quarto apparuit Christus beato Francisco oranti, ut dicit *Legenda trium sociorum* [3], ubi Christus ei dixit: « Francisce, omnia quae mundialiter dilexisti et desiderasti habere, oportet te contemnere et odire, si meam vis cognoscere voluntatem; quam postquam inceperis facere, quae prius tibi dulcia et suavia videbantur, erunt tibi importabilia et amara ».

Quinto Dominus oranti beato Francisco apparuit in ecclesia sancti Iacobi de Galicia, ubi revelavit eidem ordinem suum per orbem diffundendum, et quod loca accipere deberet, demandavit [4]. — Sexto eidem apparuit Dominus in Sancta Maria de Angelis oranti post tribunam pro peccatoribus [5] et ordine; et tunc Christus dixit eidem se ordinem diligere, et si fratres in vocatione sua manerent, omnem tribulationem amoturum a mundo; et plura dixit, de quibus habetur conformitate VI huius II libri [6].

Septimo in eodem loco Sanctae Mariae bis apparuit Dominus Iesus Christus beato Francisco, cum virgine Maria et multitudine angelorum. Primo quando sibi postulanti (*a*), ut poneret indulgentiam omnium peccatorum concessit, intrantibus dictam ecclesiam. Secundo, quando diem dictae indulgentiae ab ipso concessae primam diem augusti, incipiendo a vesperis usque ad vesperas diei sequentis duraturam, determinavit, prout habitum est conformitate II huius II libri [7].

Octavo apparuit Dominus beato Francisco oranti, quando malis exemplis quorumdam fratrum provocatus beatus Franciscus ad Christum orabat, et Christus reprehendit eum super hoc dicens: ipsum Christum principalem actorem huius ordinis esse, et non ipsum Franciscum, prout dictum est conformitate IX libri I [8].

Nono apparuit ei Dominus Iesus Christus. Dum enim oraret pro quodam nobili viro, qui eum cum summa devotione in suo receperat pluries hospitaculo (*b*), ac ipsum dignum fratrum Minorum consortio et reputaret et optaret. Cumque pro ipso nobili Deum exoraret, ut mundum relinqueret ac suam intraret religionem, beatus Franciscus tanto fervore id petiit, quod, vidente dicto nobili, sublevatus a terra per magnum spatium exstitit. Et tunc Dominus Iesus Christus apparendo eidem dixit: preces suas pro praefato nobili fore exauditas. Tantae elevationis miro (*c*) viso, dictus nobilis post orationem ad beatum Franciscum accedens, petiit humiliter, ut ipsum ad ordinem recipere dignaretur. Qui, omnibus suis bonis datis pauperibus, factus est frater Minor sanctissimus [9].

Decimo Christus beato Francisco apparuit in sacro monte Alvernae, prout vidit frater Leo, dum oraret beatus Franciscus in quadam flamma, et eidem sua stigmata imprimenda revelavit [10]. — Et similiter ibidem, dum suo corpori stigmata sacra im-

(*a*) Edd. *postulavit;* As, Edd. om. *concessit.* — (*b*) As, Edd. *hospitio.* — (*c*) Edd. *miraculo.*

[1] C. 2 n. 1. — [2] Supra p. 82 l. 3 sqq.; *Actus,* c. 19. — [3] *Leg. 3 soc.* c. 4 n. 11. — [4] *Actus,* c. 3; *Chron. 24 Gen.,* AF III, 9; AF IV, 182, 503. — [5] Supra p. 166 l. 29 sqq. *Specul. Perf.* Sabatier c. 71 (interpol.) — [6] P. 163 sqq.; AF IV, 190, 428. — [7] Supra p. 32-4. — [8] AF IV, 428 sq. — [9] *Actus,* c. 71; *Fioretti,* c. 37; supra p. 81-2; AF IV, 58. — [10] *Actus,* c. 9; supra p. 82, l. 32 sqq.

pressit, ut dicetur conformitate III libri III. — Pluribus aliis vicibus Dominus beato Francisco apparere est dignatus, sed sufficiant ad praesens praefata.

Beato Francisco oranti virgo Maria apparere est dignata. Eidem enim apparuit, ut dictum est, cum Christo oranti in silva. In loco Sanctae Mariae de Angelis bis eidem apparuit. Primo, quando obtinuit indulgentiam dictae ecclesiae a Christo; beata enim Virgo pro beato Francisco apud Filium intercessit[1]. — Secundo, quando diem Christus dictae indulgentiae determinavit; tunc enim Virgo cum Christo (*a*) etiam affuit[2].

Virgo (*b*) Maria cum Filio parvulo, quem gerebat in ulnis, vice alia apparuit beato Francisco. Ipse enim beatus Franciscus cum de quodam loco ad alium perrexisset cum socio non multum devoto, et de sero ipse pater post cenam (*c*) dormitum ivisset (*d*), socius eius cum fratre alio incepit murmurare de beato Francisco dicens: quod ipse erat ut ceteri, quia comedebat et dormiebat. Post quae verba, divina inspiratione proponit (*e*) observare beatum Franciscum. Beatus vero Franciscus, cum crederet socium et ceteros dormire, cum silentio surgens ad quoddam nemus vicinum perrexit ad orandum; quem frater socius subsequitur, beato Francisco ignorante. Beatus Franciscus gressus et poplites in terra figendo, coepit alta voce clamare et dicere, socio audiente: « O beata Virgo, ostende mihi Filium tuum ». Cuius desiderio annuens beata Virgo, fratre praefato vidente, cum summa claritate et sui pulcritudine de caelo cum Filio descendit, atque ad beatum Franciscum perveniens, Filium suum in ulnis posuit beati Francisci. Quem tenens beatus Franciscus, amplexans et osculans a dicta hora usque prope diem cum indicibili consolatione, tandem beatae Virgini, regratiando, restituit; et (*f*) Virgo post haec a beato Francisco recessit. Frater autem, qui hoc vidit, de indevoto effectus devotus, et ad beatum Franciscum reverentiam summam ex tunc habuit et vitam in melius commutando sanctissime de cetero vixit. Et quia ad beatam Mariam praecipua ferebatur devotione, in ipsam post Christum omnem suam fiduciam ponens, credendum est a dicta Domina mirabiles recepisse consolationes et visitationes, etsi omnia non sint scripta.

Ipsi beato Francisco oranti Romae in ecclesia Sancti Petri, beati apostoli Petrus et Paulus apparuerunt sibi, prout dictum est conformitate VIII libri I in *Tractatu de fratre Massaeo*[3] et conformitate II huius II libri[4], beatum Franciscum amplexantes et ex parte Dei dicentes ei, quod de custodiendo thesaurum sanctae paupertatis a Deo erat exauditus.

Sancti angeli ipsum in oratione positum visitarunt, eidem harmonicam faciendo melodiam, prout dictum est conformitate I huius secundi et dicetur statim[5].

Tertium ostendens, quod beatus Franciscus fuit vir orator, est attendendo ea, quae sibi Deus reserabat. Ut enim dicit XI pars *Legendae maioris*[6]: « Ad tantam autem mentis serenitatem indefessum orationis studium cum continua exercitatione virtutum beatum Franciscum perduxerat, ut quamvis non habuerit sacrarum

(*a*) Edd. *ipso*. — (*b*) Ed. III om. *Virgo—statim*, l. 36. — (*c*) Al om. *post cenam*. — (*d*) Al add. *post ecclesiam*. — (*e*) As, Edd. *proposuit*. — (*f*) Edd. add. *beata*.

[1] Supra p. 32. l. 4 sq. — [2] P. 33 l sqq. — [3] AF IV, 186. — [4] Est *conform. III*, supra p. 79 sq.; *Actus*, c. 13 n. 8 sqq. — [5] Supra p. 11 l. 2 sqq.; *Leg. Mai.* c. 5 n. 11. — [6] C. 11 n. 1.

litterarum notitiam per doctrinam, aeternae tamen lucis irradiatus fulgoribus, Scripturarum profunda miro intellectus perscrutaretur acumine ». Enodabat dubia quaestionum et abscondita producebat in lucem, nec non cordium videbat arcana, ut dicetur conformitate XIV huius II libri, ac futurorum pronuntiabat eventus, prout dictum est conformitate VI huius II libri [1]. — Oratione beato Francisco Deus indicavit: Primo se sibi omnia peccata sua dimisisse usque ad quadrantem novissimum, ac sui ordinis dilatationem fiendam in proximo, prout dicit III pars *Legendae* [2]. — Secundo (*a*) ipsum a Deo directum ad lucrandum animas, quas diabolus conabatur auferre [3]. — Tertio dominum papam suae petitioni pro prima regula obtinenda (*b*) per omnia inclinaturum, ut dicit III pars *Legendae* [4]. — Quarto, ut secundam regulam conficeret ex verbis Evangelii, velut ex micis unum panem, ut dicit IV pars *Legendae*, ac omnia contenta in regula, prout habetur ibidem [5]. — Quinto, quod praedicare populo deberet, ut dicit XII pars *Legendae* [6]. — Sexto omnia, quae erant pro utilitate fratrum, prout dicit *Legenda antiqua* [7], sciebat (*c*). — Septimo dum per Apuliam iret cum socio et bursam invenisset, quae praetendebatur pecunia plena, oratione agnovit diabolum in specie serpentis in ipsa manere, sicut socius aperiendo luculenter perpendit, ut dicit VII pars *Legendae maioris* [8]. — Octavo totius ordinis statum usque ad diem novissimum, orando, in statua simili statuae a Nabuchodonosor visa agnovit, prout conformitate VI huius II libri est dictum [9]. — Nono orando mortem agnovit militis, qui eum apud Celanum hospitio receperat, prout dicit XI pars *Legendae maioris* [10]. — Decimo oratione, in provincia Massae apud Montem Casalem, in quodam loco agnovit sacras reliquias esse, quas mandavit abinde (*d*) tolli per fratres et debite collocare, ut dicit pars VI *Legendae maioris* [11]. Et quoad istud tertium concludendo, de perficiendis ab ipso et fratribus virtute orationis a Domino fuit illustratus, prout patet eius (*e*) gesta intuenti.

Quartum indicativum quod beatus Franciscus orationi fuerit intentus, est (*f*) mira, quae ipsa (*g*) oratione operatus est et peragebat. Oratione beatus Franciscus: Primo fratrem Moricum, tunc de ordine Cruciferorum et infirmum, cum se eidem recommendasset, oratione praemissa, electuario de micis panis facto et oleo commixto, quod coram altari ardebat Virginis, et a beato Francisco eidem transmisso sumpto, statim sanavit, ut dicit IV pars *Legendae maioris* [12]. — Secundo dominum Bernardum de Quintavalle orando immutavit, ut dictum est conformitate VIII libri I, et ad sequendum Christi vestigia, venditis omnibus, induxit [13]. — Tertio diabolum superavit in eremo de Sartiano, ut dicit V pars *Legendae maioris* [14], et in ecclesiis derelictis, ut dicit X pars *Legendae* [15], ut dictum est conformitate IX istius libri II. — Quarto ignem oratione temperavit, cui praecepit, oratione praemissa, ut suum temperaret ardorem in ferro circa tempora (*h*) per chirurgum immittendum (*i*)

(*a*) As om. *Secundo... Legendae. (Quarto)*. — (*b*) Al om. *pro prima regula obtinenda*. — (*c*) As, Edd. om. *sciebat*. — (*d*) Al *ibidem*. — (*e*) Al *exemplo*. — (*f*) Edd. *sunt*. — (*g*) As, Edd. *ipse*. — (*h*) Codd. Edd. *timpora*. — (*i*) Edd. *mittendo*.

---

[1] Supra pag. 159-82. — [2] *Leg. Mai.* c. 3 n. 6. — [3] L. c. n. 5 et 7; Cf. A F IV, 98. — [4] C. 3 n. 8. — [5] C. 4 n. 11. — [6] C. 12 n. 2. — [7] Cf. II Cel. II, 4 sqq. *Specul. Perf.* Sabatier, c. 101 sqq. — [8] C. 7 n. 5. — [9] Supra p. 163-5. — [10] C. 11 n. 4. — [11] C. 6 n. 7. — [12] C. 4 n. 8. — [13] A F IV, 178. — [14] C. 5 n. 4. — [15] C. 10 n. 3; supra p. 225 l. 9-11.

pro sanitate oculorum; qui in omnibus eius paruit mandato [1]. — Quinto oratione fontem aquae vivae in monte sitienti viro, cuius vehebatur asello, siti periclitanti, tempore aestivo propinavit, ut VII pars *Legendae maioris* dicit [2].

Sexto ausum Assisinatis episcopi orando refrenavit; dum temere cellam ipsius orantis intrasset, subito obriguit et loquelam amisit, etsi postea recuperavit, ut dicit pars X *Legendae maioris* [3]. — Septimo abbatem Sancti Iustini de Perusio, pro eo orando, insolitam spiritus dulcedinem a Domino degustare impetravit, quam ante nec post aliquando percepit, ut dicit X pars *Legendae maioris* [4]. — Octavo fratrem inobedientem a diaboli laqueis elevavit, pro quo orando, spiritum contritionis et obedientiae percipiendo, a diaboli habenis est liberatus [5]. — Nono fratrem Massaeum in aere sublevavit, ut dictum est conformitate VIII libri I in *Tractatu de fratre Massaeo* [6], et calore spiritus vehementissime inflammavit. — Decimo mentes latronum ad peragendam poenitentiam mollificavit, dum pro eis, exsistens in Monte Casali, orasset, ut dictum est conformitate XI libri I in *Tractatu de provincia sancti Francisci*, custodia Castelli [7]. — Undecimo leprosum horribilem oratione mundificavit (*a*) et a diabolo liberavit, ut dictum est conformitate V istius libri II [8].

Duodecimo oratione eius (*b*), corda durorum Deus ad dulcedinem pietatem et eleemosynam inclinavit. (*c*) In Spoleto cum esset beatus Franciscus, et frater Andreas laicus de Senis, qui pro eleemosyna ibat, beato Francisco diceret, quod erat quidam civis, qui panem nollet sibi dare, respondit beatus Franciscus: « Fac, ut *panem unum tantum* recipias ab eo, et mihi porta ». Quem cum ille beato Francisco in mensa exsistenti praesentasset, beatus pater panem accepit, ac in frusta dividens, cuilibet (*d*) dedit unum frustum, praecipiens ut quilibet pro dicto homine sic duro ante comestionem praefati (*e*) frusti panis unum diceret *Pater noster* cum *Ave Maria* et ipse sic faceret (*f*). Quo facto, gratia Domini in tanta plenitudine (*g*) super dictum hominem descendit, ut statim ad fratres accederet, se cum lacrimis culpabilem redderet, et deinceps non solum fratribus sed et aliis sua libentissime largiretur [9]. — Quod durissimos (*h*) convertit ad Dominum et mollificavit, patet in tribus ordinibus, quod instituit, ut dictum est conformitate VIII libri I [10]. Sic virum cuiusdam mulieris eidem adversantis in Dei via, pro eo orando, mollificavit, ut dicit XI pars *Legendae maioris* [11].

Tertio decimo « oratione sententiam Dei contra peccatorem latam revocavit, ut patuit de fratre Elia, qui fuit secundus generalis (*i*) post beatum Franciscum. Nam cum apostasia ipsius fratris Eliae ab ordine et Ecclesia esset beato Francisco a Domino revelata ac eius damnatio, ac beatus Franciscus per hoc (*k*) dictum fratrem Eliam omnino vitaret, adeo ut nec incederet per viam, ubi frater Elias esset, nec eum respiceret, nec loqueretur, conversaretur aut cum eo comederet; et frater Elias perpendens de hoc interrogasset (*l*) beatum Franciscum: quare eum sic vitaret;

(*a*) As **mundavit;** Edd. om. — (*b*) As, Edd. om. **eius.** — (*c*) Edd. add. **nam.** — (*d*) As, Edd. **singulis d. singulum fr.** — (*e*) Edd. **praedicti.** — (*f*) As, Edd. **etiam similiter fecit.** — (*g*) As, Edd. om. **in t. plenitudine;** add. **sic.** — (*h*) As **diversos;** et add. **homines.** — (*i*) Edd. add. **minister.** — (*k*) Al om. **per hoc.** — (*l*) As, Edd. **interrogavit.**

[1] *Leg. Mai.* c. 5 n. 9. — [2] C. 7 n. 12. — [3] C. 10 n. 5. — [4] C. 10 n. 5. — [5] L. c. c. 11 n. 11. — [6] A F IV, 195; supra 79 sq. — [7] A F IV, 505 sq. — [8] Supra p. 132-3. — [9] Cf. supra p. 18 n. 4. *Cod. Collegii S. Antonii,* fol. 58 v. — [10] A F IV, 177 sqq. — [11] C. 11 n. 6.

respondit beatus Franciscus et dixit ei, quia damnatus et apostatare debebat. Quod audiens frater Elias, totus resolutus in lacrimas, ad pedes beati Francisci provolutus, dixit beato Francisco (*a*): « Pro me, ove tua, quaeso, Dominum depreceris. Confido enim tantum in tuis orationibus, quod si essem in profundo inferni et tu pro me ad Dominum deprecareris, aliquod sentirem levamen; multo magis, quia Deus novit mutare sententiam, si homo mutet delictum. Roga ergo Deum pro me ». Beatus vero pater Franciscus, motus lacrimis fratris Eliae, se contulit ad orandum pro ipso, et orando exauditus est a Domino. Et dixit fratri Eliae, quod non damnaretur, sed bene apostataret. Et sic evenit. Frater enim Elias, depositus ab officio generaralatus per dominum Gregorium IX, et electo loco sui fratre Alberto de Pisis, tunc ministro Angliae, imperatori Frederico adhaesit, propter quod fuit a papa excommunicatus et habitu ordinis privatus. Verum, ipso fratre Elia in Sicilia (*b*) stante et infirmato, frater carnalis eius, qui erat frater Minor et laicus, habita licentia, ad eum visitandum Siciliam adiit. Et invenit (*c*) eum infirmum; hic tantum fecit, quod frater Elias recognoscendo culpam, scripsit papae, dicendo culpam suam. Quas litteras frater ille suus deferens domino papae, ab eodem obtinuit, quod posset absolvi et habitu ordinis indui. Qui ad fratrem Eliam, adhuc viventem, reversus est; et (*d*) frater Elias absolutus ab excommunicatione et habitu ordinis reindutus, acceptis sacramentis Ecclesiae, finivit in pace, salvatus oratione et meritis beati Francisci [1] ». Multa alia sunt gesta oratione beati Francisci, quae longum esset enarrare (*e*) et de quibus dictum est sufficienter in praecedentibus, tam de miraculis in I conformitate huius II libri [2], quam de spiritu prophetico conformitate VI huius II libri [3]: sufficiant (*f*) ad praesens praefata.

5. Quintum declarans, quod beatus Franciscus fuit *vir orator*, est, si videatur quod admonebat et *ad orationem* quomodo fratres provocabat. — Ad orandum fratres inducebat exemplo. Ut enim dictum est, beatus Franciscus sempere orare videbatur, quia ambulando, sedendo, stando et exeundo orationi vi mentis semper videbatur intentus. Et adeo ferventissime oravit, ut non solum elevaretur a terra, sed sub diversis formis et speciebus transfiguratus apparuit, prout dictum est conformitate III huius II [4] libri. — Secundo etiam inducebat fratres et induxit ad orationem, prout dictum est in I libro conformitate XII cap. V *De oratione:* vide ibi [5]. Unde in I *Regula* [6] et nunc in II [7], quod fratres orare deberent pro omnibus, demandavit (*g*). — Dicebat enim, prout dicit X pars *Legendae maioris* [8]: « Orationis gratiam viro religioso desiderandam, nullumque in Dei servitio posse sine ipsa prosperari ». — Volebat fratres, habentes gratiam laborandi, ut laborarent ad vitandum otium; sic tamen laborarent, ut sanctae orationis et devotionis spiritum non extinguerent, « cui

(*a*) As, Edd. om. ***beato Francisco***. — (*b*) Sic ***Actus***, codd. et Edd. — (*c*) As, Edd. ***inveniens***, postea om. ***hic***. — (*d*) As, Edd. ***unde***. — (*e*) As, Edd. ***enumerare***. — (*f*) Edd. add. ***igitur***. — (*g*) Al ***demonstravit***.

[1] Est *Actus*, c. 72; cf. ed. Sabatier, 206-8; cf. E. Lempp, *Frère Elie de Cortone*, Paris 1902 p. 152-155; p. 179-87 Protocollum inquisitionis Fr. Velasci O. F. M. circa mortem et absolutionem Fr. Eliae, 2-6 mai. 1253. Pro *in Sicilia* legendum videtur saltem *in Cella*, aut *in Cellis* prope Cortonam. Obiit vero Cortonae 22 april. 1253. Cf. Golubovich, *Biblioth. bio-bibl. T. S.* I, 116. — [2] Supra p. 11-21. — [3] P. 159-82. — [4] P. 75-89. — [5] A F IV, 599-600. — [6] C. 3; *Opuscula*, p. 27-8; et c. 22, p. 55 sqq.; cf. IV, 599 sq. — [7] C. 3; *Opusc.*, p. 66-7. — [8] C. 10 n. 1.

debent cetera temporalia deservire », ut dicit V capitulum nostrae *Regulae*[1]. — Interrogatus a fratribus, si sibi placeret, « quod litterati, iam recepti ad ordinem, studio intenderent sacrae Scripturae, respondit, prout dicit XI pars *Maioris Legendae:* « Mihi quidem placet, dum tamen exemplo Christi, qui magis orasse legitur quam legisse, orationis studium non omittant ».

Fratribus eum rogantibus, ut doceret eos orare dixit: « Cum oraveritis, dicite: *Pater noster* et: « Adoramus te, Christe, ad omnes ecclesias tuas derelictas, quae sunt in toto mundo, et benedicimus tibi, quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum[2] ». — Monitis igitur beati Francisci acquiescentes, fratres « vacabant divinis precibus incessanter, mentaliter potius quam vocaliter studio intendentes orationis devotae, librumque crucis continuatis (*a*) aspectibus, diebus ac noctibus revolvebant, exemplo patris et eloquio eruditi, qui iugiter de praefatis faciebat eis sermonem », prout dicit IV pars *Legendae maioris*[3]. Si enim inspiciantur facta fratrum et praecipue sociorum beati Francisci, de quibus dictum est libro I conformitate VIII[4], patet, quod omnes fuerunt viri orationi per omnia intentissimi, sicut ibidem patet de fratre Bernardo de Quintavalle, de fratre Aegidio, de fratre Iunipero et de fratre Rufino, et sic de aliis, ut dictum est ibidem.

Sextum reserans quod beatus Franciscus fuit *vir orator*, est, si inspiciatur qualiter orabat et quid orabat (*b*). De modo, quo orabat, si loquimur quoad officium divinum, dicit X pars *Legendae maioris*[5], quod « solitus erat horas canonicas non minus timorate Deo persolvere quam devote. Nam licet oculorum, splenis, stomachi et hepatis aegritudine laboraret, nolebat tamen muro vel parieti inhaerere, dum psalleret; sed horas semper erectus et sine caputio, non gyrovagis oculis, non cum aliqua syncopa persolvebat. Si quando esset in itinere constitutus, figebat tunc temporis gressum, huiusmodi consuetudinem reverentem et sacram propter pluviarum inundantiam non omittens. Et dicebat: « Si quiete comedit corpus cibum suum, futurum cum ipso vermium esca (*c*), cum quanta pace et tranquillitate accipere debet anima cibum vitae »? « Psalmos, ut dictum est, cum tanta mentis attentione dicebat, quasi Deum praesentem haberet ».

Si loquimur quoad modum orandi beati Francisci, diversimode invenitur orasse. Aliquando orando lacrimis profundebatur, sicut dicit II pars *Legendae*[6], quod fugiendo patris furorem, postquam multa distraxerat pro reparatione ecclesiae Sancti Damiani, in quadam occulta fovea latuit, ubi « rogabat incessanter Dominum, lacrimarum imbre perfusus, ut liberaret de manibus persequentium animam suam et pia, quae inspiraverat vota, benigno favore compleret ». — Orando ploravit aliquando passionis devotione, sicut dicit I pars *Legendae maioris*[7], quod « cum *gemitibus inenarrabilibus*[8] incessanter intenderet et die quadam sequestratus oraret, apparuit ei Christus Iesus veluti crucifixus (*d*) ». — Et X pars *Legendae*[9] dicit, quod deplorabat « alta voce quasi coram positam dominicam passionem ». — Ploravit aliquando in oratione, et hoc sua peccata plangendo; et sic obtinuit eorum remissionem, ut

(*a*) Edd. *continuis.* — (*b*) As, Edd. *decantabat.* — (*c*) Sic Bonav., Codd. et Edd. — (*d*) Edd. *cruci confixus.*

[1] *Opuscula*, p. 68. — [2] *Leg. Mai.* c. 4 n. 3; *Testamentum S. P. Fr., Opusc.*, 77-8; cf. Luc. 21, 2. — [3] C. 4 n. 3. — [4] A F IV, 178 sqq.; 205 sqq.; 245 sqq.; 197 sqq. — [5] C. 10 n. 6. — [6] *Leg. Mai.* c. 2 n. 2. — [7] C. 1 n. 5. — [8] Rom. 8, 26. — [9] C. 10 n. 4.

dicit III pars *Legendae maioris* [1]. — Aliquando « clamorosis gemitibus apud divinam pro peccatoribus interpellabat clementiam », ut dicit X pars *Legendae maioris* [2]. Quandoque beatus Franciscus invenitur orasse « facie [3] in caelum levata, oculis et manibus ad Deum directis, et per totam noctem usque de mane nihil aliud dixisse nisi haec verba: « Deus meus et omnia ». Quae verba geminando dixit (*a*) cum tanta (*b*) morositate et devotione (*c*) et cum multis lacrimis ad Deum. Hoc autem dicebat beatus Franciscus admirando divinae maiestatis excellentiam, quae periclitanti mundo condescendere videbatur, et per ipsum Franciscum pauperculum et despectum de salutis remedio providere. Spiritu prophetico tali oratione perfusus, praevidendo magnalia, quae per ipsum et suum ordinem Deus erat facturus, et considerando suam insufficientiam et parvitatem virtutis, invocabat Dominum, ut quod ipse non poterat, Deus ipse perficeret, sine quo nil potest humana fragilitas; propter quod dicebat: « Deus meus et omnia ». — Aliquando beatus Franciscus per totam noctem orando nihil aliud dixit nisi: « Sanctissime Domine, vellem te diligere! Dulcissime Domine, vellem te diligere! »; unde dum talia in oratione pernoctando diceret, Dominus Iesus Christus apparuit ei; et hoc fuit ultra apparitiones praefatas Domini Iesu Christi, de quidus dictum est supra. Ad cuius pedes se proiciens beatus Franciscus dixit Domino: « Domine mi, ego vobis totum cor meum et corpus meum dedi, et vehementer desidero, si tamen scire possem, pro vestri amore plura facere ». Cui respondit Dominus: « Concedo tibi haec, quae rogasti (*d*), et ego ex singulari gratia do, quod semper dum vives, aliquid boni cogites vel facias ». Mane autem beatus Franciscus vocavit fratrem Angelum, qui praeerat illi loco, et dixit sibi: « Dominus hac nocte mihi apparuit et dedit mihi tale donum; ego autem, ut melius compleam (*e*), volo istud vovere Domino Deo meo in manibus tuis, et volo, quod super hoc tu sis mihi guardianus, et custos ». Cui frater Angelus, (*f*) male libenter sed tamen finaliter acquiescens, vocatis sex aliis bonis fratribus, beatus Franciscus in conspectu omnium vovit in manibus fratris Angeli Christo Domino, quod ipse dum viveret, (*g*) aliquid boni cogitaret vel diceret vel faceret. Frater Angelus diligenter postea observabat, et minime ipsum poterat invenire nisi in oratione. Eius autem diligentia multum erat beato Francisco accepta. Et ideo [4] dicebat beatus Franciscus, quod in his tribus scilicet deprehenditur si homo est servus Christi, scilicet si semper cogitat vel dicit vel operatur Deo (*h*) placita.

Aliquando orabat anxio spiritu, ut dicit VIII pars *Legendae maioris* [5], et cordis dolore tactus intrinsecus nimio, videndo quod fratres a professione declinabant, dixit: « Domine, recommendo tibi familiam tuam, quam dedisti mihi »; et tunc reportavit responsum: « Cur tu, pauper homuncio, conturbaris? An ego te super religionem meam sic pastorem institui, ut me principalem nescias esse patronum? Ego vocavi, servabo et pascam, et aliis excidentibus, alios subrogabo, ita ut si nati non fuerint, faciam illos nasci; et quantiscumque fuerit impulsibus paupercula haec concussa religio, salva semper meo munere permanebit ».

(*a*) Edd. *geminabat.* — (*b*) Edd. *multa.* — (*c*) A1, As *devota;* sed As correxit: *devotione.* — (*d*) A1, As *fecisti.* — (*e*) As *complaceam.* — (*f*) Edd. add. *quamvis.* — (*g*) Edd. add. *semper.* — (*h*) As, Edd. *Domini.*

[1] C. 3 n. 6. — [2] C. 10 n. 4. — [3] *Actus,* c. 1 n. 20 sqq. — [4] Ultima pars narrationis est *Speculi Perf.* Sabatier, c. 74. — [5] C. 8 n. 3.

Quandoque orabat iunctis manibus et elevatis oculis in caelum, sicut quando officium dimisit generalatus. Et tunc dixit Domino: « Domine, commendo tibi familiam tuam, quam mihi hactenus commisisti, et nunc propter infirmitates meas, quas tu nosti Domine, curam ipsius habere non valens, recommendo eam ministris, qui teneantur tibi in die iudicii coram te, Domine, reddere rationem, si quis fratrum propter eorum negligentiam vel malum exemplum seu asperam correctionem perierit [1] ». — Aliquando orabat brachiis protensis in modum crucis et sublevatus, ac nubecula quadam circumdatus, ut visus est a fratribus, ut dicit X pars *Legendae* [2]. — Aliquando oravit summa humilitate prostratus, sicut patuit in ecclesia Sancti Petri de Bovario, ubi (*a*) eius etiam orans socius, scilicet frater Pacificus, vidit sedem Luciferi et reservatam audivit humili Francisco. — Aliquando beatus Franciscus cum tanto fervore orabat, quod videbatur ex facie et oris hiatu quasi flamma ardoris emittere (*b*), et dicebat: « A, a, a », et tunc apprehendit fratrem Massaeum socium et sublevavit eum, prout dictum est conformitate IV huius II libri [3] et (*c*) in I conformitate VIII in *Tractatu de fratre Massaeo* [4].

Aliquando orabat beatus Franciscus levando manus in altum et clamando ad Christum, quod haberet misericordiam de populo, de multa tribulatione, quae debebat sibi evenire; et Dominus sibi respondit, quod si ordo suus staret in sua vocatione, non permitteret mundo aliquam tribulationem evenire, ut dictum est libro I conformitate IX [5]. — Aliquando orabat, palmas manus extendendo ad caelum, sicut quando oravit ut Deus daret aquam homini, qui siti periclitabatur in montibus, ut dicit X pars *Legendae* [6]. — Aliquando oravit stando erectus et facie in caelum erecta, sicut quando frater Massaeus dixerat eidem: « Unde tibi (*d*), unde tibi, unde tibi, ut totus mundus post te vadat? »; de quo habetur I libro conformitate VIII [7] et II libro conformitate V [8]. — Quandoque orabat genibus flexis, facie in caelum elevata ac manibus ad Deum extensis, et dicebat Domino Deo, qui sibi apparuerat: « Quis es tu, dulcissime Domine, Deus meus? Et quis sum ego vermiculus, servus tuus »? Et hoc fuit in monte Alvernae [9], ut dicetur conformitate III libri III. Et sic beatus Franciscus multimode orasse invenitur, prout materia exigebat, pro qua orabat, vel instinctus Spiritus Sancti, qui ipsum in oratione dirigebat.

4. Sed quid beatus Franciscus decantabat ac ad Deum laudandum ordinaverat, amodo est videndum. Beatus enim Franciscus *orationem dominicam* exponendo dicebat (*e*), et sic dicendum ordinaverat:

« Beatissime [10] *Pater noster,* Creator, Redemptor et Salvator et Consolator noster (*f*). *Qui es in caelis,* in angelis et sanctis (*g*), illuminans eos ad cognitionem, quia tu, Domine, lux es; inflammans ad amorem, quia amor es tu, Domine; et tu habilitans et implens (*h*) eos ad beatitudinem, quia tu, Domine, summum bonum es et (*i*)

(*a*) Ed. 1590 om. *ubi — Francisco.* — (*b*) Edd. *emittere sicut quando opp.* — (*c*) Edd. *ut alibi saepius.* — (*d*) Edd. *etc.* As bis *unde tibi.* — (*e*) Edd. *sicut supra conf. XII primi libri parte II dictum est cap. VI de Pater Noster;* tunc omittunt usque ad p. 257 l. 25. — (*f*) Al om. *noster.* — (*g*) Al *sanctis angelis.* — (*h*) Al postea corr. *tu* in *in;* As *habitans et implens.* — (*i*) As om. *et.*

[1] *Specul. Perf.* Sabatier, c. 39; II Cel. II, 104 (al. III, 81) 143. — [2] C. 11 n. 4; supra p. 138, l. 14 sqq. — [3] Supra p. 79 sq. — [4] AF IV, 195 sq. — [5] AF IV, 428. — [6] Est *Leg. Mai.* c. 7 n. 12. — [7] AF IV, 194. — [8] Supra p. 135. — [9] *Actus,* c. 9 n. 40 sqq. — [10] Cf. textum AF IV, 600-1; *Opuscula S. P. Francisci,* 119-21; Boehmer, *Analekten z. Gesch. des Franciscus v. Assisi,* 71-73.

aeternum, a quo omne bonum, sine quo nihil est bonum. *Sanctificetur nomen tuum,* clarificetur in nobis notitia tua, ut cognoscamus, quae sit latitudo beneficiorum tuorum, longitudo promissorum tuorum, sublimitas maiestatis et profundum iudiciorum [1]. *Adveniat regnum tuum,* ut regnes tu in nobis per gratiam et facias nos venire ad regnum tuum, ubi est tui visio manifesta, tui dilectio perfecta, tui societas beata, tui fruitio sempiterna. *Fiat voluntas tua, sicut in caelo et in terra,* ut amemus te ex *toto corde* [2], te semper cogitando, ex *tota anima,* te semper desiderando, ex *tota mente,* omnes intentiones nostras ad te dirigendo, honorem tuum in omnibus quaerendo et *ex totis* (*a*) *viribus* nostris (*b*) omnes vires nostras et sensus animae et corporis in obsequium tui amoris et non in aliud expendendo. Et proximos nostros amemus sicut et nosmetipsos, omnes ad amorem tuum pro viribus trahendo, de bonis aliorum sicut de nostris gaudendo, et in malis compatiendo, et nemini ullam offensionem dando. *Panem nostrum quotidianum,* dilectum Filium (*c*) tuum, Dominum Iesum Christum, *da nobis hodie,* in memoriam, intelligentiam et reverentiam amoris (*d*), quem ad nos habuit, et eorum, quae pro nobis dixit et fecit et sustulit. *Et dimitte nobis debita nostra,* per tuam misericordiam ineffabilem et passionis dilecti Filii tui virtutem et per beatissimae Virginis Mariae et omnium electorum tuorum merita et intercessiones (*e*). *Et dimitte nobis debita nostra* (*f*) *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris,* et quod non plene dimittimus, tu, Domine, fac nos plene dimittere, ut inimicos propter te veraciter diligamus et pro eis apud te devote intercedamus, nulli malum pro malo reddentes [3] et in omnibus in te prodesse studeamus. *Et ne nos inducas in tentationem,* occultam vel manifestam, subitam vel importunam. *Sed libera nos a malo,* praeterito, praesenti et futuro. *Amen.* Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto ». Hoc *Pater noster* dicebat beatus Franciscus, et taliter ad dicendum ordinavit.

Orationem etiam pulcherrimam instituit beatus Franciscus in fine I Regulae [4], quae multum est devota et intitulatur:

Oratio, laus et gratiarum actio (*g*).

« Omnipotens, altissime, sanctissime et summe Deus, Pater sancte et iuste, Domine Rex caeli et terrae, propter temetipsum gratias agimus tibi, quia per sanctam voluntatem tuam et per unigenitum Filium tuum cum (*h*) Spiritu Sancto creasti omnia spiritualia et corporalia, et nos, *ad imaginem et similitudinem tuam factos, in paradiso posuisti* [5]; et nos per culpam nostram cecidimus. Et gratias agimus tibi, quia sicut per Filium tuum nos creasti, sic per veram et sanctam *dilectionem, qua dilexisti* nos [6], ipsum verum Deum et verum hominem ex gloriosa semper Virgine Maria, beatissima et sancta, nasci fecisti et per crucem et (*i*) sanguinem et mortem ipsius nos captivos redimi voluisti. Et gratias agimus tibi, quia ipse Filius tuus venturus est in gloria maiestatis suae (*k*) mittere maledictos, qui poenitentiam

(*a*) As *omnibus.* — (*b*) Al sic correx. ex *tuis.* — (*c*) Al om. *Filium.* — (*d*) Al *amorem.* — (*e*) Al *intercessiones;* As *intercessione.* — (*f*) *Opusc.* 121; A F IV, 601 om. *Et—nostra.* — (*g*) As, Edd. add. *et est ista.* — (*h*) Al om; As alia manu add. *cum.* — (*i*) Edd. add. *per.* — (*k*) As, Edd. *tuae.*

[1] Cf. Eph. 3, 18. — [2] Cf. Luc. 10, 27; Matth. 22, 37; Marc. 12, 30; Deut. 6, 5. — [3] Cf. I Thess. 5, 15; I Petr. 3, 9. — [4] *Opuscula,* p. 57-61; Böhmer *Analekten,* p. 23-26; partim ap. A F IV, 599 sq. — [5] Cf. Gen. 1, 26; 2, 15. — [6] Ioann. 17, 26.

non egerunt et te non agnoverunt (*a*), in igne aeternum, et dicere omnibus, qui te cognoverunt et adoraverunt et tibi servierunt in poenitentia: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi* [1].

Et quia nos omnes miseri et peccatores non sumus digni nominare te, suppliciter exoramus, ut Dominus noster Iesus Christus Filius tuus dilectus, *in quo tibi bene complacuit* [2], una cum Sancto Spiritu Paraclyto gratias agat, sicut tibi et ipsi (*b*) placet, pro omnibus, qui tibi semper (*c*) sufficit ad omnia, per quem nobis tanta fecisti. Alleluia. Et gloriosissimam Matrem sanctissimam, sanctam Mariam semper Virginem, beatum Michaelem, Gabrielem et Raphaelem et omnes choros beatorum spirituum, seraphim, cherubin et thronorum, dominationum (*d*), principatuum et potestatum, virtutum, angelorum, archangelorum, beatum Ioannem Baptistam, Ioannem Evangelistam, Petrum, Paulum et beatos patriarchas, prophetas, Innocentes, apostolos et evangelistas, discipulos, martyres et confessores, virgines, beatos Eliam et Enoch et omnes sanctos, qui fuerunt, sunt et erunt, propter tuum amorem humiliter deprecamur, ut sicut tibi placet, pro his tibi gratias referant summo vero Deo, aeterno et vivo, cum Filio tuo carissimo Domino nostro Iesu Christo et (*e*) Spiritu Sancto Paraclyto in saecula saeculorum. Amen. Alleluia.

Et Domino Deo tibi universos intra Ecclesiam catholicam et apostolicam servire volentes, et omnes ecclesiasticos ordines, sacerdotes, diaconos, subdiaconos, acolythos, exorcistas, lectores, ostiarios et omnes clericos, universos religiosos et universas religiosas, omnes pueros et puellas (*f*) et parvulos, pauperes et egenos, reges et principes, laboratores, agricolas, servos et Dominos, omnes virgines et (*g*) continentes et maritatas, laicos masculos et feminas, omnes infantes, adolescentes, iuvenes et senes, sanos et infirmos, omnes pusillos et magnos, et omnes homines ubique terrarum, qui sunt et erunt, humiliter recommendamus, rogamus et supplicamus nos omnes fratres Minores, servi inutiles, ut omnes in vera (*h*) fide et poenitentia perseveremus, quia aliter nullus salvari potest. Omnes te diligamus *ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex tota virtute* et *fortitudine, ex toto intellectu* et *omnibus viribus* [3], toto nisu, toto affectu, totis visceribus, totis desideriis et voluntatibus Dominum Deum, qui totum corpus et totam animam et totam vitam dedisti et das nobis omnibus; qui nos creasti, redemisti et sola misericordia salvabis, qui nobis miserabilibus et miseris, putridis et foetidis, ingratis et malis, omnia bona fecisti et facis ».

Nihil aliud ergo sciamus, nihil aliud desideremus, nihil aliud velimus, nihil aliud placeat vel delectet nos, nisi tu Creator et Redemptor et Salvator noster, solus verus Deus, qui es plenum bonum, omne bonum, totum bonum, verum et summum bonum, qui *solus es bonus* [4], pius, mitis, suavis et dulcis, qui solus es sanctus, iustus, verus et rectus, qui solus es benignus, innocens et mundus, a quo, per quem et in quo est omnis venia, omnis gratia, omnis gloria omnium poenitentium, omnium iustorum, omnium beatorum in caelis congaudentium. Nihil ergo impediat, Domine, nihil separet, nihil interpellet, quin nos omnes omni loco, omni tempore, cotidie et continue, te diligamus veraciter et humiliter, in corde te verum Deum teneamus,

(*a*) As, Edd. *cognoverunt.* — (*b*) *Opusc.* 59, A F IV, 600 *ipsis.* — (*c*) Al om. *semper.* — (*d*) Al add. *et.* — (*e*) Edd. *cum.* — (*f*) As, Edd. *parvulas.* — (*g*) As, om. *et* et statim denuo. — (*h*) Al *una.*

[1] Matth. 25, 34. — [2] Matth. 17, 5. — [3] Deut. 6, 5; Marc. 12, 30 et 33; Luc. 10, 27. — [4] Luc. 18, 19.

amemus, honoremus, adoremus, serviamus, laudemus, benedicamus, glorificemus, magnificemus et (*a*) superexaltemus. Gratias agimus tibi altissimo et summo Deo, Trinitati et Unitati, Patri et Filio et Spiritui Sancto, Creatori omnium, Salvatori in te credentium et sperantium et diligentium, qui sine initio et sine fine, admirabilis invisibilis, inenarrabilis, ineffabilis, incomprehensibilis, investigabilis, benedictus, laudabilis, gloriosus et superexaltatus, sublimis, excelsus, amabilis, suavis, delectabilis et totus super omnia desiderabilis es (*b*) in saeculae saeculorum. Amen ».

Laudes [1], *quas ordinavit beatus Franciscus et dicebat ad omnes horas* (*c*).

« *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, qui est et qui erat et qui venturus est* [2]; et laudamus et superexaltamus (*d*) eum in saecula [3]. *Dignus es, Domine Deus noster, accipere* laudem, *gloriam et honorem* et benedictionem [4]; et laudemus et superexaltemus eum in saecula. *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem et sapientiam et fortitudinem, honorem et gloriam et benedictionem* [5]; et laudemus et superexaltemus eum in saecula. Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu; et (*e*) laudemus et superexaltemus eum in saecula [6]. Laudent illum gloriosum caeli et terra et *omnis creatura, quae in caelo est, super terram et subtus terram,* mare et omnia, quae in eis sunt [7]; et laudemus et superexaltemus eum in saecula. Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto; et laudemus et superexaltemus eum in saecula. Sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum, amen; et laudemus et superexaltemus eum in saecula ».

Oratio [8].

« Omnipotens, altissime et summe Deus, summum bonum, omne bonum, totum bonum, qui solus esse bonus, tibi reddamus omnem laudem, omnem gloriam, omnem honorem, omnem benedictionem, et omnia bona referamus tibi semper. Amen ».

Oratio ad beatam Virginem Mariam [9].

« Sancta Maria Virgo, non est tibi similis nata in mundo in mulieribus, filia et ancilla altissimi Regis, Patris caelestis, mater sanctissimi Domini nostri Iesu Christi, sponsa Spiritus Sancti; ora pro nobis cum sancto Michaele archangelo et omnibus virtutibus caelorum et omnibus sanctis tuum sanctissimum et dilectum Filium, nostrum Dominum et Magistrum. Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen ».

Laus Domini Dei altissimi, quam composuit beatus Franciscus [10].

« Tu es sanctus Dominus Deus, tu es Deus deorum, qui solus facis mirabilia. Tu es fortis, tu es magnus, tu es altissimus, tu es omnipotens, tu es Pater sanctus, Rex caeli et terrae. Tu es trinus et unus, (*f*) Deus deorum. Tu es bonus, omne bonum, summum bonum, Dominus Deus, vivus et verus. Tu es amor (*g*), charitas.

(*a*) As, Edd. om. *et.* — (*b*) Al om. *es.* — (*c*) Ed. II (et III) add. *sunt haec videlicet.* — (*d*) Al *laudamus et superexaltamus.* — (*e*) Edd. om. *et.* — (*f*) Edd. add. *et.* — (*g*) Al *amor et amor et.*

[1] Opuscula, 121-2; Böhmer *Analekten,* 67. — [2] Apoc. 4, 8. — [3] Dan. 3, 57 sqq. — [4] Apoc. 4, 11. — [5] Apoc. 5, 12. — [6] Aliqua praetermittuntur, cf. *Opusc.*, 122; Böhmer, 67. — [7] Apoc. 5, 13. — [8] *Opusc.*, 123; Böhmer, 67. — [9] *Ex officio Passionis Domini, Opusc.*, 128; Böhmer, 108 sq. — [10] *Opuscula,* 124-5; Böhmer 58-9.

Tu sapientia, tu humilitas, tu es patientia, tu es pulchritudo, tu es securitas, tu es quies, tu es gaudium, tu es spes nostra et laetitia, tu es iustitia et temperantia, tu es fortitudo et prudentia, tu es omnes divitiae nostrae (*a*) ad sufficientiam, tu es mansuetudo, tu es protector, tu es custos et defensor, tu es refugium nostrum et virtus, tu es fides, spes et charitas nostra, tu es magna dulcedo nostra, tu es bonitas infinita, magnus et admirabilis Dominus Deus omnipotens, pius (*b*), misericors et salvator (*c*) ».

Oratio.

Omnipotens [1], aeterne, iuste et misericors Deus, da nobis miseris propter temetipsum facere, quod scimus te velle, et semper velle, quod tibi placet, ut interius mundati, interius illuminati et igne Spiritus Sancti accensi, possimus sequi vestigia tui dulcissimi Filii, Domini nostri Iesu Christi, et ad te, Altissime, sola tua gratia pervenire, qui in trinitate perfecta et unitate simplici vivis et regnas et gloriaris, Deus omnipotens, in saecula saeculorum. Amen.

Salutatio beatae Virginis ordinata a beato Francisco.

Ave, Domina sancta, regina sanctissima, Dei genitrix Maria, quae es Virgo perpetua, electa a sanctissimo Patre de caelo, quam cum sanctissimo dilecto Filio et et Spiritu Sancto Paraclyto sanctificavit (*d*), in qua (*e*) est et fuit omnis plenitudo gratiae et omne bonum. Ave palatium eius; ave tabernaculum eius; ave domus eius; ave vestimentum eius; ave ancilla eius; ave mater eius, et vos omnes sanctae virtutes, quae per gratiam et illuminationem Spiritus Sancti infundimini in corda fidelium, ut de infidelibus fideles (*f*) faciatis.

Alias *laudes* fecit beatus Franciscus ad salutandum virtutes, quas hic non pono [2] ad vitandum prolixitatem operis. Advertendum tamen, quod beatus Franciscus summa devotione ferebatur ad versum: *Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto.* De *Sicut erat* etc. parum curabat. Multoties dicendo vesperas cum fratre Leone, cum (*g*) diceret Psalmum *Magnificat*, semper in quolibet versu ipsius Psalmi dicebat: *Gloria Patri* etc., et dictum versum *Gloria Patri* dicendo tanta consolatione replebatur, quod vix dicendo poterat satiari. Istum versum *Gloria Patri* dicendo (*h*), faciebat quod quidam frater laicus, tentatus de addiscendo, diceret; cum illud dixisset, statim omnis tentatio recessit (*i*).

Composuit etiam beatus Franciscus aliquas in vulgari laudes et has composuit postquam a Christo certificatus fuit de gloria paradisi obtinenda [3]. Et quia sol prae ceteris Deo similatur, nam vocatur Dominus Iesus *sol iustitiae* [4], dictas laudes vo-

(*a*) As om. *nostrae.* — (*b*) As add. *et.* — (*c*) Edd. prosequuntur: ***illam etiam orationem dicebat, de qua dictum est supra conformitate XII primi libri parte secunda cap. V. De oratione,quae incipit: Omnipotens aeternae etc. Similiter salutationem beatae Virginis scilicet: Ave domina sancta; de qua dictum est loco praeallegato.*** Om. *Oratio — faciatis.* — (*d*) As ***consecravit.*** — (*e*) As *quo.* — (*f*) Al ***fidelibus.*** — (*g*) Al, As *et.* — (*h*) As, Edd. *faciendo quod.* — (*i*) Caetera omnia usque in finem conformitatis, p. 262, l. 10, Ed. 1590 om.

[1] Est in fine Epistolae II, directae capitulo generali; *Opusc.*, 107; Böhmer, 62. — [2] Cf. *Opuscula*, 20 sq.; 125 sqq. Böhmer, 64 sqq. — [3] *Specul. Perf.* Sabatier, c. 100, (p. 196); c. 120, (p. 234). Cf. 1 Cel. III, 161 (al. III, 138) 213; II, 163 (III, 139) 217. — [4] Mal. 4, 2.

cavit *Canticum fratris solis*, quas a sociis faciendo cantari coram episcopo Assisii et potestate Assisii, qui erant in summa discordia ad invicem, statim ad concordiam et pacem mutuam devenerunt [1]. Canticum est istud et intitulatur:

Laus de creaturis [2], *quam fecit beatus Franciscus, quando certificavit eum Dominus de regno suo.*

« Altissimo (*a*), omnipotente, bon signore, tue son le laude, la gloria et lo honore et ogni benedictione. Ad te solo se confano, et nullo homo e degno te mentuare. Laudato sia dio mio signore cum tute le sue (*b*) creature, spetialmente mesere lo fratre sole, lo quale iorna et allumini nuy per luy. Et ello e bello et radiante cum gran splendore: del (*c*) signore porta significatione. Lodato sia' il (*d*) mio signore per suore lune et per le stelle: in cielo lay fo[r]mate chiare e belle. Lodato sia il mio signore per fratre uento et per laere nubilo et sereno et ogni tempo, per le quale day ale tue (*e*) creature sustentamento. Lodato sia il mio signore per suor aqua, la quale e molto utile, humile e pretiosa et casta. Laudato sia il mio signore per fratre fuocho, per lo quale tu alumini la nocte, et ello e bello e giocundo e robustissimo e forte. Lodato sia il mio signore per nostra madre terra, la quale ne sustenta e gouerna, et produce diuersi fructi et colorati et erba.

Sequentem versum fecit beatus Franciscus et praefatis addidit, quando coram episcopo Assisii et potestate fecit praefatas laudes decantari, ut ad concordiam venirent, quod et factum est [3].

(*a*) Ob nimias variantes textibus italicis Al inserendas, totum tenorem iuxta As et Edd. subnectimus, formam orthographicam originalium fidelissime, ut in Al fecimus, sequentes. As: ***Altissimo, omnipotente, bon sengnore, tue son le laude, la gloria e lonore e ogni benedictione. Ad te solo se confanno, et nullo homo e digno te mentouare. Laodato sia, idio mio singnore, con tucte le tue creature, spetialmente mesere*** (manus posterior corr. ***messere***) ***lo frate sole, il quale giorna e allumina noi per lui. Et ello e bello et radiante con gran splendore: de te, sengnore, porta la significatione. Laudato sia, mio signore, per suor luna e per le stelle: in celo la formato chiare e belle. Laudato sia, mio singnore, per frate uento e per layre e nuuulo e sereno e omni tempo, per la qual dai alle tue creature sustentamento. Laudato sia, mio singnore, per suor aqua, la quale e molte utile et humile et pretiosa e casta. Laudato sia, mio signore, per frate fuoco, per lo quale tu illumini la nocte, et ello e bello et iocundo et robustissimo e forte. Laudato sia, mio singnore, per nostra madre terra, la quale ne sostenta et gouerna et produci diuersi fructi et coloriti fiori et herba.***

Ed. I, cuius formam sequimur, adiectis inter parentheses variantibus Ed. II: ***Altissimo, omnipotente, bon signore, tue son le laude, la gloria, lo honore et ogne*** (Ed. II ***ogni***) ***benedictione. A te solo se confano, et nullo homo e degno de nominarte. Laudato sia*** (Ed. II ***sij***), ***dio mio signore, con tute le tue creature, specialmente messer lo frate Sole, il quale giorna et illumina nui per lui; et ello e bello et radiante cum grande splendore: de te, signore, porta significatione. Laudato sia, mio signore, per suor luna et per le stelle, il quale in cielo le hai formate chiare e belle. Laudato sia, mio signore, per frate uento e per laire et nuuolo et sereno et ognie*** (Ed. II ***ogni***) ***tempo, per le quale dai a tute creature sostentamento. Laudato sia, mio signore, per suor aqua, la quale e molto utile et humele et preciosa et casta. Laudato sia, mio*** (Ed. II ***mia***) ***signore, per frate fuocho, per lo quale tu alumini la nocte, et ello e bello et iocundo et robustissimo et forte. Laudato sia, mio signore, per nostra madre terra, la quale ne sostenta et gouerna, et produci diuersi fructi et coloriti fiori et herba.***

(*b*) Postea sic corr. ex *tue*. — (*c*) *l* postea additum. — (*d*) *il* postea add. supra inter lineas; et sic semper deinceps. — (*e*) Sic, uti inferius *tu*.

[1] *Specul. Perf.* Sabatier, c. 101; supra p. 16 sq. — [2] De cantico fratris Solis cf. Sabatier, *Specul. Perf.* p. 277-291, ubi plures textus et bibliographia eiusdem; Della Giovanna, *S. Francesco d' Assisi giullare* ap. *Giornale storico della letteratura italiana,* (Torino 1895), XXV, 1-92; (separatim Romae 1895); l. c. XXIX (1897) 284-000; Böhmer, Analekten, 65-66; LVIII.; M F III, 2-7; IV, 87-8; VI, 43-50; Cf. A F II II, 346-7; 358. — [3] *Specul.* cit. c. 101 (p. 200 sq.).

Laudato (*a*) sia il mio siognore per quelli che perdonano per lo suo (*b*) amore et sostenen infirmitade et tribulatione; beati quelli che lo sosteranno in pace, che da te, altissimo, serano incoronati.

Istum (*c*) versum sequentem (*d*) apposuit (*e*) beatus Franciscus, quando scivit (*f*) diem suae mortis, a Christo sibi (*g*) revelatum [1].

Lodato (*h*) sia il mio signore per suor nostra morte corporale, dalla quale nullo homo uiuente puo scampare. Guay a quel (*i*) che muore in peccato mortale. Beati quelli che se trovano nelle sue sanctissime voluntade, che la secunda morte non gli potera far malle. Lodate e benedite il mio signore et ringratiate et servite aluy cum grande humilitade.

FRUCTUS ET CONFORMITAS DUODECIMA ET IN ORDINE VIGESIMA QUARTA: Iesu Turba Reficitur. — Franciscus Ministrator.

Expositio primae partis, videlicet: **Iesu turba reficitur.**

Omnium virtutum etsi Dominus Iesus Christus doctor sit et origo, ac consequenter omnes sibi placere comprobetur, praecipue tamen pietas et misericordia acceptabilis esse declaratur. Primo, quia etsi Deus sit essentialiter iustitia et misericordia, eius tamen misericordia nobis plus apparet, dicente Psalmista [2]: *Misericordia Domini plena est terra,* et: *Miserationes eius super omnia opera eius* [3]. Eius proprium, ut dicit Ecclesia, est « misereri semper et parcere [4] », et Ioelis 2, 13: *Benignus et misericors est* etc., et Lucae 6, 36: *Pater vester caelestis misericors est.*

Secundo, quia sibi placere plurimum declaratur. Hoc patet attestatione Scripturae. Psalm. [5]: *Diligit misericordiam et iudicium;* Prov. 21, 3: *Facere misericordiam et iudicium magis Deo placet, quam victimae;* Oseae 6, 6: *Misericordiam volui* (*k*) *et non sacrificium;* et Salvator dicit, Matth. 9, 15: *Discite, quid est: misericordiam volo et non sacrificium.* Praedicatione Christi, Matth. 19, 21: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quae habes et da pauperibus;* et Luc. 11, 41: *Date eleemosynam; et ecce omnia munda sunt vobis.* Mundi adiudicatione (*l*), Matth. 25, 34 sqq.: de operibus misericordiae et misericordia (*m*) sola disceptabit

---

(*a*) As *Laudato sia, mio signore, per quelli perdonano per lo tuo amore et sostenne infirmitate et tribulatione. Beati quelli che lo sosterranno in pace, che da te, altissimo, saranno incoronati.*

Edd. *Laudato sia, mio signore, per queli che perdonano per lo tuo amore et sostene* (Ed. II *sosteneno*) *infirmitade et tribulatione; beati queli che sostegnerano* (Edd. II *sostegnarano*) *in pace, che da ti, altissimo, serano incoronati.*

(*b*) Ex *tuo.* — (*c*) Edd. II om. *Istum.* — (*d*) As om. *sequentem.* — (*e*) As, Edd. *composuit.* — (*f*) Edd. *sibi de die suae mortis a Chr. revelatum fuit* (Edd. I add. *dicens*). — (*g*) As om. *sibi revelatum.*

(*h*) As *Laudato sia, mio signore, per suor nostra morte corporale, dalla quale nullo homo uiuente puo scampare. Beati quelli che se trouano nello tuo sanctissimo uoluntadi, che la morte secunda nolli podra fare male. Laudato* (Postea corr. in *Laudate*) *e benedicite mio signore et ringratiate et seruite allui con grande humilitate.*

Edd. *Laudato sia, mio signore, per suor nostra morte corporale, da la quale nullo homo uiuente puo scampare. Guai a quilli che more in peccato mortale. Beati quilli che se trouano nele toe sanctissime uoluntade, che la morte secunda non li pora far male. Laudate et benedicete mio signore et regratiate et seruiti a lui con grande humilitade.*

(*i*) *l* postea additum. — (*k*) Edd. *voluit.* — (*l*) As *abdicatione.* — (*m*) Edd. add. *et.*

---

[1] *Specul.* cit. c. 123, (p. 242). — [2] Ps. 32, 5. — [3] Ps. 144, 9. — [4] Oratio ad *Litanias Sanctorum* etc. — [5] Ps. 32, 5.

in iudicio, misericordes beatificando et immisericordes condemnando. Iesu incarnatione, Apostolus Tit. 3, 4 sq.: *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris Dei nostri;* et sequitur: *Non ex operibus iustitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam* etc., et Ps. 84, 8 clamabat Psalmista dicens: *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam et salutare tuum da nobis.* Precum acceptatione, Eccli. 29, 15: *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, et haec* (*a*) *orabit pro te;* et Is. 58, 7 sqq.: *Frange esurienti panem tuum,* et sequitur: *Tunc invocabis, et Dominus exaudiet; clamabis, et dicet: Ecce adsum;* quia [5] *misericors est Dominus Deus tuus.* Peccatorum dimissione, Prov. 15, 27: *Per misericordiam et fidem purgabuntur peccata;* et 16, 6: *Misericordia et veritate redimitur iniquitas;* et Tob. 12, 9: *Eleemosyna purgat peccata.* A diabolo liberatione, Isa. 10, 27: *Computrescet iugum,* scilicet diaboli, *a facie olei,* id est misericordiae. Gratiae impetratione, Prov, 21, 21: *Qui sequitur misericordiam et iustitiam, inveniet vitam,* scilicet gratiae, *et gloriam.* Bonorum multiplicatione; Iob misericordis et Tobiae bona Deus multiplicavit, sic et David. Dicitur Lucae 6, 38: *Date, et dabitur vobis;* et Prov. 11, 24: *Alii dividunt propria et ditiores fiunt. Alii rapiunt non sua, et semper in egestate sunt;* cap. 28, 27: *Qui dat pauperi, non indigebit.* Viduae misericordiam exhibentis Eliae, *hydria farinae non defecit* etc. III Reg. 17, 16. Gloriae caelestis collatione; talibus, scilicet misericordibus, dicitur a Christo, Matth. 25, 34: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum* etc. Quibus et aliis evidenter declaratur, quod haec virtus misericordiae Deo acceptabilis manet.

Haec ergo virtus tam accepta, etsi nobis in praesenti summe pateat, utpote quia: *Miserationes eius super omnia opera eius* [6], ipsam tamen multipliciter homini ostendit:

Primo in creatione, quia sola sua misericordia et pietate sic condidit hominem ad imaginem suam, eum locando in paradiso et omnium dominium dando, et sic de aliis. — Secundo in hominis prostratione. Homo peccato Deo inobediendo, non est a Deo punitus ut diabolus, sed ad poenitentiam est reservatus. — Tertio in generis humani conservatione. Tempore diluvii noluit ipsum destruere, sed misericorditer praeservavit in Noe et suis. — Quarto in Abrahae et suorum speciali electione, mundo sub tenebris et pollutionibus idolorum permanente. — Quinto in filiorum Israel ab Aegytiis liberatione, et consequenter figuraliter electorum a diabolo ereptione. — Sexto in hominis regulatione, dando sua praecepta, et cultum, quo coleretur, ostendendo.

Septimo in populi Israelitici per quadraginta annos cibatione, deductione et ad promissionis terram introductione. — Octavo in hominis illuminatione et suorum absconditorum revelatione, sicut per Salomon exstitit et prophetas. — Nono in peccatorum hominis punitione. Provocatus Deus peccatis hominum, semper misericorditer se gessit erga ipsum, ut patet ab exordio filiorum Israel egressionis de Aegypto usque ad tempora Christi. — Decimo Christi incarnatione, ubi expressum est opus ineffabile divinae misericordiae et suae misericordiae recordationis. — Undecimo est mortis pro peccatis nostris a Christo susceptione. — Duodecimo est sacramentorum institutione, quibus Dei misericordiam et propitiationem invenire semper, si volumus, possumus. Aliis etiam Deus ostendit viis et modis, et declarat assidue.

1. Attamen (*b*) ipsa misericordia ostensa est a Domino Iesu, non solum in apostolorum vocatione a statu pravo mundi ad statum perfectorum vocante (*c*), in assidua de vita spirituali informatione, in infirmitatum omnium hominis sanatione, in sui corporis et sanguinis in sacramento donatione; praecipue tamen patet et claruit in turbae a Christo cibatione. Et quod ex misericordia processit patet, quia semper Salvator ipse sic cibando et turbam

(*a*) Edd. *ipsa.* — (*b*) Ed. II *Insuper etiam.* — (*c*) As *vocavit;* Edd. om.

[1] Deut. 4, 31. — [2] Ps. 144, 9.

cibare volendo, praemisit dicens: *Misereor super turbam* etc., ut habetur Matth. 14 et 15 [1]; de qua cibationis misericordia loquitur prima pars huius conformitatis dicens: *Iesu turba reficitur.*

Christus enim turbam bis cibavit, videlicet semel quinque milia hominum de quinque panibus et duobus piscibus, ut habetur Matth. 14, 19 sqq. — Alia vice cibando quatuor milia hominum de septem panibus et parvis pisciculis, Ioann. 6, 9 sqq. — Quam turbam etiam cibavit corporaliter primo, ut enim habetur Matth. 14 [2], et Ioan. 6: *Cum turba multa essent* cum Iesu, *nec haberent, quid manducarent, convocatis discipulis dixit: Misereor super turbam ; quia iam ecce triduo sustinent me, nec habent, quod manducent. Et si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in via* etc.; ut habetur Matth. 14, 14 sqq., 15, 31 sqq., et Marc. 6, 34 sqq., 8, 1 sqq. et Ioan. 6, 5 sqq. Ubi misericordia Domini exprimitur in cibando turbam corporaliter, utpote, quia fatigatos et deficientes ieiunio refecit. In qua duplici turbae cibatione apparuit ipsa Dei misericordia, benignitas et pietas, quia: primo oculos tam interiores quam exteriores sublevavit et aspexit defectum turbae, ut habetur Ioan. 6, 5, ubi dicitur, quod Christus sublevavit oculos et vidit multitudinem etc. — Et secundo, verbo pietatem suam deprompsit dicens: *Misereor.* Defectum turbae intuendo, continere se a pietate non valuit, quin misereretur; ideo inquit: *Misereor,* id est, ad miserandum paratus assisto. — Sed pro evidentia praefatorum et sequentium sunt aliqua praenotanda.

Primum est quod, licet Deus sit iustissimus, utpote dans *unicuique secundum opera sua* [3], attamen in praesenti vita non sic apparet, sed magis misericors quam iustus. Ratio, quia effectus percipimus magis misericordiae quam iustitiae, nullusque homo est aut fuit aliquando, qui misericordiam Domini non sit expertus, vel praeservando vel liberando eum a peccato et sic de similibus. Attamen multi sunt, qui Dei misericordiam non attendunt, nec ipsam se percipere cognoscunt, de quibus Apostolus, Rom. 2, 4, dicit: *An ignoras,* o homo, *quoniam misericordia Dei ad poenitentiam te adducit et benignitas?* Alii vero ipsam habentes agnoscunt, sicut Psalmus dicit [4]: *Misericordia tua, Domine, magna est super me, et eruisti animam meam.* Attamen gratis et ingratis semper haec misericordia ostenditur, sive exsistentibus in inferno, quia citra condignum puniuntur, sive in paradiso, quia Dei misericordia sunt salvati.

Sed quibus ipsam misericordiam libenter exhibeat, inquit Evangelium: quia *turbis,* quia longe distantibus a suis civitatibus et locis, in deserto manentibus, sequentibus Christum ac eius doctrinam devote et avide sitientibus. Per quae ostenditur, quod mundi contemptoribus per elongationem a mundanis, poenitentiam in deserto agentibus, vitam Christi accipientibus, et quia (*a*) caelestia potius quam terrena delectantur audire, Dominus suam gratiam et misericordiam libenter impartiri dignatur, ut series docet Evangelii. Quid (*b*), inquam, Evangelium pandit et dicit? *Cum turba multa esset cum Iesu,* utpote quinque millia hominum, et alias quatuor milia, quae sequebantur Christum, ut dicit Ioannes [5], *videntes signa, quae faciebat Christus super his, qui infirmabantur,* et propter doctrinam, Matth. 5, 11 sqq. Quid (*c*) ulterius pandit Evangelium de ista turba? Inquit Evangelium: *Nec haberent quid manducarent* [6]. Cibaria eis defecerant propter diuturnitatem permansionis cum Christo. Ideo factum est, ut Domini pietas in subveniendo et potentia in ministrando reseraretur. Dominus tempore Eliae ob peccata Achab misit famem validam in terra; et tamen Eliae primo per corvum deinde per mulierem viduam providit [7]. Huic turbae cibus deficit. Sed quia *oculi Domini super iustos, ut eruat a morte,* inquit Psalmus [8], *animas eorum, ut alat*

(*a*) Edd. *his qui.* — (*b*) Edd. *Dicit enim*: (*Cum*). — (*c*) Edd. om. *Quid* — *Evangelium,* pro quo: *doctrinam eius ut patet Matth. V,* (*Nec*).

[1] Cf. 14, 14 et 15, 32; est vero Marc. 8, 2. — [2] Cf. Matth. 14, 14 sq.; Ioan. 6, 2; est vero Marc. 8, 2. — [3] Cf. Matth. 16, 27. — [4] Ps. 85, 13. — [5] Ioan. 6, 2. — [6] Marc. 8, 1. — [7] III Reg. 17, 1 sq. — [8] Ps. 32, 18 sq.

eos in fame; quid egit, ut subministraret quod deficit? Inquit Evangelium: *Convocatis discipulis.* Discipulos enim convocat, ut quid acturus sit, videant. Eius enim testes praeordinati a Deo [1] erant. Discipulos advocat, non ut petat subsidium, sed ut ostendat pietatis praecordium. Ait, inquit Evangelium, eis: *Misereor super turbam.* Ecce affectus misericordiae et pietatis. O Domine Iesu, cum sis immensa misericordia et clementia, ac tua infinita misericordia propter nostram salutem docendam et perficiendam incarnatus es, factus noster frater, caro, amicus et socius; hinc est, quod si te verbo, corde offendamus assidue et opere, in ira tua, quam meremur, continere non valens misericordias tuas [2], inquis, piissime Domine: *Misereor super turbam.* Ad hoc, Domine, de caelo ad nostra infima descendisti, ut miserearis nostri. Et quia id quod es, Domine, abscondere non vales timentibus te, quia pius et misericors es [3], ais: *Misereor super turbam.* Quae, Domine, est haec turba, cuius misereri vis, nisi turba peccatorum, quos ad poenitentiam vocare, te teste [4], venisti? Haec turba sunt fideles tui, quorum assidue misereri dignaris et quibus assidue tuae misericordiae perceptione loqueris: *Misereor super turbam,* proclamando.

2. Fideles tui, Domine, quibus continue tuae misericordiae sinum aperis, ut nullus sit, qui se abscondere possit a tuo calore, tuae misericordiae effectus percipiunt:

Primo in gratiae largitione, praeveniendo, adiuvando, concomitando et consummando, ad finem debitum opera perducendo. — Secundo in tua ad ipsos manifestatione, quae fit beneficiis assiduis, internis illuminationibus, inspirationibus et donorum Spiritus Sancti infusionibus. — Tertio in sequestratione a peccatis, liberando et praeservando; et a mundo, per ipsius abdicationem et affectus remotionem. — Quarto in superatione tentationum a diabolo, carne et mundo immissarum. — Quinto in protectione sollicita, subveniendo, fovendo, regendo et gubernando.

Sexto in immissione consolationum in afflictionibus et doloribus vitae praesentis. — Septimo in condescensione, petita largiendo. — Octavo in advocatione ad sui servitium et famulatum — Nono in fiduciae conceptione accedendi ad ipsum in tempore opportuno. — Decimo in hostis infernalis malitiae depressione, quia *non permittit* ipsum *tentare nos supra id, quod possumus, et facit cum tentatione proventum* [5]. — Undecimo in acceptatione ipsorum in filios et amicos. — Duodecimo in praeparatione caelestis gloriae. Quibus (*a*) indesinenter cum percipiant, tu proclamare, Domine Iesu, vales et dicere: *Misereor,* id est, effectu ostendendo me misereri continue, *super turbam. Misereris omnium, Domine, quoniam omnia potes,* Sap. 11, 24. Sed cur, Domine, in speciali de quibusdam et quorundam misereris? Inquis: *Quia triduo sustinent me, nec habent quod manducent.* Quasi dicat Dominus: Misericordiam meam praecipue consequuntur, qui triduo me sustinent, videlicet in initio, medio et fine (*b*), incipientes, proficientes et perseverantes. Quia, *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* [6]. Qui sustinet me, id est incommoda propter me, eorum miserebor. Et vide, quod tribus terminis probatur homo velut triduo, id est principio, medio et fine; et tunc Christus miseretur reficiendo. Dat Dominus documentum, quod afflictis est compatiendum, quia triduo eum sustinentibus miseretur. Sed vide istius turbae ad Christum devotionem, quod licet corporali inedia vexaretur, tamen cibi spiritualis verbi Dei appetitu et Christi devotione, incommoda libenter sustinebat. Nec mirum, quia ipse Christus *verba* habebat *vitae aeternae* [7], nec ut ipse aliquando *locutus sic est homo* [8]. Quia interne cibo spirituali a Christo reficiebantur, suae scilicet doctrinae, de corporali cibo parum curabant. Nec immerito, quia profecto maior est refectio mentis quam ventris. Magdalena, omnium terrenorum oblita, stabat ad pedes Iesu,

(*a*) Edd. *quae.* — (*b*) As per homoioteleuton om. *incipientes — et fine.* (lin. 37).

[1] Act. 10, 41. — [2] Ps. 76, 10. — [3] Eccl. 2, 13. — [4] Matth. 9, 9, 13. — [5] I Cor. 10, 13. — [6] Matth. 10, 22. — [7] Ioan. 6, 69. — [8] Ioan. 7, 46.

ut audiret verba illius [1]. Beata Thecla tota die stabat sine cibo et immobilis, ut verbum Dei ab ore beati Pauli audiret [2].

Sed cur, Domine, huius turbae tanta miseratione moveris? Inquis: *Quia triduo sustinent me,* quasi (*a*) nihil manducando. *Et si eos dimisero ieiunos, deficient in via* etc. Et hoc secundo patet, quod multi tribus diebus steterant ieiuni nihil comedendo, sed refecti erant solo verbo Christi. Quid inquis, Domine, *si dimisero eos*? Vis tu, Domine, dimittere, quem Pater attraxit [3] et ad te misit? Certe non. *Nam qui venit ad me, non eiiciam foras,* Ioan. 6, 37. Et nullum talem (*b*) *nemo rapiet de manu mea* [4]. Quid ergo non dicis: Dimisero eos ieiunos? Non, inquis, eos deseram (*c*), sed si a me vocati et a Patre ulteriori gratia non firmarentur et roborarentur, quia homo gratia non solum praeveniente indiget sed etiam concomitante et adiuvante, tales proculdubio deficerent in via, id est in praesenti stadio, quae est via perveniendi ad vitam. Dat ergo eis panem, ut videbitur, suae gratiae, quo a ieiunio refocillati, opera possint exercere ad vitam aeternam promerendum. Dicit ergo: *Si dimisero eos ieiunos, deficient in via.* Ratio, quia *sufficientia nostra,* teste Apostolo [5], *ex Deo est;* et ipse dicit [6]: *Sine me nihil potestis facere* Quare necesse est in via praesentis vitae deficere, quos Christus suo auxilio dimittit ieiunos.

Et quid, Domine, pandis ulterius? Certe inquis: « *Quidam eorum de longe venerunt* [7] ». Secundum litteram nota devotionem et aviditatem audiendi verbum Dei. Nec intercludit eos locorum distantia aut viae longitudo, quin ad audientiam verbi Dei pergant, arguentes Iudaeos, qui habebant in praesentiarum et audire nolebant. Spiritualiter vide, quod Dominus non solum de prope, id est in statu gratiae ad se trahit, gratiam ampliorem infundendo, sed a longe, id est peccatores, ut ipsorum misereatur, ipso dicente quod: *Non veni vocare* (*d*) *iustos, sed peccatores,* ut dictum est, ad poenitentiam, Matth. 9, 13, condonans ex hoc confidentiam peccatoribus omnibus, de longe ab ipso manentibus, eorum miserendi; propter quod super talium turbam dicit: *Misereor.* Sed peccator in praesenti stadio non debet differre ad Christum accedere, tum (*e*) quia incertus de vita, tum quia Christus misereri et indulgere semper astat paratus, et suam misericordiam prope et longe stantibus impartiri. Sequitur: *Responderunt ei discipuli sui: Unde istos poterit quis saturare panibus* in hac *solitudine?* [8] Ex hac apostolorum responsione evidenter datur intelligi, quod ante Spiritus Sancti insufflationem, Ioan. 20, 22, et missionem, Act. 2, sancti apostoli de Christo veram fidem non habuerunt. Cum tot et tanta de Christo vidissent, credere debebant, quod ipse, iuxta Psalmistam [9] (*f*), posset tales alere in fame, qui totum mundum sua providentia pascit. Unde si fideles fuissent, dicere debebant Domino: Tu, qui omnia scis et cuncta potes (*g*), facile etiam in civitate et in solitudine et ubique pascere non solum hanc turbam, sed et totum mundum, qui filios Israel per quadraginta annos in deserto pavisti et carnes ad comedendum eis dedisti non una die, sed per mensem, Num. 11, 18 sqq. Tuae sapientiae omnia regenti et gubernanti dimittimus cibationem talium peragendam et perficiendam. Sed quid mirum, si apostoli haesitant in cibatione turbae in solitudine, cum Moyses sic haesitaverit, ut habetur Num. 11, 21 sqq.? Nam ipsi res intoleranda visa est. Praefata Christus apostolis dixerat, ut ostenderet compassionis affectum, et non ut peteret ab eis de subventione consilium vel remedium; ut enim dicit Ioan. 6, 6: *Ipse enim sciebat, quid esset facturus.* Et sequitur: *Et interrogabat eos: Quot panes habetis?* etc. Haec interrogatio non ad ignorantiam pertinet, sed ut eorum responsionis confessione magnitudo declaretur miraculi futuri et ab eo fiendi. Et quia bis Dominus turbam cibare dignatus est, prima vice respon-

(*a*) Edd. om. *quasi.* — (*b*) Edd. *nullus talem*; om. *nemo;* As om. *nemo.* — (*c*) Al *dimiseram.* — (*d*) Al *revocare.* — (*e*) Ed. II om. *tum — vita.* — (*f*) As, Edd. *iuxta dictum Gregorii.* — (*g*) Edd. *vales;* om. *cuncta.*

[1] Luc. 10, 39. — [2] *Acta SS.* Sept. VI, 547. — [3] Cf. Ioan. 6, 44. — [4] Ioan. 10, 28. — [5] II Cor. 3, 5. — [6] Ioan. 15, 5. — [7] Marc. 8, 3. — [8] Marc. 8, 4. — [9] Psal. 103, 10 sqq.

derunt, quod habebant quinque panes et duos pisces, Ioan. 7, 9; et dicit quod puer quidam hos quinque panes habebat et duos pisces. Secunda vice, quod habebant septem panes [1]. De praefatis panibus sua infinita potentia pavit bis turbam. — Sed adverte, quod volendo turbam reficere, in prima vice fecit eos sedere super *fenum viride,* ut dicit Marcus [2] (*a*); secunda vice *super terram* [3]; ut det intelligere, quod qui vult a Domino refici, debet considerare se esse ut fenum, etsi viride, tamen propter brevem vitam, quam in praesenti habet, in brevi arendum (*b*), id est per mortem; quare semper se cogitare debet moriturum. Memoriam mortis a peccato cohibet, ut dicit Scriptura [4]. Debet sedere super terra, id est se terram esse cognoscere (*c*); quare non superbire, sed humiliter in omnibus se habere. *Esurientes* et humiles, teste Maria, Deus replet *bonis; divites* et superbos dimittit *inanes* [5]. Ex parte turbae describitur specialis sessio, sed ex parte Christi additur exemplaris imitatio, et hoc in gratiarum actione; unde subditur in Evangelio, quod *accipiens panes* in manibus, *gratias agens, fregit* etc. [6]. Et alibi dicitur, quod respexit caelum et, gratias agens, fregit etc [7]; dans documentum, quod facies nostrae assidue sunt attollendae ad caelum per caelestium inspectionem et Deo regratiandum pro beneficiorum impensione. Fractis panibus, sequitur, quod Iesus *dabat discipulis suis, ut apponerent, et ipsi apposuerunt turbae* [8]. Per discipulos panis datur turbae, ut miraculum amplius appareat et ut ostendat, quod ubi nobis non suppetit propter peccata facultas ad Christum accedendi, ad sanctos convertamur, quibus mediantibus Dominus panem suae misericordiae nobis largiatur. Dans documentum, quod panis vitae ipse Christus in Sacramento contentus, turbae non datur nec dari debet nisi per Apostolos, id est sacerdotes, quos solos sui corporis, scilicet panis caelestis, constituit dispensatores. Et subditur, quod et *de piscibus* etiam dedit eis; et adiungitur, quod *manducaverunt et saturati sunt* [9]. Sic ergo patet cibatio corporalis turbae facta a Domino tam stupendo et claro miraculo, de quo dicebatur in prima parte huius conformitatis, scilicet: *Iesu turba reficitur.*

3. Verum quia omnis Christi actio potius erat spiritualis quam corporalis, et quos corporaliter reficiebat, saturabat et spiritualiter; videndum est amodo quomodo Dominus Iesus cibat spiritualiter et cibavit turbam. Sed sciendum est, quod in hoc (*d*) sacro Eloquio moraliter loquendo multiplex turba invenitur, quam (*e*) Dominus panibus et pane vario cibat et dignatur reficere.

Et prima turba dicitur et vocatur in peccato degentium, de qua turba dicitur, Num. (*f*) 14, 4 sqq., quod est turba vociferantium, scilicet, sub onere peccatorum et dicentium: *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam* [10]. Quorum vocibus inclinatus et commotus, Dominus cibat hanc turbam pane lacrimarum, ut dicit Psalmus [11], et *pane angustiae et aqua tribulationis*, III Reg. 22, 27. Sed hic panis non solum est quintuplex, sed septuplex, quia septem, quae dat Deus, integrant hunc panem a peccato exire cupientium. Ut enim homo a peccato veraciter exire cupiat et de facto faciat (*g*), nisi Deus tales cibat, id est sua gratia iuvet, exire non possent. Ad hoc ergo, quod homo exeat et exire possit (*h*) a peccato, quinque, immo septem, ut septem panes, dat et largitur. Et primum est peccati cognitio, ut cognoscat quam sit vile peccatum et homo eo sit vilis factus. — Secundum est pudor et verecundatio, ut cognoscendo peccati vilitatem verecundetur in ipso, ut in vilissima re, permanere. — Tertium est horror peccati et detestatio, scilicet peccatum, ut quid immundum et foetidum, abhorrendo. — Quartum dolor et afflictio, considerando

(*a*) Al *magister.* — (*b*) Edd. *exsiccandum.* — (*c*) As, Edd. om. *cognoscere.* — (*d*) As. Edd. om. *hoc.* — (*e*) Al, As add. *vel quas.* — (*f*) As, Edd. *Levit. 14.* — (*g*) Edd. add. *gratia Dei opus est;* et pergunt *et si Deus tales non (cibat).* — (*h*) Edd. om. *et exire possit.*

[1] Marc. 8, 5. — [2] Marc. 6, 39. — [3] Marc. 8, 6. — [4] Eccl. 7, 40. — [5] Luc. 1, 53. — [6] Marc. 8, 6. — [7] Marc. 6, 41; Matth. 14, 19. — [8] Marc. 8, 6. — [9] Marc. 8, 8. — [10] Ps. 68, 2. — [11] Ps. 79, 6.

a quo cecidit, quem offendit, quid incurrit peccato. — Quintum est timor et formidatio. Nisi enim a peccato quis cessat, poenam inferni infligere se comminatur Deus. Dicta quinque possunt esse quinque panes, quibus dicta turba satiatur.

Sed quia turba praefata non solum semel a Christo satiatur quinque panibus praefatis, sed multoties, et sic bis, et consequenter septem panibus, addendo praedictis quinque duo alia requisita, erunt septem panes; quia primum et sextum in ordine est lacrimatio et lacrimarum profluvium, septimum cordis humiliatio: quae praefata omnia fuerunt in Magdalena, prout patet Lucae 7, 37 sqq., quibus ipsam, ut a peccato exiret, Dominus cibare complacuit. Sed addit Dominus pisces duos. Primus est divinae gratiae ulterior subministratio; secundus est divinae misericordiae fiducia et attentatio. Qua cibata et refecta, septem sportae, immo duodecim cophini ex praedictis supersunt.

Verum sicut in numero septenario numerus continetur quinarius et superadditur, sic in numero duodenario septem continentur. Quapropter ostendendo, quod Christus cibat septemplici pane, quare et quintuplici; sic et si superabundant duodecim cophini fragmendorum, merito et sportae septem. Unde in isto passu, si dicitur quod Christus cibat de septem panibus, quare et de quinque; et si de fragmentis duodecim cophini, quare et septem sportae. Licet enim distinctae fuerint cibationes, quia alia fuit de quinque panibus et alia de septem, quia non tamen distinctam facio in praesenti expositionem moralem utrique (*a*), hoc est propter prolixitatem vitandam; unde si dicatur de septem panibus et duodecim cophinis, videtur quod satis dixerim pro expositione quinque panum et septem sportarum collectarum.

Ad propositum de panibus septem et duobus piscibus turba prima cibata a Christo, duodecim cophini colliguntur, quia duodecim bona spiritualia tali, quem sic cibat Dominus, proveniunt. — Primum est divinae gratiae nova superinfusio. Secundum est iugis ad Deum deprecatio, ut a peccato eum absolvat. Tertium est sui ipsius ob peccatum abominatio et abnegatio. Quartum continua de poenis inferni tribulatio (*b*). Quintum disciplinarum susceptio. Sextum est peccatorum per confessionem revelatio et detectio. Septimum est ad poenitentiam exercendam dispositio et praeparatio. Octavum divinae misericordiae magnitudinis declaratio, quae fit tali. Nonum est divinae dulcedinis immissae degustatio. Decimum est passionis Christi efficacissimae attentio. Undecimum est ad dimissionem operum diaboli fervoris immissio et concessio. Duodecimum in bono proposito conservatio. Haec duodecim sunt duodecim cophini fragmentorum, quae ex panibus colliguntur et piscibus, et specialiter ex panibus colliguntur; et quia in semetipso praefata quis experitur, si est de ista prima turba benedicta, quam pascit Christus, non aliter praedicta duodecim declaro.

Secunda turba dicitur poenitentium, de qua dicitur, quod hilaritate tota perfunditur, II Paral. 30, 25, quia poenitentia cum magno gaudio (*c*) debet exerceri. Hanc turbam Christus cibat pane hordeaceo, de quo habetur Iudic. 8, 5, qui destruxit castra Madian; quia poenitentia virtutem subvertit diaboli. Hordeum poenitentiam significat, quia hordeum ab extra asperum videtur, tamen interius suavitate repletur, quod utique est in poenitentia. Sed hanc poenitentiam, qui optat recte perficere, debet septemplici pane a Christo cibari. Quia septem sunt ad poenitentiam necessaria, quae sine Christi auxilio et concessione non habentur. Primum est, ut fiat discrete (*d*). Secundum est, ut fiat (*e*) sincere, id est propter Deum. Tertium est, ut fiat rigide quoad victum et vestimentum. Quartum ferventer et non pusillaminiter. Quintum gaudenter, quia non cum tristitia, sed cum laetitia. Sextum, ut fiat timore filiali et non servili. Septimum est, ut fiat perseveranter. — Sed praefatis panibus iungendi sunt duo pisces, qui dantur a Christo: quorum primus est in loco apto permansio; secundus, ut nihil quod agit, putet quod sit pro suo peccato digna Deo satisfactio.

(*a*) Edd. *utique;* As, Edd. om. *hoc est.* — (*b*) Edd. *formido.* — (*c*) Al om. et in marg. postea add. *animo.* — (*d*) As, Edd. *discreta* et sic deinceps *sincera.... rigida.* — (*e*) Al om. *ut fiat.*

Qui ergo talibus a Christo cibatur, de praefatis duodecim cophinos recolligit fragmentorum, quia ex poenitentia duodecim bona operantibus ipsam proveniunt. Etsi de praefatis plura sint dicta conformitate VIII huius II libri [1]: Primus cophinus et fructus sive bonum est Deo reconciliatio: patet de Ninivitis, Ionae 2, 11 sqq. Secundum bonum de diaboli manibus liberatio. Tertium est angelorum laetificatio, Lucae 15, 10. Quartum est imaginis reparatio; aufer rubiginem de argento, et egredietur vas purissimum. Quintum divini furoris placatio: patet de Achab et Manasse [2]. Sextum est poenae aeternalis et temporalis dimissio, Ezech. 18, 21 sqq.: *Impius, si poenitentiam egerit* etc., *omnium iniquitatum eius non recordabor.* Septimus cophinus et bonum (*a*) est ab inferno evasio. *Nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis* [3]; ergo per oppositum. Octavus cophinus et bonum est divinae sententiae revocatio. *Si populus hic poenitentiam egerit, agam et ego poenitentiam super malum, quod cogitavi, ut facerem eis,* Ier. 18, 8. Nonus est Spiritus Sancti impetratio, Act. 2, 38: *Baptizetur* etc. et poenitemini etc. *et recipiet Spiritum Sanctum.* Decimus est hominis sanctificatio. Multi latrones poenitentia sanctificati sunt, ut patet de abbate Mutio, Moyse Aethiope, Taisi, Maria Aepyptiaca [4], et sic de aliis. Undecimus est virtutum, scilicet humilitatis et aliarum, infusio et adeptio. Duodecimus est coeli apertio, Matth. 4, 17: *Poenitentiam agite, appropinquabit enim regnum caelorum.* Sic ergo patet, quod duodecim cophini et consequenter septem sportae fragmentorum, id est donorum, colliguntur ex pane, quo Christus cibat spiritualiter secundam turbam poenitentium.

Tertia turba, quam Christus cibat, est turba incipientium, scilicet, bonum agere, quia etsi non magnis peccatis Deum offenderint et consequenter poenitentia non indiguerint, volunt tamen Domino potius servire quam mundo. Et ista est turba intenta, I Paral. 6, 1 sqq., ad quae sunt opera fidei (*b*) perficienda et cognoscenda; et istos pascit pane subcinericio, de quo habetur III Reg. 19, 6, scilicet propriae considerationis suae fragilitatis, quia haec consideratio summe est necessaria Deo volenti servire, quae a solo Deo datur et largitur. Qua consideratione a Domino homini infixa, Deus septemplici pane talem cibat, quia inspectione sui facit te Dominus septem abdicare, videlicet: Primo mundi divitias. Secundo omnem mundi pompam. Tertio carnis delicias. Quarto mundanas scientias. Quinto suam propriam voluntatem. Sexto facit amare sui contemptum. Septimo appetere omnia amplecti, quae ante abhorrebat. Haec septem velut septem panes ab ipso pane subcinericio, id est cognitione propriae fragilitatis procedunt (*c*); quo pane haec tertia turba a Christo cibatur. Pisces vero duo sunt, scilicet recta intentio et a diaboli insidiis praeservatio.

Ex praefatis panibus et piscibus colliguntur duodecim cophini fragmentorum. Primus est a peccato praeservatio. Secundus est occasionis peccandi substractio. Tertius est virtutis ad resistendum peccato collatio. Quartus est affectionis sanatio. Quintus est divinae ultionis in peccati punitione retardatio. Sextus de indulgentia obtinenda spes et certificatio. Septimus est peccatorum indulgentiae condonatio, non ulciscendo, nec improperando. Octavus est cordis (*d*) munditiae concessio. Nonus est contra hostes vigoratio. Decimus est bonorum praesentium contemptus. Undecimus ad aeterna anhelandi accensio (*e*). Duodecimus vitae aeternae obtinendae subarrhatio.

Dicti duodecim cophini possunt esse duodecim (*f*), quibus Christus incitat incipientes ad bonum. Primum est Deus ipse, qui est summum bonum; ut enim Deum adipiscatur bonum, debet quisque principaliter et ultimate operari. Secundum Christi cogitatio, qui pro bono operando mori voluit. Tertium est beatae Mariae et sanctorum, qui bonum operati sunt, inspectio. Quartum est temporis praesentis vitae brevitas. Quintum est multorum ma-

(*a*) Hic et infra As, Edd. *septimum,* om. *cophinus et bonum.* — (*b*) As, Edd. *Dei.* — (*c*) As *prosequuntur;* Edd. *proveniunt.* — (*d*) As, Edd. *corporis.* — (*e*) Al *attentio.* — (*f*) As add. *bona.*

[1] Supra p. 199 sqq. — [2] III Reg. 21, 27 sqq.; II Paral. 33, 12 sqq. — [3] Luc. 13, 5. — [4] *Vitae Patrum,* P. L. 73, 1419 sq.; 661 sq.; 671 sqq.

lorum mundi evasio et vitatio, scilicet boni operatione. Sextum mundi labilitas, quia omnia deficiunt. Septimum est angelorum societas, quae tali conceditur in praesenti et in futuro. Octavum diaboli pravitas, quae sic operando vitatur et superatur. Nonum inferni vorago, quae declinatur. Decimum paradisi propago, quae adipiscitur. Undecimum est labor brevis. Duodecimum est vitae aeternae felicitas.

Quarta turba, quae a Christo pascitur, est turba proficientium, quae graditur de virtute in virtutem, et ista est turba, quae sequitur Christum, Ioan. 6, 2. Istam turbam pascit pane quotidiano, quem petimus a Deo nobis quotidie dari, scilicet suae gratiae singularis, quia *Deus*, teste Apostolo, Philip. 2, 13, *operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate.* Gratia ista et panis est divinum adiutorium ad proficiendum. Christus hanc turbam septemplici cibat pane, quia septem modis nos adiuvare dignatur. Primo inspiratione interna. Secundo exemplorum ostensione; ostendens per exempla sanctorum, quomodo est in bono proficiendum et prosequendum. Tertio gratiae subministratione. Quarto Scripturae sanctae lectione, in qua invenitur omnis ad virtutes profectus et ascensus. Quinto fraterna allocutione; ipse dulcis Dominus in suo sancto Evangelio tibi pandit, qualiter proficere habeas et debeas. Sexto conscientiae incitatione; synderesi assidue movet et ad bonum prosequendum impellit. Septimo iudicii sui comminatione; qui per totam diem non laborant et possunt, non accipiunt praemium. Pisces vero sunt sui auxilii a nobis ex se nunquam substractio et assidua incitatio et excitatio, dicens [1]: *Surgite et orate* etc.

Quibus panibus haec turba cibata a Christo, duodecim cophini colliguntur. Quia qui cupit in bonum proficere, Christum super omnia optat sequi, quem cupienti prosequi se Christus in duodecim praetendit imitandum, videlicet: Primo quoad mundi abdicationem, quia sicut (*a*) Christus nihil habuit, Matth. 8, 20: *Vulpes foveas habent et volucres caeli nidos; Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet.* Secundo quoad sui abnegationem, ipso dicente, Matth. 16, 24: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum* etc. Tertio quoad carnis macerationem, quam ostendit in sui circumcisione, progressu ad Aegyptum et continua laboris tam in discurrendo quam praedicando assumptione. Quarto quoad poenitentiae exhibitionem; volens enim poenitentiam praedicare, Matth. 4, 2, primo ipsam exercuit in deserto, quadraginta diebus et quadraginta noctibus ieiunando. Quinto quoad patientiae susceptionem; omnia ipsum vilificantia et dicta sunt et facta, et iuxta dictum Petri, I Petri 2, 23: *Cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur* etc. Sexto quoad exercitium et operationem, Psalmus [2]: *Operatus est* nostram *salutem* etc. Septimo quoad obedientiae subiectionem; fuit obediens Patri, Matri, Ioseph [3] et crucifixoribus. Octavo quoad humilitatis perfectionem, Philip. 2, 7 sq.: *Humiliavit semetipsum,* et quantum et quomodo? *Exinanivit semetipsum* etc. Nono quoad virtutum induitionem et perceptionem: *Ipse est Dominus virtutum* [4]; in vita eius relucet paupertas, temperantia, prudentia, iustitia, fortitudo, puritas et sic de aliis virtutibus, unde per eminentiam dicitur a Psalmista: *Dominus virtutum.* Decimo quoad orationem; teste Evangelio, dimittebat turbas et ibat ad orandum in desertum locum et pernoctabat in oratione [5]. Undecimo quoad totalem sui mortificationem; sicut ipse per passionem fuit totaliter in corpore exstinctus, sic talis moriatur totaliter mundo et Christo cum apostolo Paulo [6] vivat. Duodecimo quoad caelestium meditationem assiduam et contemplationem (*b*); Iesus quotidie docebat Apostolos de regno Dei. Haec sunt illa, in quibus cupiens ad profectum spiritus pervenire, debet Christum conari prosequi, in quibus vita Christi summarie consistit. — Quia ergo ex praefatis septem homo incitatur ad proficiendum in bonum, Iesus se eidem ostendit bonum haberi

(*a*) Edd. *sic.* — (*b*) Edd. om. *assiduam et contemplationem.*

[1] Luc. 22, 46. — [2] Ps. 73, 12. — [3] Luc. 2, 51; 23, 32. — [4] Ps. 23, 10; 45, 8; 58, 6. — [5] Marc. 1, 35; Luc. 6, 12. — [6] Gal. 2, 19 sq.

et ad ipsum proficere, habito ipso Christo per imitationem, *quia sine me,* inquit, Ioan. 15, 5, *nihil potestis facere.* Quibus per gratiam Christi habitis, in tali proficiente reperiuntur praefata duodecim, quae velut fragmenta panis Christi duodecim cophinos colligendos omni se exponunt. O quot et quanti cophini, id est fructus ex ista imitatione Christi colliguntur! Respice sanctorum ipsum imitantium vitas, quorum omnium virtutum dona, merita et gratiae ab arbore Christo et vita emanarunt.

4. Quinta turba, quam pascit Christus, est agonizantium, id est contra diabolum pugnantium (*a*); et haec est turba, cui miseretur Christus, quae est sine pastore, Matth. 10, 6: videlicet, nisi ipsam Christus sua pietate regeret contra diabolum ac defensaret. Sed hanc turbam diabolus, quantum in se est, pascit *pane tribulationis, et aqua angustiae* potat III Reg. 22, 27; quia ipsam multipliciter tentationibus quatit et vexat Habet enim mille artes ad tentandum Sed duos principes habet singulares et amicos, scilicet carnem et mundum, cum quibus contra bonum agere volentes dimicat continue. Caro enim pugnat delectationibus sensualibus, pulchritudinibus corporalibus, otiositatibus et quandoque adversitatibus corporalibus. Mundus pugnat divitiis, deliciis, honoribus, statibus, et sic de similibus. His duobus instrumentis, id est principibus, quasi omnes diabolus superaret et vinceret, nisi Christus turbam hanc agonizantium suo pane, id est auxilio et sua protectione, cibaret et defenderet. Hic est panis, de quo dicit Psalm.: *Panis cor hominis confirmat* [1]. Sed hic panis est septuplex, quia Christus dimicantibus (*b*) diabolum multis viis (*c*) auxilium impendit et praestat, ut sic agonizantes vincant. — Primum est suae gratiae prae solito impensio. Hanc dedit Apostolo, II Cor. 12, 9, dicens: *Sufficit tibi* contra stimulum etc., *Paule, gratia mea.* — Secundum est suae citharae pulsatio: David, id est Christus, citharam, id est suam passionem, ad mentem talium adducendo, spiritum nequam expulit, ut habetur I Reg. 19, 9 sq. — Tertium est capitis serpentis contritio. Mulier, id est sensualitas sive ratio, conterere debet caput serpentis, iuxta documentum Dei, Gen 3, 15. Caput conteritur, id est superbia per veram humilitatem; humilitate enim diabolus vincitur et tentatio superatur, prout abbas Antonius de caelo accepit, ut eius pandit Legenda [2]. Caput etiam serpentis conteritur, si in principio tentationis eius viriliter resistatur, ut dicit Gregorius Et Psal.: *Beatus, qui tenebit et allidet parvulos eius* (*d*) *ad petram* [3], id est Christum, ut omnem confidentiam in eum proiiciat. Nam ipse est, qui pugnat pro nobis, ut habetur Exod. 14, 25, et Rom. 8, 21: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* — Quartum est suae sapientiae infusio et largitio. Facit enim te cognoscere diaboli insidias et laqueos. Sapientia vincit malitiam, Sap. 7, 30. Sapientia Christus diabolum superat et expellit, Matth. 4, 3 sqq. — Quintum est divina confortatio, dicente Ier. 20, 11: *Dominus mecum est quasi bellator fortis, idcirco qui prosequuntur me, cadent et infirmi erunt.* Dominus dicit Iosue, Ios. 1, 6: *Confortare et esto robustus.* Et sic dicit Danieli, Dan. 10, 12. — Sextum est refrenatio virium daemonum. Diabolus Iob voluit ad libitum impugnare et quantum potuit, sed Deus hoc non concessit (*e*) sibi. I Cor. 10, 13: *Fidelis est Deus, qui non permittit vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum* etc.. — Septimum est angelorum custoditio. Psal. [4]: *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te* etc. Dominus misit angelum Raphaelem, ut Tobiam custodiret et liberaret a daemone nomine Asmodaeo etc., Tob. 8, 3; et IV Reg. 6, 16, Elisaeus loquens de Angelis missis ad sui custodiam, inquit puero suo: *Noli timere, plures enim nobiscum sunt, quam cum illis.* Ecce his septem modis, quasi septem panibus Dominus adiuvare agonizantes contra diabolum et pascere dignatur. — Addit etiam duos pisces, quorum

(*a*) As, Edd. *dimicantium.* — (*b*) As, Edd. *dimicantes contra diabolum.* — (*c*) Edd. *viis adiuvat ut sic.* — (*d*) Edd. *suos.* — (*e*) Ed. II om. *concessit — qui (non permittit.)* Edd. *permittet.*

[1] Ps. 103, 16. — [2] Vit. Patrum, (P. L. 73, 41). — [3] Ps. 136, 9. — [4] Ps. 90, 11.

primus est indesinens Dei protectio, dicente Isaia 41, 10: *Ne timeas, quia ego tecum sum.* Secundus est proventus et utilitatis ex tentatione consideratio, de qua statim dicetur in collatione ex isto pane duodecim cophinorum. Quae si diligenter meditetur, subire libenter facit omnem tentationem et ferre gratulabunde.

Praefatis ergo hac turba cibata a Christo, duodecim cophini ex fragmentis huius panis colliguntur, quia duodecim bona homini ex tentatione et eius superatione proveniunt. — Et primum est eruditionis, Eccl 34, 10: *Qui non est tentatus* (*a*), *pauca recognoscit.* Iudicum 3, 1 habetur: *Hae sunt gentes, quas reliquit Dominus, ut in his erudiret Israelem.* — Secundum humiliationis. Gregorius: Dum vitia nos tentant, proficientes in nobis virtutes humiliant. Paulo tentatio carnis data est ad humiliationem, II Cor. 12, 7. — Tertium negligentiae et torporis expulsionis. Glossa super Psal. [1]: *Proba me, Domine et tenta me;* ideo dicit *tenta,* quia nisi tentaret, negligentes essemus. — Quartum ad virtutem additionis (*b*). Seneca: Multum adiicit sibi virtus lacessita. — Quintum in bono sui conservationis. Gregorius [2]: « Nisi Psalmista per tribulationes se melius servare noscet, non diceret: *Proba me, Domine, et tenta me* ». Idem: « Cum tentamur vitiis, divina dispensatione nobiscum agitur, ne virtutibus, quibus proficimus, extollamur ». Apostolus dicit, I Cor. 12, 7: *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meae, angelus Satanae* etc. — Sextum virtutis hominis notificationis; Deut. 13, 3: *Tentat vos Deus noster, ut palam fiat, utrum diligatis eum an non.* — Septimum populi aedificationis; Tob. 2, 12 dicitur, quod *hanc tentationem Dominus permisit illi evenire, ut posteris daretur exemplum patientiae eius.* — Octavum honorationis. Christus dixit Antonio [3]: Quia mirabiliter dimicasti, in toto orbe faciam te nominari. — Nonum quietationis. Ex tentatione provenit quies tentato, quia amplius ab illo, quem superat, non molestatur (*c*), prout dicit Origenes. — Decimum est securationis. et sequitur ex promisso. — Undecimum est Dei glorificationis; Psalmus [4]: *Eruam te et honorificabis me.* — Duodecimum est coronationis; Iacob 1, 12: *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se.* Sic ergo patet, quomodo Dominus Iesus quintam turbam cibat.

Sexta turba est devote viventium. De hac dicitur, Matth. 21, 8, quod sternit *vestimenta sua,* id est omnia supponit divinae voluntati et servitio Christi. Hanc autem turbam Dominus noster Iesus Christus pascit pane vitae, id est seipso, Ioan. 6, 35; quia ipse est, qui de caelo panis vitae descendit. Et hoc in sacramento facit sui corporis pretiosi et sanguinis quotidie, in sacramento altaris fideles reficiendo et cibando. Et quia de hoc plene dicetur conformitate I libri III, hic succincte aliqua tangam. Hoc admirando pane et stupendo Dominus cibando nos, vult quod in comedendo ipsum, septemplici pane, id est septem considerationibus primitus cibemur et reficiamur.

Prima firmissimae credulitatis, ut ubi dato, quod ratio non suppeteret, quae tamen adest, nihilominus credatur veraciter ipsum esse dominicum corpus et sanguinem suum. — Secunda, ut diligenti attentione intrinseca attendantur mira (*d*) huius sanctissimi panis vitae, ut corpus et anima sacratissima (*e*) cum Domini divinitate credatur et veneretur, et de aliis in hoc sacramento contentis, de quibus loco iam praefato plenius dicetur. — Tertia cum omni supplici reverentia hoc altissimum sacramentum veneretur, tractetur et assumatur. — Quarta ut summo stupore attendatur, quae in isto sacramento fiunt et facta sunt, ut tam vilis substantia, utpote panis insensibilis et vini, in corpus dominicum transeat et sanguinem, et sic de aliis. Et hoc totum fit pro hominis utilitate et commodi-

(*a*) Edd. *tentatur.* — (*b*) Al *adductionis.* — (*c*) As, Edd. *inquietatur.* — (*d*) As *intra;* Ed II add. *alias intra.* — (*e*) Al, As *animam sacratissimam.*

[1] Ps. 25, 2. — [2] Moral. l. VIII, c. X (P. L. 75, 813). — [3] *Vitae Patrum, Vit. B. Ant.* c. 9 (P. L. 73, 132). — [4] Ps. 49, 15.

tate. — Quinta, largitatis divinae penset magnitudinem et motivum, quia non partem sed totum Christus se nobis tradit et exhibet. — Sexta, ut cogitando, quod hic est panis Angelorum datus hominibus, cogitet quanta est disparitas inter suscipientes, utpote inter beatos et viatores, electos et peccatores; ac per sumptionem huiusmodi cibi, sicut par efficitur caelestibus, sic et in aliis velit esse conditionibus. — Septima, ut quicumque contingat ad huius cibi refectionem adire, quia hic cibus non trahitur in substantiam manducantis, sed manducantem potius trahit in suam copulationem et adhaesionem, studeat taliter disponi, ut merito sicut membrum verissimum et saluberrimum ac per omnia conforme Christo, quem sumit, inveniatur. Et sic huius cibi sumptio non ad iudicium erit et condemnationem, sed potius ad auxilium in praesenti et gratiam, et in fine sumentis felicissimam consummationem. — Et tali praefatis panibus diversarum meditationum cibato, duodecim cophinos Christus proponit ex sui corporis sumptione, quia duodecim fructus digne percipienti largitur. De quibus in his versibus datur notitia:

Inflammat, memorat, sustentat, roborat, auget
Hostia; spem purgat, reficit, vitam dat et unit;
Conformatque, fidem munit, fomitemque remittit.

De his plene vide libro III conformitate I. Sic ergo patet, quomodo Dominus Iesus Christus sextam turbam, scilicet hominum devotorum, pascit et cibat.

Septima turba, quam Dominus Iesus Christus pascit et cibat, est turba contemplantium. Quae turba venit audire Iesum, Matth. 20, 29, scilicet mirabilia in contemplationem facientem et mirabiliter ipsam pane, qui de caelo descendit, reficientem. Sed hic contemplationis panis non datur nisi a Deo et Domino nostro Iesu Christo, quia praeparativa, conservativa et quae ipsa obtinentur (*a*), a Domino Deo tribuuntur. Panis iste septiformis, quo Dominus hanc turbam cibat quoad praeparationem

Primus est iste: est vitae activae exercitatio, cum finis activae, dicentibus doctoribus, sit vita contemplativa. *Absalon duobus annis stat in Ierusalem et faciem regis non videt,* II Reg. 14, 28, quia prius in activa debet homo stare et demum ad hanc transire. Moyses prius descendendo peragebat quae erant populi, et deinde alta Sinai ad contemplandum Deum ascendebat [1]. Ipse idem prius oves pascit et demum, desertum intrans et montem ascendens, Deum audit ad se loquentem, ut patet Exodi 3, 1 sqq. — Secundus panis est cordis mundatio. Aaron sancta sanctorum non intrabat [2], nisi prius lotus et mundus. Matth. 5, 8, dicit Salvator: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Aegyptiaca pravitate et macula dimissis, deserta intrat Israeliticus populus, audit Deum et videt eius magnalia, Exodi quasi per totum. — Tertius panis est a consortio hominum remotio et solitudo. Eliae apparet angelus in solitudine et ab omnibus sequestrato in monte Horeb., III Reg. 19, 5. Cum enim secundus et tertius gradus contemplationis fiat in imaginatione et in intellectu, oportet ab omnibus sensibus separatum esse, prout dicit Augustinus XII *Super Genesim ad litteram* [3]. — Quartus panis, tribulationis amplexus laetificus et cum gaudio perceptio. Stephanus in tribulatione positus, *vidit gloriam Dei,* Act. 7, 55; Ioannes Evangelista, in Patmos insulam relegatus, vidit visiones Dei, prout dicit liber Apocalypsis [4]. — Quintus panis est silentii custoditio. Magdalena condemnata a Pharisaeo, tacet [5]; sic interpellata a sorore apud Dominum, Lucae 10, 40; condemnata pro effusione unguenti a discipulis, tacet, et sic peragendo ad pedes sedet Iesu et eius verbum audit, Matth. 26, 8. Thren. 3, 26 dicitur: *Bonum est praestolari cum silentio salutare Doi nostri.* — Sextus panis mor-

(*a*) As *in ipso continentur.*

[1] Exod. 19, 1 sqq. — [2] Exod. 30, 19 sqq. — [3] Est pot. *De Gen. contra Manichaeos,* l. II, c. 12 (P. L. 34, 205). — [4] Apoc. 1, 9 sq. — [5] Luc. 7, 39.

tificatio hominis est. Adam dormit, cum vidit mirabilia, Gen. 2, 21. Sic et Iacob cum vidit scalam, cui Dominus stat innixus, Gen. 27, 11 sq. — Septimus panis est sacra et indesinens oratio. Lucae 3, 21: *Iesu orante aperti sunt caeli.* Oratio enim est elevatio mentis in Deum, prout dicit Augustinus. — Sed panibus hic adduntur duo pisces. Quorum primus est Dei pro impensis collaudatio; Psalm.[1]: *Sacrificium laudis honorificabit me, et illic iter est, quo ostendam illi salutare Dei.* Secundus est sub omnibus humiliatio. Bernardus: Superbo oculo Deus non videtur. Qui se humiliat, ad hunc contemplationis apicem sublevatur, ut pie creditur in Maria matre Domini esse factum.

His igitur panibus et piscibus reficitur a Christo turba contemplantium; quibus praemissis in apice constituta contemplationis et pane hoc caelesti, id est caelestibus concesso, cibata, Dominus vult quod de fragmentis huius panis duodecim cophini colligantur, quia Dominus ostendit tali quanta sit excellentia huius panis ab aliis praecedentibus. Panis hic contemplationis, est: Primo melior, quia Deo intendit; praecedentes vero sibi vel proximo. Secundo clarior; *Lia, lippis oculis,* sed *Rachel,* id est contemplatio, *facie decora,* Gen. 29, 17. Tertio pulchrior, quia *facies eius decora,* Cant. 2, 14. Quarto securior ad comedendum (*a*). *Omnes* enim contemplationis *semitae sunt pacificae,* Prov. 3, 17. Quinto quietior; Maria domi sedet, sed Martha sollicita est, Luc. 10, 40 sq. Sexto iucundior; Augustinus[2] dicit exponens illud, Luc. 10, 41: *Martha, Martha sollicita es.* « Intenta erat Martha, quomodo pasceret Iesum Dominum »; sequitur: « A Martha convivium Domino parabatur, in cuius convivio iam Maria iucundabatur ». Septimo permanentior et diuturnior; Lucae 10, 42, dicit de hoc pane Dominus: *Maria meliorem partem elegit, quae non auferetur ab ea* in aeternum. Octavo devotior, nam panis est unctionis; Maria unxit caput et pedes Domini, Lucae 7, 37 sq. Nono est familiarior; Ioannes Evangelista familiarior caeteris apostolis Christo fuit, Matth. 27, 7, per quem, Augustino teste, vita contemplativa designatur. Decimo pretiosior; unde omnia, quae desiderantur, huic non valent comparari. Insuper rarior, quia in paucis invenitur. Undecimo caelesti similior, sicut contemplativa vita vitae caelesti similior reperitur. Duodecimo, quia panis iste optatione debet esse optabilior ut finis prae aliis, quia cuncta fieri debent, ut ad hanc vitam quis in praesenti perveniat et demum in futuro. Ecce cophini, qui ex fragmentis huius benedicti panis colliguntur. Et sic patet quomodo Dominus dictam turbam pascit.

5. Octava et ultima turba est in patria residentium; de qua dicitur, Apoc. 7, 9, quod ipsam *dinumerare nemo poterat.* Sed hanc Dominus pascit, iuxta dictum Psalmistae[3], *pane Angelorum,* quia vita angelica omnes sancti in patria pascuntur, quia angelis sunt similes gradu et beatitudine. Sed quia de huiusmodi pane, quo victitantur (*b*), dicetur libro III conformitate XXVIII, quando erit sermo de gloria Christi et beati Francisci, hic tangam succincte. Iste panis, quo in patria degent (*c*), etsi sit ipsa sancta Trinitas, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, cum ipsarum personarum trium visione, fruitione, tentione ac omnium optatorum et optandorum adeptione, et sic septuplex perficitur panis iste, id est beatitudo principalis in patria residentium; attamen panis ipse, id est actus ipse beati circa Deum, sibi beatifice obiectum et praesentatum, erit septuplex, quia septem notabilibus conditionibus ordinatus. — Primo erit inexcogitabilis, quia non potest cogitari, ut quis videat, sicuti erit, Deum et creatorem (*d*). — Secundo erit invariabilis, id est semper erit actus circa idem obiectum, etsi forte non idem omnino actus. Quia Augustinus sub dubio dicit: Fortasse non erunt ibi volubiles cogitationes etc. — Tertio incircumvelabilis, quia nulla ma-

(*a*) As **commendandum;** tunc Al **pacificatae.** — (*b*) Edd. **nutriuntur** — (*c*) Edd. **vivitur.** — (*d*) Al, As **creaturam.**

[1] Ps. 49, 23. — [2] *Sermo* 104 (al. *de verb. Dom.* 27) c. 1 (P. L. 38, 616). — [3] Ps. 77, 25.

cula obfuscabitur (*a*), quin semper videatur Deus et quae sunt de essentia suae beatitudinis. — Quarto irremissibilis, quia actus ille nunquam diminuetur, sed semper stabit uniformis. — Quinto interminabilis, quia nunquam finietur. — Sexto insatiabilis, quia nunquam satiabitur, quin semper Deus visus velit a beato videri, et semper tamen videbitur. — Septimo infatigabilis, quia nec de (*b*) videndo aut de (*b*) fruendo erit labor aut taedium videre beatis. Praefatis igitur hic panis integratur. Potest etiam dici, quod huic benedicto pani duo pisces sunt addendi, quia duplex est beatitudo. Essentialis, quam habent beati nunc in patria residentes; et accidentalis, quae consistit in pluribus extra visionem divinam, quam, etsi omnium adeptione beati nunc non habeant, ipsam tamen post iudicium habebunt integre et perfecte.

Quo pane et piscibus satiata, haec turba habuit in caelesti patria ultra praefata velut duodecim cophinos ex praefatis resultantes, etsi ad beatitudinem accidentalem potius referenda sint quam ad essentialem. Et sunt haec: Primum est pulchritudo; *Fulgebunt iusti sicut sol,* Matth. 13, 43. Secundum est plenitudo; *Rerum omnium abundantia perfruetur,* Deut. 8, 9. Tertium est valitudo; Apoc. 7, 17, 21, 4: *Absterget Deus omnem lacrimam* etc. Quartum est fortitudo; Eph. 4, 13: *Donec occurramus in virum perfectum* etc. Quintum est quietudo; Psal. [1]: *Posuit fines tuos pacem.* Sextum est limpitudo; I Cor. 13, 12: *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem.* Septimum dignitudo; Coll. 3, 4: *Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso* (*c*) *in gloria.* Octavum sensuum satietas; Psalmista [2]: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Nonum voluntatis libertas; habebit agilitatem ad exsequendum et impassionem ad volendum et subtilitatem. Decimum securitas; *Sedebit populus meus in multitudine pacis, in tabernaculis fiduciae et in requie opulenta,* Isa. 32, 18. Undecimum iucunditas (*d*); Isa. 35, 10: *Laetitia sempiterna super capita eorum* etc. Duodecimum est perpetuitas; quia regnabunt cum Deo in saecula saeculorum. Ecce duodecim cophini, id est duodecim quae beatitudinem intregrant beatorum non essentialem sed accidentalem, quae plenarie habebunt post resumptionem corporum. Et sic patet, quomodo haec ultima turba cibatur a Domino Iesu Christo. De qua cibatione quia dicetur conformitate IX libri III, ad praesens dicta sufficiant. Ex praedictis ergo patet Domini Iesu misericordia, quia turbam pietate et misericordia motus et corporaliter refecit et spiritualiter, prout indicant praelibata.

Patet ergo, quomodo in ista cibatione corporali creatorem rerum se ostendit in rerum multiplicatione, gubernatorem in subventione, recreatorem in cibatione; ac aliquando non posse deficere, qui totus et totaliter se Domini Iesu offert manibus et inhaeret, qui sit benedictus in saecula. Amen. Et sic patet ergo prima pars declararata, videlicet: **Iesu turba reficitur.**

Secunda pars duodecimi fructus et conformitatis secundi libri, et vigesimae quartae in ordine, videlicet:

Franciscus ministrator.

Expositio.

Laudata et commendata in prima parte huius XII conformitatis pietate ac misericordia Domini Iesu Christi, ac ipsa tam stupendo miraculo demonstrata, videlicet cibatione tot milium personarum; nunc consequenter restat videre, quomodo ipse benignus Dominus noster Iesus Christus in hac virtute similem beatum

(*a*) Edd. *obfuscabit.* — (*b*) Edd. *in.* — (*c*) Al *Christo.* — (*d*) As, Ed. II *iucunditatis.*

[1] Ps. 143, 3. — [2] Ps. 16, 15.

Franciscum sibi reddidit et conformem. Circa cuius partis expositionem erunt duo breviter videnda: et primum, quomodo beatus Franciscus Christo in affectu pietatis et misericordiae fuit eidem (*a*) similis; secundum, quomodo in affectu largitatis fuit sibi conformis, de paucis multos cibando.

1. Circa primum sciendum, quod beatus Franciscus se habere ingenitam misericordiam et pietatem multipliciter ostendit.

Primo, ut dicit *Legenda trium sociorum* [1] et *Legenda maior* parte I [2]: Inerat namque Francisci praecordiis divinitus indita quaedam ad pauperes miseratio liberalis, et cum largus esset in dando cuilibet, ad seipsum conversus aliquando inquit: « Ex [3] quo largus es et curialis apud homines, a quibus nihil recipis nisi favorem transitorium et inanem, iustum est, ut propter Deum, qui largissimus est in retribuendo, pauperibus sis curialis et largus ». Libenter igitur ex tunc videbat pauperes, tribuens eis eleemosynas affluenter ». « Unde [4] semel cum negotiationis intentus tumultibus pauperem petentem eleemosynam vacuum repellisset, statim ad cor reversus currit post ipsum et, eleemosyna sibi data, promisit Domino Deo, quod nunquam ex tunc, si possibilitas afforet, petentibus pro amore Domini se negaret ». Quod promissum usque ad mortem servare non destitit.

Secundo patet misericordia beati Francisci et miseratio in militis induitione, de quo in I parte *Maioris legendae* [5] habetur, quod ipse beatus Franciscus « decentia, quae sibi de novo praeparaverat indumenta, militi pauperi, quem reperit male vestitum, pio miseratus affectu dedit et, se nudato, vestivit ».

Tertio patet ex panum in mensa positione, ex *Legenda trium sociorum* [6]. Nam patre absente et ipso solo cum matre remanente, « mensam implebat panibus et cum a matre interrogaretur de causa, respondit, quod hoc faciebat pro eleemosynis pauperibus dandis, eo quod proposuerat omni petenti pro Deo eleemosynas elargiri. Quo audito, mater eum diligens, in talibus tollerabat ».

Quarto patet ex leprosorum benefica visitatione. « Visitabat enim, in habitu saeculari adhuc exsistens, ut dicit I pars *Maioris legendae* [7], leprosorum domos, quibus (*b*) benefica pietate humilitatis et humanitatis obsequia praestando, eis liberaliter eleemosynas erogando, et cum multo compassionis affectu manus eorum osculabatur (*c*) et ora ».

Quinto omnium rerum sibi obvenientium largitione patet. Ut enim in VIII parte *Maioris legendae* dicitur [8]: « Nulli rei prorsus parcebat, nec mantellis nec tunicis nec libris nec paramentis altaris, quin omnia haec, dum posset, ut pietatis impleret officium, indigentibus largiretur ».

Sexto patet ex affectu compassivo ad omnes miseros, ut dicitur in VIII parte *Maioris legendae* [9]: « Afflictis qualicumque molestia corporali mira compassione et teneritudine condescendens, si quid penuriae, si quid defectus in aliquo cerneret, pii cordis dulcedine regerebat in Christum. Sane clementiam habebat ingenitam, quam superinfusa Christi caritas duplicabat. Itaque liquescebat animus eius ad pauperes et infirmos, et quibus non poterat manum, exhibebat affectum ».

(*a*) Edd. om. *eidem*. — (*b*) Edd. *eis*. — (*c*) As, Edd. *osculando*.

[1] C. 1 n. 3. — [2] C. 1 n. 1. — [3] *Leg. 3 soc.* l. c. — [4] *Leg. Mai.* l. c. — [5] C. 1 n. 2. — [6] C. 3 n. 8. — [7] C. 1 n. 6. — [8] C. 8 n. 5. — [9] L. c.

Septimo patet ex rerum intrantium distributione. Volebat enim, quod intrantes ordinem sua pauperibus erogarent, dicens [1]: « Si vis Christi pauperibus iungi, mundi pauperibus tua distribue ». Et sic fecerunt fratres antiqui, ut patet de fratre Bernardo de Quintavalle [2], fratre Petro Cathanii et sic de aliis, prout dictum est libro I conformitate VIII [3] et libro isto II conformitate VI [4]. Unde, ut habetur in *Legenda maiori*, parte VII [5]: « In Marchia quemdam repulit ab ordinis ingressu, qui sua non pauperibus sed parentibus dederat ».

Octavo patet ex rerum sibi datarum procuratione. Multoties non pro se, sed pro aliis procurabat, ac quae acquisierat dabat, scilicet pannum, mantellos, panem et vinum, prout VI conformitate huius II [6] est dictum. Panem et vinum mendicatum ab ipso, latronibus misit, prout conformitate XI libri I [7] est dictum, in Tractatu *de provincia sancti Francisci.*

Nono patet ex singulari dilectione ad animas, Christi sanguine pretioso redemptas. Nam, ut dicitur in VIII parte *Legendae* [8]: « Cum cerneret inquinari aliqua sorde peccati, tanta miserationis teneritudine deplorabat, ut eas quasi mater in Christo quotidie (*a*) parturiret ». Et hac de causa praedicatores verbi Dei [9], qui lingua et vita ad poenitentiam peccatores inducerent, omni reverentia honorandos censebat et eos omni benedictione accumulabat. Et oppositum peragentes suae maledictionis vinculo et totius caelestis curiae innodabat, prout dicit *Legendae maioris* VIII [10] pars.

Decimo patet ex creaturarum vocatione, ut dicit VIII pars *Legendae maioris* [11]: « Consideratione quoque primae originis omnium abundatiori pietate repletus, creauras quantumlibet parvas fratris vel sororis appellabat nominibus, pro eo quod sciebat eas unum secum habere principium ».

Undecimo ex creaturarum irrationabilium ad ipsum amore patet (*b*). Nam animalia bruta, volatilia, natatilia atque animalia immitia, prout tactum est conformiate I (*c*) huius II [12], et in VIII parte *Legendae maioris* [13] habetur, ut ad misericordissimum et piissimum accedebant, stabant et nullatenus abibant, etiam dimissa in propria libertate. Quia (*d*) enim beatus Franciscus tantae dulcedinis fuit, ut domaret (*e*) erocia, domesticaret silvestria, mansueta doceret et brutorum naturam homini iam apso rebellem ad sui obedientiam inclinaret.

Duodecimo patet ad fratres benigna (*f*) condescensione (*g*). Nam fratri, nimia abstinentia periclitanti, ut dicit V pars *Legendae maioris* [14], mensam posuit et prius cibum sumendo, ut verecundiam tolleret, ipse comedit; sic et fratrem infirmum ducendo ad vineam, prius ipse uvas comedit [15]. Sic puerum, qui ad ipsum observandum iverat, inveniendo terrae collapsum pro (*h*) visione, in ulnis ut propriam oviculam portavit ad cellam [16]. Multa alia possent adduci de pietate beati Francisci et sua

(*a*) Al *continue.* — (*b*) Edd. om. *patet.* — (*c*) Codd., Edd. *conf. II.* — (*d*) Edd. om. *quia.* — (*e*) Edd. II (III) *domando.* — (*f*) Edd. *ex benigna;* om. *patet.* — (*g*) Edd. prosequuntur *ut supra patuit de fratribus, altero prae debilitate deficiente, altero infirmo ex uvarum comestione sanato et de puero qui ex terrore visionis semianimis iacebat, ipsum enim (in ulnis).* — (*h*) As *prae.*

[1] *Leg. Mai.* c. 7 n. 3. — [2] A F IV, 179 sq. — [3] A F IV, 180 sqq. — [4] Supra p. 159 sqq., — [5] C. 7 n. 3. — [6] Supra p. 174 n. 4. — [7] A F IV, 506. — [8] *Leg. Mai.* c. 8 n. 1. — [9] II Cel. II, 122 (al. III, 99), 163. *Testament. S. Francisci, Opuscula,* p. 78 sq. — [10] C. 8 n. 2. — [11] C. 8 n. 6. — [12] Supra p. 13 sq. — [13] C. 8 n. 6 sqq. — [14] C. 5 n. 7. — [15] II Cel. II, 123 (al. III, 100) 176. — [16] *Actus,* c. 19; supra p. 84 n

misericordia; et quia multa sunt facta in praecedentibus conformitatibus istius libri II [1], ideo ad praesens non replico (*a*), quia praefata satis ostendunt, quomodo beatus Franciscus in pietatis et misericordiae affectu fuit Christo similis; quod erat primum videndum pro huius secundae partis huius XII conformitatis declaratione (*b*).

2. Videndum est ergo, quomodo in cibatione multorum, meritis beati Francisci a Deo facta, fuit ipsi Domino nostro Iesu Christo conformis. Et primum hoc ostendens est id, quod habetur in principio IV partis *Legendae maioris* [2]. Nam, confirmatione primae regulae habita, cum versus vallem Spoletanam cum undecim sociis suis reverteretur et « iam lassati essent ex diuturnitate laboris et esurientes in quodam loco substitissent, cum omnis via et modus eis deesset, quibus sibi possent providere, statim affuit divina providentia. Subito eis (*c*) apparuit quidam homo afferens panem in manu, quem pauperculis Christi dedit, subitoque disparuit, incognitus unde venerit vel quo ierit ». Quod cernentes socii beati Francisci, « magis dono liberalitatis divinae quam cibo carnis propriae sunt refecti ».

Secundum id ostendens et declarans est quando capitulum generale celebravit in planitie Assisii apud sanctam Mariam de Portiuncula; ubi, ut dicit IV (*d*) pars *Legendae maioris* [3]: « Licet esset omnium necessariorum penuria, fratrumque multitudo ultra quinque milia, divina tamen opitulante clementia, et victus sufficientia subfuit (*e*), et salus corporalis concomitata, ac spiritualis iucunditas super omnia affuit inter eos ». Et quia non aliter tangit dicta pars hoc insigne miraculum, *Antiqua Legenda* [4] hoc refert in hunc modum: « In quodam generali capitulo, quod beatus Franciscus apud Sanctam Mariam de Angelis celebravit, congregati sunt ibi ultra quinque milia fratrum », et, sicut alibi habetur, quingenti fuerunt ad profitendum novitii. Cui capitulo « etiam affuit beatus (*f*) Dominicus, pater ordinis Praedicatorum, cum septem fratribus. Affuit etiam dominus Ugolinus cardinalis », qui fuit tunc protector ordinis et postea, ut beatus Franciscus eidem praedixit, Papa Romanus, vocatus dominus Gregorius nonus, qui beatum Franciscum catalogo ascripsit sanctorum. « Et cum curia Papae tunc esset Perusii, dictus cardinalis studiose venit Assisium et omni die veniebat ad videndum beatum Franciscum, et quandoque cantabat missam, quandoque praedicabat et faciebat sermonem fratribus. Cum autem veniebat visitare illud sanctum collegium et videret illos in campo turmatim ad sexaginta, ad centum, ad trecentos sedentes in collocutione divina, aut in oratione et lacrimis aut in exercitiis caritatis (*g*), et cum tanto silentio, quod nullus penitus erat rumor vel strepitus, admirans de tanta multitudine, ut *castrorum acie ordinata* [5], cum lacrimis et magna devotione dixit: « Vere castra Dei sunt haec ». Non enim audebat aliquis inter eos fabulas dicere seu truffas, sed ubicumque congregabantur, vel orabant vel plorabant vel aliqua de salute animae loquebantur. Et habebant ibi in campo loca distincta per turmas, de carticinis (*h*) in circuitu et supra; unde propter hoc vocatum est capitulum (*i*) de carticinis (*h*). Lecti vero erant terra nuda vel modica palea; cervicalia autem lapides vel ligna. Propter quod erat cunctorum tanta devotio, quod

---

(*a*) As, Edd. *repeto.* — (*b*) As, Edd. om. *pro huius — declaratione.* — (*c*) As, Edd. *enim;* om. *eis.* — (*d*) Edd. *I pars.* — (*e*) Edd. *affuit.* — (*f*) As, Edd. *sanctus;* (Al corr. ex *sanctus).* — (*g*) Edd. om. *caritatis.* — (*h*) Al, Edd. *caricis;* As *canicis.* — (*i*) Edd. add. *illud.*

---

[1] Supra p. 129 sqq. — [2] C. 4 n. 1. — [3] C. 4 n. 10. — [4] *Actus,* c. 20. — [5] Cant. 6, 3, 9.

ex curia domini Papae ibi propinqua, multi comites et barones, duces et milites, cardinales etiam cum episcopis et clericis personaliter, et nobiles cum popolaribus concurrebant, ut viderent tam sanctam multitudinem et humilem congregationem, quam mundus de tot sanctis hominibus nunquam simul et semel (*a*) habuit similem; ad videndum etiam venerabile caput ipsorum, beatum Franciscum, qui tam pulchram praedam mundo rapuerat et tam devotum gregem ad pascua Christi dirigebat. Congregatis autem omnibus, surrexit sanctus pater, pastor et venerabilis dux, Franciscus, et in fervore spiritus illi beato gregi verbum vitae proposuit voce altisona et tubali, quod (*b*) sibi unctio divina infundebat. Et istud thema proposuit: « Magna promisimus, maiora promissa sunt nobis. Servemus haec, aspiremus ad illa. Brevis voluptas, perpetua poena. Modica passio, gloria infinita [1] ». Et super haec devotissime praedicando (*c*), hortabatur omnes ad poenitentiam et obedientiam sanctae matri Ecclesiae, ad suavitatem caritatis fraternae, ad orandum pro universo populo sancto Dei, ad patientiam in adversis, ad munditiam et castitatem angelicam (*d*), ad pacem et concordiam cum Deo et hominibus, ad humilitatem et mansuetudinem cum omnibus, ad mundi contemptum, ad ferventem zelum evangelicae paupertatis, ad sollicitudinem et vigiliam sanctae orationis et divinae laudis, ad iactandum totam curam animae et corporis in pastorem bonum et nutritorem animarum nostrarum et corporum, Dominum Iesum Christum benedictum. « Et propter hoc melius observandum, praecipio vobis fratribus omnibus hic congregatis in meritum obedientiae salutaris, quod nullus curam vel sollicitudinem habeat aliquam de aliqua re comestibili aut potabili, aut de aliquibus aliis necessariis corporum; sed solum intendatis orationi et laudi Dei, omnem curam proiicientes in Christum, quoniam ipsi est specialis cura de nobis (*e*) ». Et ita fecerunt omnes, hilari animo ad orandum currentes. Sanctus autem Dominicus, qui ad hoc praesens erat, admirans de mandato quod fecerat beatus Franciscus, et reputans eum indiscrete procedere, eo quod praecepit in tam magna multitudine, ut nullus haberet curam de rebus necessariis corpori, aestimabat (*f*) in tam magna multitudine inconvenientiam debere contingere. Sed Dominus Iesus Christus volens ostendere, quod ipse singularem curam gereret de tam caris ovibus et suis pauperibus, statim ispirando, *facta est manus Domini super* [2] Perusinos, Spoletanos, Fulginenses, Spellenses, Assisinates et cunctas circum adiacentes terras (*g*), et veniebant cum asinis et mulis et equis oneratis pane et vino, fabis et caseo et omnibus bonis, quibus putabant illos beatos pauperes indigere et uti (*h*). Insuper portabant tobaleas (*i*) et vasa magna et parva et quidquid utensilium opus esset; et beatum se putabat ille qui devotius et attentius eis servire posset et in omnibus illi beatae multitudini necessaria studiosissime providere. Vidisses ante illum coetum sanctorum milites et nobiles devotissime servientes. Vidisses ibi clericos et devotos (*k*) fideles more domicellorum undique discurrentes. Vidisses adolescentium (*l*) floridam iuventutem cum tanta instantia ministrantes, ut viderentur non pauperculis fratibus sed apostolis Domini nostri Iesu Christi servientes. Quae omnia cum sanctus Dominicus cerneret et divinam providentiam vere ibi cognosceret, humiliter redar-

(*a*) Al om. *simul et semel.* — (*b*) As, Edd. *quam.* — (*c*) Edd. *praedicans.* — (*d*) Al *evangelicam.* — (*e*) As *vobis.* — (*f*) Al postea add. *enim.* — (*g*) As, Edd. *civitates et castra.* — (*h*) Edd. om. *et uti.* — (*i*) Al *tabulas.* — (*k*) Al *dev. servientes... discurrere.* — (*l*) As *adolescentiam.*

[1] Cf. II Cel. II, 144 (al. III, 121) n. 191. — [2] III Reg. 18, 46.

guens semetipsum de iudicio indiscretionis (*a*) praedicto quod fecerat, genuflectens beato Francisco dixit humiliter culpam suam et ait: « Vere Dominus habet curam de istis sanctis pauperculis, et ego nesciebam. Unde ex nunc promitto servare sanctam paupertatem evangelicam, et maledico ex parte Dei omnes fratres de ordine meo, qui in ipso ordine habere proprium praesumpserint ». Fuit enim (*b*) beatus Dominicus valde aedificatus de fide beati Francisci et de providentia divina et copia abundantissima omnis rei. Nam sicut (*c*) sanctus verus et sapiens, Deum fidelissimum advertit in omnibus verbis suis; quia sicut agri virgulta crescere facit Deus et lilia, et sicut pascit caeli volatilia, sic suis pauperibus cuncta praebet necessaria. In illo autem capitulo fuit dictum beato Francisco, quod multi fratres portabant loricam ad carnem et circulos ferreos, propter quod multi infirmabantur, et impediebantur multi orare, et aliqui moriebantur. Unde ipse, sicut dulcissimus pater et pius, praecepit per obedientiam omnibus, quod quicumque haberent loricas et circulos ferreos, in conspectu eius deponerent. Et inventae sunt bene quingentae loricae, et circuli ferrei brachiorum et ventris in tanta multitudine, quod fecerunt unum magnum acervum; quae omnia fecit (*d*) relinqui. Post haec beatus sanctus pater (*e*) Franciscus, docens et consolans universos, et instruens quomodo de praesenti saeculo nequam evaderent, cum benedictione Dei et sui cunctos consolatos remisit in diversas mundi partes (*f*) ».

Tertium demonstrans propositum est, de quo dicit IX pars *Legendae maioris* [1], quod cum beatus Franciscus sexto conversionis suae anno, desiderio martirii flagrans, ad partes Syriae ad praedicandum fidem Saracenis navem conscendisset, ventis contrariis flantibus, compulsus est in Sclavoniae partibus applicare. Et cum ibi moram aliquamdiu contraxisset (*g*), nec invenire posset tunc temporis navem transfretantem, fraudatum se suo desiderio sentiens, nautas quosdam Anconam tendentes, ut amore Dei cum secum ducerent, exoravit. Verum illis propter expensarum defectum pertinaciter recusantibus, vir Dei plurimum de bonitate Dei confisus (*h*), navem cum socio latenter ascendit. Affuit quidam a Deo, ut creditur, pro paupere suo missus, qui secum necessaria victus ferens, quemdam timentem Deum de navi ad se vocatum sic allocutus est: « Haec omnia pro pauperibus in navi latitantibus conserva fideliter et necessitatis tempore amicabiliter subministra ». Sicque factum est, ut nautis propter vim ventorum per dies plurimos nusquam applicare (*i*) valentibus, omnia ipsorum consumarentur cibaria et solae beato Francisco eleemosynae collatae superessent. Quae cum essent permodicae, tantum divina virtute susceperunt augmentum, ut diebus pluribus in mari propter tempestatem continuam contrahentibus (*k*) moram, usque ad portum Anconae omnium necessitatibus plenarie subvenirent. Quod videntes nautae per beati Francisci merita maris et famis pericula evasisse, Deo gratias egerunt, qui se semper in suis servis et amicis mirabilem ostendit et amabilem ».

Quartum referens propositum est illud, de quo in *Legenda* habetur *antiqua* [2]. « Cum enim annuatim capitulum generale apud Sanctam Mariam de Portiuncula ce-

(*a*) Al *indiscreto*. — (*b*) As *ergo;* Edd. *igitur*. — (*c*) Edd. *sic*. — (*d*) As, add. *eos;* Edd. *qui... eos relinquere*. — (*e*) Al *beatus;* om. *pater*. — (*f*) As *provincias*. — (*g*) As, Edd. *traxisset*. — (*h*) As, Edd. *confidens*. — (*i*) Al *navigare*. — (*k*) As, Edd. *trahentibus*.

[1] C. 9 n. 5. — [2] *Leggenda antica,* c. 42 n. 4, ubi vero alia recensio.

lebraretur Assisii, contingit semel post capitulum generale celebratum cum fratre Monaldo, qui postea vidit beatum Franciscum in capitulo Arelatensi, praedicante beato Antonio de titulo crucis fratribus in aere in crucis modum extensum benedicentem [1]. Cum ergo cum dicto fratre Monaldo remansissent ultra triginta fratres, qui diversas orbis partes adire debebant, beatus Franciscus volens cum eis caritatem facere, mandavit ut mensa pararetur (*a*). Et mensa posita, cum soli tres panes in loco essent inventi, beatus Franciscus eos accipiens in manibus et gratias agens Deo, incepit frangere et fratribus dare. Qui divina virtute et operatione in manibus beati Francisci excreverunt in tantum (*b*), quod de tribus panibus sufficienter omnes fratres praefati refecti sunt et plura frusta panis sunt recollecta, quam essent tres panes praefati appositi ». Quod miraculum fratres cernentes, in observantia paupertatis et religionis sunt ferventissime animati, cernentes Deum per beati Francisci merita eos tam stupendo miraculo refecisse.

Quintum ostendens propositum est id, quod etiam habetur in *Legenda antiqua* [2]. « Nam cum beatus Franciscus ad burgum Sancti Domini de Lombardia de nocte cum multis fratribus pervenisset et fratrum ad locum divertisset, et cum (*c*) famesceret una cum sociis, petiit a fratribus loci illius de pane sibi et sociis dari. Sed cum fratres omnia quaesissent, ubi panis stare consueverat, nec aliquid de pane reperissent, nec castrum (*d*), quia clausum erat, de nocte possent intrare, reversi ad beatum Franciscum responderunt, de pane nihil adesse. Quod audiens beatus Franciscus dixit praefatis: « Vadatis ad locum, ubi panis poni consuevit, et canistrum plenum panibus invenietis ». Qui praecepta patris implentes, cum admiratione multa canistrum plenum panibus invenerunt. Et deferentes beato Francisco, comedit ipse cum sociis, laudans Deum et glorificans una cum ipsis ».

Sextum declarans propositum est id, quod beatus Franciscus egit in loco Fontis Polumbae [3] de prope Reate, ubi (*e*) medicum, saepe ad se venientem ob infirmitatem oculorum, invitari fecit a fratribus. Cum tamen fratres nihil haberent ad apponendum eidem, et tamen divina providentia mulier, statim ut mensam intraverunt, affuit portans quae ad prandium erant necessaria copiose; quo viso tam medicus quam fratres valde sunt mirati. De hoc dictum est conformitate VI istius II libri. — Pluribus aliis exemplis posset deduci, quomodo Dominus Iesus Christus beatum Franciscum in cibatione multorum miraculose sibi fecit conformem; sed praedicta sufficiant.

Sic ergo praefatis apparet beatum Franciscum fuisse viscerosum pietate, ac ipsius precibus et meritis, cibum Deum misisse suis fratribus, panes multiplicasse ac panes dedisse et cibum, ubi humana providentia haberi non poterant (*f*). Sic ergo praedictis apparet declaratio secundae partis huius XII conformitatis, videlicet: *Franciscus ministrator*.

(*a*) As, Edd. *poneretur*. — (*b*) Edd. *ita;* As om., tunc *et* pro *quod*. — (*c*) As, Edd. *ac* om. *cum*. — (*d*) As *claves*. — (*e*) Edd. *cum... fecisset a fratribus nec quidquam haberent quod ei posset apponi, divina providentia servo suo Francisco, ut superius dictum est, praesto fuit. (Pluribus)*. — (*f*) Edd. *poterat*.

---

[1] *Leg. Mai.* c. 4 n. 10. — [2] Cf. A F IV, 523. — [3] Supra p. 178, l. 12 sqq. *Specul. Perf.* Sabatier, c. 110; II Cel. II, 15 (al. II, 13) n. 44.

FRUCTUS ET CONFORMITAS DECIMA TERTIA ET IN ORDINE VIGESIMA QUINTA: Iesus Vita Spectabilis. — Franciscus Operator.

Expositio primae partis, videlicet: **Iesus vita spectabilis.**

Iesus noster Salvator et Dominus cum sit *lux mundi,* Ioan. 8, 12, *Dominus virtutum* Psal. 23, 10, nec ei datus spiritus *ad mensuram,* Ioan. 3, 34, et *magister verax,* Matth. 22, 16, habitetque in ipso *omnis plenitudo divinitatis* [1], ac consequenter sit omnis perfectionis exemplar in monte positum, Exod. 25, 40; hinc est, quod vita fuit et est spectabilis, mirabilis (*a*), virtuosa et imitabilis, nec quisquam alius ab ipso, sicut nec gratia potior, sic nec vita fuit perfectior. Quo sequitur, quod si in aliis virtus aliqua veraciter, utpote in sanctis, vel fuerit solum apparenter et in imagine, sicut in philosophis et in hominibus gentilibus et paganis; in Christo, ut in virtutum principio et perfectionis omnis origine, omnis ornatus fuit virtutum et cuncta ad virtutem spectantia. Et ut clarius idipsum inspiciatur, videndum est:

Primo de virtutibus, quibus multi homines usque in hodiernum diem commendantur, et demum (*b*) de virtutibus Domini Iesu; et tunc apparebit, quod Christus, ut homo, est *Dominus virtutum.* — Et pro primi evidentia est advertendum, quod de hominum virtutibus contingit loqui dupliciter: primo de hominibus, quos sacra Scriptura et fides catholica virtuosos appellat; secundo de his, quos Gentiles florere (*c*) virtutibus censuerunt.

1. Quantum ad primum, Scriptura sacra diversos de virtutibus varie commendat. Adam, primum patrem omnium, commendat de omnium notitia et cognitione, Gen. 2, 19; nomina omnibus animalibus, ut ipsorum notitiam habens, imposuit. Abel de innocentia, quia innocenter occisus, Gen. 4, 8 sq. Enos de humili ad Deum supplicatione; *incepit* enim *invocare nomen Domini* [2]. Enoch de Dei amicitia; *ambulavit cum Deo et Deus eum tulit,* Gen. 5, 24. Noe de iustitia; nam fuit vir iustus coram Domino, Gen. 6, 9. Abraham de obedientia; mandato Domini de terra sua exivit, Gen. 12, 1 sqq., et filium immolare Deo voluit, Gen. 22, 10. Isaac de meditatione; in agrum *ad meditandum* exibat, Gen. 24, 63. Iacob de sollicitudine, Gen. 31, 40; a cuius *oculis somnus fugiebat.* Ioseph de carnis continentia; dormire (*d*) enim cum uxore domini sui negavit, Gen. 39, 7 sqq., ipsa eum ad hoc petente et cogente. Moysen de mansuetudine, Num. 12, 3. Aaron de devotione; *stans* enim *inter mortuos et viventes deprecatus est* Dominum *pro populo,* Num. 16, 48. Phinees de zelo; placuit enim Dominum occidendo peccatores, Num. 25, 8. Iosue de hostium Domini prostratione, Iosue 12, 7. Samsonem de fortitudine, Iudic. 15, 14. David de humilitate; II Reg. 6, 22: *Vilior fiam plus quam factus sum, et ero humilis in oculis meis* etc. Salomonem de sapientia, ut habetur II Reg. 10, 24: *Universa terra desiderabat audire sapientiam eius.* Iosaphat de religione, II Paral. 19, 3 sqq. Ezechiam de dilectione ad Deum; nam *fecit, quod placitum est in oculis Domini,* II Paral. 29, 2. Manassen de poenitentia; egit enim poenitentiam valde coram Domino, II Paral. 33, 12. Iosiam de observantia mandatorum divinorum, ut patet II Paral. 34, 2. Eliam de fervore, III Reg. 19, 10 sqq., Eccli. 48, 1; fuit enim, ut facula ardens, et zelo zelatus est, pro Domino Deo exercituum. Elisaeum de mundi contemptu; qui relictis cunctis secutus est Eliam;

(*a*) As, Edd. *misericordia mirabilis.* — (*b*) Edd. *secundo.* — (*c*) As *flores;* Edd. *floruisse.* — (*d*) As, Edd. *commisceri;* Al tunc om. *ipsa—cogente.*

[1] Col. 2, 9. — [2] Gen. 4, 26.

III Reg. 19, 20. Isaiam de dono prophetiae; Isaiae per totum. Ieremiam de compassione, ut patet Thren. 1, 1 sqq. Ezechielem de mentis sublevatione, Ezech. 1, 1 sqq. Danielem de abstinentia, Dan. 1, 8 sqq. Iob de patientia, Iob. 1, 10 sqq. Tobiam de misericordia, Tob. 1, 3. Oniam de clementia, II Mach. 3, 32 sq. Esdram de divinae legis instructione, I Esdr. 7, 6. Nehemiam de affectione bona ad populum; Nehemiae per totum. Iesum Sirach de prudenti eloquentia; Ecclesiastici per totum. Iudam. Machabaeum de divinae legis defensione, I Mach. 3, 1 sqq. Multos alios sacra Scriptura commendat, ut patet in eius librorum serie; sed de praefatis ad praesens sufficiat.

Antiqui gentiles mire de virtutibus quosdam suorum extulere; et quia Valerius Maximus de pluribus talium scribit commendando [1], pro praesenti nostro negotio eius dicta referam in commendationem multorum, quos laude dignos ob. virtutes notavit. Hic illustris vir Valerius multos laudibus extollendo, ob virtutum probitatem prae multis infrascriptos commendat, videlicet antiquos Romanos de parsimonia et abstinentia: « Vini usus olim Romanis mulieribus seu feminis ignotus fuit, ne scilicet in aliquod dedecus prolaberentur, quia proximus a Libero patre intemperantiae gradus ad inconcessam Venerem esse consuevit [2] ». Et subdit in alio capitulo de hominibus: « Fuit etiam illa simplicitas antiquorum in cibo capiendo humanitatis simul et continentiae certissima index, nam maximis viris prandere et cenare in propatulo verecundiae non erat ». Rationem subdit: « Nec sane ullas epulas habebant, quas populi oculis subiicere erubescerent. Erantque adeo continentiae attenti, ut frequentior apud eos pultis usus esset quam panis». Et subdit notabile verbum: « Bonae valetudinis eorum quasi quaedam mater erat frugalitas, inimica luxuriosis epulis et aliena nimiae vini abundantiae et ab immoderato usu Veneris aversa »: libro II de institutis antiquis [3] cap. 5 (*a*). — De patientia Marcum Marcellum, de quo libro IV rubrica *De moderatione* capitulo 8 [4] dicit, quod cum esset Consul Romanorum sustulit (*b*) patienter, quod Siculi de ipso in senatu conquererentur, ac iussos ab urbe discedere a Laevino, in consulatu collega, remanere voluit (*c*) ut suae defensioni interessent et coegit, ac sententia data a senatu contra eos in suam clientelam clementer excepit. — De animo grandi Alexandrum commendat Magnum, de quo libro VI rubr. [5] *De graviter dictis aut factis* cap. 8 (*d*) [6], dicit quod Alexander ita nobilem vocem edidit, Dario duobus praeliis superato « virtutem eius experto, atque animo ex parte regni Tauro tenus monte et filiam in matrimonium cum decies centum milibus talentum pollicente; cum Parmenion dixisset: si Alexander esset, usurum se ea conditione, respondit: « Et ego uterer, si Parmenion essem »; vocem duabus victoriis respondentem, dignamque cui tertia, sicut evenit, tribueretur, atque haec quidem et animi magnificentia (*e*) et prosperi status ». — De animi continentia commendat Xenocratem philosophum, lib. IV rubr. 3 cap. 23, ubi ponit quod a Phryne, nobili meretrice cum ipso iacente, non potuit ad libidinem adduci. Quae derisa a iuvenibus inquit: de homine et non de statua pignus posuisse. Nec a divitiis regis Alexandri potuit corrumpi. Nam legatos Alexandri cum talentis eidem tradituros (*f*) cum in Academia modico apparatu recepisset ad cenam, et postero die interrogantibus legatis: cuinam annumerari pecuniam ab Alexandro transmissam vellet, inquit: « Non intellexistis ex (*g*) hesterna cena ea me non indigere »? Ita rex philosophi amicitiam emere voluit, sed philosophus regi eam vendere noluit.

De astutia commendat Valerius Brutum Iunium, lib. VII rubr. 3 *De vafre dictis aut factis* cap. 3. Qui a rege Tarquinio Superbo, avunculo, ne interficeretur ut frater suus

(*a*) Codd. Edd. *c. 28.* — (*b*) Edd. *sustinuit.* — (*c*) Edd. om. *voluit.* — (*d*) As, Edd. *cap. 12.* — (*e*) Edd. *magnifici.* — (*f*) Edd. *tradendis.* — (*g*) As, Edd. *me,* quod postea repetunt.

[1] In suis *Dictorum factorumque memorabilium libr. IX,* locis infra cit. — [2] L. c. Lib. II, c. 1 n. 5. — [3] L. c. l. II, c. 5 n. 5. — [4] Alias l. IV, c. 1 n. 7. — [5] Al. l. VI, c. 4 (part. II) n. 8. — [6] L. c. rubrica correspondet capiti aliarum editionum.

fuerat et alii, obtusi se cordis esse simulavit, ac profectus Delphos ad Apollinem Pythium cum Tarquinii filiis, qui (*a*) consulentes Apollinem, quisnam ex ipsis regnaturus videretur et penes quem summa urbis Romae potestas futuram, respondit, quod is qui ante omnes matri osculum dedisset; Brutus de industria lapsus in terram, ipsamque, communem omnium matrem existimans, osculatus est. Quo Brutus, reges expellendo, urbi libertatem primum tribuit. — De auctoritate commendat Scipionem Africanum, lib. III rub. 7 *De fiducia sui* cap. 3; de quo dicit, quod cum ab eo posceretur ratio de quibusdam administratis, indignatus fuit quod ab eo exigeretur, quamvis haberet apud se librum, ubi totum ratiocinium habebatur, et ait: « Neque puto eo malignitatis ventum, ut de mea innocentia quaerendum sit; nam cum totam Africam potestati vestrae (*b*) subiecerim, nihil ex ea, quod diceretur meum, praeter cognomen retuli. Non ergo me Punicae, non fratrem meum Asiaticae gazae avarum reddiderunt, sed uterque nostrum invidia magis quam pecunia locupletior est ». Et sequitur quod tam constantem Scipionis defensionem populus acceptavit. Et cap. 7 [1] de Scipione Nasica dicit, quod plebe obstrepente, inquit ipse: « Tacete, quaeso, Quirites; plus enim ego quam vos, quid reipublicae expediat, intelligo ». Qua voce omnes plenae venerationis silentio quieverunt. — De severitate in liberos commendat, lib. V rubr. 8 *De severitate in liberos,* Brutum, qui « dominationem regalem a se expulsam reducentes, summum imperium obtinens, comprehensos, proque tribunali caesos et ad palum ligatos, securi percuti iussit ». Et concludit: « Exuit patrem, ut consulem ageret, orbusque vivere, quam publicae vindictae deesse, maluit ». De Cassio idem dicit, quod ob iustitiam filium occidi iussit. — De amore ad patriam commendat, lib. V rubr. 6 *De pietate ad patriam,* Curtium, qui pro liberatione civitatis Romanae in baratrum, quod apparuerat in medio fori, se armis indutum et cum equo, calcaribus stimulato, proiecit; et continuo baratrum clausum fuit. — Commendat etiam de hoc, lib. III rub. 2 *De fortitudine* cap. 2, Horatium Coclitem qui contra impetum Etruscorum se in ponte ponendo defensavit (*c*), et demum se in Tiberim praecipitando evasit. — De clementia commendat, lib. IV rub. 8 *De liberalitate* c. 5, Titum Flaminium Quintum, qui, rege Macedoniae Philippo ab eo superato, omnes urbes Graeciae, quae sub ditione Philippi fuerunt, liberas fecit atque immunes. — De continentia commendat, lib. IV rub. 5 *De verecundia* cap. 7, Spurinam de Tuscia, qui « cum sua pulchritudine et mira specie quam plurium illustrium feminarum oculos sollicitaret, ac viris parentibus earum suspectum se esse sentiret, oris decorem vulneribus confudit, deformitatemque sanctitatis (*d*) suae fidem, quam formam irritamentum alienae libidinis esse, maluit ».

De sufficientia commendat, lib. VIII rub. 16 de his *Quae cuique* (*e*) *magnifica contigerunt,* Gorgiam Leontinum, qui omnes in studiis litterarum praestabat, qui « primus in conventu poscere, qua de re quisque vellet audire, ausus sit. Cuius statuam de auro solido in templo Apollinis Delphici posuerunt, cum caeterorum deauratas ad id tempus collocasset universa Graecia. — De contemptu divitiarum, lib. VII rub. 2 *De sapienter dictis,* commendat Biam, qui, capta sua patria, cum quilibet onustus abiret pretiosarum rerum (*f*), ipse vero nihil secum ex bonis suis ferret, interrogatus cur non faceret, respondit: « Ego (*g*), inquit, bona mea mecum porto ». Et subdit: « pectore enim illa gestabat nec oculis visenda, sed animo aestimanda, quae domicilio mentis inclusa, nec deorum nec mortalium manibus labefactari queunt, et ut manentibus praesto sunt, ita fugientes non deserunt ». — De audacia commendat Pompilium, lib. VI rub. 4 *De graviter dictis aut factis* cap. 7. « Qui missus a senatu ad Antiochum regem, ut ab Aegypti et Ptolomei recederet infestatione, et rex occurrendo ei dexteram suam porrexisset, illi suam porrigere noluit, sed ambassiatam populi Romani ex-

(*a*) Edd. *cum consulentibus... potestas futura esset cum respondisset.* — (*b*) Edd. *nostrae.* — (*c*) Edd. *sustinuit,* prius om. *contra.* — (*d*) Al *sanitatis.* — (*e*) Al, As *quaecumque.* — (*f*) Edd. *pretiosis rebus.* — (*g*) Edd. *Ego vero sic facio, omnia enim mea mec.*

[1] L. c. n. 3.

posuit. Et cum rex diceret se cum amicis allocuturum, Pompilius indignatus, virga qua (*a*) insistebat denotavit circulum, dicens Antiocho: « Priusquam hoc circulo excedas, da responsum, quod senatui perferam ». Continuo rex affirmavit fore, ne amplius de se Ptolomaeus conquereretur; attamen demum Pompilius manum eius tamquam socii apprehendit et concludit: « Quantum efficax est animi sermonisque gravitas abscissa. Eodem enim momento Syriae regnum terruit et Aegypti texit ». — De eloquentia commendat Demosthenem, lib. VIII rub. 7 *De studio et industria* cap. 8. Qui « cum inter initia iuventae, artis quam affectabat primam litteram dicere non posset, oris sui vitium tanto studio expurgavit, ut ea a nullo expressius formaretur, vocem suam exilem exercitatione assidua ad maturum et gratum auribus sonum perduxit. Itaque alterum Demosthenem mater, alterum industria enixa est ». — De fama commendat Metellum, lib. II rub. 10 *De maiestate*. Nam tantae fuit famae, quod etsi accusatus fuisset de indebita administratione provinciae, et cum ipse scripturam suae admistrationis monstraret in tabulis, « totum consilium oculos avertit, ne videret scripturam nec tabulas, quia non tantum in tabulis sed in vita Metelli argumenta sincere administratae provinciae legenda subinde crediderunt ». — De fidelitate commendat, lib. III rub. 8 *De constantia,* Blassium, qui fidelissimus Romanis fuit. Nam Salapiam civitatem suam, a Poenorum dominio ereptam mira industria tradidit, Dasio, socio in regimine, prius inimico et demum Romanorum facto amico. — De fortitudine commendat, lib. III rub. 2 *De fortitudine,* multos et praecipue Scaevam (*b*) [1], qui pugnando solus contra quinque milites Britannicos, femore vulneratus, saxi pondere contusus, galea iam ictibus discussa, et scuto crebris foraminibus assumpto, duabus loricis onustus, profundo mari se immisit et natando evasit. — De prosperitate et fortuna commendat, lib. VI rub. 9 (*c*) *De mutatione morum aut fortunae* cap. 21 [2], Polycratem, Samniorum tyrannum. Cuius « omnes conatus placido excipiebantur itinere, cui velle et posse simul in aequo positum erat; annulum quem ad experiendum fortunam in mari proiecerat, statim recuperavit, pisce capto, qui eum devoraverat ». Sed demum ab Oronte Darii praefecto captus, in altissimo montis vertice cruci est affixus. — De amore commendat, lib. V rub. 5 *De pietate ad fratres* cap. 4, Tiberium Imperatorem, qui tanto amore Drusum suum germanum dilexit, quod audiens Ticini, ubi erat, quod ipse in Germania infirmaretur, festinanter Alpes et Rhenum transgressus est, uno solo duce Antabagio (*d*) contentus comite. Drusus vero audiens germanum suum venire, mortali infirmitate decubans, resumptis viribus, iussit legionibus cum suis insigniis venienti fratri occurrere, et Imperatoris honorem ei dari mandavit; eodemque tempore et supremae maiestati cessit et vita excessit.

De gratitudine commendat, lib. V rub. 2 *De gratis* cap. 14, Mithridatem regem, qui « pro Leonico, acerrimo suae salutis defensore, capto navali pugna, omnes captivos hostium permutavit, satius (*e*) esse existimans ab invisissimis (*f*) circumdari, quam bene merito gratiam non referre ». — De humilitate commendat, lib. IV rub. 1 *De moderatione* cap. 1, Valerium Publicolam, qui post expulsionem regalis dominii ab urbe, factus consul totum dominium regium in se translatum minuit et temperavit. « Qui domos suas diruit, quia excelsiore loco positae, instar (*g*) arcis videbantur habere ». Et subdit, quod « quanto domo inferior, tanto gloria superior evasit ». — De iudicio commendat, lib. VI rub. 3 *De severitate* cap. ultimo, Cambysem, qui « inusitata severitate usus fuit. Cuiusdam enim mali iudicis a corpore pellem detractam sellae (*h*) intendi fecit, in eaque filium eius iudicaturum considere iussit. Atroci enim et nova poena rex barbarus, ne quis postea corrumpi iudex posset,

(*a*) As, Edd. *cui*. — (*b*) Codd., Edd. *Scaevolam*. — (*c*) Codd., Edd. *rubr. XI*. — (*d*) Codd., Edd. *Antegabio*. — (*e*) Edd. *sanius*. — (*f*) As *ab invilissimis* (sic); Ed. II add. *alias vilissimis*. — (*g*) Edd. *similitudinem*. — (*h*) Al, As; Ed. I *sellae;* Edd. II *felle alias melle*.

[1] L. III, c. 2 n. 23. — [2] L. VI, c. 9 (p. II) n. 5.

providit ». — De iustitia commendat, lib. VI rub. 5 *De iustitia* cap. 14, Zaleucum, qui lege condita, ut crimine adulterii reus utroque oculo privaretur, filio crimen praedictum committenti ipsam poenam infligere voluit, sed instantia populi, ut indulgeret eidem, sibi primo unum oculum, secundo filio alterum eruit. Sic se « mirabili temperamento aequitatis inter misericordem patrem et iustum legislatorem partitus est ». De pluribus aliis ibidem Valerius ponit [1]. — De liberalitate commendat, lib. IV rub. 8. *De liberalitate* cap. ult., Gilliam Agrigentinum, scilicet quod domus eius (*a*) quasi quaedam munificentiae officina crederetur (*b*). « Illinc publicis usibus apta monimenta extribuebantur, illinc grata populorum oculis spectacula edebantur, illinc epularum magnifici apparatus, et cum haec universis, privatim alimenta inopia laborantibus, dotes virginibus paupertate pressis, subsidia detrimentorum in cursu quassatis (*c*) erogabantur. Hospites quoque tum urbanis penatibus, tum etiam rusticis tectis benignissime excepti, variis muneribus ornati dimittebantur ». Et post multa de eius liberalitate dicta, concludit: « Quod Gillias possidebat, quasi commune patrimonium erat ». — De studio commendat, lib. VIII rub. 7 *De studio et industria* cap. 2, Catonem, qui octuagesimum agens annum graecis litteris erudiri voluit; sic et latinas iam senex didicit. — De abiectione munerum commendat, lib. IV rub. 3 *De abstinentia et continentia* cap. 7, Marcum Curium, qui oblatum sibi a Samnitibus aurum, respuit dicens: malle se locupletibus imperare, quam locupletem fieri. « Et mementote me nec acie vinci, nec pecunia corrumpi posse». — De patientia commendat multos, lib. III rub. 3, *De patientia,* et specialiter cap. 3 Theodorum virum clarissimum, qui tormentis diu applicitus Hieronymo tyranno consentientes eius neci noluit revelare. — De paupertatis amore commendat multos: lib. IV rub. 4 (*d*), Valerium Publicolam, qui tantae fuit paupertatis et tamen consul romanorum, ut patrimonium eius pro exequiis non sufficeret. Idem de Menenio (*e*) Agrippa et de aliis dicit [2]. — De pietate commendat, lib. V rub. 1 *De humanitate ac* (*f*) *clementia,* Cneum Pompeium Magnum, qui Tigrani a se devicto supplicanti, « diadema, quod deposuerat, reponere imperavit, aeque pulchrum esse iudicans et vincere reges et facere ». Et subdit, quod eius pietas inhumanum eum esse non permisit. — De veracitate Attilium Regulum, qui ad hostes infestissimos Carthaginenses ante maluit redire, indubie ab eis cruciandus, quam sacramentum frangere, quod eis dederat de sua ad eos reversione [3]. — De misericordia commendat Fabium Maximum, lib. 4 rub. 8 *De liberalitate* cap. 2, qui ut captivos redimeret Romanorum, quos Hannibal tenebat, fundum unum quod habebat vendidit, et eos redemit. — De iniuriarum dimissione commendatur a Tullio Iulius Caesar, qui omnium recordabatur, praeterquam iniuriarum. De scientia Aristoteles commendatur. De moribus Socrates, qui maximam partem philosophiae traxit ad mores. De multis aliis dicit idem Valerius libro suo, sed praefata ad praesens sufficiant.

Praefati ergo apud ethnicos et paganos sunt virtute conspicui reputati, qui (*g*) nullo modo ad virtutum Dominum et originem, Christum, sunt assimilandi. Ratio huius est, quia cum patres Veteris Testamenti sanctitate praecipui, ipsi non valent comparari, quare nec dicti omni gratia destituti. Quomodo possunt pagani sanctis Veteris Testamenti similari aut comparari, qui idola coluerunt non Deum, gloriam mundi et famam totis viribus quaerentes, quam illi despexerunt; gratia carentes, qua illi sunt repleti, Dei fidem servantes et mandata, quae illi despexerunt, et nunc in gloria coronati in caelo laetantur; praefati vero in inferno cruciantur? Quare ipsorum virtutes dici non possunt fuisse veraciter, etsi umbram virtutum habuerunt, ut declarat Hugo in suo *Didascalion.* Si ergo Christus (*h*) eis quoquo modo comparetur, etiam de ipso loquendo ut homo est, ad iniuriam magnam esset ipsius.

(*a*) Edd. ***cuius domus.*** — (*b*) Edd. ***videbatur.*** — (*c*) Edd. add. ***solatia.*** — (*d*) Edd. add. ***sed inter alios.*** — (*e*) Al, As ***Nerone.*** — (*f*) Al, As ***aut.*** — (*g*) As, Edd. ***nominati, quare.*** — (*h*) As ***Sic ergo ut Christus;*** Edd. ***Sic ergo Christum... comparando.***

[1] Al. l. VI, c. 5 n. 1-11. — [2] S. IV, c. 4 n. 1-11. — [3] L. II, c. 9 n. 8.

2. Sed quia sancti Veteris Testamenti fuerunt et virtutibus adornati, et Christus secundum corpulentam substantiam carnem traxit ex eis; videndum est, si aliquo modo ipsi valent Domino nostro Iesu Christo ut homini comparari, quia ut Deo certum est, quod nullo modo. — Et certe ipsi Domino Iesu Christo non sunt comparandi. — Primo, quia figuratum potius est figura; ipsi autem figura eius fuerunt, sicut ostensum est conformitate I libri I [1]. — Secundo, quia ipsi Christo spiritus non est datus ad mensuram [2]: *plenus gratia;* ipsi vero acceperut gratiam pro gratia, id est partem. — Tertio, quia Christus plenus *gratiae et veritatis* (*a*), *de cuius plenitudine* ipsi, et *nos,* et *omnes accepimus,* Ioan. 14, 16. — Quarto quia ipse caput [3], nosque membra eius. Membra autem non influunt in caput, sed bene caput in membra. — Quinto, quia omnes salvamur per ipsum et eius fidem; quia ipse solus est Salvator noster, nam et qui praeibant, id est qui nos praecesserunt et nos (*b*), et qui sequebantur, clamant: *Iesu, fili David, miserere nobis;* cuius merita nobis datur gratia et gloria. — Sexto in ipso fuit plenitudo gratiae, qua maiorem Deus ei conferre non potuit. — Septimo, quia in eo fuit gratia creata et increata. — Octavo, quia Deo prae cunctis creatis simul acceptior fuit, et ipse solus placavit Patrem, reddendo quod petebat a genere humano, et reconciliavit nos in suo sanguine. — Nono, quia ipse origo est virtutum et gratiarum. — Decimo est Deus et homo.

Quare nullus sanctus, quantumcumque magnus virtutibus, valet comparari eidem. Cuius enim sancti vita est, in qua, ut in vita ipsius Domini nostri Iesu Christi, sic apparuerit mundi despectio, paupertatis amor, pomparum contemptus, fuga omnis gloriae, amor humilium personarum, humilitas profunda, patientia summa, dilectio fervida, pietas viscerosa? Ibi fulget virtutum ornatus, fortitudo in corde, prudentia in sermone, temperantia in moribus (*c*), iustitia in operibus, zelus ad Dei cultum, sollicitudo in mandatis servandis, fervor ad animas, austeritas in vivendo, mansuetudo in conversando, clementia in suscipiendo, benignitas in condescendendo. Ibi apparet gratitudo in obsecrando, sanctitudo in perficiendo, veracitas in praedicando, efficacia in exhortando, affabilitas in proferendo, severitas (*d*) in iudicando, misericordia in indulgendo, luciditas in agnoscendo (*e*), sapientia in praecipiendo, scientia in praedicando, bonitas in exaudiendo, liberalitas in conferendo, circumspectio in praecavendo (*f*), auctoritas in efficiendo, exemplaritas in vivendo et moriendo, caritas ad persequentes, stabilitas in patiendo, assiduitas in orando, omnium virtutum disciplina in terminando. Ex quibus omnibus, quae in vita fuere Domini Iesu, prout Evangelia attestantur, apparet, quod Dominus Iesus est Rex et *Dominus virtutum;* nec aliquis eidem comparandus. Sicut ergo Christo homini et Deo nullus homo potest comparari, sic nullus in legislatoribus ei similis reperitur: non Moyses, quia eo perfectior scientia, vita, gratia, meritis, populorum directione, informatione et protectione Christus exsistit. Quare nec patriarchae, nec prophetae; et sic de aliis iustis in Scriptura sacra expressis. Quare a fortiori ei comparandus et aequiparandus non est ille spurcissimus hominum Mahometh, Saracenorum caput (et, ut dicunt ipsi, propheta), qui corporis voluptatibus, ut porcus deditus et subiectus, omni dolo plenus et mendaciis, non legis divinae aut politicae lator, sed deceptor mendacissimus, in omnibus suis gestis reperitur. — Omnis ergo homo hunc Christum admiretur, veneretur et imitetur. Omnis cultus devotionis, ut Deo, ei impendatur, quia ipse solus est omnisciens, omnipotens, omnis perfectionis exemplar, omnis gratiae promptuarium et origo, omnis veritatis professor, omnis vitae spiritualis concessor et corporalis, omnis ad beatitudinem obtinendam ductor et via, omnis beatitudinis obiectum contentivum et bonum, omnis creaturae principium et finis, omnis scripturae alpha et omega, omnium confortator et sustentator et vigorator, omnium cordium fidelium illuminator et consolator, ac totius humanae generationis honor,

(*a*) As, Edd. *gratia et veritate.* — (*b*) Edd. om. *et nos.* — (*c*) Al *sermonibus.* — (*d*) As *serenitas.* — (*e*) As, Edd. *cognoscendo.* — (*f*) Al *praedicando.*

[1] AF IV, 23 sqq. — [2] Ioan. 3, 34. — [3] Cf. Eph. 4, 13 sqq.

promotio (*a*), exaltatio et consummatio; cui sit honor, laus et gloria per infinita saecula saeculorum. Amen.

Sic ergo praefatis succincte apparet, quod Dominus Iesus Christus prae cunctis patribus, patriarchis, prophetis, iudicibus, principibus, regibus, sacerdotibus, iustis et ethnicis hominibus, vita spectabilis est, prout dicebat prima pars huius XIII conformitatis, dicens: **Iesus vita spectabilis**; et sic patet huius conformitatis XIII prima pars breviter declarata.

Secunda pars decimi tertii fructus et conformitatis secundi libri, et vigesimae quintae in ordine, videlicet:

Franciscus operator.

Expositio.

Prima parte huius conformitatis XIII declarata, videlicet *Iesus vita spectabilis*, convenienter elucidanda restat secunda pars, scilicet *Franciscus operator*, id est quod beatus Franciscus fuit vita singularis, mirabilis et imitabilis, quia virtuosa prae aliis: utpote operator omnium bonorum et virtutum. Et pro istius partis declaratione duo erunt videnda, sicut vita beati Francisci dupliciter potest attendi. Primo in se; secundo, si fiat comparatio vitae eius ad vitam aliorum sanctorum et perfectorum. Si vita beati Francisci in se inspiciatur et attendatur, quod fuerit perfectissima apparere potest ex pluribus.

1. Et primo, ut dictum est in praecedentibus et dicetur in sequentibus, et hoc intenditur in toto praesenti opere, videlicet probandum (*b*) et declarandum quod in quadraginta spiritualibus operationibus vitae Christi, qui est caput omnis perfectionis, reperitur conformis; quare et vita beati Francisci perfectissima comprobatur.

Secundo ostenditur hoc, quia sanctum Evangelium, ut praecedentia demonstrant, beatus ipse Franciscus ad litteram observavit, quo nihil est perfectius.

Tertio hoc apparet si specialiter ad vitam Domini nostri Iesu Christi descendatur, et particulariter invenitur conformis. Vita enim Domini Iesu, etsi lata et magna sit perfectione verbis et exemplis, ad duodecim tamen potest reduci, ut conformitate III lib. III dicetur; ut, videlicet, principium vitae ipsius et initium, mundi respiciat contemptum et despectionem: *Volucres caeli nidos habent, Filius hominis non habuit, ubi caput suum reclinaret*, Matth. 8, 20. Et Franciscus in hoc se Christo conformando, coram Episcopo Assisinate bonis paternis et mundanis renuntiavit, nudus remanendo, et nihil habere voluit in vita praesenti, ut dictum est conformitate IV huius II libri [1]. — Secundum de vita Christi respicit sui abnegationem et abiectionem totalem, dicente Christo, Matth. 16, 24: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum* etc. et (*c*) Philip. 2, 7: *Exinanivit semetipsum* etc. Franciscus maximus abnegator sui fuit, ut V conformitate huius II libri est ostensum [2]. Se enim maximum peccatorum

(*a*) Edd. om. ***promotio—sit***. — (*b*) Al ***procedendum;*** Edd. ***probando et declarando***. — (*c*) As, Edd. om. ***Et—semetipsum etc.***

[1] Supra p. 100 sqq. — [2] Supra p. 129 sqq.

censebat et tenebat, ut dicit VI pars *Maioris Legendae* [1], et (*a*) ad sui deiectionem omnimodam obtinendam serviebat leprosis, ut dicit II pars *Maioris Legendae* [2]. — Tertium de vita Christi ad carnis macerationem reduci potest, de quo supra dictum est, tam de Christo quoad hoc quam de beato Francisco, conformitate VII huius II libri [3], ubi ostensum est beatum Franciscum carnem suam domuisse ac macerasse. — Quartum quod ostendit vitam Christi et ad quod potest reduci, est poenitentiae operatio et exhibitio, quod ostendit in quadraginta dierum ieiunatione, in fellis et aceti potatione et in multis aliis. Beatus Franciscus unam quadragesimam peregit, in qua solum medietatem unius panis comedit [4]; et toto quasi tempore ieiunabat, ut dicit IX pars *Legendae Maioris* [5]. Et si corpus habuisset sanum et validum, teste fratre Aegidio [6], eius poenitentiam austeram totus mundus sequi non potuisset. — Quintum ostendens vitam Christi est patientia. Hanc ostendit quia *cum malediceretur, non maledicebat*, ut dicit apostolus Petrus [7]; et deinde pro persecutoribus exoravit, Luc, 23, 34. Beatus Franciscus hanc amplexus est totis viribus, cum cuperet de se audire opprobria et de laudibus tristaretur, ac persecutionem passus a patre, fratre carnali, a civibus, a Saracenis, in omnibus tamen ut surdus pertransiit [8].

Sextum ostendens vitam Christi est operatio, non manualis, quia de isto (*b*) de Christo nihil legitur, etsi credatur quod Ioseph iuverit aliquando, qui fuit faber lignarius, sed virtuosa, quia Christus nunquam fuit otiosus: praedicabat enim, discurrebat, orabat et sic de similibus operibus, quibus assidue nostram operabatur *salutem*, secundum Psalm. 73, 12, *in medio terrae*. Hoc beatus Franciscus egit et manualiter operando, docendo et otio deditos summe reprehendendo [9]. — Septimum, quod ostendit vitam Christi est humilitas, quam et ipse Christus habuit et beatus Franciscus, prout conformitate V huius II est dictum [10]. — Octavum ostendens vitam Christi est obedientia. Fuit enim obediens matri et patri putativo Ioseph, et Patri vero *usque ad mortem*, Philip. 2, 8, Lucae 2, 51. Hanc prosecutus est beatus Franciscus, obedientiam promissam secundum Regulam [11] Ecclesiae servando, volendo habere semper guardianum, cui et in vita paruit et in morte, prout dicit pars VI et XIV *Legendae Maioris* [12]. — Nonum vitam Christi declarans, est virtutum ornatus. Iesus habuit fortitudinem in illatis, temperantiam in verbis, prudentiam in factis et iustitiam in satisfaciendo pro nobis Deo Patri. Fidem non habuit nec spem, nisi large talia sumendo (*c*), quia simul viator et comprehensor; sed bene habuit charitatem, cum charitate sua pro nobis mori dignatus est. Beatus Franciscus fidem habuit, quia fidelissimus fuit, ter ad partes infidelium ad ipsam praedicandam ire volendo et pro ea martyrium subire [13]. Spem enim et totam suam fiduciam in Christo posuit et habuit, ut ostendit VII pars *Legendae Maioris* [14], ac fratribus, quos mittebat, iactare cogitatum suum in Domino et totam spem in ipso ponere suadebat. Charitatem habuit; erat enim quasi quidam carbo ignitus Dei (*d*) amore, ut dicit IX pars *Maioris Legendae* [15]. Fortitudinem habuit contra daemones, quos superavit. Prudentiam habuit,

(*a*) As, Edd. om. *et — II pars M. Leg.* — (*b*) Edd. *quoad istam.* — (*c*) As, Edd. *accipiendo.* — (*d*) As, Edd. *divino.*

[1] C. 6 n. 6. — [2] C. 2 n. 6. — [3] Supra p. 182 sqq., 189 sqq. — [4] *Actus*, c. 6. — [5] C. 9 n. 3. — [6] AF IV, 233; cf. *Dicta B. Aegidii Ass.* (Ad Cl. Aquas 1905), 108. — [7] I Petr. 2, 23. — [8] Supra p. 133 sqq. — [9] *Testament.* ap. *Opuscula*, 77 sq.; supra p. 194 sqq. — [10] Supra p. 129 sqq. — [11] Regula II, c. 1; *Opuscula*, 63. — [12] C. 6 n. 4; c. 14 n. 2 sqq. — [13] L. c. c. 9 n. 5. — [14] C. 7 n. 8. — [15] C. 9 n. 3. Cf. Ezech. 28, 14 et 16.

quia spiritu prophetico plenus fuit, ut iam dicta in hoc secundo ostendunt, scilicet conformitas VI, et *Maioris Legendae* pars XI ostendit (*a*) [1]. Temperantiam habuit in cibis (*b*) et in potu, ut in V parte *Legendae Maioris* et in aliis ostenditur [2]. Iustitiam quoad Deum et proximum, ut V et XII partes *Legendae Maioris* [3] ostendunt eum habuisse. — Decimum ostendens vitam Christi est oratio, quam habuisse Christum et beatum Franciscum conformitas XI istius II ostendit [4]. — Undecimum est contemplatio ostendens vitam Christi, de qua tam de Christo quam de beato Francisco conformitas III huius II libri declarat expresse [5]. — Duodecimum et ultimum ostendens vitam Christi est sua sacratissima passio, quam beatus Franciscus primo contemplando, secundo imitando, tertio praedicando, quarto tandem in Christum transformatus passionis stigmata in suo corpore habendo et portando secutus est (*c*). — Sic ergo praefatis duodecim, in quibus vita Christi consistit quantum ad actus imitativos, apparet quod vita beati Francisci, quia praefata in se habuit, fuit virtuosa et merito a fidelibus imitanda et laudanda.

Quarto ostenditur vita beati Francisci fuisse virtuosa, quia s e i u n c t a t o t a l i t e r m o r i b u s a vita saecularium, quae vitiosa censetur et probatur esse. Quanto enim maior invenitur abscessus a talium vita et elongatio, tanto vita sic facientis perfectior comprobatur. Unde hoc ostendens Salvator, Ioan. 8, 23 dicit, quod ipse non erat de hoc mundo, id est conformis vitae et moribus saeculariter et secundum mundum viventium. Cum enim beatus Franciscus mundum perfectissime abdicaverit, patet quia omnia eius totaliter contempsit [6]. Si enim loquamur de divitiis, pecuniam nec per se nec per interpositam personam habere voluit. Si de aliis, quae saeculares appetunt, utpote honores, ipse vituperium libenter accepit. Si carnis voluptates, ipse carnem domuit et per omnia spiritui subiectam praebuit. Scientiam habere noluit, nec fratres suos, sed orare, prout dicit Regula [7]. Et sic descendendo ad omnia, quae mundani appetunt, et (*d*) beatus Franciscus oppositum voluit; patet quia eius vita fuit a saecularium mundane viventium vita elongata, et consequenter virtuosa et sancta.

Quinto ostenditur vita beati Francisci perfecta, quia ipse per gratiam Domini Iesu est s a n c t i s c u n c t i s n o m i n a t i s s i m i s s i m i l a t u s. Si enim capiti totius perfectionis Christo, secundum quod possibile est, fuit perfecte conformis et similis, ut h o c o p u s demonstrat; multo fortius Christi membris, scilicet sanctis hominibus in virtutibus et perfectionibus est conformatus. Et ut haec melius videantur, sciendum, quod beatus Franciscus similis et conformis fuit: primo celestibus spiritibus: nam (*e*) Seraphim in incendio dilectionis ad Deum, in cuius signum in specie Seraph Christus ei apparuit, quando ei sacra stigmata impressit. Fuit (*f*) etiam similis Seraphim, nam in ipsorum ordine est gloriosus sublimatus, ut dicetur libro III conformitate IX. Fuit Cherubim similis in plenitudine sapientiae, quam divinitus accepit, sicut probatum est solutionibus quaestionum profundissimarum et suarum praedicationum ac informationum profunditate, quae sensum excedebant humanum, ut dicit XI pars

---

(*a*) Edd. ***hoc II libro VI conformitate.*** — (*b*) Edd. ***cibo;*** As, om. ***Temper. — ostenditur.*** — (*c*) Edd. om. ***et portando;*** Codd. om. ***secutus est.*** — (*d*) As om.; Edd. ***quia.*** — (*e*) Edd. ***scilicet.*** — (*f*) Ed. III om. ***Fuit — conf. IX.***

---

[1] Supra p. 159-81; c. 11 n. 1 sqq. — [2] C. 5 n. 1 sqq. — [3] L. c. et c. 12 n. 1 sqq. — [4] Supra 243-62. — [5] Supra 75 sqq. — [6] Supra 100 sqq. — [7] Regula II, c. 10: *Opuscula* 71.

Legendae Maioris [1] et XII. Fuit sanctis Thronis similis, quia Deus prae aliis in eo requievit, considerata plenitudine gratiae et devotione beati Francisci ad Christum Deum. Fuit etiam similis Potestatibus, daemonibus imperando; ad eius enim iussum abscedebant, prout dictum est conformitate IX huius II libri [2]. Fuit similis Virtutibus in signis et miraculis, prout conformitate I huius II libri est declaratum. Fuit similis Dominationibus in recta exsecutione suae praelationis, subditos verbo, vita et opere informando. Fuit similis Principatibus in generali per orbem sui ordinis praesidentia et gubernatione. Nam ordinem suum, dum viveret, vidit multipliciter dilatatum, quem singulari affectu et providentia in his quae sunt ad Deum excoluit et tenuit. Fuit Archangelis similis in cognitione secretorum Dei, quae non vulgabat nisi divino instinctu et pro proximorum salute [3]. Fuit Angelis similis in verbi Dei nuntiatione, eundo per mundum et praedicando; et non solum ipse solus, sed et fratres ad hoc destinando, ut fructus et conformitas X et XI libri I ostendunt [4]. Sic ergo praedictis succincte patet beatum Franciscum caelestibus spiritibus fuisse conformem et similem.

2. Secundo beatus Franciscus fuit similis Patriarchis et aliis hominibus sanctis. Fuit similis Adae primo patri omnium, in creaturarum dominio, ut dictum est conformitate I huius II libri [5], ac in veniae de peccatis suis obtentu, luctu et ploratu, ut III pars *Legendae Maioris* [6] dicit. Fuit Abel similis, quia duo minuta quae habebat, scilicet corpus et animam, Deo offerre et sacrificare studuit. Fuit similis Enos, nomen Domini invocando, dum adhuc esset saecularis; et ad votum exaudiri promeruit. Fuit etiam similis Enoch, voluntatem Dei agnitam statim perficiendo; audiens enim quae Christus Apostolis ad praedicandum missis mandavit, statim omnia implevit in se et perfecit, ut dicit III pars *Legendae Maioris* [7]. Fuit Noe similis in praedicando. Noe fuit praeco iustitiae, ut dicit Petrus apostolus in canonica sua cap. 2 [8]; Franciscus fuit praeco magni regis Christi, ut ipse prophetice respondit latronibus [9], cuius praeconio et verbis, quia non erant inania nec risu digna, ut dicit III pars *Legendae Maioris*, multos convertit ad Christum (*a*) [10]. Fuit similis Abrahae, patrem et patriam deserendo et dimittendo, nec locum proprium aliquando habendo. Fuit similis Isaac, quia in tabernaculo sanctae matris Ecclesiae sponsam suam, sanctam paupertatem, intromisit ab aliis derelictam. Fuit similis Iacob, quia in Dei servitio, ut servus fidelis inveniretur a Domino, assidue vigilavit. Fuit similis Ioseph, principatum Aegypti, id est totius corporis, gratia divina possidendo. Fuit Moysi similis, in deserto, id est locis desertis et ab hominum cohabitatione elongatis, libenter habitando. Fuit Aaron similis pro populo exorando, unde pro nullo aliquando beatus Franciscus oravit, quin a Deo sit exauditus. Fuit similis Phinees in zelo Dei; legem enim Dei zelatus est et ignem pro eius assertione coram Soldano Babyloniae intrare se obtulit. Fuit similis Iosue, hostes Dei daemones superando et manu capiendo. Fuit similis Samueli, a Domino in Sancto Damiano vocatus, ut dicit II pars

(*a*) Al add. *et converterunt.*

[1] C. 11 n. 1 sqq.; c. 12 n. 1 sqq. — [2] Supra 221 sqq. — [3] *Leg. Mai.* c. 6 n. 2 sqq.; c. 13 n. 8 sqq. — [4] AF IV, 464 sqq. et 493 sqq. — [5] Supra 10 sqq. — [6] C. 3 n. 6. — [7] C. 3 n. 1. — [8] II Petr. 2, 5. — [9] *Leg. Mai.* c. 2 n. 5. — [10] C. 3 n. 2.

Legendae Maioris, de cruce [1]. Fuit similis David, se prae omnibus peccatorem vocando et tenendo. Fuit similis Salomoni, templum scilicet triplex, id est tres ecclesias, dedicando et renovando. Alios sanctos patres brevitatis causa dimitto; quibus ex praefatis potest ostendi quod beatus Franciscus similis eis fuerit et conformis.

Tertio fuit Prophetis similis, corda cognoscendo, ut dicetur conformitate sequenti, et futura praevidendo et annuntiando, ut dictum est conformitate VI huius II [2]. Et non solum fuit eis similis in tali spiritus luculentia respectu occultorum, sed etiam in virtutibus. Fuit enim similis Eliae, rigidissime vivendo, ut dicit fructus VII istius II libri [3]. Fuit Elisaeo similis, duplicem spiritum propheticum possidendo, corda intuendo et alia futura, vel in agnoscendo, et signa faciendo et omnia mundana contemnendo. Fuit similis Isaiae in intellectus profunditate, quia divina est indagatus. Fuit similis Ieremiae, populi peccata, ac si eos genuisset, deplorando, ut dicit X pars *Legendae Maioris* [4]. Fuit similis Ezechieli, peccata populi publice annuntiando et redarguendo. Non fuit adulator et palpans, ut dicit *Legendae Maioris* pars XII [5] et dictum est libro I conformitate X [6]. Perusinis militibus, suam praedicationem impedientibus, praedixit de eis vindictam in brevi futuram [7]; hominibus de Grecio (*a*), si recidivarent, eorum vastationem [8]. Gedeoni praebendario, quem contractum extendit crucis signo, si ad vomitum rediret, divinae iustitiae ultionem praedixit [9]; et sic non palpavit aliorum mala, sed detexit ob correctionem. Fuit similis Danieli, a vino et carnibus abstinendo, ut dicit V pars *Legendae* [10], nisi quando ibat praedicando, vel quando esset graviter infirmus. Fuit etiam similis aliis prophetis, tam in spiritu prophetico quam etiam in virtutibus; de quibus pertranseo causa brevitatis.

Quarto fuit similis beatus Franciscus Apostolis. Primo generaliter patet, quia ipsorum vitam evangelicam tenuit et servavit. Secundo specialiter et particulariter, scilicet in ipsorum virtutibus. Fuit similis beato Petro in amore ad Christum; per amorem enim Iesus Christus iugiter *ut myrrhae fasciculus intra* mentis suae *ubera morabatur* [11]. Fuit similis beato Paulo, fidem catholicam sua et fratrum suorum praedicatione innovando. Fuit similis beato Andreae, crucem Domini assidue habitu, vita, praedicatione et meditatione baiulando, ut conformitate III libri III dicetur. Fuit similis beato Iacobo Maiori, Christum, ut est possibile, prosequendo et imitando et eius calicem bibendo. Fuit similis beato Ioanni Evangelistae, futura contemplando. Fuit similis Iacobo Minori, orationi vi mentis semper intendendo, ut huius II conformitate XI [12] est dictum. Fuit similis beato Bartholomaeo, dolores in suo corpore patienter portando. Fuit similis beato Thomae, toto corde et viribus pro Domino Iesu mori optando. Fuit similis beato Simoni in poenalis crucis perceptione et susceptione, quia duobus annis crucis tormentum portavit. Fuit similis beato Thaddaeo, infideles et saracenos et praecipue Soldanum constanter arguendo [13]. Fuit similis beato Matthaeo, Evangelium in suo corde portando, tenendo et scribendo. Fuit similis beato Philippo, signa multa faciendo. Fuit similis beato Mathiae, duodecimus inter primos fratres et primus gradu et perfectione esse promerendo. Et quia duodecim Aposto-

(*a*) Al hic et alibi *Gerchio*.

[1] C. 2 n. 1. — [2] Supra 159 sqq. — [3] Supra 182 sqq. — [4] C. 10 n 4 sqq. — [5] C. 12 n. 8. — [6] AF IV, 469 sqq. — [7] L. c. 474 sq.; II Cel. II, 8 (II, 6) 37. — [8] L. c. II, 7 (II, 5) 35-6; *Leg. Mai.* c. 8 n. 11. — [9] L. c. c. 11 n. 5. — [10] C. 5 n. 1. — [11] C. 9. n. 2; Cant. 1, 12. — [12] Supra 243 sqq. — [13] *Leg. Mai.* c. 9 n. 6 sqq.

lis primis fuit beatus Franciscus similatus, quare et aliis Domini discipulis, cum hi duodecim ceteris perfectiores virtutibus praedicentur et dicantur.

Quinto fuit similis beatus Franciscus sanctis Martyribus et praecipue in martyrii appetentia et desiderio; ter enim pro palma martyrii consequenda, ad terram infidelium iter assumpsit, etsi Deus ad alia ipsum reservaverit. Quia igitur martyr desiderio, merito martyr et mente fuit; insuper cum dicat beatus Augustinus in *Sermone beati Laurentii* [1], quod tota vita Christiani, si secundum Evangelium vivit, crux est et martyrium, cum beatus Franciscus secundum Evangelium per omnia vixerit, sequitur quod nomine et praemio martyrum censeri potest et debet. Et sic generaliter patere potest, quod sanctis martyribus similis fuit beatus Franciscus. In particulari nihil scribo, quia nimis esset prolixum, cum infiniti fuerint, de iis dici.

3. Sexto fuit beatus Franciscus similis sanctis Confessoribus; et quia praecipui inter confessores patres Aegypti nominantur, ideo facienda est et videnda aliqualis conformitas inter beatum Franciscum et eos. — Fuit enim beatus Franciscus similis beato Paulo primo eremitae in fuga mundi. Ipse enim Paulus prae persecutionis saevitate (*a*) omnia relinquendo, eremum petiit [2]. Sic beatus Franciscus, fugiendo quae sunt mundi, habitum eremiticum duobus annis, ut dicit *Legenda trium sociorum* [3], portavit. — Antonio in praelio daemonum et superatione. Beatus Antonius prae aliis patribus habuit cum diabolo certamina et clariorem victoriam [4]; beatus vero Franciscus, ut dictum est conformitate IX huius II [5], manu quasi ad manum confligendo cum diabolo, divina gratia eum vicit et superavit. — Hilarioni in vitae austeritate. Hic sanctus prae aliis austerrime (*b*) in vestitu, accubitu, cibo et potu vixit, et sic de aliis, prout eius narrat *Legenda* [6]. Beatus Franciscus, prout patuit conformitate VII huius II libri [7], austeram vitam peregit. — Machario Alexandrino in abstinentia. Omne genus abstinentiae beatus Macharius exercuit [8]; beatus Franciscus vitae fuit abstinentissimae, quod crebra ieiunatio (*c*) cum modici cibi et potus sumptione, quod faciebat multipliciter in anno, ostendit. Quod V et IX pars *Legendae Maioris* [9] ostendunt. — Moysi Aethiopi in carnis maceratione. Hic ad macerandum corpus de nocte, replendo vascula patrum aqua, per longum iter carnem domuit [10]. Beatus Franciscus corpus confectum ieiuniis, in primaevo suae conversionis tempore ad Christum, oneribus lapidum pro reparatione trium Ecclesiarum subiiciendo, corpus confregit [11]. — Ioanni abbati, qui in rupe quadam montis solus quinquaginta annis habitavit et secum nullum stare permisit, etsi ad se venientibus loqueretur de rupe: in spiritu prophetico multipliciter claruit, et absentibus se contuendum praesentavit, ut dicit Hieronymus, qui eius vitam descripsit [12]. Huic beatus Franciscus similis reperitur in prophetia, ut ostensum est multipliciter conformitate VI istius II libri [13], et se praesentem exhibendo absentibus, sicut in capitulo Arelatensi patuit, dum de titulo crucis sacrae Antonius (*d*) praedicaret fratribus, eosdem benedicendo [14]. — Apollonio, qui ad

(*a*) Edd. *saevitia*. — (*b*) Sic Codd.; Edd. *austerissime*. — (*c*) Edd. *crebro ieiunando*. — (*d*) Al *Ant. sacer*; As *sanctus Ant.*

[1] Sermo 27 (inter spur.) n. 3 (P. L. 39, 2129). — [2] S. Hieronymus, *Vita S. Pauli Erem.*, n. 4 sqq. (P. L. 23, 20 sqq.). — [3] C. 7 n. 21 sqq.; c. 8 n. 25. — [4] *Vitae Patrum*, c. 4 sq. (P. L. 73, 1112 sq.). — [5] Supra 219 sqq. — [6] S. Hieronymus, *Vita S. Hilarionis*, P. L. 23, 30 sqq. — [7] Supra 183 sqq. — [8] *Vitae Patrum*, P. L. 73, 1112 sqq. — [9] C. 5 n. 1 sqq.; c. 9 n. 3 sqq. — [10] *Vit. Pat.*, l. c. 1119 sqq. — [11] *Leg. Mai.* c. 2 n. 1 sqq. — [12] *Vit. Pat.*, 73, 1142 sqq — [13] Supra 159 sqq. — [14] *Leg. Mai.* c. 4 n. 10.

lucrandum animas a Deo directus est ad loca civitatibus propinqua et vicina [1]. Beatus Franciscus non dispar huic sancto reperitur, quem Deus voluit esse non in locis solitariis sed in aliis, ut Deo lucraretur animas, quas diabolus conabatur auferre [2]. — Paulo simplici in obtentu omnium, quae a Deo postulasset. Paulus simplex quicquid a Deo poscebat, obtinebat [3]; et sic etiam beatus Franciscus nihil a Deo petiit, quod non habuerit.

Ammoni in miraculis; fecit enim Ammon multa signa et virtutes [4]: sic et beatus Franciscus, ut dicit conformitas I huius II libri [5]. — Copreti in infidelium conversione. Copres plures gentiles convertit ad Christum [6]; et beatus Franciscus Soldanum Babyloniae, etsi ipsum manu propria non baptizaverit, ut dicetur conformitate IX libri III. Convertit etiam beatus Franciscus quamdam dominam saracenam, quae ad inhonesta dum beatum Franciscum invitasset, dum (*a*) vidit beatum Franciscum super prunas ardentes stare, relicta omni infidelitate, conversa est ad Christum cum pluribus aliis et perfectissima fuit [7]. — Heleno fuit beatus Franciscus similis in cordium agnitione. Helenus enim sanctus omnium suorum merita agnoscebat et demerita, et sic revelabat eis [8]. Beatus Franciscus cordium multorum secreta agnovit et revelavit, ut fructu sequenti dicetur. — Mutio fuit similis in pietate. Fuit enim abbas Mutius pius et specialiter ad infirmos [9]. Beatus Franciscus, ut dictum est conformitate et fructu praecedenti [10], habuit pietatem ingenitam tam ex dono naturae quam gratiae et piissimus fuit, omnibus subveniens, ut dictum est ibidem et in VII parte habetur *Legendae Maioris* [11]. — Appelli (*b*) in ferri igniti contactu sine laesione. Hic operarius fuit ferri et manu ferrum ignitum accipiebat ex fornace et operabatur [12]. Beatus Franciscus praecipiendo ferro ignito et candenti, quando in supercilio ratione infirmitatis oculorum facta fuit sibi coctura, nullam ab eo passus est laesionem [13]. — Paphnutio in agnitione hominum virtuosorum; de pluribus Deus sibi revelavit et ipsorum vitam [14]. Beatus Franciscus multorum agnovit facta et dicta, prout supra de spiritu prophetiae dictum est conformitate VI huius II libri [15]. Ipse enim cognovit fratrem Rufinum canonizatum in coelo [16], et fratrem Bernardum de Quintavalle esse de commensalibus regni Dei [17], et sic de aliis, prout fratribus dixit. — Isidoro in fratrum regulatione. Habuit enim Isidorus monasterium valde regulatum et ordinatum, ut habetur in *Vitis Patrum* [18]. Beatus Franciscus, tam ipse quam fratres sui et praecipue socii, summa religione ordinati fuerunt, videlicet regula Apostolorum et Domini Iesu Christi, ut dicit Papa Nicolaus III in Regulae declaratione, ut dictum est conformitate IX libri I [19]. — Serapioni in fratrum multiplicatione. Habuit enim Serapion bene decem milia monachorum [20]. Sed plures habuit beatus Franciscus vivendo et post (*c*), ut dictum est conformitate VIII libri I [21]. — Apollonio in martyrii desiderio. Fuit enim hic Apollonius re martyr [22], sed Franciscus voluntate [23].

(*a*) As, Edd. ***et ipsum super pr. ard. stare conspexisset*** (As om. ***consp.***), ***reiecta*** (Edd. ***eiecta***). — (*b*) Codd. Edd. ***Appellen.*** — (*c*) Edd. add. ***mortem.***

[1] *Vit. Pat.*, l. c. 1155 sqq. — [2] L. c. c. 4 n. 1 sqq. — [3] *Vit. Pat.*, l. c. 1126 sqq. — [4] *Vit. Pat.* 1009 sq. — [5] Supra 10 sq. — [6] *Vit. Pat.* 1064 sq. — [7] Supra p. 11 l. 32; AF IV, 477 sq. — [8] *Vit. Pat.* 1167 sq. — [9] L. c. 832 (sed nil de infirmis). — [10] Supra 275 sq. — [11] C. 7 n. 1 sqq., 7 sqq. — [12] *Vit. Pat.* 1169. — [13] *Leg. Mai.* c. 5 n. 9. — [14] *Vit. Pat.* 1170 sqq — [15] Supra 159 sqq. — [16] *Actus,* c. 1 n. 9; AF IV, 178. — [17] AF IV, 184. *Specul. Perf.* Sabatier, c. 107; cf. *Spec. Perf.* Lemmens, pag. 44. — [18] L. c. 1175 sq. — [19] AF IV, 425; in bulla *Exiit,* in Prologo. — [20] *Vit. Pat.* 1178. — [21] AF IV, 178-364. — [22] *Vit. Pat.* 1173 sq. — [23] *Leg Mai.* c. 9 n. 7 sqq.

Dioscoro in fuga mulierum. Omni modo memoriam et praesentiam (*a*) earum fugiendam dicens [1]. Beatus Franciscus nullam cognoscebat in facie et ipsarum consortia fugienda mandavit tam in Regula, quam in *Legenda Maiori* [2] parte V (*b*). — Ammonio in plenitudine gratiarum; omnium enim possessor esse videbatur [3]. Beatus Franciscus quam gratiarum plenitudinem et sufficientiam habuit, et in iam dictis conformitatibus ostendunt praenarrata, et specialiter praesens, dum similem cunctis sanctis et donis declarat et gratiis. — Evagrio in spirituum malignorum cognitione; habuit enim gratiam singularem discernendorum spirituum malignorum [4]. Beatus Franciscus spiritus malignos et cognovit et eorum tentationes circa multos discrevit. Fratri maximam patienti tentationem et praedixit ac eum ab ipsa liberavit [5]. Quendam alium a diabolo tentatum de observantia silentii nimia et agnovit et ostendit [6]. — Fratrem Thomam de Spoleto a diabolo decipi et percepit et ab ordine exiturum declaravit [7]. — Sic et fratrem Rufinum a diabolo tentari comprehendit et liberavit [8]; et sic de aliis pluribus, ut in superioribus est dictum. — Macario Aegyptio in solitudinis dilectione; fugit enim totis viribus homines [9]. Beatus Franciscus loca solitaria valde dilexit; patet de locis quae ipse accepit, de Monte Alvernae, Compatrum [10] Grecii (*c*) [11], Sancti Urbani [12], et sic de aliis locis solitariis. Multa enim adhuc hodie sunt in pluribus provinciis; et causa quare beatus Franciscus capiebat, erat ut Deo liberius vacaret. — Ammoni alio ac prius dicto in castitate, qui praedicatione sua suam convertit coniugem, quando simul esse debebant [13]. Beatus Franciscus castissimus fuit et purissimus, ut statim dicetur. — Piammoni in humilitate, qui humilitate singulari praefulsit [14]. Beatus Franciscus quod fuerit vere humilis superiora ostendunt, scilicet conformitas V huius II libri [15]. — Hor fuit similis in agnitione et scientia; possedit enim divinitus scientiam et non humanitus [16]. Sic et beatus Franciscus ut dicit pars XI *Legendae Maioris* [17]. — Ammoni in poenitentia. Iste Ammon praefuit monasterio Tabennesiotarum (*d*), qui magnam exercebant poenitentiam [18]. De poenitentia beati Francisci habetur supra conformitate VII huius II libri [19]. — Beno in mansuetudine. Hic Be (*e*) omnes homines in mansuetudine excedebat [20]. Sic beatus Franciscus benignissimus et mansuetissimus fuit, quod animalia volatilia et natatilia ac homines attestata sunt, prout VIII pars *Maioris Legendae* declarat [21].

Theoni in silentio, qui triginta annis clausus intra cellam silentii continentiam (*f*) habuit [22]. Beatus Franciscus et silentium tenuit et servandum fratribus indixit, ut dicit V pars *Legendae Maioris* [23]. — Frontonio in suae fiduciae in Deum positione et suae providentiae commissione. Hic Frontonius, ad eremum cum suis fratribus accedens, divinae providentiae (*g*) se totaliter committens, ei Dominus omnia et suis fratribus transmisit copiose [24]. Beatus Franciscus, ut dictum est conformitate

(*a*) Al ***memoria praesentia consortia ear. fugienda dixit.*** — (*b*) As, Edd. ***in Leg. parte V, scilicet Legendae Maioris.*** — (*c*) Al *Compare Gerchii.* — (*d*) Al ***Labenositarum;*** As ***Labeniosorum;*** Edd. ***Labenosinorum.*** — (*e*) Al, Edd. *Beno;* As *Benus.* — (*f*) Edd. ***continuam custodiam.*** — (*g*) As, Edd. ***voluntati.***

[1] *Vit. Pat.* 1174. — [2] C. 5 n. 5. — [3] *Vit. Pat.* 1175. — [4] L. c. 1182 sqq. — [5] Supra 15 l. 11; II Cel. II c. 78 (III, 64) n. 118. — [6] L. c. II, 2 (II, 1) 28. *Leg. Mai.* c. 11 n. 10. — [7] II Cel. II, 3 (II, 1) 29. — [8] Supra 15 l. 15. — [9] *Vit. Pat.* 415. — [10] AF IV, 251 sq. — [11] Supra 12 l. 10. — [12] L. c. l. 16. — [13] *Vit. Pat.* 1099 sq. — [14] L. c. 1176. — [15] Supra 129 sqq. — [16] *Vit. Pat.* 1101. — [17] C. 11 n. 3 sqq. — [18] *Vit. Pat.* 1153. — [19] Supra 189 sqq. — [20] *Vit. Pat.* 1154 sq. — [21] C. 8 n. 6 sqq. — [22] *Vit. Pat.* 1154. — [23] C. 5 n. 6. — [24] *Vit. Pat.* 438 sqq.

praecedenti [1], in capitulo Assisii, ubi fuerunt ultra quinque milia fratrum et multoties divinae providentiae se committens, a Domino de necessariis affluenter est sibi et fratribus suis et aliis provisum. Revertenti de Hispania et infirmo, Deus avem coctam, prout optarat, transmisit [2]. — Arsenio in luctu. Semper beatus Arsenius ploravit in vita sua, et sic fecit in morte [3]. Beatus Franciscus ex fletu lumen oculorum amisit. — Martiano (*a*) in vestis superfluae vitatione; noluit enim a sorore recipere [4]. Beatus Franciscus duplicibus dimissis et non cogitando de crastino, omnia superflua a se resecavit. — Pastori in vanagloriae fuga. Vitabat enim miracula facere, hac de causa [5]. Beatus Franciscus detestator fuit omnis vanagloriae et amator omnis opprobrii et contumeliae, ut dictum est conformitate VII huius II libri [6]. — Poemeni in parentum contemptu. Nolebat enim hic abbas aliquem videre parentem [7]. Et beatus Franciscus patri renuntiavit coram episcopo Assisii, patrem qui in caelis est eligendo [8]. — Pachon in superatione carnalis voluptatis. Hic magno tempore tentatus fuit, et gratia Dei superavit [9]. Beatus Franciscus apud eremum de Sarthiano tentatus vehementer, se nudando et in foveam nive et glacie plenam volutando tentationem effugavit [10]. — Ammonio in fugiendo status ambitionem (*b*). Noluit enim esse Episcopus [11]. Beatus Franciscus noluit esse praelatus, immo officium generalatus renuntiavit. — Pambo (*c*) in despectu divitiarum. Contempsit enim divitias [12]. Beatus Franciscus nec per se nec per interpositam personam habere aliquid voluit. — Beniamin in patientia; fuit enim hydropicus [13]. Sic et beatus Franciscus hydrophicus et patientissimus, ut dicit XIV pars *Legendae Maioris* [14]. — Nathanael in propositi firmitate. Ut non exiret de cella proposuit et servavit [15]. Sic beatus Franciscus in sancto proposito omnium semper permansit. — Eulogio leprosis serviendo [16]: ille uni; beatus autem Franciscus pluribus servivit. — Beato Benedicto abbati, se ad instar beati Benedicti absentibus praesentando [17]. Benedictus fratribus de nocte; Franciscus de die in ostio capituli in remotis exsistendo [18]. — Pachomio, qui primus, ut dicit Ioachim in *Libro Concordiae* [19], instituit regulam monachorum. Sic beatus Franciscus primus instituit regulam fratrum Minorum. — Beato Papae Gregorio (*d*) in pauperum subventione. Ille enim omnibus subveniebat [20], et beatus Franciscus omnia, quae poterat habere et habebat, pauperibus erogabat. — Beato Martino, pacem procurando [21]. Beatus Franciscus pacem primus mundo praedicando, a Deo praemonitus de hoc specialiter. — Beato Bernardo in devotione ad Virginem gloriosam [22]. Virginis gloriosae beatus Franciscus devotissimus fuit et ipsam esse sui ordinis advocatam impetravit a Christo et obtinuit [23]. Sic ergo praefatis apparet quomodo beatus Franciscus fuit similis sanctis confessoribus et conformis.

(*a*) Codd., Edd. *Martino.* — (*b*) As, Edd. *altitudinem.* — (*c*) Al *Pancho;* As *Paclo;* Edd. *Pantho.* — (*d*) As *Nicolao.*

[1] Supra 278 sq. — [2] *Leggenda antica,* c. 32. — [3] *Vit. Pat.* 794. — [4] *Vit. Pat.* P. L. 74, 34. — [5] L. c. 73, 750 sq. — [6] Supra 189 sqq. — [7] *Vit. Pat.* l. c. 73, 779. — [8] *Leg. Mai.* c. 2 n. 4. — [9] *Vit. Pat.* 1130. — [10] *Leg. Mai.* c. 5 n. 4. — [11] *Vit. Pat.* 1103 sq. — [12] L. c. 1102 sq. — [13] L. c. 1104 sq. — [14] C. 14 n. 2 sqq. — [15] *Vit. Pat.* 1107. — [16] L. c. 1123. — [17] S. Gregorius, *Dialog.* l. II, c. 37 (P. L. 66, 202). — [18] Supra p. 293, l. 37 sqq. — [19] *Dialog.* l. c. 231 sqq. Ioachim, *Liber concordiae novi ac veteris Testamenti,* (Venetiis 1519) fol. 48 sqq. — [20] *Acta SS.* mart. II, 131 sqq. — [21] Sulp. Severus, *Vita S. Martini,* P. L. 20, 166. — [22] *Acta SS.* aug. IV, 206 sqq. — [23] Supra 31 sqq. *Leg. Mai.* c. 9 n. 3.

Septimo, beatus Franciscus fuit similis **Doctoribus**, verbum Dei praedicando ubique. Ad hoc enim missus est a Domino, et de hoc mandatum a Papa Innocentio accepit, quod explevit efficacissime, castra, civitates, provincias et villas circuiendo, ac praedicatione, vita et signis multos a salute longinquos ad Dominum convertit, ut in I libro VIII, IX et XII [1] conformitatibus patet.

4. Octavo et ultimo fuit similis beatus Franciscus **sacris Virginibus**, et hoc in corporis sui puritate. Nam virgo fuit purissimus, quod claruit. — Primo ex visione fratris Leonis socii sui. Fuit enim eidem divinitus revelatum quod beatus Franciscus fuit virgo purissimus. Vidit enim beatum Franciscum in monte altissimo positum in medio arborum viridissimarum, liliorum et rosarum. Et erant ibi aves dulcissime cantantes, et beatus Franciscus habebat in utraque manu rosas et lilia; et dictum est fratri Leoni, quod mons ille erat altissima virginitas. Et beatus Franciscus in utraque manu habebat rosas et lilia, quia erat virgo et mente et corpore [2]. — Secundo patet hoc, quia frater Leo praedictus confessor fuit beati Francisci; nec audivit unquam ipsum beatum Franciscum de hoc se inculpare [3]. — Tertio hoc apparuit quod fuerit virgo, quia se nudavit coram Episcopo Assisii et aliis, et femoralia ipsa patri dedit [4]; quod utique non fecisset sine magno rubore, si pollutus fuisset. — Quarto hoc arguit stigmatizatio beato Francisco facta in eius carne. Decebat enim, quod non in corpore aliquando polluto, sed incontaminato illa beata stigmata imprimerentur. Et non solum beatus Franciscus dilexit in se et habere voluit hanc puritatem, sed et fratres (*a*) habere voluit, vitando mulierum colloquia et consortia. Requisitus ad facinus per mulierem saracenam, eam, ut dictum est [5], miraculo magno ad fidem convertit. Similiter et aliam mulierem in palatio Federici Imperatoris studiose cum ipso clausam, convertit ad bonum, super prunas nudatus et illaesus iacendo [6]. — Fratres ad monasteria omnino prohibebat accedere [7]; et fratri, qui ad monasteria accessit, ignorans quod beato Francisco displiceret, mandavit propter talem accessum, quod per multa milliaria nudus iret in nivium frigore; quod et fecit [8]. Sic ergo in puritate mentis et corporis beatus Franciscus sanctis virginibus exstitit similatus.

Sic ergo iam omnibus dictis apparet evidenter, quod beatus Franciscus fuit *operator* virtuosissimus; quia omnibus sanctis similis et conformis in praecipuis eorum virtutibus et virtuosis operibus; et consequenter, quod *eum similem fecit in gloria sanctorum* [9], prout in sermone prologi huius operis est dictum [10]. Et sic claret quod vita beati Francisci ad instar vitae Domini nostri Iesu Christi spectabilis et ab omnibus acceptanda et sequenda est, prout dicit secunda pars huius conformitatis, videlicet: *Franciscus operator;* scilicet virtuosus; et sic dictae secundae partis patet expositio.

(*a*) As, Edd. *fratres suos praecipiendo vitare mulierum.*

---

[1] AF IV, 175 sqq. 369 sqq., 580 sqq. — [2] Cf. *Leggenda antica*, c. 42. — [3] L. c. — [4] *Leg. Mai.* c. 2. n. 4. — [5] Supra 294 l. 10 sqq. — [6] L. c. Narratio duplicatur. — [7] *Regula II*, c. 9; *Opuscula*, 73. — [8] Cod. Colleg. S. Antonii, f. 59 v. Cf. Golubovich *Biblioteca bio bibliogr. d. Terra Santa*, I, 127 sq. Erat Fr. Stephanus de Narnio. — [9] Eccli. 45, 2. — [10] AF IV, 3.

FRUCTUS ET CONFORMITAS DECIMA QUARTA ET IN ORDINE VIGESIMA SEXTA: Iesus Candor Signabilis — Franciscus Indagator

Expositio primae partis, videlicet: **Iesus candor signabilis.**

1. Salvatoris nostri Divinitas etsi attestata fuerit, primo a supercaelestibus, utpote a Deo Patre, qui: primo, ipso Iesu baptizato, inclamavit e caelo dicens, Matth. 3, 17 [1]: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui;* secundo, in transfiguratione in monte, Matth. 17, 5, dicens coram tribus testibus, scilicet apostolis Petro, Iacobo et Ioanne: *Hic est Filius meus dilectus* etc., *ipsum audite;* tertio circa tempora passionis, post Lazari suscitationem, ipso Iesu dicente Patri: *Pater, clarifica* Filium *tuum,* et vox Patris audita est dicens: *Et clarificavi et iterum clarificabo,* Ioan. 12, 28. Attestatus est Pater etiam divinitatem Christi, ipsi tradendo potestatem omnium: nam *Pater omnia dedit ei in manibus,* Ioan. 13, 3; quare ipse Christus dixit Iudaeis, Ioan. 5, 36: *Opera, quae ego facio* in nomine Patris mei, *ipsa perhibent testimonium de me.* Attestatus est Spiritus Sanctus, tertia in Trinitate persona, Christi divinitatem, quando ipso Christo baptizato, descendit super eum corporali specie sicut columba, ut Ioannes Baptista vidit et testimonium perhibuit, Ioan. 1, 32. Spiritus Sanctus etiam testimonium dedit Christi Divinitati sanctos Apostolos se replendo; quo repleti per totum mundum praedicaverunt Christum verum Deum esse.

Secundo Iesu deitas (*a*) declarata fuit a caelestibus, utpote a sanctis angelis, videlicet: primo ab angelo Gabriele, qui missus ad beatam Mariam inquit, Lucae 1, 31 sq.: *Concipies et paries filium et vocabis nomen eius Iesum;* et sequitur: *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* — Secundo ab angelo praemonente Ioseph, Matth. 1, 20 sq., ut acciperet Mariam coniugem suam: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est;* et sequitur: *Pariet filium et vocabis nomen eius Iesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum;* quare et Deus. — Tertio ab angelo eius ortum pastoribus nuntiando, dicente, Lucae 2, 10 sq.: *Annuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator* etc. — Quarto ab angelo et angelis in eius ortu gloriam Deo, scilicet ipsi Christo, Patri et Spiritui Sancto in altissimis decantantibus, Lucae, 2, 14. — Quinto ab Angelis, qui post ieiunium quadraginta dierum *accesserunt et ministrabant ei,* Matth. 4, 11: ostenderunt enim Christum esse veracissimum, aliter enim ad ipsum non accessissent. Et cum Christus, qui est veritas, dicat Ioan. 10, 30: *Ego et Pater unum sumus;* quare propositum. Angeli etiam perhibendo Christum vere a mortuis resurrexisse, quia virtute eius divinitatis est factum, hic testimonium eius dant deitati.

Tertio affirmata est Iesu Christi Deitas a rationabilibus, videlicet mundi hominibus; et in generali, videlicet in eum credendo. Quaelibet enim natio in eum credidit Apostolorum praedicatione et aliorum, et Deum est professa. Indi per Thomam et Bartholomaeum, Aethiopes per Matthaeum, Persae per Simonem et Thaddaeum, Syri per Philippum, Graeci per Ioannem Evangelistam et Paulum, Italici per Petrum et Paulum, Iudaei per omnes Apostolos et specialiter per Iacobum Minorem et Simonem, eis in episcopos Hierosolymorum datos, Aegypti per Marcum, et sic de aliis mundi nationibus; iuxta enim Psalm. [2]: *In omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum.* Quare praedicatione eorum factum est, ut omnis natio Christum crederet Deum, etsi non omnes nationes.

(*a*) As, Edd. ***divinitas*** (sic et infra).

[1] Potius est textus Matth. 17, 5. — [2] Ps. 18, 5.

Sed in speciali, quia ante Christi ortum totus mundus in duas gentes dividebatur, videlicet in Iudaeos, et alios Israelitas qui Deum verum colebant, et gentiles qui idolis per cultum serviebant Dominus noster Iesus Christus habuit de sua deitate testimonium, primo a Iudaeis, secundo a Gentilibus et Paganis.

Primo dico, quod Christus habuit de sua Deitate testimonium ab Israelitis et Iudaeis. — Primo scilicet a sanctis prophetis, qui praedixerunt venturum Messiam, scilicet Christum, fore Deum et hominem; et hoc verbis expressis, ut patet per Isaiam 9, 6, dicentem: *Parvulus natus est nobis et filius datus est nobis,* ecce humanitas; sequitur: *Vocabitur nomen eius Deus, Fortis* etc. Translatio chaldaica: Vocabitur Deus fortis, permanens in saecula, Messias; ecce Deitas. Per Ieremiam 23, 5 sq.: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen iustum.* Translatio chaldaica: Statuam Messiam iustum; ecce humanitas. Et sequitur: *Et vocabunt eum Dominus iustus noster.* In hebraeo ponitur nomen Dei tetragrammaton, quod est nomen solam essentiam Dei significans, secundum Rabbi Salomonem. Per Baruch 3, 36 sq.: *Hic est Deus noster et non aestimabitur alius ad eum,* ecce Deitas. *Post hoc in terris visus est et cum hominibus conversatus est;* ecce humanitas. Per Michaeam 5, 2: *Tu Bethlehem, terra Ephrata,* et sequitur: *Ex te exiet dux;* ecce humanitas. *Et egressus eius a diebus aeternitatis,* ecce Deitas. Per Danielem 9, 24 sq.: *Cum venerit sanctus sanctorum,* et sequitur: *Post hoc interficietur Christus* etc. In sacro Eloquio multi ponunt Deitatem Messiae et humanitatem, declarantes de ipsis prophetis. Sancti etiam prophetae praedixerunt de singulis actibus vitae Messiae, ut dictum est fructu et conformitate I, libri I [1], ac etiam tempus determinate sui adventus posuerunt, sicut patet per prophetiam Iacob, Gen. 49, 10: *Non auferetur sceptrum de Iuda* etc., *donec veniat, qui mittendus est; et ipse erit exspectatio gentium.* Per Danielem 9, 24: *Post septuaginta hebdomadas* annorum etc. Prophetia Iacob impleta fuit tempore Herodis Ascalonitae, qui fuit rex Iudaeorum, sed non fuit Iudaeus sed Idumaeus. Secunda (*a*) prophetia Danielis impleta est decimo octavo Tiberii Imperatoris anno; ergo Messias illo tempore venire debebat. Ad propositum, cum nullus possit dari temporibus praefatis alius Messias quam Iesus, Mariae filius, quem verum fuisse Messiam multa probant, ut dicetur, ac omnia quae sunt dicta de Messia, impleta sunt ad litteram in Christo, ut dictum est conformitate I libri I; quare concluditur, quod sancti prophetae de Christo praedixerunt eum Deum et hominem futurum et per consequens de eius Deitate perhibent testimonium. — Secundo a sanctis regibus, scilicet David, qui Psal. 71, qui incipit: *Deus, iudicium tuum regi da* etc. et Psalm. 109, qui incipit: *Dixit Dominus Domino meo,* clarissime ostendit et humanitatem Christi et Deitatem. — A (*b*) Salomone, Sap. 2, 20, qui de deitate Christi ponit, et de humanitate inquit; *Morte turpissima condemnemus eum* etc. — Tertio a sanctis et iustis hominibus, videlicet: Primo a sancto Zacharia, patre Ioannis Baptistae, qui in Psalmo quem edidit: *Benedictus Dominus Deus Israel,* etc. et habetur Lucae 1, 68 sqq., ibidem et humanitatem ponit et deitatem expresse, ut patet intuenti. — Secundo a Ioanne Baptista, qui eius agnita incarnatione et adventu, Maria matre eum ferente in utero quando ascendit montana cum festinatione [2], clausus in *utero exaltavit* (*c*) in gaudio; qui Ioannes perhibuit testimonium videndo Spiritum Sanctum super Christum, quem baptizavit, descendentem dicens, quoniam *hic est Filius Dei,* Ioan. 1, 34. Qui etiam testimonium perhibuit Christo de incarnatione et Deitate, ut habetur Io. 1, 6 sqq. et 3, 27 sqq. — Tertio a sancta Elisabeth, Ioannis Baptistae matre, quae salutata a Maria, Lucae 1, 42, statim agnovit deitatem et humanitatem filii Mariae et exclamans dixit: *Benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut mater Domini mei veniat ad me?* etc. — Quarto a sanctis (*d*) pastoribus, qui, ut habetur Lucae 2, 16, ab angelo de ortu Dei in

(*a*) As, Edd. om. *Secunda.* — (*b*) As Edd. om. *A Salomone — eum etc.* — (*c*) Al *exclamavit in utero.* — (*d*) As, Edd. om. *sanctis.*

[1] AF IV, 23 sqq. — [2] Luc. 1, 41.

carne illustrati, *venerunt festinantes,* et sic invenerunt, ut dictum est ad illos; unde pastores laudaverunt et glorificaverunt Deum. — Quinto a sancto Simeone, Lucae 2, 26 sqq., qui *responsum a Spiritu Sancto accepit non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini.* Vidit et testimonium perhibuit et humanitati et deitati Christi dicens: *Nunc dimittis servum tuum* etc.; et sequitur: *Viderunt oculi mei salutare tuum* etc. — Sexto a sancta Anna, filia Phanuelis, Lucae 2, 36 sqq., quae de deitate eius *loquebatur omnibus, qui exspectabant redemptionem Israel,* redemptorem mundi eum proclamando et consequenter Deum. — Septimo a beato Andrea, nondum Christi discipulo, Christus de sua Deitate testimonium accepit, dicente de Christo, Ioan. 1, 41: *Invenimus Messiam, quod est interpretatum Christus.* — Octavo a Nathanael, Ioan. 1, 49, dixit Christo: *Tu es Filius Dei, tu es rex Israel.* — Nono a beato Petro, qui interrogatus a Christo, Matth. 16, 16: quem dicerent eum esse Apostoli, respondit pro omnibus: *Tu es Christus, Filius Dei vivi.* — Decimo a sancta Martha, quae dixit Christo: *Ego credidi, quia tu es Christus, Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.* — Undecimo Paulus, Act. 9, 22, confundens Iudaeos: *Affirmans quoniam hic est Christus.* — Duodecimo Iosephus, qui XVII libro *Antiquitatum* de Iesu Nazareno filio Mariae loquens, ponit ipsum Messiam fuisse et consequenter testimonium dat suae deitati, dicens: « Fuit praedictis temporibus vir sapiens Iesus, si tamen eum virum nominare fas est, erat enim mirabilium operum effector et doctor hominum eorum, qui libenter ea quae vera sunt, audiunt, et multos quidem Iudaeorum, multos quoque ex Gentibus sibi adiunxit. Christus hic erat; hunc, accusatione primorum nostrae gentis virorum, cum Pilatus agendum eum in cruce decrevisset, non deseruerunt hi, qui ab initio eum dilexerunt. Apparuit enim eis tertia die iterum vivens, secundum quod inspirati prophetae divinitus vel haec vel alia de eo innumera miracula futura esse praedixerunt, sed et in hodiernum diem Christianorum, qui ab ipso nominati sunt, et nomen perseverat et gens (*a*) [1] ». Haec Iosephus. — Tertio decimo Rabbi Moyse (*b*) in libro *De Iudicibus* loquens de Iesu Christo sic inquit: « Iesus Nazarenus visus est esse Messias, et interfectus fuit per dominum iudicii, et ipse fuit causa, seu meruit, ut destrueretur Israel in gladio, et ut dispergerentur reliquiae eorum et inferiorarentur ». Si ergo mors Christi fuit destructio Israel, iuxta Danielis prophetiam, cap. 9, 26; ipse fuit *Sanctus sanctorum* et Deus. — Quarto decimo Iudas qui crucem Domini reperit, qui fuit perfidus Iudaeus [2]; et tamen visis miraculis credidit Christo et pro eius fide martyrium percepit. — Quinto decimo duodecim sapientes Iudaeorum, quos Silvester Papa coram Constantino Magno Imperatore et Helena sua matre superans, ad fidem convertit [3]. Et praefati omnes Iudaei fuerunt, et aliqui Christi fuerunt hostes, etsi postea aliqui Christiani, qui Deitati Christi testimonium perhibuerunt. Sic ergo patet quod Iudaei testimonium deitati Christi dant et dederunt.

2. Secundo habuit Christus testimonium de sua Deitate a Gentibus et paganis. — Et primo a Sibylla, quae fuit tempore Troiani belli, quae testimonium perhibens Christi deitati sic inquit: « In ultima aetate humiliabitur Deus et humiliabitur proles divina, iungetur humanitati Deitas, iacebit in foeno agnus et puellari officio educabitur Deus et homo ». Et multa dicit de vita et miraculis Christi, prout dictum est conformitate I libri I parte secunda (*c*): vide ibi [4]. — Secundo a Sibylla, quae fuit tempore Numae Pompilii, secundi regis Romanorum, quae in expositione de novem solibus visis a centum senatoribus, et per soles novem aetates et generationes exponens, multa dicit de Christo, prout conformitate I huius II libri est dictum [5]; dicit enim, prout spectat ad propositum, sic: « Quartus

(*a*) Al *genus.* — (*b*) Al *Moyseben.* — (*c*) Edd. om., Al, As *p. prima.*

[1] *Antiqu. iudaic.* l. XVIII, c. 9. — [2] *Leg. aurea* c. 68 (64), ed. cit. 907. *Acta SS.* mai. I, 446 sqq. — [3] L. c. — [4] AF IV, 43 sq. — [5] Supra 4 l. 33 sq.; cf. AF IV, 69.

sol, quarta generatio est. Erunt homines quod verum est abnegantes, et in diebus illis exsurget mulier de stirpe Iudaeorum nomine Maria, et habebit sponsum nomine Ioseph et procreabitur ex ea sine commixtione viri de Spiritu Sancto filius Dei, nomine Iesus; et ipsa erit virgo ante et virgo (*a*) post partum. Qui vero ex ea nascetur, erit verus Deus et verus homo, sicut omnes prophetae praedicaverunt » etc., ut (*b*) dictum est conformitate I huius II libri [1]. — Tertio a Sibylla Tiburtina, quae Octaviano Imperatori ostendit in circulo solis in caelo virginem et filium, qui esse Deus et homo debebat, quem Imperator adoravit [2]. — Quarto a sanctis Magis, qui eo nato, *in diebus Herodis* Ascalonitae venerunt eum ut Deum adorare iam natum; et sic fecerunt, ut habetur Matth. 2 cap. 1 sqq. — Quinto a Centurione, habitante Capharnaum, de quo Matth. 8, 5 sqq., qui eius deitatem confessus est dicens: *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo et sanabitur puer meus* (*c*). — Sexto a Centurione ipsum tempore passionis custodiente, qui visis quae fiebant, inquit: *Vere Filius Dei erat* iste *homo,* Marci 15, 39. — Septimo a Dionysio Areopagita, tunc philosopho et non Christiano, qui apud Aegyptum tempore passionis Christi exsistens, cum vidit solem obscurari et per tantum tempus, dixit: « Aut Deus naturae patitur, aut mundana machina dissolvetur »; demum cognoscens Deum in homine Christo passum, et Christi nomine invocato ab ipso Dionysio super caecum et illico illuminatum, statim ad fidem Christi conversus est [3]. — Octavo a Pilato, qui Christum miracula fecisse, quod solius Dei est, ut dictum est conformitate I huius II libri [4], et a mortuis resurrexisse, in *Epistola* directa Tiberio imperatori perhibet testimonium, dicens sic: « Claudio suus Pontius Pilatus (*d*) salutem. Nuper accidit, quod (*e*) ipse probavi, Iudaeos se et suos posteros in crudelem damnationem per iniustitiam deiecisse. Nam cum promissum haberent quidam illorum, quod Deus (*f*) illis de caelo mitteret Sanctum suum, qui eorum rex merito diceretur, isti cum habuissent et vidissent eum caecos illuminasse, leprosos mundasse, paralyticos curasse, daemones ab hominibus fugasse, mortuos resuscitasse, dixerunt illum principes sacerdotum, insidiantes ei, Magum esse, mihique eum tradiderunt et alia pro aliis mentientes contra legem eorum agere. Ego autem credidi ita esse, et flagellatum tradidi arbitrio eorum; at illi crucifixerunt eum, et eidem mortuo et sepulto custodes adhibuerunt. Ille vero, militibus meis custodientibus eum (*g*), tertia die resurrexit. Sed in tantum exarsit nequitia eorum, ut darent eis pecunias dicentes: Dicite, quia discipuli eius nocte corpus ipsius (*h*) rapuerunt. Verumtamen milites cum accepissent pecuniam, id quod factum est, tacere non potuerunt. Nam et illum et (*i*) resurrexisse attestati sunt et se a Iudaeis recepisse pecuniam attestati. Hoc autem ideo scripsi, ne aliquis aliter referens mentiatur et existimet credendum esse mendaciis Iudaeorum ». Hoc Pilatus [5]. — Nono a Platone philosopho, ut creditur, cuius corpus Constantinopoli inventum est tempore Constantini et Helenae, matris eius, ad caput cuius erat lamina aurea, ubi scriptum sic erat: « Christus nascetur ex virgine Maria, crede in eum. Sub Constantino et Irene (*k*) imperatoribus iterum videbis me, o sol [6] ». — Decimo a libro reperto a Iudaeo in quodam saxo apud Toletum, tempore Fernandi, regis Castellae, qui triplici littera scriptus erat, videlicet hebraica, graeca et latina, et loquebatur de triplici mundo, principium tertii mundi ponens in Christo, dicens: « In tertio mundo filius Dei nascetur ex virgine Maria et pro salute hominum patietur ». Et erat ibi scriptum, quod tempore dicti regis

(*a*) Edd. om. *virgo.* — (*b*) Edd. om. *ut II libri.* — (*c*) Al *anima mea.* — (*d*) Edd. om. *Pilatus.* — (*e*) Ed. II et III *et.* — (*f*) As *haberent quid eorum quod illis de coelo;* Edd. *quidam eorum a Deo quod illis de c.* — (*g*) Al add. *et videntibus.* — (*h*) Edd. *eius.* — (*i*) As, Edd. om. *et.* — (*k*) Al *Helena.*

[1] Supra 4 sq. — [2] AF IV, 69 not. 4. — [3] *Leg. aurea,* ed. cit. 681 (c. 153 (148)) — [4] Supra 1 sqq. — [5] Tischendorf, *Acta apostolorum apocrypha,* (Lipsiae 1876), ed. II, 433 sq. — [6] Cf. Martinus Polonus, *Chronicon Pontificum et Imperatorum,* ap. *Mon. Germ. Hist. Scriptt.* XXII, 461.

ipse liber reperiretur [1]. — Undecimo a Sibylla Erythraea, quae etsi multa prophetizaverit de iudicio finali vaticinando, in graeco enim de iudicio finali fecit plures versus, quorum litterae capitales constituunt istas quinque dictiones, ut patet intuenti in ipsos versus in latinum translatos quos beatus Augustinus XVIII *De civitate Dei* posuit [2]. Dictiones sunt istae videlicet: Yesous (*a*), Chreistos, Theou, Yios, Sother; quae sonant: Iesus Christus, Dei Filius, Salvator. Versus sunt isti in latinum translati:

Iudicii signum tellus sudore madescet,
E caelo rex adveniet per saecla futurus etc.

Duodecimo a Chalcidio, qui super *Timaeum* Platonis ponit de stella creata in Christi nativitate, ubi loquens de stellis et stella praedicta dicit, quod « non fuit mortes et morbos denuntians, sed descensum Dei venerabilis ad humanae conversationis rerum mortalium gratiam [3] ». Sequitur: « Quam stellam cum nocturno itinere suspexissent Chaldaeorum profecto viri sapientes et in consideratione rerum caelestium satis exercitati, quaesisse dicuntur recentem ortum Dei, repertaque illa maiestate puerili, veneratos esse et vota tanto Deo convenientia nuncupasse ». Isti sapientes Chaldaeorum sancti Magi fuerunt, qui stella visa, ut ipsi professi sunt, eum adorare ut Deum venerunt et fecerunt (*b*), ut habetur Matth. 2, 1 sqq. Et isti Magi una cum praefatis gentilibus Deitati Christi dant verum et laudabilem testimonium.

Tertio (*c*) insinuata est Deitas Christi a superbis daemonibus, qui Christum contra eorum voluntatem Deum clamaverunt et dixerunt; ut habetur Matth. 8, 29 sqq.: per ora duorum hominum clamabant dicentes: *Quid nobis et tibi Iesu, Fili Dei?* Et Matth. 5, 7, legio daemonum habitans in homine dicebat: *Quid mihi et tibi, Iesu, Fili Dei altissimi.* Et alibi etiam invenitur diabolum Dominum Iesum Filium Dei vocasse. Sed quod a diabolo Deitas Chisti sit declarata, dictum est conformitate IX huius II libri [4], ubi ostensum est potestate Christi, utpote Dei, genus humanum a diaboli manibus liberatum, ac Christi nomine et crucis signo, non solum a sanctis, verum etiam ab aliis virtutem daemonis comprimi et enervari, sicut patuit de Iudaeo, qui in templo veteri idolorum ad dormiendum se ponens, signavit se crucis signo, quo a diabolo exstitit mirifice praeservatus, ut ait beatus Gregorius III libro *Dialogorum* [5].

Quarto indicata est Deitas Christi a portentis et miris operibus. Christus enim multa et miranda fecit miracula, non unius generis sed diversorum, et non in uno elemento sed in multis; non in iuventute solum sed etiam in suo ortu; non tantum in vivis sed etiam in mortuis; non tantum in hominibus sed etiam in aliis creaturis; non tantum in vita sed in morte et post mortem; non tantum in praesentia sed etiam in absentia corporali; non tantum in terra sed etiam in mari; non solum in hominibus sed etiam in daemonibus; non tantum hic in mundo sed etiam in caelo, quod super eum apertum est; non tantum per se sed et per alios; non solum in uno tempore sed etiam omni tempore; non solum in uno populo sed in omni natione; non solum in corporibus sed etiam in animabus et voluntatibus, ut dictum est conformitate I huius II [6]. Et quia maiora facta sunt miracula per Christum, quam per sanctos veteris Testamenti. Plus enim est super aquas ambulare [7], quam eas dividere, ut fecit Moyses [8], Elias et Elisaeus [9]. Plus (*d*) est aquam in vinum convertere [10], quam de amaritudine in dulcedinem, ut egit Moyses [11] et Elisaeus [12]. Plus

(*a*) Al, As *yesuyus, creistos, teni* (As *ten,*) *yros, sother;* Edd. *Iisos, xpos,* (Ed. III *Christos,*) *theu, yos, sothir.* — (*b*) Edd. om. *et fecerunt.* — (*c*) Al *quarto* et sic deinceps usque *octavo,* p. 304. l. 37. — (*d*) Al om. *Plus est - Eliseus.*

[1] L. c. 472. — [2] L. XVIII, c. 23 (P. L. 41, 579). — [3] II n. 126; AF IV, 68 sq. — [4] Supra 212 sqq. — [5] L. c. c. 7 (P. L. 77, 229 sq.). — [6] Supra 1 sqq. — [7] Matth. 14, 25. — [8] Exod. 14, 21. — [9] IV Reg. 2, 14. — [10] Ioan. 2, 1 sqq. — [11] Exod. 15, 25. — [12] IV Reg. 2, 21.

est de quinque panibus quinque millia hominum pascere [1], quam manna gentes saturare [2]. Plus est corpus suum gloriosum ostendere, quam nube populos operire et protegere [3]. Plus est solo verbo et imperio mortuos suscitare, quam precibus [4]. Plus est in igne martyressine laesione tenere, quam ignem de caelo facere descendere [5]. Plus est corpus suum in cibum et sanguinem suum in potum dare, quam quadraginta annis pane de caelo descendente cibare. Plus est genus humanum a diaboli manibus liberare, quam a Pharaonis manibus populum israeliticum removere [6]. Plus est quatriduanum ab inferis revocare [7], quam unius diei mortuum suscitare. Plus est se mortuum vivificare, quam alios ad vitam revocare et deducere. Plus est umbra Petri languores curare [8], quam tactu; et sic de aliis, quae facta sunt in veteri Testamento. Et quod maius est: invocatione Christi nominis omnis creatura mutatur; paret sine difficultate, et Christo Deo invocato in omnibus subditur et prostratur, ut patet de miraculis factis per sanctos homines et quae sunt continue. Si ergo miracula veteris Testamenti Deo attribuuntur, merito, omnibus pensatis, miracula, quae Christus egit et quae hodie fiunt et quae facta sunt per sanctos, Deum eum esse proclamant et attestantur; nec dicta miracula possunt per artem necromantiae fieri, ut dictum est conformitate I huius II libri [9]; nec Christus fuit necromanticus sed sanctissimus, ut praecedens conformitas evidenter ostendit [10]. Quomodo etiam virtute diaboli fierent signa ad ipsum destruendum et cultum idolorum et consequenter diabolum omnino prosternendum. Insuper Magi et incantatores ac alii malefici, omnia praefata abiicientes, facti sunt fideles Christiani et sanctissimi viri, prout patet de Hermogene, Cypriano [11] et aliis in *Sanctorum Legendis.*

Quinto Deitas Iesu est comprobata a suis inimicis et hostibus. Si loquamur de Iudaeis: Primo ipsi principatu carent et sceptro, quo probatur adventus iam fuisse Messiae, iuxta prophetiam Iacob, Gen. 49, 10. — Secundo unctio in eis cessavit, quod utique in adventu Messiae esse debebat, iuxta dictum Danielis [12]. — Tertio templum eorum est destructum, iam sunt 1372 (*a*) anni et ultra. Et domus illa iuxta dictum Aggaei [13] destrui non debebat, nisi impleretur gloria Domini quasi prius (*b*); quare ex quo destructa est, fuit plena gloria, scilicet persona Christi, qui fuit Deus et homo, ad quam parvulus deductus a matre, fuit ibi praesentatus [14] et demum multipliciter sua praesentia praedicante glorificata. — Quarto quia in eis *statuta* (*c*) *desolatio,* quae iuxta prophetiam Danielis 9 cap. 24 sqq., post Christi mortem esse debebat. Quae desolatio ipsa est Iudaeorum dispersio et captivatio, quae cunctis aliis ante habitis est magis generalis, quia omnes sunt dispersi. Diuturna, quia iam 1372 (*d*) annis; opprobriosa, quia venditi fuerunt triginta, ut dicit Iosephus, pro uno denario [15]; taediosa quia apud omnes nationes, sectas et leges odio habentur; dolorosa, quia sine consolatore, id est propheta, quod nunquam fuit; vituperosa, quia nulla est natio, quae non habeat sedem vel locum proprium, aut non acquisierit, Iudaeis exceptis; irremediabilis, quia secundum Danielem [16] semper stabit. Si ergo (*e*) Iudaei a sua terra captivabantur, et in terra propria servituti subdebantur propter idololatriam, ut patet in Sacra Scriptura, et per consequens accipiendo a Deo honorem propter cultum, sequitur quod propter maius peccatum sic graviter a Deo in praesenti vita puniantur. Et non certe, nisi quia in persona Dei, scilicet in humanitate a Dei Filio assumpta in Christo (*f*), fecerunt tot horrenda et iniqua; unde et merito ad Christum nolentes converti sic puniuntur et vexantur. — Si vero loquamur de aliis Christi hostibus scilicet de Romanis imperatoribus qui sanctos martyres interfecerunt (*g*), persecuti sunt totis viribus Christum, nonne omnes perierunt crudeli

(*a*) Sic Al; As *130;* Edd. *1300.* — (*b*) Edd. om. *quasi prius.* — (*c*) Edd. *secuta.* — (*d*) Sic Codd.; Edd. *MCCCLXXX et plus annis.* — (*e*) Edd. *enim.* — (*f*) Edd. om. *in Christo* — (*g*) Edd. *mart. et in ipsis Christum persecuti sunt totis viribus, nonne.*

[1] Marc. 6, 35 sqq. — [2] Exod. 15, 15. — [3] L. c. 13, 21 sqq. Matth. 17, 2. — [4] IV Reg. 4, 33 sqq.; Marc. 1, 41. — [5] IV Reg. 1, 12 sqq.; Luc. 9. 45. — [6] Exod. 8, 1 sqq. — [7] Ioan. 11, 1 sqq. — [8] Act. 5, 15. — [9] Supra 2 sqq. — [10] Supra 282 sqq. — [11] *Acta SS.* sept. VII, 200 sqq. — [12] Dan. 9, 24 sqq. — [13] Agg. 2, 8. — [14] Luc. 2, 22 sqq. — [15] Cf. *De bello Iud.* l. VII, c. 24. — [16] Dan. 9, 27.

morte? ut patet de Nerone, qui ab imperio depositus in domicilio quodam extra Romam palo sibi infixo in ventre obiit; de Domitiano, qui a senatu romano ob crudelitatem interfectus est; de Decio qui a diabolo arreptus decessit; de Diocletiano, qui primo ab imperio depositus, deinde strangulatus est; de Maximiano qui coactus imperium deponere, a socero suo, Constantino imperatore cui parabat insidias, occisus est; de Maxentio, qui victus a Constantino apud Pontem Milvium (*a*), morti succubuit; de Valeriano, qui captus a Persis, dum advixit, carceri mancipatus et regi eorum equum ascendenti dorso semper scabellum fuit; de Gallo Severo, Volusiano, Antonio, Constante, Valente, Iuliano, Totila, Theodorico; et sic de aliis, qui fidem Christi impugnaverunt, omnes et similes gladio occubuerunt. — Si vero loquamur de haereticis, qui conati sunt Christum ostendere non fuisse Deum, ut Arius et sibi adhaerentes (*b*): in medio civitatis Constantinopolitanae, dum ad secreta naturae ivisset, emissis interioribus omnibus exspiravit. Sic Leo Papa Arianus praefata morte tempore Hilarii Episcopi Pictaviensis decessit. Et quia nimis esset prolixum omnium prosequi historiam hostium Christi, sufficiat hoc pro conclusione: quod nullus fuit, qui ausus fuerit in aliquo Christi Deitatem vel humanitatem assumptam a Deitate in unitatem personae maculare vel negare, quod Dei ultionem non fuerit ante mortem et cum morte expertus [1].

Sexto (*c*) Iesu Deitas experimentata est a mundi principibus; et hoc tam victoriis habitis: Constantinus Maxentium tyrannum cruce et Christi nomine superavit; Phoca Cosroen (*d*) regem Persarum captum decapitavit; Theodosius Christi virtute Maximum Arbogasten et Eugenium solus debellavit; Gratianus multitudinem innumerabilem deiecit et vicit; Mascezel (*e*) Gildonem comitem, Africam occupantem, potentia Christi invocata, prostravit. De multis aliis hoc idem apparet, quae brevitatis causa omitto. Quibus miraculis visis, Christum esse verum Deum professi sunt. Constantinus leprosus, baptismo Christi a Papa Silvestro accepto, mundatus est et ad fidem conversus. Sapor (*f*) rex Persarum, a sancto Cyriaco filia a daemonio liberata, fidem Christi suscepit. Abgarus (*g*) rex per apostolum Thaddaeum a morbo, quo detinebatur, Christi virtute curatus, baptizatur; et sic de multis aliis, qui miraculis visis et expertis ad fidem Christi conversi, Christum Deum verum esse omni fiducia et constantia professi sunt.

Multae aliae viae essent et sunt ad probandum Deitatem Christi, videlicet gentium et mundi ad Christum conversione, Apostolorum praedicatione, quam viam tangit beatus Augustinus ultimo *De civitate Dei* [2]; miraculorum assidua operatione, invocatione nominis Christi per sanctos, quod solum est in lege et secta Christianorum; vita Christi et conversatione, morte et resurrectione, ascensione, et Spiritus Sancti in Apostolos missione. Praefatis enim viis et aliis pluribus Deitas Christi potest probari, immo de facto comprobatur. — Attamen quia pars I huius XIV conformitatis dicit quod *Iesus est candor signabilis* id est nihil eidem quod fit in homine latet:

3. Septima (*h*) haec est via ad Deitatem Christi comprobandam, videlicet cogitationum cordium et omnium quae sunt in hominum cognitione et inspectione. Hoc enim evidenter astruit eius Deitatem scilicet cordium inspectione. Ubi sciendum quod, ut dicit Samuel I Reg. 16, 7: *Homo* intuetur, *quae parent, Dominus autem cor intuetur; nec iuxta intuitum hominum* iudicat. Et Ps. 43, 22: *Ipse enim novit abscondita cordis;* et Sap. 1, 6: *Deus cordis scrutator est verus;* et Is. 29, 15 sq.: *Vae, qui profundi estis corde, ut a Domino*

(*a*) Al *Molinum;* Edd. *Molium.* — (*b*) Edd. add. *videamus quid eis contigit. Arius enim.* — (*c*) Al *septimo.* — (*d*) Codd. Edd. *Cosdroe.* — (*e*) Item *Massacel.* — (*f*) Al *Sopor;* As, Edd. *Copor.* — (*g*) Al *Albagarus;* As, Edd. *Abagarus.* — (*h*) Al *Octava.*

[1] Lactantius, *De mortibus persecut.* 1 sqq. (P. L. 7, 190). S. Augustinus, *De civit. Dei,* c. XXI sq. Cf. Martinus Polonus, *Chronicon Pontif. et Imperat.,* ap. *Mon. Germ. Hist. Scriptt.* XXII, 397 sqq. — [2] L. XXII, c. 7 (P. L. 41, 759 sq.).

abscondatis consilium; quorum sunt in tenebris opera et dicunt: Quis videt nos et quis novit nos? Sequitur: *Perversa est haec cogitatio, quasi dicat figmentum factori suo: Non intelligis.* Et Ierem. 17, 9 sq: *Pravum est cor* hominis *et inscrutabile, et quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor et probans renes, qui do unicuique iuxta fructum adinventionum suarum.* Et multa similia ponit Scriptura. Et ideo dixit Sextus (*a*) pythagoricus: Cogitatio hominis Deum non latet, et ideo cogitatio tua pura sit ab omni malo. Et infra dicit: Deum non latebit agens iniuste nec cogitans quidam. Haec ille. Cordis ergo inspectio soli Deo, competit per naturam, qui ubique est et quem nullum latet secretum cordis; alii vero vident per gratiam, ut dicetur in expositione secundae partis huius conformitatis, vel per signa cordis comprehendunt ipsum cor.

Quia ergo cordis cognitio sic competit soli Deo, Christus se ostendendo videre corda et cordis cogitationes intelligere, Deum proculdubio se esse ostendit. Sed numquid haec fecit? Certe sic. Nam corda et cogitationes agnoscere se ostendit pluribus modis et viis. Primo diaboli cogitationem et cor attendendo, scivisse se ostendit, ut eum tentaret ad desertum pergendo, Matth. 4, 3 sqq. — Secundo cum paralyticum liberasset et diceret ei: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua;* et cum *quidam de scribis* dicerent *intra se: Hic blasphemat: et cum vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* etc., ut habetur Matth. 9, 2 sqq. — Tertio quando mulierem fluxum sanguinis patientem liberavit, quae dicebat intra se: *Si tetigero tantum* fimbriam *vestimenti eius, salva ero;* et Iesus conversus (*b*), videns eam ac intentionem eius, dixit: *Confide, filia, fides tua te salvam fecit.* Et sequitur, quod *salva facta est mulier ex illa hora* [1]. — Quarto quando liberavit daemoniacum caecum et mutum, et fecit ut loqueretur et videret, Pharisaei dicebant intra se: *Hic non eiicit daemonia nisi in Beelzebub, principe daemoniorum.* Sequitur: *Iesus autem sciens cogitationes eorum dixit eis: Omne regnum in se* (*c*) *divisum desolabitur* [2] etc. — Quinto quando, cum interrogasset discipulos suos, quem eum homines dicerent, et Petrus dixisset: *Tu es Christus, Filius Dei vivi,* dicendo ipse Petro: *Beatus es Simon Bariona, quia caro et sanguis non revelavit sibi, sed Pater meus, qui in caelis est,* proculdubio Petri et mentem et cor cognoscere se deprompsit et (*d*) ostendit; et habetur Matth. 16, 13 sqq. — Sexto cum matri filiorum Zebedaei petenti sessionem regni non respondit sibi pro se, sed pro filiis, Matth. 20, 20 sqq. dicens: *Nescitis, quid petatis,* ipsorum mentes agnovit. — Septimo cum scribae et Pharisaei eum capere voluerunt in sermone de tributo Caesari dando vel non (*e*), Matth. 22, 15 sqq., Iesus, *cognita eorum nequitia,* dixit, ut darent quae *sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo.* — Octavo quando, Lucae 7, 36 sqq., permisit se per Magdalenam tangi, pedes osculari, ungi et abstergi, Pharisaeus dixit intra se: *Hic si esset propheta, sciret utique, quae et qualis est mulier, quae tangit eum,* cui Dominus ostendit, et quid cogitaret se cognoscere, et ut (*f*) a sua infidelitate revocaret. — Nono, ut habetur Lucae 9, 46 sqq., quando cogitatio intravit in Apostolos: *Quis eorum* videretur *esse maior;* et *videns Iesus cogitationes cordis eorum, apprehendit puerum et statuit in medio eorum* [3] etc.

Decimo cum, Lucae 11, 37 sqq., invitatus ad prandium a quodam Pharisaeo, impurificatus intravit; *Pharisaeus autem coepit intra se reputans dicere: quare non baptizatus esset ante prandium.* Cuius Dominus videns cogitationem, dixit: *Vos Pharisaei, quod deforis est calicis et catini* (*g*) *mundatis, quod autem intus est vestrum, plenum est rapina et iniquitate* etc. — Undecimo quando caecum illuminavit et dixit ei: *Fides tua te salvum fecit,* Lucae 18, 35 sqq. — Duodecimo ostendit se cor cognoscere quando, Ioan. 1, 47, de Nathanael loquens ait: *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.* — Tertio decimo quando dixit regulo,

(*a*) Codd. Edd. *Sixtus.* — (*b*) As, Edd. *conversus dixit.* — (*c*) Edd. *contra se.* — (*d*) Al om. *se;* As, Edd. om. *deprompsit et.* — (*e*) Codd., Edd. *ne.* — (*f*) As, Edd. om. *ut,* deinde legunt *revocare.* — (*g*) Al *paropsidis.*

[1] Matth. 9, 20 sqq. — [2] Matth. 12, 22 sqq.; Luc. 11, 14 sqq. — [3] Cf. Marc. 9, 35.

qui ipsum deprecabatur pro filio, Ioan. 1, 48 sqq., cuius cordis infidelitatem videns, Iesus dixit ei: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis;* et de filio quod viveret praedixit. — Quarto decimo ostendit se totum hominem cognoscere, Ioan. 2, 23 sqq., dicitur quod *multi crediderunt in nomine eius;* sequitur: *Iesus autem non credebat semetipsum eis, eo quod ipse omnes nosset, et quia ei opus non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine; ipse enim sciebat, quid esset in homine.* — Quinto decimo quando cognovit post cibationem quinque milium hominum de quinque panibus, Io. 6, 14, quod venturi erant, ut facerent eum regem, fugit in montem. — Sexto decimo ostendit cogitationes videre quando, muliere in adulterio deprehensa stante coram eo, ipso digito scribente in terra, scilicet peccata Pharisaeorum, unus post alium recessit. — Decimo septimo quando, cognita intentione prava Iudae Iscariotae, dixit ei, Ioan. 13, 27: *Quod facis, fac citius.* — Decimo octavo quando misit Petrum et Ioannem pro asino, Matth. 21, 1 sqq., ad praeparandum in cenaculo pro cena. Et similiter in multis locis suae sacratissimae passionis, quomodo (*a*) oportet tradi in manus Pilati et gentium [1]; et sic de aliis, ut patet intuenti in passione sancta.

Quibus aliisque pluribus apparet Dominum Iesum Christum esse quemdam candorem et splendorem singularem, omnia intuentem et renes et corda scrutantem, et nuda esse omnia oculis eius; et consequenter esse Deum verum, qui omnia scit et novit. Et sic apparet breviter declaratio primae partis huius conformitatis, videlicet: **Iesus candor signabilis.**

Secunda pars decimi quarti fructus et conformitatis secundi libri, et vigesimae sextae in ordine, videlicet:

Franciscus indagator:

Expositio.

Cum conformitate VI parte prima istius II libri [2] dictum sit, divinam essentiam omnia repraesentare, omnia cernere et videre, omnibus praesentialiter adesse, immo verius loquendo, omnia in eo (*b*) exsistere, iuxta dictum Apostoli, Act. 17, 28 dicentis: *In* Deo *movemur, vivimus et sumus,* corque hominum ipsi soli sit apertum et notum, sitque omnipotens; hinc est, quod cordium secreta, cui, quando et quomodo vult, potest reserare. Sed quibus decet sic revelare et quibus de facto fecit? Certe Christum sequentibus et decuit facere et fecit, dicente Apostolo, I Cor. 2, 16: *Nos sensum Christi* agnovimus; Deoque adhaerentibus voluntate, dicente Apostolo I Cor. 6, 16: *Qui adhaeret Deo, unus spiritus* cum Deo efficitur. Quapropter, ut dicit Gregorius II *Dialogorum* [3]: Si anima sic adhaerens Deo unus spiritus efficitur cum Deo, Dei secreta non ignorat. — Et quia gloriosus pater noster beatus Franciscus Christum secutus perfectissime est, eique toto corde inhaesit et opere, ut pluries est ostensum, Deus eum sibi uniendo et unum spiritum secum per transformationem faciendo, sensum suum eidem revelavit, non solum eum faciendo prophetam in contuitu futurorum longe distantium et diversorum, sed plus quam prophetam in conspectione cordium in homine et abditorum, prout haec secunda pars probare intendit, cum dicit: *Franciscus indagator,* scilicet c o r d i u m, a Deo est factus; et sic esse multiplici probatur experientia et documento.

(*a*) Edd. *cum praevidit debere tradi.* — (*b*) As, Edd. *in esse existere.*

[1] Luc. 24, 7. — [2] Supra p. 159 sqq. — [3] L. II, c. 16 (P. L. 66, 164 sq.).

1. Et primo, ut dicit IV pars *Legendae Maioris* [1], quando in curru igneo absentatus a fratribus, eisdem apparuit transformatus. De (*a*) quibus est dictum conformitate III huius II libri parte secunda [2]. Qua apparitione excitati sunt dormientes et exterriti sunt vigilantes, et virtute praefati luminis alterius alteri conscientia nuda fuit. Et sequitur quod vir sanctus, reversus ad fratres coepit conscientiarum eorum secreta rimari, futura praedicere, ut cunctis pateret duplicem Heliae spiritum super beatum Franciscum veraciter quievisse [3].

Secundo secreta cordis vidit cuiusdam fratris, qui sanctus (*b*) ab aliis putabatur et silentium summo studio servabat, adeo quod non nisi per nutus et signa confiteretur. Quem (*c*) fratres coram beato Francisco scilicet commendantes, respondit eis beatus Franciscus, dicens: « Sinite, fratres, nec mihi in eo diabolica figmenta laudate. In veritate sciatis, quia diabolica tentatio et deceptio est, quod non vult confiteri nisi per signa ». Et (*d*) non post multos dies, eo religionem egresso, evidenter apparuit, quanta luculentia interioris contuitus vir Dei Franciscus cordis eius secreta prospexit [4].

Tertio secreta cordis vidit fratris Leonardi de Assisio, socii sui. Cum contigisset beatum Franciscum fatigatum et lassum parumper asellum conscendere, « subsequens (*e*) autem socius et ipse non modicum fessus, coepit dicere intra se, humanum aliquid passus: « Non de pari ludebant parentes huius et mei? En ipse equitat, et ego pedester asinum eius duco ». Haec illo cogitante, protinus de asino descendit vir sanctus et ait: « Non, frater, convenit ut ego equitem, tu venias pedes; quia nobilior et potentior in saeculo me fuisti ». Obstupuit illico frater et rubore suffusus deprehensum se recognoscens, procidit ad pedes ipsius et lacrimis irrigatus nudum exposuit cogitatum, veniamque poposcit [5] ».

Quarto cogitationem fratris Massaei vidit, socii sui, quem cum eum fecisset in quodam trivio circumvolvi et (*f*) demum sistere, et Senas, versus quam faciem ipse frater Massaeus tenuit sic stando, perrexisset, ibique (*g*) beatus Franciscus civitatem interius bello commotam ad pacem perduxisset et ab episcopo benigne susceptus de sero, de mane beatus Franciscus, cum dicto fratre Massaeo, insalutato episcopo, abscessisset; dum in itinere ante beatum Franciscum pergendo, tam de circumvolutatione sui quam de recessu a Senis, episcopo insalutato, intra se murmuraret et postmodum de tali murmure se reprehendendo sibi ipsi diceret: « Frater Massaee, tu es dignus inferno, qui iudicas beatum Franciscum, nam in ista via tam sancta opera sunt facta per fratrem (*h*) Franciscum, quod si ea fecisset angelus Dei, non fuisset mirabilius ». « Haec frater Massaeus aliquantulum ante sanctum Franciscum pergens, in corde suo dixit. Sanctus vero Franciscus divino spiritu illustratus, cui omnia nuda sunt et aperta, clamavit post tergum fratris Massaei; eius secreta cordis patefaciens dixit: « Ad ea quae nunc cogitas, te teneas, quia sunt bona et utilia

(*a*) Edd. hic et pro quatuor sequentibus narrationibus breviter remittunt ad praevie dicta: *De quo dictum est conf. III huius II libri parte sec.*; om. *Qua apparit.* etc. — (*b*) Edd. om. *sanctus — putab. et.* — (*c*) Edd. om. et breviter: *Ut fructu VI huius II dictum est parte secunda et alibi.* — (*d*) Codd. add. *cum*, quod tamen As delevit. — (*e*) Edd. om. et breviter: *Ut dictum est libro I parte secunda fructus VIII et alibi saepius.* — (*f*) Edd. *ut dictum est alias et maxime fructu VIII primi libri part sec. cap. de fr. Massaeo.* — (*g*) As, om. *ibique - perduxisset.* — (*h*) As *beatum*,

[1] C. 4 n. 4. — [2] Supra p. 77 l. 17 sq. — [3] L. c. — [4] *Leg. Mai.* c. 11 n. 10; II Cel. II, 2 (II, 1) 28; supra p. 168 sq. — [5] *Leg. Mai.* c. 11 n. 8; AF IV, 244 sq.

tibi, sicut a Deo inspirata; murmuratio vero prima quam faciebas, est mala, caeca et superba et a diabolo tibi in anima seminata ». Quae audiens frater Massaeus et stupens, manifeste perpendit, quod beatus Franciscus eius cordis arcana sciebat, et certitudinaliter agnovit, quod Spiritus Sanctus eum in omnibus dirigebat [1].

Quinto cordis desiderium perspexit fratris Leonis, socii sui (*a*). Dum enim in monte maneret Alvernae, et frater Leo cum eo, et quadam vexaretur frater Leo tentatione, non carnis sed spiritus, dum ad evadendum hanc cuperet scriptum aliquod habere per manus beati Francisci, sed verecundabatur a beato Francisco hoc petere. Cuius cogitationem ut vidit beatus Franciscus, chartam sibi ac atramentum a dicto fratre Leone apportari fecit cum calamo, et iuxta quod frater ipse Leo optabat, scribens in cedula, et eidem data a sancto Francisco, statim ab omni tentatione quam patiebatur, fuit liberatus [2].

2. Sexto beatum Franciscum habuisse cordis cognitionem patuit in quodam fratre gravem tentationem patiente et de unguibus beati Francisci pro evadenda tentatione habere optante. Cuius cogitationem dum vidit beatus Franciscus, a dicto fratre fecit sibi forfices (*b*) apportari; et, unguibus incisis et sibi datis, a dicta tentatione illico fuit liber [3].

Septimo quod cordis cogitatio beato Francisco fuerit nota, patuit in fratre exsistente in loco Sanctae Mariae de Angelis, qui cum cogitaret aliqua contra fratrem, qui eum offenderat deponenda, et propterea unus de daemonibus, qui locum obsidebant nec intrare poterant, locum introiens ad dictum fratrem accessit; quod beatus Franciscus cernens, monens fratrem de cogitatione mala, et poenitentia suscepta, a diabolo liber remansit [4].

Octavo idipsum de cognitione cordis a beato Francisco astruit factum cuiusdam iuvenis de Luca, qui cum ad beatum Franciscum accessisset et cum lacrimis peteret ut ipsum ad ordinem reciperet, beatus Franciscus (*c*), videns cordis eius secreta, acriter reprehendit ipsum dicens: « Miser atque carnalis, cur Spiritui Sancto mentiris et mihi mentiri confidis? Carnaliter plangis, et spiritus tuus cum Deo non est. Vade, quoniam nihil spiritualiter sapis ». Quod statim patuit; nam a suis parentibus requisitus, statim cum ipsis abscessit [5].

Nono ad praefatorum confirmationem accedit, quod (*d*) duobus fratribus de longinquis partibus ad eum in loco de Grecio exsistentem cum perrexissent pro sua benedictione, evenit. Cum enim esset in cella clausus, non valentes ei loqui, de loco tristes abscedebant. Quod vir Dei spiritu cognoscens, statim de cella exiens, fratres, qui iam per iactum lapidis abierant, revocari fecit. Qui cum facies ad ipsum vertissent, crucis signo consignando et affectuosissime benedicendo, eos emisit cum gaudio [6].

(*a*) Edd. brevius: *Dum ad evadendum tentationem cuperet scriptum aliquod habere per manus beati Francisci, ut alibi dictum est, et maxime conformitate II libri II parte secunda.* — (*b*) Al *forbices.* — (*c*) Ed. brevius: *coynoscens ipsum hoc ficte postulare, acriter eum reprehendit, ut conformitate VI huius libri II dictum est.* — (*d*) Edd. brevius: *illud de quo fructu praeallegato et alibi etiam dictum est de duobus fratribus, qui de longinquis partibus ad eum in loco de Grecio existentem pro benedictione ab ipso obtinenda perrexerunt.*

---

[1] *Actus,* c. 11; supra p. 179. — [2] *Leg. Mai.* c. 11 n. 9; II Cel. II, 20 (II, 18) 49; supra 172. — [3] II Cel. II, 13 (II, 11), 42; supra p. 172. — [4] *Actus,* c. 26; supra p. 15 l. 22. — [5] II Cel. II, 11 (II, 9) 40; *Specul. Perf.* Sabatier, c. 103; supra p. 171. — [6] *Leg. Mai.* c. 11 n. 5.

Decimo praefatis fidem facit tentatio fratris Rufini, qua deceptus a diabolo de praedestinatione erat. Quam beatus Franciscus agnovit et salubri remedio occurrens, ab omni falsa opinione diaboli ipsum fratrem liberavit, prout dictum est libro II conformitate VIII parte secunda in *Tractatu de provincia sancti Francisci* [1].

Undecimo ad iam dicta confirmanda accedit de fratre Riccerio, de quo dictum est conformitate VIII libri I parte secunda in *Tractatu de provincia Marchiae* [2] et conformitate VI huius II libri, et de quo, nomine tacito, ponit XI pars *Legendae Maioris* [3]. Qui tentatione vehementissima (*a*) pressus, nec remedium valens obtinere, inquit ad seipsum: « Surgam et ibo ad patrem meum beatum Franciscum, et si mihi familiaritatem ostendet, credo quod Deus propitius mihi erit; sin autem (*b*), signum est quod a Domino sum derelictus ». Et cum ad beatum Franciscum iret, tunc infirmum, beatus Franciscus sciens eius adventum et causam, misit ei obviam fratres Massaeum et Leonem, dicens eis, ut pro sui parte eum amplexantes et salutantes, dicerent ei quod inter fratres qui sunt in mundo eum singulariter (*c*) diligeret. Quod et fecerunt; et recreatus est spiritus eius. Veniensque ad beatum Franciscum, dixit ei Pater eum amplexando: « Nulla te turbet cogitatio, fili, quoniam te carissimum habens, inter praecipue mihi caros libenter tibi munus familiaritatis et dilectionis impendo ». Et imprimens ei signum crucis et osculans, a tentatione illico reddidit immunem.

Duodecimo praemissis suffragatur quod habetur in XI parte *Legendae Maioris* [4]: quod cuidam sacrae theologiae magistro verbum exposuit (*d*) Ezechielis [5]: *Si non annuntiaveris* impio etc. et cum eidem magistro plura superventura praenuntiavit, et cum ille dubitaret, ad fidem ei faciendam quoddam conscientiae ipsius patefecit scrupulum, quod nulli viventi patefecerat (*e*), quod et mirabiliter explicavit et salubriter consulendo resecavit. Insuper sicut praefatus Domini famulus Franciscus ei praedixit, sic et finaliter consummavit.

Multorum aliorum exemplis posset evidenter deduci beatum Franciscum cordis secreta vidisse, de quibus dictum est conformitate VI huius II libri [6], sed sufficiant iam dicta. Ex quibus apparet declarata secunda pars huius XIV conformitatis, videlicet *Franciscus* cordium *indagator*. Ad laudem Domini nostri Iesu Christi. Amen.

FRUCTUS ET CONFORMITAS DECIMA QUINTA ET IN ORDINE VIGESIMA SEPTIMA:

Iesus Rex Venerabilis. — Franciscus Excitator.

Expositio primae partis, videlicet: **Iesus Rex venerabilis.**

In praecedenti conformitate succincte de Deitate Domini nostri Iesu Christi quaedam dicta sunt [7]. Restat consequenter videndum de duobus, videlicet: de dignitate Christi in esse humano, et de quodam effectu divino, videlicet: veneratione divina et

(*a*) Edd. pergunt *a beato Francisco fuit benignissime liberatus, vide ibi.* — (*b*) As add. *non.* — (*c*) Al, As om. *singulariter.* — (*d*) Al, As *exposuisset.* — (*e*) As, Edd. *aperuerat.*

[1] *Actus,* c. 31; AF IV, 199 sq.; supra p. 177. — [2] *Actus,* c. 38; AF IV, 284; supra p. 173. — [3] *Leg. Mai.* c. 11 n. 9; I Cel. II, 18 n. 49-50; (II Cel. p. 204). *Actus,* c. 37. — [4] C. 11 n. 2. — [5] Ezech. 3, 18. — [6] Supra 159-182. — [7] Supra 298-306.

mentium humanarum ad ipsius honorationem et laudem; penes quod secundum accipienda est conformitas beati Francisci ad Dominum Iesum Christum. Salvator enim noster Iesus Christus, sicut secundum divinam naturam Deus comprobatur, sic secundum assumptam naturam rex omnis terrae veraciter acclamatur. Ipsum enim secundum talem naturam futurum regem, ante eius ortum sancta Scriptura per ora prophetarum acclamavit, ut patet:

1. Primo per David dicentem, Psalm. 73, 12: *Deus autem rex noster ante saecula, operatus est salutem in medio terrae;* et in Psalm. 71, 1: *Deus, iudicium tuum regi da* etc. De eius regno dicitur evidenter per Isa. 33, 22: *Dominus iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse* veniet et *salvabit nos.* Per Ierem. 23, 5: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen iustum et regnabit rex* etc. Per Osee 3, 4 sq.: *Dies multos sedebunt filii Israel sine rege et sine principe,* et sequitur: *Post haec revertentur filii Israel et quaerent Dominum Deum suum et David regem suum* etc. Per Zach. 9, 9: *Ecce, Rex tuus veniet tibi mansuetus* [1] etc. Per Ezech. 37, 22: *Rex unus erit omnibus imperans* etc. Insuper cum Deus David promiserit dicens: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* [2], et cum ipse Iesus Messias fuerit filius David, rex ergo fuit. In suo vero ortu, quod rex fuerit et vocatus, patet. Nam, eo nato, Magi venerunt Hierosolymam, quaerentes et dicentes [3]: *Ubi est, qui natus est rex Iudaeorum?* In vitae processu vocatus est rex, per Nathanael, Ioan. 1, 49: *Tu es rex Israel* [4]; in morte per Pilatum, Lucae 21, 4: Hic est *Iesus Nazarenus, rex Iudaeorum.* Per turbam, quae voluerunt eum primo facere regem, Ioan. 6, 15. Secundo in die palmarum eunti in Ierusalem, turba enim ei obviam vadens clamabat: *Benedictus rex, qui venit in nomine Domini,* etc., Ioan. 12, 13 et Lucae 19, 38. Sic ergo tam promissis prophetarum quam vocibus aliorum Dominus noster Iesu Christus rex est, immo, ut dicitur Apoc. 19, 16: est *rex regum et Dominus dominantium,* non solum quia Deus, qui est rex omnis terrae, sed etiam quia homo. Et tanto verius Dominus mundi, quanto prae aliis hominibus magis fuit conformis Adae in statu innocentiae, cui a Deo dominium mundi traditum est. Nam *omnia subiecit sub pedibus eius, oves et boves* etc., Psalm. 8, 8. Quia ergo ipse Christus est rex iustitiae, cuius generationem enarrare nemo potest [5], decebat mundo solemniter promulgari ante Christi decessum a mundo; et sic esse factum dicit Ioannes evangelista cap. 12, 12 sq.: quod *turba multa, quae convenerat ad diem festum, acceperunt ramos palmarum* et exierunt *obviam ei* clamantes: *Hosanna, benedictus, qui venit in nomine Domini, rex Israel.*

Sed ante omnia hic emergit quoddam dubium. Cum Salvator noster, etsi esset rex, quia tamen regnum suum non erat de hoc mundo [6], insuper cum fugerit, quando turba ibat ad faciendum eum regem, Ioan. 6, 15, ac humilis omnem gloriam fugerit; cur morti proximus, acclamari voluit rex et ut rex sic magnifice proclamari et honorari? — Respondetur, quod hoc egit: primo, ut se ostenderet illum esse, cui honor omnis et reverentia debetur. Cum enim dicat beatus Augustinus IV *De Civitate Dei* [7]: « Gloriam et honorem virtus sequi non debet sed ipsa virtutem », et Aristoteles I *Ethicorum* [8] dicit, quod honor est exhibitio reverentiae in testimonium virtutis, quapropter sciendum est, quod antiquitus, ut patet ex Scriptura, et nunc etiam honor et reverentia exhibetur: Primo victoribus; patet Scriptura de David, I Reg. 18, 6 sq., cui post victoriam habitam Goliae, obviam mulieres et alii exierunt cum tympanis et choris, cantantes: *Saul percussit mille et David decem millia.* Sic et antiqui Romani maximum honorem victoribus exhibebant, prout Valerius dicit lib. II rubr. *De iure triumphandi* [9]. Et hac de causa debebatur Christo honor, et tanto maior quanto non cum homine, sed cum diabolo et principe Lucifero in deserto pugnavit et vicit, ut habetur Matth. 4, 1 sqq. — Secundo honor fiebat et fit praesidentibus et rectoribus,

[1] Est Matth. 21, 5. — [2] Ps. 131, 11. — [3] Matth. 2, 2. — [4] Sic potius Ioan. 19, 19. — [5] Respicitur Is. 53, 8. — [6] Resp. Ioan. 18, 36. — [7] *De civ. Dei,* l. V, c. 12 (P. L. 41, 156). — [8] Cf. *Ethic. Nicom.* l. I, c. 5. — [9] *Dict. factor. memorab.* l. II, c. 8 n. 17.

sicut imperatoribus et regibus, et sic de aliis. II Reg. 9, 6 habetur quod Miphiboseth regem David adoravit, similiter Bersabee et Nathan propheta, II Reg. 1, 16, 23; Holoferni etiam, principi militiae regis Assyriorum, omnes ibant obviam, excipientes eum cum choris, Iudith 3, 9 sq. Alexandro Macedoni Iaddus sacerdos, indutus pontificalibus cum sacerdotibus obviam ivit extra civitatem et honoravit eum, ut ponit Magister in *Historia scholastica*.[1]. Romani etiam multum honorabant magistratus suos et consules, ut dicit Valerius, et exempla ponit libro II rubr. II[2]. Ut enim dicit ibidem: Virtutum uberrimum alimentum est honos et periculis dignus (*a*)[3]. Insuper erigebant statuas aureas et honorem annuatim exhibebant; quod (*b*) tamen sibi fieri Scipio Africanus prohibuit, ut dicit ibidem Valerius libro IV, rubr. I *De moderatione*[4]. Ista de causa honor Christo debet dari, quia ipse est *Rex regum et dominus dominantium*[5], nam est *Rex gloriae*, Psal. 8[6], et sibi *data est omnis potestas in caelo, et in terra*, Matth. ult. 19. — Tertio honor exhibetur medicis, dicente Eccli. 38, 1: *Honora medicum propter necessitatem;* illum enim creavit Dominus, valde enim medici solemnes antiquitus sunt honorati, ut patet de Hippocrate, Avicenna, Galeno (*c*) etc. Immo Aesculapius medicus translatus est ab antiquis paganis in numerum deorum, ut patet ex *Chronicis Romanorum*[7]. Hac de causa Dominus Iesus honorari debuit, qui fuit summus medicus et animarum et corporum, solo verbo omnia sanando. Ut enim dicit beatus Petrus, Act. 10, 38: Iesus *transiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo* etc. — Quarto honor datur sacerdotibus, de cuius honore habetur Deuter. cap. 17, 9 sqq. Non solum in aliis opportebat sacerdotem honorare, ut patet in libro Levitici per totum, sed etiam eius ori obedire. Cuius imperio si inobediens quisquam esset repertus, occidebatur, ut patet ibidem[8]. Et II Reg. 8, 18, dicitur quod filii regis erant sacerdotes, id est digniores. Constantinus, mundi monarcha, beatum Silvestrum papam adestravit per urbem, ut habetur in suo Testamento[9]. Isto respectu honor est Christo exhibendus, qui est *sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech,* ut dicit Psalmus[10]; *Qui nos fecit sacerdotes Deo Patri,* ut dicitur Apoc. 1, 6. — Quinto honor praebebatur patribus. Hoc ostendit vetus Testamentum, Exod. 20, 12: *Honora patrem tuum* etc., immo mortis poena infligebatur oppositum facientibus[11]. Idipsum ostendit novum Testamentum, Matth. 6. 9. Ioseph obviam patri Iacob ivit et eum adoravit, Gen. 46, 29. Similiter Salomon ivit in matris occursum et eam adoravit III Reg. 2, 19. Valerius libro V rubr. IV *De pietate erga parentes et fratres et patriam,* de honore parentum plura ponit exempla[12]. Hoc ostendit Christus suo exemplo, qui sedens inter doctores, interpellatus a matre: *Fili, quid fecisti nobis sic?* etc., Lucae 3, 48 sqq., relictis doctoribus, *descendit cum illis et erat subditus illis.*

2. Hac de causa Christo honor et reverentia est danda: Primo quia ipse est *Pater noster qui* est *in caelis*[13]. *Ipse est pater tuus qui possedit, et fecit, et creavit te,* Deut. 32, 6. Sic ergo quia Christus est Deus, cui honor; est victor imperator et princeps, medicus, sacerdos et pater, honor ipsi exhibendus est; quare et id sibi voluit ante mortem solemniter impendi et dari. — Secundo voluit Dominus Iesus honorem sic sibi dari, ut prophetia Zachariae[14], quam ponit Matthaeus 21, 5, impleretur: *Dicite filiae Sion, ecce rex tuus* etc. — Tertio Iesus sic honorari se permisit, ut, quia honor Deo omnis est dandus, et idipsum post Deum regiae datur dignitati, erat decens, ut sicut Christus in sui exordio ab omni creatura, ut dictum est conformitate praecedenti[15], est Deus inclamatus, similiter et rex, dicentibus Ma-

(*a*) Edd. om. *et periculis* (*et* Al om.) *dignus*. — (*b*) Edd. *sic enim fieri dicit idem Valerius libro IV*. — (*c*) Codd., Edd. *Galieno*.

[1] Petr. Comestor, L. c., l. Esth. c. 4 (P. L. 198, 1496 sq.). — [2] Op. cit. l. II. c. 2. — [3] Cf. l. c. c. 2 n. 7. — [4] L. c. n. 1 sqq. n. 6. — [5] I Tim. 6, 15; Apoc. 19, 10. — [6] Est Ps. 23, 7. — [7] Cf. Valerius Maximus *Dictor. factor. memor.* l. I, c. 8 n. 2. — [8] Deut. 17, 12. — [9] Decret. p. I, dist. 96, c. XIV *Constantinus*. — [10] Ps. 109, 5. — [11] Exod. 21, 17. — [12] Op. cit. l. V, c. 4 et 5. — [13] Matt. 6, 9. — [14] Zac. 9, 9. — [15] Supra p. 298-306.

gis: *Ubi est, qui natus est rex Iudaeorum?* Matth. 2, 2. Ac in fine vitae suae similiter est ostensus Deus creaturarum attestatione et Centurione dicente[1]: *Vere Filius Dei erat iste.* Sic etiam et rex, scribente Pilato super crucem: *Iesus Nazarenus, rex Iudaeorum* Ioan. 19, 19. Sic etiam in medio vitae suae Deus declaratus est signis et miraculis, ut dictum est conformitate I huius II libri[2], et dicente Ioanne Baptista, Ioan. 1, 34: *Testimonium perhibeo, quoniam hic est Filius Dei*, et dicente Petro, Matth. 16, 16: *Tu es Filius Dei vivi.* Ac etiam rex dictus est a Nathanael, Ioan. 1, 49: *Tu es rex Israel.* Sic ante eius mortem solemniter authenticari decebat, ut verus Deus esset et rex; quod etiam factum est. Deus enim ostensus est in Lazari quatriduani mortui resuscitatione[3] ac in turbae commotione ad se sic honorandum et acclamatione. Rex vero declaratus est solemni turbae acclamatione dicentis: *Benedictus, qui venit in nomine Domini, rex Israel; Hosanna in excelsis*[4]. Similiter rex et Deus tali supplicatione *Hosanna, rex* etc. ac pompatico honore. — Quarto sic voluit honorari ut suae mortis improperium quantum esset, dignitate pensata, declararetur. — Quinto sic voluit honorari, quia (*a*) quod solemni titulo Pilatus erat scripturus[5], per ipsos Iudaeos voluit opere testari et voce profiteri. — Sexto sic complacuit honorari, ut velamen non remaneret Iudaeis super incredulitatem ipsorum; quia ipsi et pueri clamabant: *Hosanna in excelsis.* — Septimo sic Domino acceptum fuit honorari, ut quantum esset peccatum Iudaeorum, dando ei mortem declararetur; quia quem (*b*) dignum duxerunt tanto honore et Deum deprompserant, demum occiderunt. — Octavo id expetiit, ut ostenderet, quod non venit ad mortem cum timore et occulte, sed cum gloria et aperte, et quod in potestate sua erat mori quando volebat. — Nono se honorari voluit, ut discipuli sui aliquam singularem glorificationem ipsius cernentes, minus in eius turbarentur morte et surrecturum proculdubio sperarent. — Decimo sic honorari se decrevit, ut ostenderet, quod regnum mundi, quod per creatricem potentiam suum erat, iterum per virtutum merita obtinuerat. — Undecimo sic petiit honorari, ut sicut parvulis et mediocribus in vivendo praebuerat virtutum exempla, sic magnis et regibus, qualiter in suis statibus gererent se, perfectionis dedit documenta, videlicet profundae humilitatis, non equitando nec in curru ascendendo, sed asinando, scilicet super asinam et eius pullum[6] — Duodecimo hoc egit Salvator, ut ostenderet se veraciter Deum, quod patuit non solum futurorum inspectione et cogitationis agnitione, quando duos apostolos misit ad solvendum asinam et pullum, et de verbis dicendis domino[7], sed in commovendo corda hominum, quando et quomodo voluit. Iudaeos enim volentes eum occidere, ad se suscipiendum cum tanto commovit honore.

Et nota, quod quae fiunt in susceptione regum advenientium, omnia Christo facta sunt. Primo enim praecursores praemittuntur ad adventum nuntiandum; Iesus duos discipulos misit. — Secundo quoad equitaturam et eius subvectionem (*c*) disponuntur; sic Apostoli fecerunt, asinam solventes et pullum, et suis panniculis ornaverunt. — Tertio a coetu reverenter suscipitur et festive; sic factum est Christo, quia turba cum ramis palmarum et olivarum obviam eidem processit. — Quarto voce extollitur dignative; sic Christo, quia turba, quae praecedebat et quae sequebatur clamabat: *Hosanna* etc. Sic ergo apparet, quare Dominus Iesus Christus ante mortis terminum, ut rex voluit honorari, proclamari et approbari. Quo cum praecedentibus apparet non solum ipsum esse Deum deorum, sed Regem regum, et Dominum dominorum. Et quia sub tanto Domino etsi simus natura et gubernatione, per gratiam tamen subesse optare debemus; si haec cupimus, quae gesta sunt in hac, de qua specialiter locuti sumus, Christi honoratione a turba et pueris Hebraeorum circa Christum operantes, sub eius speciali regimine incunctanter erimus.

(*a*) Codd. *ut.* — (*b*) As. Edd. om. *dignum (duxerunt)*; Edd. add. *cum.* — (*c*) As om; Al *aeque.*

[1] Matth. 27, 51. sqq. — [2] Supra p. 1 sqq. — [3] Ioan 11, 1 sqq. — [4] Matth 21, 9; Marc 11, 10; Luc. 19, 38; Ioan. 12, 13. — [5] Ioan. 19, 19. — [6] Matth. 21, 5 sqq. — [7] L. c. 1 sqq.; Marc. 11; Luc. 19; Ioan. 12.

Ipsi enim summo Regi Christo si subesse veraciter desideramus, debemus: Primo cum turba ad sui praesentiam accedere; ad quam certe accedimus, si toto desiderio omnis cordis eius praesentiam nobis adesse optamus et affectu invitamus, dicendo cum Propheta[1]: *Quando veniam et apparebo ante faciem Domini? Ne pertranseat, quaeso, Dominus meus servum suum,* Gen. 18, 3. Et Moyses Domini praesentiam semper optabat, ut cum populo suo semper incederet. — Secundo debet libenter in loco, ubi Christus est, morari, scilicet Bethphagae, Bethaniae et in Monte Oliveti, quia tria debet habere: Primo os cordis Deo aperire per ipsius sinceram dilectionem, et sic esse in Bethphage, quae domus orationis interpretatur. Secundo miseriam praesentis vitae attendere afflictive, et tunc est in Bethania. Tertio Dei pietatem et dulcedinem agnoscere, et sic manere in Monte Oliveti; quae tria ad fervide suscipiendum inducunt. — Tertio cum duobus discipulis debet ad Christum redire, ut in eo sit recta intentio, et sic pergit cum Petro; et omnis duplicitatis dimissio, sive sui ad se reversio, et sic vadit cum alio discipulo. Quae duo mirabiliter Domino Iesu placent, ut ostendit ipse in Evangelio. — Quarto ad ipsum Dominum duo iumenta debent deferre et ducere, quia sensualitatem in pullo, et rationem non sub appetitu sensuali ligatam in asina debet Christo offerre, scilicet se separando ab appetitu terrenorum per eorum abnegationem perfectam. — Quinto ad Christi sessionem se praeparare; sed quomodo? Certo, ut sit iumentum ratione simplicitatis, ratione carnis mortificationis, ratione humilitatis et ratione operositatis. Sed ut Christus possit desuper sedere, debet habere vestem apostolicam, et ipsa se cooperire (*a*); aliter Christus non sederet desuper. Vestis apostolica imitatio est Apostolorum quoad vitam et doctrinam, quia discordes a suis discipulis vita et doctrina numquam Christus inhabitare dignatur. Vestis etiam potest intelligi nitor puritatis sive honestas conversationis, iuxta illud Apoc. 16, 15: *Beatus, qui custodit vestimenta sua* etc. — Sexto debet super se Christum ponere et ferre, quod fit cum homo iugum Christi suscipit abnegando se a se totaliter, tollitque crucem mortificationis, et post Christum incedit operibus virtuosis. — Septimo in terra vestimenta sternere debet, quia omnem spem debet ab omni alio, praeterquam a Domino, abiicere et removere. — Octavo ramos deferre palmarum et olivarum. In palma animi constantia, in ramis olivarum pietatis opera designata et flores, id est bonae famae odores, obviam Domino in manibus debent deferri. — Nono debet caedere ramos de arboribus et in via sternere: bona opera quae fiunt in arbore bona, palam fiunt sola proximi aedificatione. — Decimo turba praecedat clamando et sequatur, quia vires internae ad ipsum Christum totaliter convertantur, ut nihil aliud cogitent et optent nisi ipsum.

3. Praefata ergo peragendo, benignus Dominus rex noster, quem optamus et deprecamur super nos regnare, ad nos venit et velut super pullum et asinam super nos ascendit. Quo adveniente et super nos per gratiam residente, apparet: Primo quod ipse est rector noster et gubernator, quia *Rex.* Secundo adamator noster, quia *tuus.* Tertio noster adiuvator, quia *venit tibi.* Quarto dulcis habitator, quia *mansuetus.* Quinto sensualitatis (*b*) tranquillator, quia *sedens super asinam et pullum eius.*

Sed ad eius in nobis sessionem et per gratiam conregnationem homo noster multa bona habet: Primum, quia mortificatur; sedet enim super pullum et asinam. — Secundum intrat ipse Iesus Hierosolymam, id est ad habitandum animam; et tunc ipsa anima efficitur Hierosolyma, id est pacifica, quia ab omni strepitu mundanorum quietatur et Dei pacificum habitaculum efficitur. — Tertio clamat anima, quia ad Deum tota conversa, novo affectu ad ipsum excitatur. — Quarto dicit: *Hosanna filio David* etc.; quia primo regratiatur filio David; secundo benedicit Deum in cunctis operibus et specialiter suae sanctissimae libera-

(*a*) As, Edd. *cooperiri.* — (*b*) As, Edd. *sensualis.*

[1] Ps. 41, 2.

tionis; tertio deprecatur, ut suae animae sit nunc et semper *Hosanna*, id est Dominus salvans in excelsis. Quibus bonis, quam bonum sit sub tali rege Christo esse, militare, vivere et stare, patet ex praedictis. Ex iam dictis apparet, quare Dominus voluit tanto honore, utpote regio, ante mortem exaltari. Et apparet, quod non solum est Deus et rex, sed etiam excitator mentium ad sui reverentiam et honorem, quando, quomodo et ubi suae omnipotenti placet sapientiae et virtuti. Cui sit honor et gloria nunc et semper.

Et sic patet, quod ipse est **Iesus rex venerabilis** et ab omni creatura honorabilis, prout dicit prima pars praesentis conformitatis. Et non solum praemissa attestantur Domino Iesu honorem exhibitum, ut Domino et Regi universorum, sed idipsum astruit turbae maximae post ipsum incessus, ut patet in Evangelio, quae nec propter prolixitatem itineris nec asperitatem loci omisit ab eius sequela; commotio civitatum et specialiter Ierusalem, ad quas accedebat; civium omnium civitatum progressus in obviam eius, ac totius mundi post ipsum concursus, ut dixerunt Iudaei, Ioan. 12, 19: *Ecce totus mundus* vadit *post ipsum*. Quare ipsius solius est de creatura sua facere, quod eidem libet, commovere, honorare se et quae sibi placent perficere, cum in eius ditione sint omnia nunc et semper. Amen.

Secunda pars decimi quinti fructus et conformitatis secundi libri et vigesimae septimae in ordine, videlicet:

Franciscus excitator.

Expositio.

Ex iam dictis in prima parte huius conformitatis apparuit, quod honor et reverentia et subiectio debetur: primo Deo, secundo principibus et regibus et similibus, tertio victoribus, quarto medicis, quinto sacerdotibus, sexto patribus, necnon et aliis pluribus, etsi de eis non sit ibi dictum, videlicet doctoribus, presbyteris, qui *duplici honore*, I Tim. 5, 17, honorandi sunt, *maxime quia laborant in verbo et doctrina;* bonum operantibus, Rom. 2, 10: *Honor et pax omni operanti bonum;* patientibus pro nomine Domini; dicit Apostolus Philipp. 2, 29 sq.: *Eiusmodi cum honore habetote, quoniam usque ad mortem propter opus Christi* etc.; Prophetis, Dan. 13, 50, senes dixerunt, ut sederet inter eos, dicentes: *Deus dedit honorem senectutis;* rectoribus, Eccli. 10, 24: *In medio fratrum rector in honore* etc.; Dei templo, ut patet II Mach. 3 et 13, 8; et sic de aliis, prout patet in sacra Scriptura. Et cum ipse Deus dixerit, I Reg. 2, 30: *Quicumque honorificaverit me, glorificabo eum,* hinc est, quod Dominus Deus honorat sanctos suos in praefatis conditionibus ponens (*a*); sancti enim sunt Deus (*b*) non natura, sed imitatione, Psalm. 81, 6: *Ego dixi: Dii estis.* Et Dominus dixit Moysi, Exod. 7, 1: *Deum te constitui Pharaonis;* principes, Psal. 44, 17: *Constitues eos principes super omnem terra* etc.; reges, XXVI *Moralium* [1] dicit Gregorius: « Sancti viri Scripturae testimonio reges vocantur, quia, praelati cunctis motibus carnis modo appetitum luxuriae frenant, modo ignem furoris exstinguunt. Reges ergo sunt, quia tentationum suarum motibus, non consentiendo sed regendo praeesse noverunt », Et Prosper dicit: Non caret regia potestate, qui novit cor-

(*a*) Edd. *positos*. — (*b*) Edd. *dii*.

[1] *Moral.* l. XXVI, c. 28 n. 53 (P. L. 76, 384).

pori suo rationabiliter imperare. Victores de diabolo, carne et mundo, Hebr. 11, 33: *Sancti per fidem vicerunt regna* etc.; medici, scilicet animarum et corporum. Isti sunt de quibus Psal. 87, 11 dicit: *Medici suscitabunt et confitebuntur tibi,* sacerdotes quoad (*a*) corpus et animam Deo offerentes. In his secunda mors potestatem non habet, sed erunt sacerdotes Christi. Patres filios spiritualiter vita generando et exemplis, Psalm. 44, 17: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii* etc.; doctores mundum lingua naturali, scilicet vita et operibus cunctos docendo, ut dicit Gregorius. Bonum operantes, iuxta documentum Christi, Ioan. 6, 27, dicentis: *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam;* incommoda pro nomine Domini portantes et dicentes cum Apostolo, Act. 21, 13: *Ego non solum alligari, sed et mori paratus sum pro nomine Domini.* Prophetae: *Quosdam enim* sanctorum *dedit prophetas et quosdam apostolos,* Eph. 4, 11. Rectores et gubernatores ecclesiae Dei, dicente Apostolo, Act. 20, 28: *Spiritus Sanctus posuit regere ecclesiam;* Dei templum, II Cor. 6, 16: *Vos enim estis templum Dei vivi,* dicit Apostolus sanctis omnibus. Sancti ergo divina gratia praefatis conditionibus insigniti, non immerito commoverunt mundum ad ipsorum reverentiam et honorem, sicut de pluribus recitat beatus Gregorius in libro *Dialogorum* [1], et non solum fideles sed etiam infideles, ut patet ibidem. Sic etiam de multis habetur in libris de *Vita Patrum* [2], sicut de Antonio, Hilarione et de aliis pluribus. Sic ergo quia ipsi sancti Deum summo studio honoraverunt, Deus in conspectu regum et populorum eos honoravit et glorificavit, sicut patet de Moyse in conspectu Pharaonis et servorum eius [3], de Daniele et sociis [4], et sic de aliis.

1. Ad propositum: cum beatus Franciscus gratia divina fuerit Deus sequela et imitatione, quia vita eius vita fuit Domini nostri Iesu Christi et Apostolorum, prout *Regula* dicit [5], et Nicolaus papa III asserit in Regulae declaratione [6]; Princeps inclytus, baiulans signum regale, ut dicit papa Gregorius IX in prosa, quae incipit: *Caput draconis* etc. [7], directus (*b*) a Deo Patre, Filio et Spiritu Sancto in mundum, ut esset princeps novae militiae Iesu Christi, in suo corpore ferendo signa ipsius Salvatoris, ac ut tres acies contra mundum, carnem ordinaret et diabolum proborum militum, sicut in tribus ordinibus ab eo institutis apparet. *Princeps,* inquit Franciscus, *sum exercitus Domini,* Iosue 5, 14. Rex sui corporis sub ratione regulatione et gubernatione. Rigidus enim in disciplina, *super custodiam suam* invigilabat [8] continue (*c*), motusque sensuales stricta frenabat modestiae lege, ut et domesticum sibi hostem perfecte subiiceret et carnem subiectam spiritui veraciter possideret, ut dicit V pars *Maioris Legendae* [9]. Victor cum daemonio manu quasi pugnando ad manum, longaque precum instantia a se victoriose et ab aliis profugavit, prout superius in conformitate IX huius II libri est dictum [10]; carnem austeritate, ut dicit V pars *Legendae* [11], et mundum eius perfecto contemptu, ut dicit VII

(*a*) Al *ergo ad;* Edd. om. — (*b*) Edd. *ductus.* — (*c*) As, Edd. *assidue.*

[1] L. c. passim (P. L. 77, 149 sqq.). — [2] P. L. 73 et 74. — [3] Exod. 5 sq. — [4] Dan. 1 sqq. — [5] C. 1; *Opuscula,* p. 63. — [6] Bulla, *Exiit,* in *Bull. Franc.* III, 404 sq. — [7] Edit. v. gr. ap. *Cantus varii in usu apud nostrates* (O. F. M.), Romae, Tornaci, Parisiis 1902, 215-7. — [8] Cf. Is. 21, 8. — [9] Cf. c. 5 n. 3; cf. *Leg. Min.* III lect. 2. — [10] Supra p. 219 sqq. — [11] *Leg. Mai.* c. 5 n. 1.

pars *Legendae* [1], superando. Unde ipse potest dicere illud Ioan. 16, 33: *Ego vici mundum*. Medicus. O quantos suis exemplis, eloquiis et consiliis sanavit a vitiis ut verus medicus et liberavit, ad sanitatem perfectam corporis et animae reducendo. Latrones convertit ad Christum, infideles, reges et principes et mundi potentes, ut dictum est conformitate VIII libri I [2]. Et quod verus fuerit medicus animae, patuit in milite, qui ipsum ad prandium invitaverat, cuius mortem praevidendo fecit confiteri et armari ad mortem suscipiendam, ut, sanitate percepta animae, ad veram salutem perveniret, ut dicit XI pars *Legendae Maioris* [3]. Exempla alia gratia brevitatis dimitto, de quibus dictum est conformitate I huius II libri [4], ubi ostensum est, quomodo beatus Franciscus fuerit verus medicus sanando infirmitates corporis et animae, unde ipse est *medicus charissimus*, Coloss. 4, 14. Sacerdos non ordine, quia nunquam voluit esse ex humilitate, etsi fuerit diaconus, fuit tamen sacerdos, sui Domino oblatione. Nam dicente Domino sibi in monte Alvernae, ut aliquid sibi offerret, respondit: « Domine tu scis, quod nihil habeo, quod dem tibi; omnia enim dereliqui, sed et corpus et animam dedi tibi [5] ». Ut enim dicit IX pars *Legendae Maioris* [6]: « Non habebat aliud pauper Christi nisi *duo minuta* [7], corpus scilicet et animam, quae posset liberali charitate largiri. Sed haec propter amorem Christi sic offerebat continue, ut quasi omni tempore per rigorem ieiunii corpus, per ardorem desiderii spiritum immolaret exterius, in atrio *sacrificans holocaustum* [8] et in templo interius *concremans thymiama* ». Hic est ille sacerdos, quem sibi suscitavit Dominus, I Reg. 2, 35.

Pater. Quot enim genuit filios, patet manifeste in fratribus, sororibus et continentibus, de quibus dictum est libro I conformitate VIII [9], et patet hodie in fratribus suis per orbem dispersis et personis devotis ad ipsum et suum ordinem devotione fervida copulatis. In beato Francisco impletum est illud Gen. 17, 4: *Pater eris multarum gentium*, id est Graecorum, Latinorum et aliorum, ut patet clare hodie in fratribus Minoribus diversarum gentium et nationum. Genuit enim in Christo filios et filias, Gen. 5, 4. Doctor. Ut enim dicit IV pars *Legendae Maioris* [10]: « *Non in doctis humanae sapientiae verbis, sed in virtute Spiritus* [11] annuntians regnum Dei ». Et XII pars dicit [12]: « Erat enim verbum eius velut ignis ardens, penetrans intima cordis, omniumque mentes admiratione replebat, cum non humanae inventionis ornatum praetenderet, sed divinae revelationis afflatum redoleret ». « Erant enim eius eloquia, ut dicit III pars *Legendae Maioris* [13], non inania nec risu digna, sed virtute Spiritus Sancti plena, medullas cordis penetrantia, ut in vehementem stuporem audientes converterent », « et [14] obstinatorum mentes efficacia virtuosa mollirent ». Ipse enim fuit *doctor gentium in fide et veritate*, I Tim. 2, 7, recte operans bonum; beato enim Francisco dedit Deus hanc gratiam in speciali, ut semper bonum cogitaret, diceret vel ageret. Haec est illa arbor bona, quae facit bonum fructum, Matth. 7, 17. Mortem pro Christo libenter suscipiens; ter enim, ut mori posset martyr, partes aggressus est adire infidelium, nam per martyrii palmam Deo se offerre summe peroptavit. Multa etiam a Saracenis perpessus est mala, vincula, carceres, inedias (*a*) et

(*a*) As *minas*.

[1] Ibid. c. 7 n. 1 sqq. — [2] AF IV, 175 sqq. — [3] C. 11 n. 4. — [4] Supra p. 10 sqq. — [5] *Actus*, c. 9, n. 52 sqq. — [6] C. 9 n. 3. — [7] Respic. Marc. 12, 42 et Luc. 21. 2. — [8] Cf. Exod. 30, 1 sqq.; 40, 5 sqq. — [9] AF IV, 178 sqq. — [10] C. 4 n. 5. — [11] I Cor. 2, 13. — [12] C. 12 n. 7; respicitur Eccli. 48, 1. — [13] C. 3 n. 2. — [14] Hinc verba sumuntur ex *Leg. Min.* II, lect. 2.

percussiones, ut dicit IX pars *Legendae Maioris* [1]. Unde beatus Franciscus poterat dicere illud Philipp. 1, 21: *Mihi vivere Christus est et mori lucrum.* Propheta. Nam spiritum propheticum habuisse in superioribus conformitatibus VI et XIV (*a*) huius II libri conformitas (*b*) declarant [2]; hic enim est propheta, et cordium inspectione plus quam propheta, Matth. 11, 9. Rector. Ipse enim fuit primus generalis Minister ordinem regens Minorum quem quomodo regulavit, patet ex *Regula* sibi divinitus revelata; quomodo rexerit, patet ex sanctis discipulis et sociis, quos habuit, de quibus dictum est conformitate VIII libri I [3]. Ipse enim fuit *rector fratrum, stabilimentum populi,* Eccli. 49, 17, domus et templum Dei. Patet quia in ipso prae ceteris Christo complacuit esse et convivere, sua stigmata soli sibi dando et se sibi configurando, ut vidit frater Leo in charta, quae de caelo descendit super caput beati Francisci, in qua scriptum erat: « Hic est gratia (*c*) Dei [4] »; quare et domus Dei fuit et templum.

2. Quia ergo beatus Franciscus praefatis conditionibus insigniter exstitit decoratus et Domini Iesu gloriam quaesivit in omnibus et prae omnibus, hinc est, quod Dominus eum gloria extollens et honore, a cunctis hominibus quocumque pergebat, voluit honorari, ut enim dicit XII pars *Legendae Maioris* [5]: Omnis aetas, omnisque sexus virum novum mundo caelitus datum properabat et cernere et audire. « Aderat quidem servo suo Francisco ad quaecumque pergeret is, qui eum *unxerat et miserat, Spiritus Domini* [6] et ipse *Dei virtus et sapientia, Christus,* ut sanae doctrinae verbis afflueret et magnae potentiae miraculis coruscaret ». Commovebat beati Francisci accessus, ad quaecumque loca pergebat homines, tam viros quam mulieres, tam parvulos quam maiores, et beatum se putabat, qui eum posset tangere, videre et audire; quod pluribus modis exstitit declaratum et vicibus.

Et primo (*d*) quando ipse beatus Franciscus eundo praedicando per mundum, dum accessisset ad civitatem Bononiae « populus dum eius cognovisset adventum, factus est concursus omnium ad ipsum, ita quod vix ire per terram poterat; omnes enim ipsum tanquam novum florem mundi et tanquam angelum Dei videre et audire cupiebant, ita quod ad plateam civitatis pervenit cum magna poena. Congregato itaque ibi populo maximo, tam hominum quam mulierum et etiam scholarium, exsurgens beatus Franciscus in medio, tam admiranda atque (*e*) stupenda, Spiritu Sancto dictante, praedicabat, quod non homo sed angelus Dei esse videbatur. Nam verba eius quasi *sagittae potentis acutae* [7] de arcu divinae sapientiae procedere videbantur, quae corda audientium tam valde penetrabant, quod maximam multitudinem virorum (*f*) et mulierum a statu peccati ad poenitentiae lamenta convertit [8] ». — Quando ivit Reate, ut mederetur oculis, domino Hugolino, Ostiensi Episcopo, ad hoc eo vocante et invitante, cum (*g*) appropinquaret Reate, tanta multitudo populi confluebat ad eum, quod propter hoc civitatem intrare noluit, sed ad quamdam eccle-

(*a*) Edd. et *IX huius II libri.* — (*b*) As *conformitatibus est ostensum.* — (*c*) As *gloria.* — (*d*) Al, As om. *Et primo.* — (*e*) As, Edd. *tam miranda et tam.* — (*f*) As, Edd. II *hominum;* Ed. I om. — (*g*) As om. *cum — Reate;* Edd. *cum app. civitati.*

[1] C. 9 n. 4 sqq. — [2] Supra 159 sqq. et 306-309. — [3] AF IV, 178 sqq. — [4] AF IV, 58 n. 1 et 189; *Verba fratris Conradi,* c. 7 in: P. Sabatier, *Opuscules de crit. hist.* I, 380; Cod. Collegii S. Antonii, f. 53 r. — [5] C. 12 n. 7-8. — [6] Isai. 61, 1; subinde alleg. I Cor. 1, 24. — [7] Ps. 119, 4. — [8] *Actus,* c. 36 n. 1-5.

siam distantem a civitate per duo milliaria divertit [1]. — Quando cum fratre Massaeo Senas perrexit et « Senis (a) appropinquasset et sancti patris populus adventum audisset, venerunt obviam ei et (b) tam illum quam socium per pensiles portaverunt, ita quod terram minime tetigerunt, usque ad episcopatum. In illa vero hora aliqui cives pugnabant ad invicem, ita quod erant iam duo interfecti. Beatus autem Franciscus surrexit et tam gratiose praedicavit illis hominibus et tam sancte, quod omnes reduxit ad pacem et magnam concordiam. Propter quod opus tam admirabile invitavit episcopus beatum Franciscum et eum cum magno suscepit honore [2] ». — Quando ivit Gaietam, « turbis irruentibus prae devotione in eum ut ipsum contingerent (c), horrens Christi servus tantum populorum applausum in unam haerentem littore naviculam prosilivit solus. Quae stetit inter fluctus immobilis, quamdiu vir sanctus turbis exspectantibus in litore praedicavit [3] ». — Quando ad Romanam curiam accedebat, beati se putabant domini Cardinales et alii praelati, qui possent sibi loqui et ipsum honorare [4]. — Non solum fideles Christiani ad honorandum beatum Franciscum incitabantur, sed etiam infideles. Cum enim post multos labores, pericula et afflictiones ad conspectum pervenisset Soldani et Christum eidem evangelizasset, « nutu divino Soldanus in mansuetudinem conversus, benignum ei praebuit auditum. Cernens quidem in eo fervorem spiritus, constantiam animi, contemptum vitae praesentis, efficaciamque divini sermonis, devotionem tantam concepit ad ipsum, ut magno eum honore dignum duceret, munera pretiosa offerret et ad secum trahendum moram instanter invitaret [5] ». — Et quid mirum si Christus corda suorum commoveret ad venerationem beati Francisci, cum per ratione carentia sit ipse beatus Franciscus multipliciter honoratus, accedendo ad ipsum, stando cum ipso nec ab eo ullatenus recedere volendo, prout dicit VIII pars *Legendae Maioris* [6]?

Et quia beatus Franciscus ab omnibus honorabatur, extollebatur, laudibus et reverentia colebatur, frater (d) Massaeus semel beato Francisco redeunti de silva, in qua steterat ad orandum, factus ei obviam, « eidem dixit: « Unde tibi, unde tibi, unde tibi »? Respondit sanctus Franciscus: « Quid dicis, frater Massaee »? Frater Massaeus respondit: « Quod totus mundus videtur post te venire, et omnes quaerunt te videre, te audire et tibi obedire. Tu non es nimis pulcher, tu non magnae sapientiae aut scientiae; tu non es nobilis. Unde ergo tibi, quod totus mundus veniat ad te »? Beatus Franciscus hoc audiens, totus exhilaratus spiritu, erigens faciem suam in caelum, stetit per magnum spatium mente directa in Deum, et ad se rediens, genuflectens et laudans et gratias agens Deo, in magno fervore spiritus vertit se ad fratrem Massaeum et ait: « Vis scire, unde mihi, quod totus mundus veniat post me? Hoc mihi est ab illis oculis sanctissimis Dei, qui in omni loco contemplatur bonos et malos. Nam illi oculi boni et sanctissimi non viderunt inter malos magis peccatorem et viliorem et insipientiorem quam me. Et ideo ad faciendum hoc opus mirabile, quod intendit facere in terra, non vidit viliorem creaturam, propterea me

(a) As, Edd. *civitati*. — (b) Edd. pergunt *cum magno honore eum exceperunt, ut dictum et conf. VIII libri I*; om. *tam — suscepit honore* — (c) Edd. *ut multoties supra dictum est*; om. *horrens — praedicavit*. — (d) Edd. habent tantum: *fr. Massaeus beato Francisco redeunte de silva, factus ei obviam, dixit: Unde tibi, unde tibi, unde tibi, ut superius in pluribus locis dictum est.*

[1] *Actus*, c. 21. — [2] *Actus*, c. 11 n. 10-13. — [3] *Leg. Mai.* c. 12 n. 6. — [4] L. c. n. 7; c. 5 n. 4 sqq. — [5] *Leg. Mai.* c. 9 n. 8; cf. *Leg. Min.* IV lect. 9; *Actus*, c. 27. — [6] C. 8 n. 6 sqq.

elegit, *quia stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientes* [1], ut sublimitas virtutis sit ex Deo non ex creatura ». Quae audiens frater Massaeus de tanta beati Francisci humilitate et tali responsione vehementer obstupuit [2] ». — Possent permulta exempla ostendere beatum patrem Franciscum operatione Domini ad sui honorem omnes ad quos ibat excitasse, sed unum referam, penes quod est conformitas principaliter capienda in praesenti conformitate inter Christum et beatum Franciscum, et est illud (*a*) quod habetur in X parte *Legendae Maioris* [3]. Ubi dicitur, quod beatus Franciscus « semel transiens per Burgum Sancti Sepulchri, castrum utique populosum, pro debilitate corporis subvectus asello, obvias habuit turbas in eum prae devotione ruentes. Tractus autem et detentus ab eis, compressus quoque ac multipliciter attrectatus, insensibilis videbatur ad omnia, et velut exanime corpus, quae fiebant circa ipsum, nihil penitus advertit ». — Quo exemplo patet, quod sicut Domino Iesu obviam turba processit, sic et beato Francisco; et sicut Christus in tali honore non ascendit equum sed asellum, sic et beatus Franciscus. Et sicut Christus de tali honore nihil curavit, cum omnis pompae mundanae fuerit summus detestator, sic et beatus Franciscus de honore et applausu nihil advertit nec curavit, cum ipse Christi tam documento quam exemplo omnem applausum hominum declinaverit, honoremque sibi impensum in Deum regesserit et se in summo contemptu et abiectione semper tenuit et possedit.

Sic ergo praefatis apparet, quomodo beatus Franciscus ad instar Christi fuit honoratus et hominum excitator, ut dicit secunda pars istius XV conformitatis: *Franciscus excitator.*

FRUCTUS ET CONFORMITAS DECIMA SEXTA ET IN ORDINE VIGESIMA OCTAVA:

Iesus Dux (*b*) Formidabilis. — Franciscus Detestator.

Expositio primae partis, videlicet: **Iesus Dux formidabilis.**

Dominus noster Iesus Christus etsi Dominus sit dulcis, benignus et clemens, cuius *miserationes* sunt *super omnia opera eius* [4], attamen iustus est nihilominus (*c*), severus et ultor, sui honoris zelator (*d*), et malorum per omnia detestator. — In veteri enim Testamento, quam severus fuerit, evidenter apparet in multis:

1. Et praecipue (*e*) primo contra eius iussa non perficientes, sicut in primis apparet parentibus, quos a paradiso propulsos morti corporis subiecit [5]. — Secundo contra se carnis luxuria maculantes, ut patet in hominibus in diluvio necatis, et Sodomitis igne conflagratis [6]. — Tertio contra suam legem non servantes, sicut patuit in filiis Israel, quos a sua abiecit facie et prostravit in deserto diversis cladibus [7] — Quarto contra idololatrantes; punivit enim tales, ut patet de his, qui vitulum adoraverunt in deserto, quos imperio Domini occi-

(*a*) Edd. om. *et est illud.* — (*b*) Edd. *rex seu (dux).* — (*c*) Edd. om. *nihilominus.* — (*d*) As, Edd. *zelotes.* — (*e*) Edd. om. *praecipue.*

[1] I Cor. 1, 27 sqq. — [2] *Actus*, c. 10. — [3] C. 10 n. 2; supra p. 80. — [4] Ps. 144, 9. — Gen. 3, 17 sqq. — [6] Gen. 6 et 19. — [7] Exod. 16 sqq.

dit Moyses [1]. Sic filios Israel, Iudicum tempore diis alienis inservientes, subactos regibus pluribus acriter punivit [2]. Ieroboam cum domo prostravit et reges Israel, non Deo sed idolis immolantes, miris cladibus prostravit [3]. — Quinto contra eius cultum non rite peragentes, sicut apparuit in filiis Aaron, ignem alienum ministrantibus et quos in conspectu patris occidit, Num. 26, 61. Suum cultum et sacrificium impedientes, ut patet de filiis, Heli. I Reg. 4, 11, quos hostili gladio necavit, et habetur ibidem cap. 4, 11; ac domum suam et templum profanantes, ut patet de Achaz [4] et Manasse [5] et aliis regibus Iuda, de Antiocho in libris Machabaeorum [6]; qui quam severe sint ab ipso Deo puniti, praefata scriptura veteris Testamenti declarat patenter.

Contra nonnullos alios furor divinus desaevit et ira, de quibus per singula non est dicendum ad praesens. Sicut ergo Deus ipse zelotes et iustus fuit contra praefatos, sic et indutus carne humana et inter homines conversando, magnitudinem sui zeli ostendit et severitatis contra multos, praecipue tamen et primo contra hypocritas, contra quos singulariter zelum suum declaravit: Primo eorum facta detegendo, Matth. 6, 2: *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere, sicut hypocritae faciunt* etc. Et Matth. 6, 16: *Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritae tristes; exterminant enim facies suas* etc. Et Matth. 7, 5: *Hypocrita, eiice primo trabem de oculo tuo* etc. et cap. 15, 7 sq.: *Hypocritae, bene prophetavit de vobis Isaias, dicens,* Isa. 29 13: *Hic populus labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Et capitulo 22, 18: *Quid tentatis me hypocritae?* — Secundo ipsos graviter reprehendendo, ut patet Matth. 23, 13 sqq. dicens: *Vae vobis, hypocritae, qui clauditis regnum caelorum ante homines* etc. *Vae vobis, hypocritae, qui comeditis domos viduarum* etc. *Vae vobis, hypocritae, qui circuitis mare et aridam* etc. *Vae vobis, duces caeci* etc. (*a*). *Vae vobis, hypocritae, qui mundatis, quod deforis est* etc. *Vae vobis, hypocritae, qui similes estis sepulchris dealbatis* etc. *Vae vobis, hypocritae, qui aedificatis sepulchra prophetarum* etc. Ubi in prima exprobatione et invectione pandit falsissimam eorum esse doctrinam, in secunda ipsos arguit de deceptrice rapina, in tertia de iniquissima vita quoad imitantes, in quarta de prava ignorantia, in quinta de inobservantia divinorum mandatorum, in sexta de subdola et fraudolenta apparentia, in septima de immunda conscientia, in octava de crudelitate et nequitia. — Tertio eis poenam indicando; patet in praefatis, dicendo semper eis: *Vae, vae,* quod est interiectio dolentis. Et Matth. 6, 2, dicit: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Eis praedixit iudicium gehennae futurum, ut patet Matth. 23, 13 sqq.

Sed quaeri potest, cur Salvator sic praecipue contra hypocritas invexit? Respondetur quod hypocrita, etsi faciat contra Deum Patrem, Dei honorem ad se retorquendo, contra Spiritum Sanctum, gratia et donis divinis abutendo prava intentione (*b*), praecipue tamen agit contra ipsum Verbum, quod est veritas, nam ipsi hypocritae sunt falsissimi, aliquando in opere aliud ostentantes se agere quam faciant, etsi quandoque efficiant quod praetendunt, semper tamen sunt intentione falsissimi, et sic de directo contra ipsam veritatem, quae est ipse Christus, Io. 14, 6, peragentes. Contra etiam ipsos Salvator invexit sic acriter, quia tales sua duplicitate et destruunt mundum suis deceptionibus et erroribus ac mendacissimis verbis et apparentiis.

Secundo Dominus iustitiam et zelum ostendit contra mundi gloriam appetentes, ut habetur Lucae 14, 7 sqq., ubi dicitur: quod ad invitatos dixit parabolam, intendens, quomodo primos accubitus eligerent dicens: *Recumbe in novissimo loco* etc. *quia omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur.* Et, Matth. 23, 6 sqq., dicebat de

---

(*a*) Edd. add. *Vae vobis, hypocritae, qui decimatis mentham et anethum.* — (*b*) Edd. om. *prava intentione.*

1 L. c. 32. — 2 Iud. 2 sqq. — 3 IV Reg. 13 sqq. — 4 IV Reg. 15 sqq.; II Paral. 28 sqq. — 5 IV Reg. 21 sqq. — 6 I Mach. 1 sqq.

Pharisaeis: *Amant primos accubitus in coenis et primas cathedras in synagogis, et vocari ab hominibus rabbi; vos autem nolite vocari rabbi* etc.; et concludit: *Qui se exaltat humiliabitur* etc. Et Matth. 6, 1, dicit: *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem.* Et caecis, ut exemplum praeberet omnis gloriae vitationis, illuminatis praecepit, ut nulli dicerent, ut habetur Matth. 9, 30; et cum turba vellet eum facere regem, fugit, ut habetur Ioan. 6, 14.

Tertio Dominus zelum ostendit ad animas, propter quas redimendas et carnem humanam induit et mortem suscepit. Attamen, ut eas a diabolo et peccatis clementer eriperet, et virtutibus, quibus vita habetur aeterna, adornaret, ut patet Matth. 5, 6 et 7 cap., docere complacuit non semel sed quotidie, ut habetur Matth. 26, 55; nec uno in loco sed quasi in cunctis Iudaeae et Galilaeae provinciarum locis.

Sed quarto zelum praecipuum ad Patrem suum deprompsit, cuius honorem in omnibus et super omnia quaesivit. Quem Patrem voluit: Primo a nobis exorari debite, Matth. 6, 5 sqq.: Cum [1] *orabitis:* inquit, dicetis: *Pater noster, qui es in caelis* etc. — Secundo in ipsum totam spem et fiduciam nostram iactare, Matth. 6, 26: *Considerate volatilia* etc. *et tamen Pater vester caelestis pascit illa* etc. — Tertio ei grate similari, Matth. 5, 48: *Estote perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est.* — Quarto eius spiritu firmari, Matth. 10, 20: *Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis* etc. — Quinto suae bonitati omnia tribui et dari, Matth. 11, 25: *Confiteor tibi, Pater, Domine caeli et terrae* etc. — Sexto in tribulatione invocari suo exemplo, Matth. 26, 39: *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste* etc. — Septimo ei pro collatis regratiari, Ioan. 11, 41: *Gratias tibi ago,* Domine, *Pater* etc. — Octavo ab omnibus diligi et amari, Ioan. 3, 35: *Pater diligit Filium;* et 3, 16: *Sic dilexit mundum, ut Filium Unigenitum suum daret* etc. — Nono in auxilium peti et supplicari, Ioan. 5, 17: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* etc. — Decimo ei obediri fideliter, Ioan. 8, 29: *Non reliquit me Pater solum, quia quae placita sunt ei, facio semper.* — Undecimo eius honorem et gloriam quaeri et investigari, Ioan. 8, 50: *Ego gloriam meam non quaero,* sed Patris mei, qui misit me. — Duodecimo semper invocari, Ioan. 12, 27: *Salvifica me, Pater;* et Ioan. 17, 5: *Clarifica me, Pater* etc. Sic ergo praefatis apparet zelum Christum habuisse ad Patrem.

Sed maxime habuit zelum, et quinto, ad Patris templum et domum, de quo principaliter in ista agitur conformitate quoad primam partem dicentem: *Iesus dux formidabilis.* Ubi sciendum, quod Salvator noster, cum multas a Iudaeis receperit iniurias tam verbo quam facto, omnia patienter portavit; sed quae ad Patris pertinebant honorem, sicut est eius veneratio, cultus et adoratio, non patienter tulit, sicut patuit de diabolo suadente, ut eum adoraret, quem expulit dicens Matth. 4, 10: *Vade* retro, *Satana; scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis* etc. Et patet etiam, quia bis expulit de templo vendentes oves et boves, et mensas nummulariorum aes effundendo evertit, dicens: *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis* etc.: de prima habetur Ioan. 2, 14 sqq., de secunda habetur Matth. 21, 12. In qua eiectione apparuit dux formidabilis. — Primo, quia flagellum fecit de funiculis, quod adeo fuit poenale praefatis, ut nequirent sustinere, sed abirent. — Secundo, ut ipse solus contra tot sic faciendo, omnes eiecerit et emiserit. — Tertio in effusione aeris et subversione mensarum nummulariorum, nullus fuit ausus ei dicere verbum. — Quarto in sui vultus singulari modo et prae solito ostensione. Quidam enim radius et splendor, ut dicit beatus Hieronymus, a Christi facie exibat, incutiens terrorem cum admiratione cernentibus, ut nullus nec eum respicere posset, nec resistere ei, aut contra ipsum stare auderet. — Quinto reprehendendo sacerdotes, qui talia permittebant, dicens: *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis;* et: *Scriptum est: Domus mea domus orationis est* (*a*) [2] etc. — Sexto ostendit se formidabilem in praefatorum punitione. Ostendit enim

(*a*) Al om.; As *vocabitur.*

[1] Cf. Luc. 11, 2. — [2] Luc. 19, 46; cf. Isai. 56, 7; Ierem. 7, 11.

peccatum ipsorum fuisse magnum, quare et severe puniendum, et sic iuste se agere contra ipsos et percutiendo et de templo, ut indignos, abiiciendo. Quid igitur fiendum in domo Patris sit, ostendit, quia orandum; et quid evitandum ibidem (*a*): certe negotia saecularia, dicens: *Auferte ista hinc;* quo documentum praebuit domum Dei mundam servari debere a cunctis, quae mentem habent retrahere a Dei adhaesione.

Et si quaeratur, cur Salvator se ostendit sic severum in hoc actu plus quam in aliis: nullibi enim legitur aliquem vel expulisse vel a se abiiecisse vel percussisse, nisi in isto actu; respondetur, quod Salvator hoc egit pluribus de causis. Et prima, ut ostenderet, quod homo plus immensum debet Deum appetere quam mundana: quare et observantiam suorum mandatorum potius quam lucrum mundanorum; et quia oppositum fiebat (*b*), Deo contempto, lucris inhiabatur (*c*) terrenis, ideo tam severus in punitione fuit praefatorum. — Secunda, ut ostenderet, quam sibi est displicibile lucrum, quod mendaciis (*d*), ut patet in nummulariis, et cum rapina, ut in praefatis erat vendentibus, acquiritur (*e*). Nam dixit: *Fecistis illam speluncam latronum.* — Tertia, quia divinus cultus mirabiliter impediebatur tam rumoribus vendentium quam care vendentium, quia cum starent ad lucrandum (*f*) ibidem, proculdubio plus vendebant quam deceret; et sic caristia rerum homines, ne emerent quae ad sacrificia pertinebant, retrahebantur. — Quarta, ut ostenderet simoniacam pravitatem sacerdotum, ut erat praefata, sibi super omnia displicentem (*g*); columbas vendentibus dixit: *Auferte ista hinc.* — Quinta causa quod sic severe punivit est, ut ostenderet, quod praelati mali sunt maiori ultione feriendi quam subditi. Pharisaei enim deaedificabant proximum: primo (*h*) permittendo talia fieri, quae fieri in tali loco illicitum erat; secundo quia, quae vendebantur erant ipsorum, unde alii exemplo eorum ad vendendum male quoad locum et tempus et quantitatem incitabantur; tertio quia accedentes strepitu talium notabiliter impediebantur ab orando. *Anna,* orans, *loquebatur in corde suo,* I Reg. 1, 13, quia distractione mentis facta per strepitum, circa sensus impeditur, ut claret experientia. — Sexta de causa, ut declararet superbos cornupetas hypocritas pellem ovinam ferentes et luxuriosos in columbis designatos, in domo suae gloriae non recipiendos ab ipso, sed extra templum gloriae deiicendos. — Septimo, ut quantum sibi displiceat, quidquid agitur in locis sacratis et Deo dicatis praeter id, ad quod instituta sunt, depromeret. Fecit ergo flagellum Christus, vel de chorda, qua cingebatur, vel de chordis, quibus oves et boves tenebantur, et percutiendo vendentes, tales de sua domo severe effugavit.

Sed advertendum (*i*), quod Dominus, sicut est misericors, sic in his, qui in peccato perseverant, ut erant Pharisaei, est in praesenti et in futuro severus ultor; ac eius flagellum severissimum formidandum est. Si enim tali flagello percutiendo omnes expulit de suo templo, facie severa id faciente, quid erit tempore iudicii facie terribili peccatores iudicante, et eos perpetuo a sua misericordia et gloria abiiciente? Licet enim Deus aliquos flagellet ad correctionem, iuxta dictum Apostoli, Hebr. 12, 6: *Flagellat enim omnem filium, quem recipit;* tamen aliquos flagellat ad perpetuam damnationem. Istum ducem formidabilem omnibus, cui omnia subsunt et eius benignum aspectum omnia appetunt, nos omni studio placabilem et placatum reddere conemur. Si enim tanta multitudo plebeia et sacerdotalis non valuit zelantem sustinere intra viscera suae constitutum misericordiae, utpote dispositum ad moriendum pro peccatorum salute, quomodo miserrima peccatorum turba irascentem eis in die solius (*k*) iustitiae et ultionis pondus sui aequissimi iudicii tolerare valebit? Placare ergo conemur eius iram ob peccata nostra merito excitatam, ac ipsum humilitatis precibus flagitemus, ut quem peccata nostra ad severitatem inducunt, sua eum clementia benignum reddat et gratificum.

(*a*) Edd. ***vitandum scilicet saecularia; dicit enim.*** — (*b*) Edd. ***faciebant.*** — (*c*) Edd. ***inhiabant.*** — (*d*) Edd. add. ***cumulabatur;*** (As om.) — (*e*) As, Edd. om. ***acquiritur.*** — (*f*) Edd. om. ***ad lucrandum.*** — (*g*) As ***displicere;*** Edd. ***abominabilem.*** — (*h*) Edd. om. ***primo,*** et deinceps ***secundo*** et ***tertio.*** — (*i*) As, Edd. ***attendendum.*** — (*k*) Edd. ***solis.***

Ex praefatis apparet istius conformitatis XVI et ultimae istius II libri quoad primam partem declaratio brevis et compendiosa, videlicet: **Iesus dux formidabilis.** Multa fuissent hic dicenda de severitate Domini nostri Iesu Christi et zelotypa aequitate ipsius ad ingratos de beneficiis perceptis, sicut patet de civitate Bethsaida, Corozaim et Capharnaum, Matth. 11, 21 sqq., et sic de aliis multis, ut patet in serie Evangelii, quos reprehendit et arguit, ac ab eis recedens aufugit, et de quibus tam verbo quam opere et ipsorum vitatione et increpatione ostendit se eis esse *ducem formidabilem,* dum sunt in praesenti vita, et nunc se eis declarat, eos puniendo aeternali poena et tormento (*a*).

Secunda pars decimi sexti fructus et conformitatis secundi libri, et vigesimae octavae in ordine, videlicet:

Franciscus detestator.

Expositio.

Cum gloriosus pater beatus Franciscus, ut IX pars *Legendae* depromit [1] et dictum est conformitate II huius II libri [2], quasi quidam carbo ignitus [3] esset et totus divini amoris flamma succensus, et consequenter ad animas Iesu sanguine pretioso redemptas fervidum habuerit amorem et zelum praecipuum, et hac de causa civitates praedicando circuibat et castra, ieiunabat et alia opera virtuosa (*b*) peragebat, ut exempla praeberet aedificationis et sanctitatis; et « saluti animarum dixit nihil esse praeferendum, eo maxime quia Unigenitus Dei Filius pro animabus redimendis dignatus est in cruce pendere, ipsique ob hoc esset in oratione luctamen, in praedicatione discursus et in exemplis dandis excessus. Unde quotiens nimia austeritas reprehenderetur in eo, respondebat: se aliis datum in exemplum [4] ». Huius rei gratia praedicatores honorabat (*c*) verbi divini; indulgentiam annuatim (*d*) pro salute dictarum animarum a Christo impetravit et a papa Sanctae Mariae de Portiuncula (*e*); sicque zelo ignito ad animas opus praedicationum non dimisit ob taedium, orationem ob daemonum luctam, austeritatem vitae ob incommoda corporis (*f*), accessus ad partes fidelium et infidelium ob laborem sui et fratrum suorum, ac cuncta perficere ad animarum salutem spectantia, ut ostensum est conformitate II huius II libri [5]. Post praedicta beati Francisci zelum habuit ad instar Christi praecipue:

1. Et primo ad detestationem hypocrisis, videlicet, ut nullo modo nec videretur, nec esset hypocrita. Unde *Legenda* tam *Antiqua,* quam *Nova* ostendit clare, quod beatus Franciscus semper voluit, quod omnia quae agebat, essent omnibus manifesta, ut dictum est conformitate V huius II libri [6]. Nonne ipse, ut hypocrisim vitaret, tunicam suam interius quadam pelle propter stomachi et splenis infirmitatem suffultam noluit portare, nisi desuper de dicta pelle, hoc est super habitum ab extra in

(*a*) Ed. II et III add. *quae omitto.* — (*b*) Edd. *fructuosa.* — (*c*) Al *hortabatur.* — (*d*) Al postea add. *quam.* — (*e*) Al postea add. *predicare.* — (*f*) As, Edd. *carnis.*

[1] *Leg. Mai.* c. 9. n. 3. — [2] Supra, 29 sqq. — [3] Cf. Ezech. 28, 14 et 16. — [4] *Leg. Mai.* c. 9. n. 4. — [5] Supra, 28 sqq. — [6] Supra, 134 sqq.

parte eadem ubi erat ab intra, poneretur [1]? — Semel etiam tunicam suam habitualem, quam solam gerebat ad carnem, propter magnum frigus apud Sanctum Eleutherium de comitatu Reate, cum repetiasset ad intra et sic tunicam socii sui, cum ab oratione rediisset, dicens socio quia datus erat aliis fratribus in exemplum, dictas petias a suo habitu statim removit [2]. — Vice alia cum carnes comedisset propter quamdam infirmitatem (*a*), ad civitatem Assisii velut latro ductus a sociis, ipso eis mandante (*b*), et nudus cum chorda in collo coram omnibus, quia carnes comederat, ipse quem sanctum putabant, coram omnibus se incusavit [3]. — Sic apud Grecium, quia cibaria comederat condita cum lardo, coram multitudine, quae ad eius convenerat praedicationem, se ut glutonem vituperandum et non ut sanctum honorandum declaravit [4]. — Insuper optabat potius de se vituperia quam laudes audire, ac sociis, si quando laudaretur, mandabat, ut de se vituperia dicerent et quae ad verecundiam erant; seque publice autumabat maximum peccatorum, ut conformitate V huius II libri dictum est [5]. Praefata omnia faciebat, ne hypocrisis vitium incurreret, vel de ipso notaretur. Et sociis suis dixit: « Taliter vivere volo in eremis et aliis locis ubi maneo, qualiter si omnes homines me viderent. Si enim putant me sanctum hominem, et non facerem vitam, quae sancto homini convenit, essem hypocrita [6] ». Hoc vitium summe fuit detestatus in se. Nolebat sanctus proclamari et inquiebat, quod eum neque sanctum laudarent, nec putarent, quia uxorem et filios habere posset [7]. In aliis etiam hoc vitium exsecratus est. — Quemdam fratrem re hypocritam, etsi exteriori apparentia sanctus a fratribus diceretur, servatorem praecipuum silentii et ostensorem fictitie bonorum operum, detexit eisdem, ipsumque ab ordine egrediendum et fictum esse quod ostendebat, declaravit; et sic evenit [8]. — Dedit beatus Franciscus uni vetulae, in civitate Assisii dum esset et per eam pergeret, suum mantellum (*c*), et ex hoc habuit vanam gloriam. Statim sequentibus se confessus fuit, quod inde vanam gloriam habuerat [9].

Secundo beatus Franciscus zelum ferventissimum habuit ad omnem mundi gloriam vitandam, ut ostensum est conformitate V huius II libri pluribus modis et exemplis [10]. Nonne ipse domino Ostiensi de promotione fratrum quaerenti fienda, respondit, quod fratres sui ideo minores vocati erant, ne maiores fieri praesumerent? Ob vitandam praelationis gloriam generalatus cessit officio, socium habere noluit et subditus esse usque ad mortem sub guardiano concesso (*d*) voluit. Et amicitia iungebatur praecipua, qui gloriam alteri, scilicet Deo, daret et non sibi, sicut patuit de episcopo Interamnensi, cui regratiatus est, qui Deo et non sibi ob praedicationem gloriam tribuerat [11]. Et quia de gloriae vitatione dictum est sufficienter conformitate V huius II libri, ideo aliter prosequi pro modo omitto de praefata materia.

Tertio habuit zelum beatus Franciscus ad regulae observantiam, in qua dixit ipse beatus Franciscus nihil posuisse de proprio, sed totum prout habuerat a

(*a*) Edd. pergit ***se coram populo, ut alias dictum est, de hoc accusavit.*** — (*b*) Al om. ***ipso eis mand.*** — (*c*) As, Edd. ***dum semel per civitatem Assisii pergeret, et quia ex.*** — (*d*) As, Edd. ***guardiano eidem obediendo.***

[1] Supra, 192 l. 30 sqq.; *Specul. Perf.* Sabatier, c. 62. — [2] Supra, 105 l. 7 sqq.; 192 l. 21 sqq.; *Specul. Perf.* Sabatier, c. 16. — [3] Supra, 134 l. 3 sqq.; 191 l. 5 sqq.; *Leg. Mai.* c. 6 n. 2. — [4] Supra, 134 l. 12 sqq.; *Specul.* cit. c. 62. — [5] Supra, 133 sqq. — [6] *Specul. Perf.* cit. c. 62; supra, 134 l. 24 sqq. — [7] Supra, 135 l. 29 sqq.; *Leg. Mai.* c. 6 n. 3. — [8] Supra, 168 sq.; l. c. c. 11 n. 10. — [9] Supra, 134 l. 16 sq. — [10] Supra, 136 sq. — [11] Supra, 134 l. 26 sqq.

Christo, ut domino papae Honorio dixit, et plures, beato Francisco orante, ministri audierunt a Christo [1]. Volebat quod semper fratres dictam regulam haberent, secum gererent et portarent, imo cum ipsa post mortem sepeliri, prout dictum est libro I conformitate IX [2].

Quarto habuit zelum, ut fratres sui essent perfecti in se, declarando quomodo videlicet, dicendo illum esse bonum fratrem Minorem, qui vitam haberet et conditiones istorum fratrum: videlicet, fidem fratris Bernardi (*a*), quam perfectissime habuit cum amore paupertatis; simplicitatem et puritatem fratris Leonis, qui vere fuit sanctissimae puritatis; curialitatem fratris Angeli, qui fuit primus miles qui venit ad ordinem et fuit omni curialitate et benignitate ornatus; fratris Massaei gratiosum aspectum et sensum naturalem cum pulchro et devoto suo eloquio; mentem elevatam in contemplatione, quam habuit frater Aegidius usque ad summam perfectionem; virtuosam et continuam orationem fratris Rufini, qui sine intermissione semper orabat: etiam dormiendo vel aliquid operando semper erat cum Domino mens eius; patientiam fratris Iuniperi, qui usque ad perfectum statum patientiae pervenit propter perfectam expropriationem propriae voluntatis, quam continue prae oculis habebat, et summum desiderium Christum imitandi (*b*) per viam crucis; fortitudinem corporalem et spiritualem fratris Iohannis de Laudibus, qui tempore illo fuit fortis corpore super omnes homines; charitatem fratris Rogerii, eius enim tota vita et conversatio erat in fervore charitatis; et solitudinem fratris Lucidi, qui fuit maximae solitudinis et nolebat nisi per mensem stare in loco, sed quando placebat sibi stare in aliquo loco, statim recedebat inde, et dixit: « Non habemus hic mansiones, sed in caelo [3] ». — Religionem suam servari in sua puritate et fratres in vocatione, qua vocati erant, persistere voluit, ut dictum est libro I conformitate IX [4]; sed in speciali:

2. Quinto habuit zelum ad domum Dei et templum Deo et beatae Virgini acceptissimum, scilicet Sanctae Mariae de Angelis, quam ecclesiam, iam mundo dimisso coram episcopo, post ecclesiam Sancti Damiani et Sancti Petri, beatus Franciscus ob reverentiam beatae Virginis matris Dei derelictam et inhabitatam resarcivit et refecit [5], ut hodie perseverat. Hanc ecclesiam etsi beatus Franciscus reaedificasset, ad abbatem et monachos Sancti Benedicti de Monte Subasio pertinebat, quam beatus Franciscus post regulae primae confirmationem ab eisdem impetravit hoc modo. — Cum enim in quodam tugurio prope civitatem Assisii beatus Franciscus se recollegisset, rediens de Roma a papa Innocentio III, prout in principio IV partis *Legendae Maioris* habetur [6], ibique arcte et inepte starent propter loci arctitudinem et rusticorum ad dictum locum divertentium cum animalibus adventum [7], « vidensque quod Dominus fratres vellet multiplicare, dicit fratribus: « Charissimi fratres et filioli mei, video quod Dominus vult nos multiplicare, unde mihi videtur bonum et religiosum, ut acquiramus ab episcopo vel canonicis Sancti Rufini aut ab abbate Sancti Benedicti aliquam ecclesiam, ubi fratres possint dicere horas suas, et solummodo

(*a*) Edd. *eo modo, quo conf. XII primi libri parte II dictum est cap. 23 de fratre Minore,* om. — *in caelo,* lin. 22. — (*b*) Al *uniendi.*

[1] *Specul. Perf.* Sabatier, c. 1. — [2] AF IV, 368 sqq. — [3] AF IV, 618; *Specul. Perf.* c. 85. — [4] AF IV, 427 sqq. — [5] *Leg. Mai.* c. 2 n. 8 sqq. — [6] C. 4 n. 3. — [7] I Cel. 16 n. 44.

habere circa eam aliquam parvam et pauperculam domum ex luto et viminibus constructam, ubi fratres possint quiescere et operari; nam locus iste, in quo stamus, non est honestus nec sufficiens fratribus, postquam Dominus vult eos multiplicare, et maxime quia hic non habemus ecclesiam, ubi fratres dicere possint horas suas, et si aliquis frater moreretur, non esset honestum hic eum sepelire, nec in ecclesia saecularium clericorum ». Et placuit sermo cunctis fratribus. Ivit ergo beatus Franciscus ad episcopum Assisii et praedicta verba coram ipso exposuit. Cui dixit episcopus: « Nullam ecclesiam habeo, quam valeam vobis dare ». Et hoc idem canonici responderunt. Tunc ivit ad abbatem Sancti Benedicti de Monte Subasio et eadem verba proposuit coram eo. Abbas vero pietate motus, habito consilio cum monachis suis, operante gratia et voluntate divina, concessit beato Francisco et fratribus suis ecclesiam Sanctae Mariae de Portiuncula pro minori et magis paupercula ecclesia quam haberet. Et ait abbas beato Francisco: « Ecce, frater, exaudivimus quod petisti; sed si Dominus hanc congregationem vestram multiplicaverit, volumus, quod locus iste sit caput omnium vestrum ». Et placuit sermo beato Francisco et fratribus suis. Et gavisus est nimis beatus Franciscus de loco fratribus concesso, maxime propter nomen Virginis matris Christi, et quia erat ita parva et paupercula ecclesia, et etiam quia cognominabatur de Portiuncula, in qua (*a*) praefigurabatur quod debebat esse mater et caput pauperum fratrum Minorum. Vocabatur enim Portiuncula, quia contrata illa antiquitus portiuncula vocabatur (*b*). Unde beatus Franciscus dixit: « Propterea voluit Deus, ut nulla alia ecclesia fratribus concederetur, et quod (*c*) fratres primi tunc ecclesiam de novo non construerent, nec haberent nisi illam, quoniam in hoc adimpleta fuit quaedam prophetia per adventum fratrum Minorum [1]. Et licet esset paupercula et quasi destructa, tamen per magnum tempus homines civitatis Assisii et totius illius contratae habuerunt devotionem maximam ad illam ecclesiam, et maiorem habent usque hodie et quotidie (*d*) augumentatur. Et licet abbas et monachi ipsam beato Francisce et fratribus suis libere concessissent, tamen beatus Franciscus tanquam bonus et peritus magister volens domum suam, id est religionem suam, fundare supra firmam petram [2], id est supra maximam paupertatem, mittebat annuatim dicto abbati et monachis unum canistrum plenum pisciculis, qui vocantur laschae, in signum maioris humilitatis et paupertatis, ut fratres nullum locum proprium haberent, nec in aliquo loco manerent, qui non esset sub dominio aliquorum, ita quod fratres nunquam haberent potestatem vendendi vel alienandi quoquo modo. Quando autem fratres portabant annuatim monachis pisciculos, ipsi propter humilitatem beati Francisci, qui hoc de voluntate sua faciebat, dabant eis unum vas plenum oleo [3] ». — In hac ecclesia, ut dictum est prius, deserta, ita ut a nemine curaretur de ipsa (*e*), ob devotionem ferventem quam habebat ad Dominam mundi, coepit ante talem concessionem beatus Franciscus in habitu eremitico exsistens assidue pro eius reparatione immorari. Quae antiquitus Sancta Maria de Angelis est vocata, quia angelici cantus sunt ibi saepius auditi [4]. Concessa ergo dicta ecclesia beato Francisco et fratribus suis, ipse pater beatus Franciscus duodenarium

---

(*a*) Edd. *quo*. — (*b*) As, Edd. *dicebatur*. — (*c*) As, Edd. om. *quod*. — (*d*) Al *continue*. — (*e*) Al, As, *curar. de ipsa et per ipsum b. Franciscum*.

---

[1] Cf. II Cel. I, 12 n. 18. — [2] Cf. Matth. 7, 24. — [3] *Specul. Perf.* Sabatier, c. 55. Bartholi, *Tract. de indulg. Port.* c. 3. — [4] *Leg. Mag.* c. 2. n. 8.

illum fratrum ad dictam Sanctam Mariam de Portiuncula, superna gratia praeeunte, deduxit, ut ubi meritis matris Dei Minorum sumpserat ordo initium, ipsius susciperet illic auxiliis incrementum [1]. — Unde statim, sicut fratres illuc ad morandum ierunt, quasi quotidie Dominus eorum multiplicabat numerum, et odor famae ipsorum per totam vallem Spoletanam et per multas mundi partes mirabiliter est dispersus. — De hoc loco « frater quidam Deo devotus ante conversionem suam vidit visionem relatione condignam. Innumeros cernebat homines, caecitate percussos, facie in caelum directa et genibus flexis in huius ecclesiae stare circuitu, qui omnes, protensis manibus in altum, lacrimabiliter clamabant ad Deum, misericordiam postulantes et lumen. Et ecce ingens de caelo splendor advenit, se per omnes diffundens, qui lumen unicuique tribuit et salutem desideratam concessit [2] ». — Quod utique tam sanctitate fratrum ibidem commorantium quam indulgentiae ibidem a (*a*) beato Francisco a Christo et a papa impetratae, quod visione frater praevidit, patet nunc esse completum.

In (*b*) hoc loco Sanctae Mariae de Portiuncula sive de Angelis, antequam beatus Franciscus ad morandum ivisset cum fratribus, quidam rusticus prope stans, audivit pluries de nocte angelorum cantum. Hoc cum cuidam sacerdoti de Assisio dixisset, dixit sacerdos: « Quare non ducis ad dictum locum Franciscum cum sociis suis, qui stant in Rigotorto »? Quod cum fecisset, et beatus Franciscus staret de nocte ibidem, in visione vidit dormiendo quod Christus venit cum Matre sua, et videbatur ei quod starent. Et cum beatus Franciscus diceret: « Quis estis vos »? respondit Iesus: « Ego sum Christus, et haec est Mater mea ». Et beatus Franciscus: « Unde venis »? Respondit Christus: « De ultra mare ». Et beatus Franciscus: « Quare venistis »? Respondit Christus: « Veni ed desponsandum locum istum matri meae ». Et his dictis, disparuit. Et beatus Franciscus excitatus a somno dixit: « Non recedam de loco isto amplius » et sic fecit [3]. — Hic est locus, in quo ordo fratrum Minorum a sancto Francisco per divinae revelationis instinctum inchoatus est, de quo frater Thomas in *Legenda* beati Francisci *Antiqua* [4] sic dicit: « Servus Dei Franciscus, persona modicus, mente humilis, professione minor, in saeculo degens, Portiunculam pro se et suis de mundo elegit, ex quo aliter Christo, nisi de mundo aliquid haberet, servire non potuit. Non est (*c*) enim sine praesentia divini oraculi a diebus antiquis, quod (*d*) Portiuncula dictus est locus, qui in illorum debebat cedere sortem, qui de mundo penitus nil cupiebant habere. Nam et in eo Virginis matris ecclesia constructa erat, quae sua singulari humilitate meruit post Filium suum caput esse omnium sanctorum. In ea Minorum ordo principium sumpsit, ibidem multiplici muro velut supra stabile fundamentum eorum nobilis structura surrexit. Hunc locum sanctus Franciscus amavit prae omnibus, hunc praecepit fratres singulari reverentia venerari, hunc velut speculum religionis in humilitate ac paupertate altissima semper voluit custodiri, proprietatem ex eo aliis reservans, sibi et suis retinens usum tantum ». Et subdit [5]: « Servabatur ibidem rigidissima in omnibus disciplina tam in silentio et labore quam ceteris regularibus institutis. Nemini nisi fratribus speciali-

(*a*) Edd. *per b. Franciscum,* deinde *ut in visione.* — (*b*) Edd. III om. *In hoc — fecit* l. 26. — (*c*) As, Edd. om. *est.* — (*d*) As, Edd. om. *quod.*

[1] *Leg. Mai.* c. 4 n. 5. Bartholi, c. 4. — [2] *Leg. Mai.* c. 2 n. 8; II Cel. II, 13 (II, 11) n. 20. — [3] Bartholi, l. c. c. 1. — [4] II Cel. I, 12 n. 18. — [5] L. c. n. 19.

ter deputatis, ibidem patebat ingressus, quos undique aggregatos (*a*) volebat sanctus vere Deo esse devotos et ex omni parte esse perfectos. Sic et omni saeculari personae omnis penitus praecludebatur introitus. Nolebat, ut fratres exsistentes ibidem, qui sub certo numero arctabantur, ad saecularium relationem prurirent auribus, ne contemplatione intermissa caelestium, ad inferiorum commercia per rumigerulos traherentur. Non licebat ibidem alicui otiosa verba proferre, nec (*b*) referre prolata per alios; quod si aliquando per aliquem contingeret, quod ultra non adderet, poena de certo cavebat in posterum. Sine intermissione diebus ac noctibus exsistentes in loco divinis erant laudibus occupati et odore miro fragrantes, vitam ducebant angelicam. Solebat enim, veterum incolarum relatu, Sancta Maria de Angelis alio nomine dici. Relatum sibi a Deo felix pater dixit beatam Virginem, inter alias ecclesias ad suum honorem in mundo constructas, illam speciali amore diligere, ideoque sanctus prae ceteris eam plus amabat ». Haec ille.

3. Et, ut verba praefati fratris clarius videantur et de zelo quem beatus Franciscus habuit ad locum praefatum, est sciendum, quod beatus Franciscus in dicto loco voluit: primo quod omnia aedificia essent abiectissima et vilissima, utpote facta, excepta ecclesia, de lignis viminibus ac cooperta de paleis. Cum enim in dicto loco fratres haberent unam parvam casellam de paleis coopertam et annuatim ibidem fieret capitulum ac fratres multiplicarentur, populus Assisinas praefata considerans domum magnam ex lapidibus et calce fecisset, sine beati Francisci consensu infra paucos dies, ipso absente (*c*), et ipse pater reversus miraretur de aedificio illo, « timens, ne occasione illius domus alii fratres in locis, in quibus morabantur et moraturi erant, facerent similiter fieri (*d*) magnas domos (*e*), et quia volebat, quod locus ille forma esset et exemplum omnium aliorum locorum ordinis; antequam finiretur capitulum, super tectum domus ascendit et fratribus ut ascenderent praecepit. Et simul cum ipsis fratribus coepit velle destruere dictam domum usque ad fundamentum. Sed milites de Assisio, qui erant ibi ad custodiam dicti loci propter multitudinem forensium, quae convenerat, dixerunt ei: « Frater Francisce, haec domus est de communitate Assisii et nos sumus hic pro dicta communitate; unde interdicimus tibi, ne destruas domum nostram (*f*) ». Iam enim discooperuerat eam. Audiens autem beatus Franciscus hoc, dixit illis: « Ergo (*g*) si vestra est domus, nolo tangere eam ». Et statim ipse et fratres de ea descenderunt [1] ». — Reprehendit vicarium suum, qui ibi fecerat fieri quamdam parvam domum in sui absentia, ubi fratres possent quiescere et dicere horas suas. « Nam propter multitudinem fratrum venientium ad locum, nec habebant ubi quiescerent, nec ubi possent dicere divinum officium. Nullus enim ad ordinem nisi ibi recipiebatur ». Dixitque beatus Franciscus: « Frater, locus iste est forma et exemplum totius religionis. Et ideo prius volo, quod fratres istius loci tolerent tribulationes et incommoda amore Domini, et alii fratres, qui huc veniunt, reportent bonum exemplum paupertatis ad loca sua, quam (*h*) si isti haberent consolationes suas plenarie, et alii assumerent exemplum aedificandi

(*a*) Edd. ***congregatos***. — (*b*) Edd. ***vel***. — (*c*) As, Edd. om. ***ipso absente***. — (*d*) Edd. om. ***fieri***. — (*e*) Edd. breviter ***voluit ipsam destruere, ut in praehabitis dictum est***. — (*f*) As ***istam***. — (*g*) Al ***ego***. — (*h*) Al ***quia***.

[1] *Specul. Perf.* Sabatier, c. 7; II Cel. II, 27 (III, 3) n. 57; supra, 107 l. 8 sqq.

similia in locis suis dicentes: « In loco Sanctae Mariae de Portiuncula, qui est primus locus ordinis, fiunt talia et talia aedificia: bene possumus et nos aedificare in locis nostris [1] ».

Secundo beatus Franciscus noluit, quod in dicto loco carnes comederentur ullo modo. Unde, dum esset semel infirmus et oporteret eum carnes comedere, vocatis sociis, dixit: « Fratres mei, iste est locus reverentior, qui sit in mundo, saltem citra mare et plus ipsum diligo; et ideo non est conveniens, ut in isto tam sancto loco vivamus sicut in aliis locis et quod hic carnes comedantur, et multi fratres forenses qui transeunt, ne deaedificentur. Unde nolo esse hic modo ad praesens, cum me oporteat vita lautiori vivere propter infirmitatem meam ». Et ivit ad episcopum Assisii, qui libenter fecit sibi expensas, donec fuit sanus effectus.

Tertio beatus Franciscus noluit, quod verbo otioso vel saeculari ipsum locum aliquatenus foedarent, sed semper in silentio essent ibidem de Deo loquentes solum, non de mundo. Unde « ordinavit et mandavit firmiter observari, quod si quis fratrum vagans vel aliquid operans inter fratres verbum otiosum aliquod protulerit, teneretur semel dicere *Pater noster*, laudando Deum in principio orationis et in fine, ita tamen quod si forte sui conscius prius se culpaverit de commisso, ipsum *Pater noster* dicat pro anima sua cum *Laudibus Dei* [2], ut est dictum [3]. Si autem ab aliquo fratre prius inde fuerit reprehensus, *Pater noster* pro anima fratris arguentis ipsum praedicto modo dicere teneretur. Si vero reprehensus se excusaret, et ipsum *Pater noster* dicere nollet, eodem modo teneretur dicere duo *Pater noster* pro anima illius fratris arguentis ipsum. Si ipsius vel alterius testimonio constiterit esse verum, quod ille verbum dixerit otiosum, dictas etiam *Laudes Dei* in principio et in fine orationis ita alte dicat, quod ab omnibus fratribus circumstantibus audiatur. Qui fratres, dum haec ille dixerit, taceant et auscultent. Si vero audiens fratrem dicentem verbum otiosum tacuerit et non arguerit eum, eodem modo teneretur dicere unum *Pater noster* cum *Laudibus Dei* pro anima illius dicentis. Et quicumque frater ingrediens cellam vel domum vel aliquem locum, et invenerit ibi fratrem vel fratres, debeat Deum devote benedicere et laudare [4].

Quarto voluit beatus Franciscus, quod in dicto loco essent fratres vita et exemplo singulares. Unde dixit ipse beatus Franciscus: « Volo, quod ipse locus semper sit immediate sub potestate generalis ministri et servi, ut inde maiorem curam et sollicitudinem habeat providendi ibidem de bona et sancta familia. Clerici eligantur de melioribus et sanctioribus et magis honestis fratribus, et qui sciant melius dicere officium qui sint in tota religione, ut non solum saeculares sed etiam alii fratres libenter et cum magna devotione videant et audiant eos. De fratribus etiam laicis, sanctis hominibus, discretis, humilibus et honestis eligantur, qui serviant illis. Et cum aliquis istorum fratrum migraverit ad Dominum, volo quod loco ipsius mittatur illuc alius sanctus frater, ubicumque fuerit, a generali ministro [5] ».

Quinto vetuit beatus Franciscus et prohibuit, ut nulla persona saecularis locum fratrum intraret; unde dixit: « Volo, quod nulla persona et nullus frater illum locum intret, nisi generalis minister et fratres, qui serviunt illis, et ipsi non loquantur

[1] *Specul.* cit. c. 8; Lemmens, c. 28; supra, 107 l. 18 sqq. — [2] Supra, 256 sq.; AF IV, 600 sq.; *Opuscula S. Fr.* 119 sqq. — [3] Lin. 16. — [4] *Specul.* Sabatier, c. 82; Lemmens, c. 35. — [5] *Specul.* Sabatier, c. 55.

cum aliqua persona nisi cum fratribus, qui serviunt ipsis, et cum ministro quando visitaret eos. Volo similiter, quod fratres laici, qui serviunt eis, teneantur nunquam eis dicere verba otiosa vel nova huius seculi vel alia, quae non essent utilia animabus eorum. Et propterea specialiter volo, quod nullus intret in locum illum, ut ipsi melius conservent puritatem et sanctitatem suam, et quod in loco illo nihil penitus fiat vel dicatur inutiliter, sed ipse locus totus teneatur purus et sanctus in hymnis et laudibus Domini [1] ». « Nam si alii fratres aliquando declinaverint a puritate et honestate, volo quod iste locus benedictus sit et permaneat semper speculum et bonum exemplum totius religionis et quoddam candelabrum ante thronum Dei et beatam Virginem semper ardens et lucens, per quod Dominus propitietur defectibus et culpis omnium fratrum atque conservet semper et protegat hanc religionem et plantulam suam [2] ».

Sexto et ultimo quoad hoc et penes quod sumitur conformitas istius secundae partis ad primam praecedentem, videlicet: *Iesus dux formidabilis: Franciscus detestator*, est, quod beatus Franciscus noluit in hoc loco praecipue sicut nec in aliis esse mensam nummulariorum, id est pecuniae quoquo modo receptio, immo si alibi detestatus est et exsecratus receptionem pecuniae, hic summe abhorruit, nec voluit pecuniam poni in altari nec alibi in quocumque loco dictae Ecclesiae. Unde sicut *Iesus dux formidabilis*, pecuniam proiecit de templo, sic et beatus Franciscus de tota Ecclesia praefata pecuniam oblatam exportari praecepit. Cum enim semel « quidam saecularis dictam ecclesiam intrans oraturus, oblationis causa pecuniam (*a*) posuisset iuxta crucem, et quia (*b*) patris praeceptum erat, ne pecunia offerri permitteretur, frater quidam, hanc videns, manu tangens eam in fenestram proiecit. Sed cum hoc dictum esset beato Francisco et ille humo prostratus veniam postulasset cum oblatione ad verbera et disciplinam, beatus Franciscus eidem mandavit, ut proprio ore pecuniam de fenestra acciperet et extra saepem loci portaret et ore proprio poneret super stercus asini. Quo facto, fratres timore maximo sunt repleti, et ex tunc magis contempserunt pecuniam stercori asini comparatam ». Sicut ergo Christus detestatus est domum suam fieri domum negotiationis, sic et beatus Franciscus ecclesiam ipsam Sanctae Mariae et alias sui ordinis a receptione (*c*) pecuniarum vel repositorium pecuniae aut pecuniarum contrectationis [3]. Sic ergo apparet conformitas beati Francisci ad Christum in hoc, quod ostendere nitebatur (*d*) pars secunda istius XVI conformitatis dicens: *Franciscus detestator*.

In hoc siquidem loco, Deo et beatae Mariae accepto, fratres stantes « macerabant quidem carnem suam ieiuniis et vigiliis multis, frigore et nuditate et labore manuum suarum. Multoties etiam, ut non starent otiosi, iuvabant pauperes homines in agris eorum, et ipsi postea dabant eis de pane amore Dei [4] ». Stabant ibi, ut in loco sancto, discalceati cum Moyse et Iosue ab omni affectu carnali et mundiali, Domino famulantes et ipsum iuxta voluntatem beati Francisci in omni sanctitate tenentes. — Ad hunc locum omnes fratres debent, non solum attendendo beneplacitum beati Francisci, sed etiam quae ibidem divinitus sunt peracta, summam devotionem habere. In hoc siquidem loco, reparata ecclesia, beatus Franciscus: primo stetit [5]; ad

(*a*) Edd. add. *proiectam in templo.* — (*b*) As, Edd. om. *quia.* — (*c*) Edd. *a receptionis pecuniarum contrectatione.* — (*d*) Edd. *videbatur.*

[1] *Specul.* Sabatier, c. 55 (p. 100). — [2] L. c. c. 55 (p. 101). — [3] *Specul.* cit. c. 14. — [4] *Specul.* cit. c. 55. — [5] *Leg. Mai.* c. 2 n. 8; cf. et seqq.

hunc locum fratrum Minorum coetum deduxit. De oleo lampadis huius Ecclesiae Franciscus cum micis panis faciens antidotum, Moricum sanavit [1]. In hoc loco orans, in statua ei divinitus ostensa progressum totum sui ordinis praevidit [2] Praerogativas sui ordinis quatuor ostendit, ac si fratres in eorum vocatione persisterent, omnem tribulationem a mundo se ablaturum Christus promisit [3]. Hic Franciscus, in humilitatis exemplo, cum leproso horribili in una scutella comedit [4]. Hoc in loco beata Clara tonsurata, sponso Christo nupsit et dedicata est [5]. Mater Iesu cum Filio visa est a beato Francisco, et indulgentia pro peccatoribus est impetrata [6]. Cur mundus post beatum Frunciscum incederet, fratri Masseo declaratum est (*a*) [7]. Christus in medio fratrum et beati Francisci de Deo loquentium visus est ut iuvenis ab eis, et benedicendo eisdem summa consolationis dulcedine recreavit [8]. Cum beato Francisco et sociis sancta Clara comedendo et socia sua, Spiritus Sanctus descendit super eos, ac omnes in Deum sunt rapti [9]. Angelus Domini adveniens, fratri Eliae superbo de observantia sancti Evangelii quaestionem proposuit [10]. Et quinque (*b*) milibus fratrum in capitulo generali congregatis victum Deus abunde ministravit [11]. Tres panes in manibus Francisci pro cibatione triginta fratrum multiplicat [12]. Locum ab ingressu exercitus daemonum, ut in eo, nisi occasione data per fratrem, nullus intrare possit, praeservavit [13]. Multis aliis venustatur praerogativis, de quibus quidam f r a t e r v e r s i f i c a t o r [14] sic dicit:

Sanctus sanctorum vere locus est iste locorum;
Digne magnorum (*c*) censetur dignus honorum.
Felix agnomen (*d*), felicius est sibi nomen (*e*);
Et modo cognomen sortitur muneris omen.
Angelicum numen hic circumfundere lumen (*f*);
Hic pernoctare solet, hymnos voce sonare.
Postquam tota ruit, Franciscus eam relevavit;
Ex tribus una fuit, quas ipse pater reparavit.
Hanc pater elegit, cum membra sacco subegit;
Hic corpus fregit, mentique subesse coegit.
Hoc intra templum genitus fuit ordo Minorum,
Dum patris exemplum sectatur turba virorum.
Clara Dei sponsa fuit hic primario tonsa (*g*),
Pompis exuta mundi, Christumque secuta:
Sic partum clarum fratrum simul et dominarum
Sacra (*h*) parens fudit Christum, quibus orbe refudit.
Hic fuit arctata veteris (*i*) mundi via lata (*k*),
(Scilicet per paupertatem, obedientiam et castitatem [15]);
Et dilatata virtus in gente vocata,
Regula conflata, paupertas sancta renata,
Gloria prostrata, crux in medium revocata.
Sicubi turbatur Franciscus et accidiatur,
Hic tranquillatur, istic sua mens renovatur.
Hic demonstratur verum, de quo dubitatur;
Immo donatur quicquid pater ipse precatur.

(*a*) As, Edd. *frater Massaeus est declaratus.* — (*b*) As, Edd. *sex.* — (*c*) Ed. II et III *maiorum.* — (*d*) Al add. *scilicet de angelis.* — (*e*) Al add. *id est Sancta Maria.* — (*f*) Al. add. *scil. solet.* — (*g*) Al *primerio sponsa.* — (*h*) Al add. *id est S. Maria.* — (*i*) Edd. *ventris.* — (*k*) Codd., Edd. om. *via lata.*

[1] Supra, 161 sq. — [2] Supra, 163 sqq. — [3] Supra, 168 l. 21 sqq. — [4] Supra, 132. — [5] AF IV, 352. — [6] Supra, 29 sqq. — [7] Supra, 135. — [8] Supra, 81 l. 1 sqq. — [9] Supra, 81. — [10] AF IV, 440. — [11] Supra, 177 l. 26 sqq, 278 sq. — [12] Supra, 280 sq. — [13] Supra, 226 l. 9 sqq. — [14] *Specul. Perf.* Sabatier, c. 84. — [15] Hic (versus) deest, ap. *Spec. Perf.* l. c.

Haec ille. Ex quibus patent nonnulla dicti loci insignia. Super omnia tamen pandunt ipsam Ecclesiam et locum esse singularem: Quia beatus Franciscus ibidem incepit, mediavit et vitam finire complacuit, ut suo initio, medio et consummatione sanctificaretur. Indulgentia enim ibi est generalis pro remissione omnium peccaminum omnibus in consecratione dictae Ecclesiae ad ipsam pergentibus Christicolis. Insuper aliis locis a Virgine Christi matre praedilectis, ipse quadam praeeminentia praeponitur. Et ideo bene dicitur in *Legenda Antiqua* [1], quod « licet beatus Franciscus in omni sede terrarum regna caelorum constituta cognosceret et in omni loco divinam gratiam (*a*) crederet posse donari, expertus tamen erat locum Sanctae Mariae de Portiuncula gratia uberiori repletum et supernorum spirituum visitatione caelitus frequentatum. Dicebat proinde fratribus saepe: « Videte, o filioli mei (*b*), ne unquam hunc locum relinquatis. Si ab una parte foras pellemini, per aliam reintrate. Nam locus iste sanctus est et habitatio Christi et Virginis matris eius. Hic cum pauci essemus, nos augumentavit Altissimus. Hic luce sapientiae suae illuminavit animas pauperum suorum. Hic igne amoris sui nostras voluntates accendit. Hic qui oraverit corde devoto, quod petierit obtinebit, et offendens gravius punietur. Propter quod, o filii, habete hunc locum omni reverentia et honore dignissimum, tanquam vere habitaculum Dei, ab ipso et eius Matre singulariter praedilectum. Atque ibidem toto corde in voce exsultationis et confessionis confitemini Deo Patri et eius Filio Domino Iesu Christo in Sancti Spiritus unitate (*c*) ». Haec beatus Franciscus.

Ex praefatis apparet declaratio secundae partis huius XVI conformitatis, videlicet: *Franciscus detestator;* et sic completus est liber II de vita et conformitate beati Francisci ad vitam Salvatoris nostri, Domini Iesu Christi, ad honorem et laudem ipsius beatae Mariae et beati patris nostri Francisci. Amen (*d*).

(*a*) Al *grat. aestimandam cred.* — (*b*) As, Edd. *filii, ne.* — (*c*) Edd. add. *Amen.* — (*d*) As, Edd. add. *Explicit liber II* etc.

[1] *Specul. Perf.* Sabatier, c. 83.



LIBER TERTIUS

DE DUODECIM ALIIS FRUCTIBUS ET CONFORMITATIBUS VITAE BEATI FRANCISCI AD VITAM DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI.

FRUCTUS ET CONFORMITAS PRIMA ET IN ORDINE VIGESIMA NONA: Iesus Cum Suis Comedens — Franciscus Aemulatur.

Expositio primae partis, videlicet: **Iesus cum suis comedens.**

Virtus illa et sapientia divina, qua omnia a Deo fiunt et facta sunt, etsi mirabilis fuerit in efficiendo creata in mundi exordio, tam varie operando quoad formas, proprietates, distinctiones et loca, hominem sic condendo, locando, indulgendo et poenitentialiter corripiendo (*a*); mirabilior apparuit in regulando lege et praeceptis, et quae sunt ad sui cultum demandando (*b*), et hoc consideratis circumstantiis et conditionibus, quibus praefata sunt instituta, et demum pensato quoad dicta totius veteris Testamenti processu; mirabilissima tamen apparuit in fine temporum, quo suo in mundum adventu et hominem redimeret et gratiae plenitudine mundum singulariter repleret. In quo videlicet tempore mirabilissimam divinam acclamat sapientiam ipsa Dei Verbi incarnatio, quam nisi fides credat, ratio non explicat, Iesu conversatio per triginta annos, ut simplex homo, eius baptizatio, ieiunatio, cum diabolo decertatio, praedicatio et miraculorum operatio.

(*a*) **A1**, Edd. ***corrigendo***. — (*b*) **A1** ***demonstrando***.

1. Sed ut (*a*) ad propositum nostrum, quoad expositionem primae partis conformitatis I huius III libri, videlicet: *Iesus cum suis comedens* discipulis, accedamus: Mirabilissima fuit coena dominica, qua cum suis comedit Apostolis, propter illa, quae ibidem peracta sunt a divina sapientia, quae Christus est. Ibi enim facta est primitus a Christo veterum sacrificiorum terminatio; secundo novi sacramenti (*b*) institutio et ordinatio; et demum multorum meditatione dignissimorum a Christo facta est declaratio. De quibus tribus succincte in hac primae partis huius conformitatis expositione disserendo patebit, quid velit depromere, cum dicitur: *Iesus cum suis comedens.* Non solum haec primae partis profunditas et praefata ostendunt mirabilissimam Dei sapientiam, sed et passio Christi, ad inferos descensio, resurrectio et sic de aliis, de quibus in sequentibus, eis omissis ad praesens, patebit. — Sed quae peracta sunt in coena prosequendo, dico, quod mirabilissimam divinam sapientiam pandit:

Primo quod factum est in coena, scilicet veterum sacrificiorum terminatio. Et pro huius materiae declaratione, quia multis videtur dubium (*c*): quomodo Deus id quod ordinaverat, scilicet vetera sacrificia, cassare voluerit et alia ordinare et instituere: sunt ergo aliqua pro proposito declarando notanda. — Et quod in suis dictis et promissis veracissimus invenitur et probatur, primum est quod Deus, cum sit veritas, infallibilis est. Nam ut scribitur Num 23, 19: *Non est Deus ut homo, ut mentiatur, aut ut filius hominis, ut mutetur. Dixit enim, et non faciet? Locutus est, et non implebit?* ait Balaam. Quo sequitur, quod quidquid Deus dicit aut dicet, promisit aut promittet, aliquando implet, implevit aut implebit. — Secundum notandum, et sequitur ex praefatis, est quod sacramenta legalia cessare debebant. Patet, quia hoc dixit, ut habetur Oseae 2, 11: *Cessare faciam omne gaudium* vestrum, *sollemnitatem eius, sabbatum, neomeniamque et festa et tempora eius.* Et Is. 1, 11, 13 sq.: *Holocausta arietum et adipem pinguium et sanguinem vitulorum et hircorum et agnorum nolui. Non offeratis ultra sacrificium frustra; incensum abominatio est mihi, neomeniam et sabbatum et festivitates alias non feram, kalendas vestras et festivitates vestras odivit anima mea; facta sunt mihi molesta.* Et David in Psalmo 50, 18: *Si voluisses sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis.* Cum ergo Deus dixerit talia cessanda etsi continentia, multo fortius et contenta. Quare in cessatione sabbati, neomeniae et festivitatum ac ipsorum sacrificiorum cessatione intelligitur, quod talia ergo erant cessanda. Insuper cum talia essent umbrae et figurae, quia ut dicit Apostolus [1]: *Omnia in figura contingebant illis;* quare aliquando cessare debebant, veniente veritate et figurato. — Tertium notandum, quod sacramenta veteris legis Deo erant accepta, non principaliter ratione operis operati, sed operantis. Nam ratione operati non erant magis accepta quam cetera a Deo creata; sicut patet discurrendo per singula. Ratione operantis, scilicet offerentis, prout dicitur Gen. 4, 4, quod *respexit Deus ad Abel,* scilicet offerentem et primo; *et ad munera eius,* scilicet secundo, quia ratione offerentis acceptavit oblatum. Sic et sacrificium Deus acceptavit Noe post diluvium, Gen. 8, 21; sic et sacrificium Abrahae pro filio, non ratione oblatorum sed offerentium. Quia ergo homines offerentes Deo erant accepti ratione personae, quia obedientes Deo, nam ut dicitur I Reg. 15, 22: *Melior est obedientia quam victimae* etc., et iuxta illud Oseae [2]: *Obedientiam volo et non sacrificium* etc.; si Deus sacrificium odiebat, non erat nisi ratione offerentis, ut patet Is. 1, 11 sqq. Nam postquam dixit: *Non offeratis ultra sacrificium frustra* etc., addidit: *Odivit anima mea; facta sunt mihi molesta.* Causam assignat: *Manus enim vestrae sanguine plenae sunt;* et ante praemiserat: *Holocausta arietum* etc.; subdit: *Cum veniretis ante conspectum meum, quis requisivit haec de manibus*

(*a*) Edd. om. *ut;* subinde As, Edd. om. *discipulis accedamus.* — (*b*) Al *testamenti.* — (*c*) Edd. add. *dicendum est.*

[1] I Cor. 10, 11. — [2] Cf. Os. 6, 6; est tamen textus Matth. 12, 7.

vestris? Subdit: et non potius, *ut ambularetis in atriis meis?* Et Mich. 6, 6 sqq. dicit: *Quid dignum offeram Deo?* subdit: *Curvabo genua mea Deo excelso.* Ecce quod Deus principaliter requirebat; et subdit: *Numquid offeram ei holocautomata et vitulos anniculos? Numquid placari potest Deus in milibus arietum aut in milibus hircorum pinguium? Numquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato meo?* quasi diceret: Non. Et addidit: *Indicabo tibi, homo, quid sit bonum et quid Deus requirat a te: utique facere iudicium et diligere misericordiam et sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Quo concluditur, quod ratione operantium talia sacrificia erant Deo accepta. Sed cum ipsi offerentes non exercerent ea, quae Deo placita erant, ut dicit Isaias [1] et alii prophetae concorditer omnes, dicta sacrificia et alia erant ei odiosa et molesta et non accepta. — Quartum notandum, quod sicut tria tempora sacra Scriptura describit a lapsu primi hominis: scilicet, naturae lapsae, legis promulgatae et gratiae, et omni tempore sacrificia esse debebant temporibus (*a*) correspondentia, ex quo iam dicta sacrificia tam legis promulgatae quam naturae lapsae, Deo ut odiosa cessare debebant; ergo alia tempore gratiae institui debebant, tempori gratiae conformia et correspondentia. Quod omni tempore sacramenta esse deberent post lapsum, patet congruentia quadam. Quia omnis status habens morbum, medicinam requirit; quare et omnis status post lapsum, quia saltem originali morbo inficitur, nec convenit divinae misericordiae et bonitati, hominem sine remedio et medicina et sine his permittere, sine quibus finis humanus non habetur, videlicet vita aeterna; quare et sine sacramentis, quibus sive ratione operati vel operantis datur gratia, per quam culpa deletur et morbus cavetur et quoad culpam spiritualiter removetur. Et ideo bene dicit Augustinus libro XIX *Contra Faustum* [2]: Nullum nomen religionis est, in quo homines non sacramentorum visibilium (*b*) consortio colligantur. Quo sequitur, quod cessantibus sacramentis veteribus, alia deberent institui tempori gratiae conformia. Patet, quia alia sacramenta fuerunt in praefatis temporibus, scilicet tam tempore legis promulgatae quam naturae lapsae. Quare propositum, quod tempore gratiae sacramenta debebant institui non similia praefatis, quia Deo non placuissent; ergo dissimilia: et quoad operatum, ut scilicet essent Deo placita tam ratione operantis quam operis operati: et quoad gratiae infusionem per ea quia copiosiora; et quoad distinctionem in se, ut nullum tale in se, etsi in simili remanerent, circumcisio in se abolita est, manet in simili et perfectius, quia in baptismo, quoad peccatum originale, deletur sicut fiebat in veteri testamento per ipsam circumcisionem; et quoad perfectionem, ut perfectiora essent tempore gratiae quam aliis temporibus et in gratia et in aliis.

Quintum notandum, quod sacramenta veteris legis a Deo solo sunt instituta, sicut et tempore gratiae. Ratio, quia sacramenta, prout loquimur in praesenti, quae instituta sunt in veteri testamento sive ad ipsum Deum honorandum sive ad placandum vel ad morbum peccati removendum, a Deo solo sunt instituta, quia ipse solus est qui tollit peccati morbum et gratiam dat, ac immobiliter potest assistere suo signo a se instituto, cum omnis creatura sit defectiva. Quo sequitur, quod cum vetera essent omnino cassanda, ut patet ex primo notando et secundo, et omni tempore sacramenta esse decebat, utpote medicinam contra morbum peccati, et a solo Deo possunt institui; ergo Deus sacramenta alia perfectiora praehabitis in veteri testamento instituere debebat, et hoc tempore gratiae: patet ex iam dictis.

Quibus sequitur sextum notandum, quod cum Christus sit Deus, ut dictum est et probatum conformitate XIV libri II [3], sacramenta mutare debebat et alia instituere, ut patet ex iam dictis, quia sacramenta, quae instituere volebat, ante passionem suam instituere debebat. Ratio est, quia sacramenta institui debebant a Christo, ut dicetur, et ante passionem, utpote

(*a*) Al om. *temporibus — ergo alia;* eiusmodi omissiones planas non notamus — (*b*) Cod., Edd. *de fidelium.*

[1] Is. 1, 11 sqq.; Ier. 6, 20; Am. 5, 21; Malach. 1, 12. — [2] L. c. c. 11 (P. L. 42, 355). — [3] Supra, p. 298 sqq.

a qua (a) habuerunt efficaciam et sortita sunt effectum. Passio enim Christi non tam praevisa (b) quam exhibita efficaciam sacramentis dedit, ut docet beatus Augustinus XXII *De civitate Dei* circa principium [1]. In exordio quippe generis humani, de latere viri dormientis detracta costa, aedificata est femina: Christum et Ecclesiam iam tunc prophetizari (c) oportebat. Sopor quippe ille viri dormientis, mors erat Christi, cuius exanimis in cruce pendentis lancea latus perforatum est, atque inde sanguis et aqua profluit, quae sacramenta esse novimus, quibus Christi aedificatur Ecclesia, ut idem Augustinus XV *De civitate Dei,* cap. 26 [2]: « Quod archa in latere ostium accepit, profecto illud est vulnus, quando lancea latus crucifixi perforatum est ». Hac quippe ad illum venientes ingrediuntur, quia inde sacramenta emanaverunt, unde credentes initiantur. Quod a Christi passione sacramenta habuerint efficaciam, patet per illud, quod habetur De consecr. di. 4 *Propter* [3]. Et Extra. De baptismo et eius effectu: *Maiores,* paragrapho: *Caute* [4] (d). Et ratio est, quia ab illo sacramenta habuerunt efficaciam, a quo nostra recompensatur offensa et donatur gratia. Sacramenta enim habent duo praefata efficere, scilicet culpam dimittere et gratiam conferre; non ex se sed ex institutione divina talis est efficacia sacramentorum. Sed passio Christi praedicta efficit, ut dicit Ioannes Damascenus [5] lib IV, c. 3, qui postquam dixit quod: Omnis Christi actio est mirabilis, subdit: Omnibus mirabilibus mirabilior est eius pretiosa crux, id est passio. Per nullum enim aliud evacuata est mors primi parentis, peccatum solutum, infernus depraedatus et resurrectio demonstrata. Sed sciendum, quod passio Christi efficaciam non dedit sacramentis ut causa principalis, quia solus Deus hoc agit, sed ut causa meritoria, ut declarat Anselmus lib. II *Cur Deus homo,* cap. 20 [6]: Licet enim ante passionem Domini sacramenta sint a Christo instituta, in passione tamen omnia apparuerunt mystice, ut ostenderent a passione ipsa efficaciam obtinuisse. Ibi enim apparuit: baptismus in aqua; confirmatio in sanguine, quo confirmamur in bono; eucharistia, quia ipse idem sacerdos fuit et hostia, secundum Augustinum IV *De Trinitate* [7], et sic fuit ibi ordo; poenitentia in confessione latronis; matrimonium, quia in cruce Ecclesiam sibi ut sponsam copulavit, iuxta illud: *Sponsus sanguinum tu mihi es* [8]; extrema unctio in linitione crucis a sanguine Christi. Praefatis ergo apparet, quod sacramenta vetera a Christo, iuxta ipsius promissionem, cassanda et terminanda ante suam passionem, et terminata et cassata sunt et nova instituta sunt a Christo, etsi de institutione statim apertius dicetur. Sed vetera sacramenta a Christo terminata et cassata ante passionem suam, quomodo observantibus ex tunc non fuerint salutifera, vel sic, et quando fuerunt mortifera; quia dominus Robertus Lincolniensis in tractatu *De cessatione legalium* parte III [9] hoc ostendit, vide ibi; hic omittatur, quia non est praesentis speculationis. Et sic patet breviter primum, quod hic erat videndum, quo (e) divina sapientia mirabilissima videbatur.

2. Videndum est nunc de secundo quo Deus singularissime mirabilis declaratur videlicet de sacramentorum institutione et specialiter de sacramento Eucharistiae et eius institutione, de quo est hic ad praesens sermo. Et praesupposito, quod a Christo debebant sacramenta, quibus utimur, institui, utpote Deo vero et homine, qui potest assistere signo ab ipso instituto immobiliter, qui remissione peccatorum potest dare et gratiam ut Deus principaliter et ut homo meritorie et sic perducere ad finem nostrum, scilicet beatitudinem. Sicque et de facto sunt ab ipso instituta: Ioan. 3, 5, Baptismus, quia discipuli Christi baptizabant; et publicatus est Matth. ultimo, 19: *Ite et docete omnes gentes, bapti-*

(a) Edd. *antequam.* — (b) Edd. *praemissa.* — (c) As, Edd. *prophetari.* — (d) Codd., Edd. *Tante.* — (e) Edd. om. *quo — videbatur.*

[1] Cf. c. 2; (P. L. 41, 762 sq.). — [2] P. L. 41, 472. — [3] Dist. IV, c. 85. — [4] Decr. Greg. l. III, tit. 42 c. 3. — [5] *De fide orthod.* l. IV, c. 4 (P. G. 94, 1107 sqq.). — [6] Cf. l. c. l. 2, c. 20 (P. L. 158, 429 sqq.). — [7] Cf. c. 14 (P. L. 42, 901). — [8] Exod. 4, 25. — [9] Ed. Londinii 1652 et 1658.

zantes eos etc. Confirmatio, Ioan. 20, 22 sq.: *Accipite Spiritum Sanctum.* Poenitentia ibidem: *Quorum remiseritis peccata* etc. Nec illud, quod dicit Iacobus in Canonica sua, Iacob 5, 16: *Confitemini alterutrum peccata vestra* etc., fuit institutio sed exsecutio, quod patet per illud, quod sequitur: *Et orate pro invicem* etc. Eucharistia praedicata fuit Ioan. 6, 32 sqq., instituta in coena, Matth. 26, 26 sqq.; et ibidem etiam ordo, quia discipuli tunc facti sunt sacerdotes, dicente Domino [1]: *Hoc,* inquit, *facite in meam commemorationem.* Sed quoad potestatem peccata remittendi, Ioan. 20, 23: *Quorum remiseritis* etc. Extrema unctio, Marc. 6, 13: Apostoli ungebant infirmos oleo sancto et sanabantur. Sic ergo patet quod sacramenta a Christo sunt instituta.

Quo supposito, videndum est, aliis omissis, de sacramento Eucharistiae. — Et primo an in persona Christi sacramentum hoc institui deberet, scilicet in corpore et sanguine suo? Respondeo, quod sic. Ratio, quia sacramentum institui debebat: primo Deo summe placibile et ratione operis operati et ratione operantis, per oppositum ad antiqua; secundo summae gratiae contentivum, ut tempori gratiae responderet; tertio nostri Deo reconciliativum et Dei placativum, quo veniam obtineremus a Deo et gratiam. Cum ergo nihil fuerit unquam Deo acceptius persona Christi, utpote Filius Dei, in quo Pater (*a*) bene complacuit, Matth. 3, 17, et *in ipso* habitet *omnis plenitudo Divinitatis,* Col. 2, 9, sitque *plenus gratiae et veritatis* [2], per ipsum *reconciliati sumus Deo,* Rom. 5, 10, *et ipse est propitiatio pro peccatis nostris* et *totius mundi,* I Ioan. 12, 2; quare in se et sua humanitate Deitati coniuncta, scilicet in corpore et sanguine suo, hoc sacramentum instituere ipse debebat, et sic ut Deus debuit et ut homo in suo corpore et sanguine fecit.

Secundo an instituere tali tempore, scilicet in coena, imminente passione, debuit? Respondetur, quod sic. Et quaedam congruentia ad hoc assignatur. — Et prima si consideretur tempus cessationis sacramentorum legis veteris. Cum enim ipsa essent in figura Christi et suae passionis et in passione terminanda, quare, imminente passione, ipsis cessantibus, cum nullum tempus esse deberet sine medicina peccati, aliud ab antiquis sacramentum institui decebat, et sic tempore passionis. — Secunda attento ad quid instituebatur, quia ut nobiscum semper esset, ut dicit Urbanus IV (*b*) in *Decretali* [3]. Quare hora, qua erat recessurus a discipulis et nobis praesentia corporali, ut esset nobiscum modo sacramentali instituere debebat, quare (*c*) passione imminente. — Tertia inspecto, quid est hoc sacramento (*d*) declaratum. Omnia enim miracula a Christo facta, cum essent suae Deitatis declarativa, unum tamen erat omissum, in quo creatura nullo modo vires habebat, nec habere poterat, scilicet substantiam convertere in substantiam, quia hoc est solius Dei. Quare istud a Christo erat operandum, suae Deitatis perfectissimae ostensivum. Sed hoc quo tempore, nisi quando minus eius Deitas agnosceretur? Quod utique fuit in passione, consideratis conviciis ipsi Deo et Domino nostro Iesu Christo illatis; quare tempore, quo eius Deitas erat magis detestanda singulari miraculo apud fideles erat reseranda, et hoc tempore passionis. — Quarta, quia passio erat humani generis singulare munus, utpote liberativum ipsius ad rememorandum de tanto beneficio, Christus hoc sacramentum instituit dicens: *Hoc facite in meam commemorationem;* quare et tempore passionis institui debebat et decebat. Insuper sancti Apostoli propter passionem Christi futuram et Christi abscessum tali modo ab eis, indigebant prae solito signis confortativis, inflammativis, rememorativis ac repraesentativis Christi amoris, magis quam quando esset cum eis. Quare ad hoc fuit institutum hoc sacramentum passione imminente. Multae aliae congruentiae assignantur, de quibus dixi in libro *De Vita Virginis,* fructu XLX; vide ibi [4]. Institutionem fiendam huius sacramenti Christus praedixit, Ioan. 6, 32 sqq.; sed ipsam fecit in coena, ut habetur Matth. 26, 26 sqq.

(*a*) As, Edd. ***Patri.*** — (*b*) Codd., Edd. ***Urbanus III.*** — (*c*) Edd. ***quasi.*** — (*d*) Al ***sacramentum declarativum.***

[1] Luc. 22, 19. — [2] Ioan. 1, 14. — [3] Clement. l. III, tit. 16, c. 1. — [4] Ed. Venetiis 1696, p. 615 sqq.

Tertium videndum est in qua materia ipsum institui decebat. Ubi advertendum, quod cum omnia sacramenta tam veteris legis quam novae habebant fieri circa et (*a*) in aliqua materia, ut patet discurrendo per singula: Baptismus habet pro materia aquam; confirmatio chrisma, et sic de aliis. Sacramentum Eucharistiae sic etiam suam materiam habere debebat. Sed quae materia erat apta? Certe materia panis et vini, ut per elementum (*b*) visibile ad invisibilia intelligenda assurgeremus. Cum enim Christus dixisset, Ioan, 6, 56 sq.: *Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus,* subdit: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo;* et addidit dicens [1]: *Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum.* Et cum corpus Christi corporaliter non possit sumi nec manducari, quia *Christus semel mortuus est* [2], et *mors illi ultra non dominabitur* [3]; quare solum spiritualiter sumi debet et potest. Ad designandum ergo refectionem spiritualem in aliquo visibili, utpote in pane et vino ut in materia institui debuit, ut sicut panis et vinum prae aliis cibis plus et magis reficiunt corporaliter, sic et corpus Domini et sanguis, conversione panis et vini in ipsum, reficeret prae cunctis aliis spiritualiter.

In tali materia Christus instituendo impletae sunt figurae Gen. 14, 18, ubi dicitur, quod Melchisedech *sacerdos Dei altissimi* obtulit panem et vinum in sacrificium Deo. Melchisedech Christum figuravit, ut probat Apostolus in tota Epistola ad Hebraeos. Fuit enim *sacerdos,* ut dicit propheta David, Psal. 109, 4, *secundum ordinem Melchisedech;* ipse obtulit Deo Patri suo panem et vinum in sacrificium, scilicet convertendo in corpus et sanguinem suum. Panis de caelo datus est patribus: Christus est panis caelestis, datus nobis viatoribus; et sic de aliis figuris. — Impleta sunt dicta prophetarum. — Et primo, Is. 25, 6 sqq., qui prophetaverat dicens: *Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium vindemiae pinguium medullatorum, vindemiae defaecatae.* Et subdit: *Et praecipitabit Dominus in monte isto* etc.; sequitur: *Praecipitabit mortem* in perpetuum vel *in sempiternum.* De quo monte loquitur Isaias? Certe de monte Sion, quia Isaias in Ierusalem erat; in quo monte Christus stans, quia in coenaculo grandi strato, scilicet in monte Sion, hoc sacramentum instituit. Quis hoc instituit? Christus Deus et *Dominus exercituum* [4]. Quibus? *Universis populis;* quia non Apostolis solum nec Iudaeis solum, sed omnibus gentibus. Quia, ut quilibet uteretur pro salute sua, Christus instituit, et sic *universis populis.* Non dicit uni populo sed *universis;* nec potest intelligi de convivio cibi corporalis, sed de sacramento hoc, quod est cibus spiritualis, quo cibo omnes utuntur et uti possunt et spiritualiter omnes reficiuntur. Sed quid faciet? Inquit, *convivium pinguium;* sed quid per *pinguium* intelligitur? subdit, *pinguium medullatorum:* ecce panis. *Vindemiae,* et cuius? Inquit, *vindemiae defaecatae:* ecce vinum; pane et vino in Christi corpus et sanguinem transsubstantiatis. Facit ergo Christus et fecit hoc convivium singulare omnibus populis. Sed ad quem finem? Dicit propheta: ut vincula peccatorum dirumpantur per eorum dimissionem. Similiter et tela ordinata, scilicet poenarum pro peccato. Et ultra etiam ad hoc, ut huius sacramenti et convivii sumptione continua a fidelibus in fine ipsum digne sumentibus, mors scilicet peccatorum in sempiternum praecipitetur et aeternalis; et hoc collatione vitae perpetuae et gloriae sempiternae. Nam Christum manducans habet vitam aeternam, Ioan. 6, 55. — Secundo dictum Zachariae 9, 17: *Quid est bonum et quid est pulchrum?* Respondit: *Nisi frumentum electorum:* ecce materia corporis Christi; *et vinum germinans virgines:* ecce materia sanguinis. — Tertio dictum David in Psalmo 71, 1: *Deus iudicium tuum regi da.* Qui Psalmus secundum doctores Hebraeorum exponitur de Messia. Ubi nos habemus ex vitio corruptionis litterae: *Erit firmamentum in terra in summis montium* [5], in hebraea littera habetur sic: *Erit*

(*a*) Edd. om. *circa et.* — (*b*) As, Edd. *effectum.*

[1] Ioan. 6, 51 sq. — [2] Rom. 5, 9; I Petr. 3, 18. — [3] Rom. 6, 9. — [4] Is. 48, 2. — [5] Psl. 71, 16.

placenta tritici in terra in capite montium, quod deberet dici: *Erit frumentum in terra in summis montium.* Et translatio beati Hieronymi, iuxta hebraicum habet: *Erit memoriale triticum in terra in capite montium.* Et translatio chaldaica habet: *Erit oblatio frumenti in terra.* Quibus patet, quod littera nostra non debet dicere *firmamentum* sed *frumentum,* sed (*a*) vitio scriptorum hoc est gestum. Qua littera patet, quod de rege Messia praedictum fuit in hoc Psalmo, qui futurus erat frumentum in terra *in summis montium,* vel oblatio frumenti in terra in capite montium, quod in sacramento Eucharistiae completur, in quo Christus, verus Messias, sub speciebus panis triticei continetur. Et super *capita montium,* id est sacerdotum elevatur, ut a populo adoretur, qui sacerdotes propter altitudinem status *montes* appellantur. — Quartum dictum Salomonis dicentis [1], quod: *Sapientia aedificavit sibi domum,* id est Christus Ecclesiam, *excidit columnas septem,* id est ipsam septem sacramentis ordinavit. De quorum uno prosequitur, scilicet de sacramento Eucharistiae, dicens: *Immolabit victimas suas,* quia se et sanctos martyres. Sed quid egit? *Posuit mensam,* id est panem, ut postea explicat, et *miscuit vinum,* dicens: *Venite, comedite panem meum,* id est corpus meum sub specie panis, et sanguinem meum, quod sub specie vini *miscui vobis,* id est vobis propinatum. Multa dicta prophetarum ad hoc possent adduci, sed praedicta ad praesens sufficiant. Materia ergo panis et vini est materia (*b*) huius altissimi sacramenti; nec immerito, propter significationem. Nam sicut panis et vinum prae aliis cibis cibant corporaliter, sic corpus Christi et sanguis sub speciebus panis et vini contenta (*c*) cibant spiritualiter. Et sicut cibatio corporalis non est plena, nisi in his duobus, scilicet pane et vino, sic nec spiritualis, nisi in corpore et sanguine Domini. Sicut panis conficitur ex multis granis et vinum ex multis uvis et (*d*) racemis; sic huius sacramenti sumptione, Christo incorporamur et unum sumus omnes in Christo, cum ipse non in nos, sed nos convertamur in ipsum. Sicut panis et vinum prae aliis cibis in substantiam convertitur aliti et sumentis, sic devote sumens mutatur in Dominum Iesum Christum, cui unitur spiritualiter. Panis etiam trituratur et decoquitur, et vinum in torculari exprimitur; sic corpus Christi, quod sumitur in hoc sacramento, trituratum fuit passionibus et decoctum igne charitatis in crucis clibano, et sanguis eius expressus et effusus etiam est in crucis torculari. Pane et vino tuetur et sustentatur homo; hoc sacramentum valet ad tuitionem animae et corporis, ut dicit Ambrosius *Super Epistolam ad Corinth.* [2]. Sic ergo ex multiplici conditione panis et vini ad significandum quae spiritualiter sumptio corporis et sanguinis Domini in nobis operetur, in materia panis et vini est istud sacramentum a Christo ordinatum, ut dicit *Glossa* super I Cor. 11 cap. [3]. Sic ergo patet tertium de materia huius sacramenti.

Quo pateat quartum videndum, scilicet in quo loco a Christo est hoc sacramentum institutum, quia in monte Sion ad litteram, iuxta vaticinium Is. 25, 6 sq. supra allegatum. Nam illud *coenaculum grande stratum* erat in monte Sion, ut patet Act. 1, 12 sqq.

3. Quintum videndum, quale est istud sacramentum? Et hic occurrunt aliqua qualitatem istius sacramenti declarantia. Si enim quaeritur primo, quale est in suo tenore? respondetur quod est stupendissimum. Si quaeritur secundo quid est in sapore, respondetur quod est dulcorosissimum (*e*). Si quaeritur tertio quid est in suo valore, respondetur quod est pretiosissimum. Si quaeritur quarto, quid est in suo vigore, respondetur quod est virtuosissimum et efficacissimum.

Dico (*f*) primo quod si quaeratur (*g*) quid sive quale est hoc sacramentum in suo tenore, respondetur, quod est stupendissimum. Si enim teste Eliphaz, Iob 5, 9: *Deus*

(*a*) As, Edd. *Quod;* subinde om. *hoc.* — (*b*) Al, Edd. om. *materia.* — (*c*) Edd. om. *contenta.* — (*d*) As *acinis et;* Edd. om. — (*e*) Edd. *dulcissimum.* — (*f*) As *Quaero.* — (*g*) As, Edd. om. *quod si quaeratur;* statim Al om. *hoc sacramentum.*

[1] Prov. 9, 1 sqq. — [2] *Com. in Ep. ad Cor.* I, c. 11, 26 (P. L. 17, 243). — [3] Glossa Ord. ap. Lyr. ad I Cor. 11, 24.

fecit mirabilia sine numero, stupendissima tamen agit et egit in hoc sacramento. Iuxta dictum Psalmi [1]: *Escam* dando *timentibus se,* id est Apostolis et aliis, *memoriam fecit mirabilium suorum,* scilicet stupendissima prae solito faciendo. Unde *mirabilia* stupenda summatim recolligenda possunt videri. — Et primo, si consideretur eius conversio et hic sunt plura stupenda: Primum est substantiae in substantiam conversio. Secundum corruptibilis in incorruptibile mutatio. Tertium est accidentium post transsubstantiationem sine subiecto permansio. Quartum est ipsorum accidentium sine subiecto conservatio. Quintum est subitae praesentiae Christi ad altare acceleratio. Sextum est post talem panis in corpus Christi transsubstantiationem, quomodo in corpus Christi non fit augmentatio. Septimum est loci pristini non dimissio et alterius acquisitio.

Si consideretur corporis Christi locatio: Primum mirabile est corporis Christi incircumscriptio et incommensuratio, quia non est in altari localiter et circumscriptive. Secundum est interminatio, ut simul sit in pluribus locis. Tertium est integra corporis Christi cuilibet parti hostiae praesentatio. Quartum est corporis Christi non ad loci maioris augmentum augmentatio sive maioratio, nec ad minorem angustatio. Quintum est corporis Christi sub tanta parvitate hostiae praesentatio. Sextum est ipsius corporis Christi ad hostiae divisionem, non separatio nec in se nec ab hostia.

Si consideretur Christi assistentia, occurrunt plura mirabilia: Primum est cum corpus Christi adsit, non tamen videtur, non auditur, non odoratur, non gustatur, nec tangitur. Secundum est, ut corpus Christi est in sacramento, non laeditur, non passionatur, nec passione aliqua afficitur. Tertium est quod veraciter comeditur, non tamen dentibus teritur, nec masticatur. Quartum est, in ventrem vadit et manet, donec species manent in proprio esse, et tamen in substantiam comedentis non mutatur. Quintum, quod viva (*a*) caro et sanguis saporem habet panis et vini, et non habet carnis saporem et sanguinis. Sextum est, quia tanta parvitate homo aliquando et mente et corpore reficitur. Septimum, quia statim desinit esse, speciebus hostiae alteratis et mutatis.

Si consideretur huius sacramenti efficacia et essentia, multa miranda reperiuntur: Primum, quia istud sacramentum non impeditur alicuius creati actione, malitia seu despectione. Secundum, quod prolatione talium verborum institutorum a Christo, talis fiat naturarum conversio. Tertium est de tanta connexione et unione, ut summa imis et e converso copulentur. Quartum est, quod ab indigno et digno percipitur et non magis a secundo quam a primo, nec e converso. Quintum est, quod huius sacramenti debita perceptione dona infunduntur divina gratia (*b*). Sextum, quod huius sacramenti celebratione animae a purgatorio evacuantur (*c*). Septimum quod istud sacramentum super omnia alia a Deo acceptetur.

4. Multa sunt alia in hoc sacramento stupenda. Et quia nimis prolixum foret praedicta omnia declarare, veritas aliquorum praefatorum dilucidanda est, quorum declaratione patebit aliorum claritas evidenter. Licet enim praefata omnia sint stupendissima, tamen sunt rationabilia, utpote a sapientia divina facta, cuius est omnia ratione, pondere, numero et mensura perficere.

Declarandum est igitur primo, quomodo possit substantia (*d*) in substantiam transsubstantiari et totaliter converti, quo apparebit substantiae in substantiam conversio et corruptibilis in incorruptibile mutatio, et sic veritas duorum primorum stupendorum. In hoc sacramento panis in corpus et vinum in sanguinem Christi convertitur. Hoc esse rationabile, etsi stupendum, apparet ex hoc, quia Deus est infinitus in vigore, quia omnipotens, et habet esse totale creaturarum in sua virtute, quia quaelibet creatura est in perfecta obe-

(*a*) As *vera;* Edd. *natura* (Ed. III *naturae*). — (*b*) As, Edd. om. *gratia.* — (*c*) As *exuuntur;* Edd. *eruantur.* — (*d*) Al add. *scil. panis et vini.*

[1] Ps. 90, 4.

dientia Creatoris; quare quodlibet esse creaturae et partiale et totale, in aliud valet convertere. Quod sit rationale, natura suffragatur, cuius est partem substantiae partialiter in aliam convertere, ut patet de alimento, quod partialiter transit in substantiam aliti, ex II *De anima* [1]; quare et auctor naturae totum poterit convertere. Ad hoc est sacra Scriptura, quae ostendit virtute divina substantiam in substantiam transiisse. In factione hominis terra transiit in carnem [2]. Uxor Loth in statuam salis, Gen. 19, 26. Virga Moysi in serpentem et serpentem in virgam, Exod. 7, 10 sqq. Pulvis conversus in sciniphes, Exod. 8, 17. Insuper cum sit maius de non esse in esse convertere, quia plus distat, et Deus in principio egit, quia creavit omnia; quare substantiam panis et vini in corpus Christi potest et sanguinem convertere. Talis enim conversio, ut docet Ambrosius in *Libro de sacramentis* [3], fit virtute divina; sermo enim Christi hoc conficit sacramentum, quo sermone facta sunt omnia, et habetur De consec. dist, 2. cap. *Quia* etc. *panis et calix* [4]. Idem dicit Eusebius Emesenus [5]: « Invisibilis sacerdos, ipse Christus Deus et homo, visibiles creaturas in substantiam corporis et sanguinis sui suo verbo secreta sua potestate commutat »; et ponitur a *Magistro* in IV dist. 10 capitulo ultimo [6].

Declarandum est secundo, quomodo ipsius Domini est subita ad altare acceleratio, cum tanta sit distantia a terra usque ad caelum empyreum. Dictis enim verbis sacramentalibus a sacerdote, in ultimo instanti completionis ipsorum, statim Christus sub speciebus adest hostiae, hoc etsi sit mirabile est tamen rationabile. — Quod ostenditur argumento naturae. Lux, ut dicit Aristoteles II *De anima* [7], in instanti se diffundit per totum medium diaphanum; lux ergo creata in instanti praesentatur principio tam longo, medio et termino, quare a fortiori lux increata. — Argumento experientiae et naturae. Oculus enim, statim ut aperitur, est in caelo per visionem, quia ipsum videt et sidera respicit, et non prius propinqua quam remota. Quod autem conceditur de natura, non debet negari ab actore naturae. — Argumento Scripturae. Resurrectio mortuorum virtute divina fiet *in momento* et *in ictu oculi,* I Cor. 15, 52. Insuper agens illibatum, cui nulla inest resistentia (*a*) nec intrinseca nec extrinseca, tam in tempore potest agere quam in instanti; quare et Deus, et per consequens altari se in instanti praesentialiter exhibere, ut facit in hoc sacramento. Quo declarato, patet mirabile de praesentatione Christi in instanti esse rationabile.

Declarandum est tertio, quomodo tam magnum corpus, sicuti est Christi, sub (*b*) tam parva hostia subesse dicatur: hoc etsi sit mirabile, est tamen rationabile. — Pro quo declarando sciendum est, quod esse in loco est tripliciter:

Primo commensurative, diffinitive et praesentialiter; et sic sunt omnia corpora in loco. Secundo definitive et praesentialiter, quod est esse ita hic, quod non alibi; et sic angelus est in loco, et anima in toto corpore. Tertio modo esse in loco est solum praesentialiter, non circumscriptive nec definitive; et sic est Deus ubique, et anima in corporis partibus. Anima enim in partibus corporis est solum praesentialiter et non definitive, licet in toto corpore sit definitive. Ad propositum, corpus Domini non est in loco circumscriptive, quia a situ absolvitur; nec definitive, quia simul est in pluribus locis: igitur est solum praesentialiter, ut dicit Innocentius papa [8]. Modo, quod magna res sit in parvo loco alio modo quam ipsa sit in se, non est inconveniens; patet de turri, quantumlibet magna, et montibus quantumlibet magnis, civitatibus et castris, quae sunt in oculi pupilla tam brevi, ut dicit Hugo. Deus cum sit immensus et infinitus, fuit totus in columba, scilicet Spiritus

(*a*) Al *illud cui natura inest residentia.* — (*b*) Al *substantia parvae.*

[1] Aristoteles, *De anima* l. II, c. 4. — [2] Gen. 2, 7. — [3] *De sacrament.*, c. 4 n. 14 sq. (P. L. 16, 439 sq.). — [4] *De consecr.* d. 2. c. 55 Panis est. — [5] *Homil. de corp. et sang. Christi,* n. 2. — [6] *Lib. Sent.* l. IV, dist. 10, c. 2. — [7] *De anima* l. II, c. 7. — [8] *De sacro altaris mysterio* l. IV, c. 44 (P. L. 217, 886).

Sanctus, et tamen creatura nihil est respectu Dei. Insuper Deus potest conservare corpus sine loco; patet, quia conservando corpus, potest omnia circa ipsum destruere, et si sic patet etc. Similiter nec valet: Aliquid est in loco: ergo circumscribitur seu definitur a loco. Deus dicit, Ierem. 23, 24: *Caelum et terram ego impleo* etc., et tamen non circumscribitur nec definitur a conditionibus loci, scilicet circumscriptione et definitione, sed solum praesentialiter loco corpus praesentando. Nec est bona consequentia: Corpus est in loco, ergo circumscribitur loco vel definitur. Patet, quia corpori divina virtute non repugnat esse in loco solum praesentialiter et non circumscriptive nec definitive. Quo sequitur, quod tale corpus non arguitur maius ex maiori loco nec minus ex minori loco; patet ex quo solum praesentialiter est in loco. Quo sequitur, quod corpus Christi, etsi sit longum, latum et profundum, et idem numero sit in caelo et in sacramento, totum est praesentialiter hostiae et cuilibet eius parti, sicut totum in se est in caelo; quia non est per partem in sacramento vel hostia, sed totum cum omnibus partibus, etsi praesentialiter solum sit in hostia. Anima non arguitur essentialiter maior in toto corpore quam in quacumque parte corporis per se considerata. Sic ergo patet possibilitas istius tertii mirabilis declarata.

Declarandum est quarto, quomodo idem corpus Domini in pluribus locis in altaribus reperitur. Hoc potest ostendi, quod non est impossibile, scilicet quod idem diversimode sit in distinctis locis. Patet de voce unica, quae simul et semel est in diversis auribus, ut dicit Augustinus de scientia; quae simul et semel eadem numero est in docente et addiscente, ut dicit Commentator III *De anima,* comment. 18; de homine exsistente circumscriptive Pisis (*a*) et qui cogitatione potest esse Parisius simul et semel. Hoc etiam patet Scripturae divinae exemplo, de spiritu Moysi dato septuaginta viris, Num. 11, 25, et tamen remansit etiam in Moyse; aliter ipsi simul plus habuissent eo et sic simul fuissent eo prophetae maiores spiritu, cuius oppositum dicit Scriptura. Elisaeus, corpore exsistens in domo propria, spiritu fuit praesens, quando Giezi accepit vestimenta et munera a Naaman Syro, IV Reg. 5, 26. Auctoritate patet; dicit enim Salvator, Matth. 6, 21: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Corpus enim cum natura prius sit loco, poterit Deus multiplicare posterius a quo essentialiter non dependet, sicut est locus, non multiplicato priori, scilicet corpore. Corpus enim essentialiter non dependet a loco, quia divina virtute potest esse sine eo. Et ideo papa Innocentius III [1] in libro *De officio missae,* cuius verba habentur De consecr. dist. 9, declarans propositum dicit sic: « Nota, quod sicut Dei Filius per divinam naturam habet triplicem modum exsistendi in rebus: est enim in omnibus rebus per essentiam, in omnibus iustis per gratiam, in assumpta natura per unionem personalem; sic corpus Christi habet triplicem modum exsistendi in caelo localiter, in verbo personaliter, in altari sacramentaliter. Corpus enim Christi secundum esse naturale est tantum in uno loco, scilicet in caelo; secundum esse personale non est in loco, sed secundum esse sacramentale est in pluribus locis. Et sic habet modum essendi spiritualem, quemadmodum anima in corpore ». Haec Innocentius. Et Augustinus (*b*) dicit: Sicut una et eadem vox pluribus defertur auribus, sic corpus Christi in diversis altaribus. Patet ergo ex dictis declaratio quarti mirabilis istius sacramenti.

Quinto declarandum est quintum mirandum istius sacramenti, videlicet quomodo corpus Christi cum sit in hostia, oculis hominum minime videtur, sed omnibus occultatur. Quod corpus Christi non videtur, est propter multa, quia non habet modum essendi naturalem in sacramento, sed supernaturalem. Qualitatibus corporalibus non afficitur cum sit impassibile, et sic non est medium, quo videatur. Distantia est summa propter modum essendi obiecti ad potentiam, quare non est mirum si oculo corporali non videtur; non tamen debet negari, licet non videatur, quod ibi non sit veraciter corpus Domini, quia oportet nos concedere, quae tamen non videmus oculo corporali. Anima enim oculo corporali

(*a*) As, Edd. *Romae.* — (*b*) Al *ideo.*

[1] *De sacro altaris mysterio* l. IV, c. 44 (P. L. 217, 886).

non videtur, dum est in corpore, et tamen est in corpore. « Notitia Dei, ut dicit Damascenus [1], omnibus inserta est », et tamen oculo corporali *Deum nemo vidit unquam,* Ioan. 1, 18, nec videre potest, aut poterit, ut dicit Augustinus [2] in *Epistola ad Paulinam: De videndo Deo.* Non sequitur: ergo Deus non videtur, ergo non est. Et quia Christus est *via, veritas et vita,* Ioan. 14, 6, et ipse dicit [3]: Hoc *est corpus meum,* et *hic est sanguis meus,* debet credi quod in hostia vere sit eius corpus et in calice eius sanguis. Sed cur Deus corpus suum sub alia specie voluit occultari? Dicit Magister in IV dist. 11, cap. 4: « Tribus de causis, hoc sacramentum sub alia specie sumitur: ad augendum meritum, quia fides non habet meritum cum humana ratio praebet experimentum. Item ad fovendum sensum, ne abhorreret animus quod cerneret oculis; nam homo non consuevit carnem crudam comedere aut sanguinem bibere. Item ad vitandum ridiculum, ne insultaret paganus, cum corpus dominicum comederet Christianus ». Haec Magister. Sic ergo patet rationabilitas huius quinti mirabilis.

Sexto declarandum est aliud huius sacramenti stupendum, quomodo corpus Christi ad hostiae divisionem non frangatur, nec dividatur, immo sub qualibet particula hostiae integerrimum perseverat Huius mirabilis possibilitas astruitur: Primo a natura. Nam speculum si dividatur in mille partes et sint discontinuae, imago repraesentata integra perseverat. Anima insuper ad divisionem membrorum et distinctionem non diversificatur. Sic ergo possibile est aliquid dividi, indiviso permanente quod est in eo. Secundo a Scriptura: Is. 6, 1 sqq. dicitur: *Vidi Dominum sedentem* etc.; sequitur: *Plena erit omnis terra maiestate eius.* Et cum per terram omnis creatura intelligatur vel saltem creaturae terrestres, et cum creatura a creatura sit divisa, Deus exsistens in eis, non dividitur; Christus simul erit in caelo et in terra, Ioan. 3, 13, et tamen caelum terra sunt summe divisa, et tamen idem Christus, Christi corpus in hostia non est circumscriptive, et est etiam impassibile, quare et non possibile dividi, ut dicit Magister in IV dist. 12 [4]. Sane cum corpus Christi incorruptibile sit, dicitur fractio illa et partitio non in substantia corporis, sed in ipsa panis forma sacramentaliter fieri, ut illa fractio et partitio sit ibi, quae fit non in substantia sed in sacramento, id est specie panis. Praefatis ergo apparet declaratio et rationabilitas sexti stupendi huius sacramenti.

Septimo declarandum est, quomodo in hoc sacramento, facta consecratione, accidentia ibi sine substantia remaneant. Huius mirabilis et stupendi rationabilitas potest ostendi ratione, quia secundum doctrinam sanctorum et philosophorum Deus plura potest facere, quam intellectus noster intelligere; quare et substantiam ab accidente et e converso separare, quia intellectus potest intelligere subiectum (*a*) sine accidente et e converso, saltem intellectione simplici (*b*). Insuper maius est formam substantialem a corporea materia separare, ut est de anima quae a corpore separatur, quam accidens a subiecto separari. Propria passio virtute divina de facto est separata a subiecto, utpote caliditas ab igne in fornace trium puerorum, Dan. 3, 49 sqq; a fortiori accidens commune a subiecto. Scriptura dicit de Deo [5]: *Omnia quaecumque voluit, fecit in caelo et in terra.* Et Sapientiae 12, 18 dicitur: *Tibi subest posse, cum volueris;* quare et accidens a subiecto ultro separare. Unde Magister in IV, dist. 12 [6], declarans propositum dicit: « Fatendum est ipsam potius exsistere sine subiecto, quam esse in subiecto. Quia ibi, inquit, non est substantia nisi corporis et sanguinis Christi, sed corpus Domini talem in se non habet formam, sed qualis apparebit in iudicio. Remanent ergo ibi accidentia per se subsistentia virtute divina (*c*) ad ministerii ritum, ad gustum, fideique suffragium, quibus corpus Christi habens formam suam et naturam, tegitur ». Apparet ergo iam dictis istius septimi mirabilis possibilitas et rationabilitas.

(*a*) As, Edd. *substantiam.* — (*b*) Al *intentione prima.* — (*c*) As, Edd. om. *virtute divina.*

[1] *De fide orthodoxa* l. 1, c. 1 (P. G. 94, 790). — [2] Ad Paulinam ep. 147 (al. 112) n. 37 (P. L. 33, 612 sqq.). — [3] Matth. 26, 26 sqq. Marc. 14, 22 sqq., Luc. 22, 19 sqq. — [4] *Lib. Sent.* IV, dist. 12 c. 3. — [5] Ps. 134, 6. — [6] L. c. c. 1.

Declarandum est ergo octavo stupendi et mirabilis rationabilitas et possibilitas, scilicet, quomodo corpus Christi toties sumatur, nec ad modum aliorum ciborum consumitur. Huius rationabilitas patet ex his, quae fiunt in natura. Corpus continue consumitur, sed minime anima in eo subsistens; sic et hostia sumitur, nec Christus in ea exsistens consumitur. Divina virtute rubus Moysis comburi non potuit, qui tamen ardebat continue, Exod. 3, 2; quare et corpus Domini contentum (*a*). Corpus Christi in sacramento sicuti est in se, incorruptibile est, quare corrumpi nec consumi potest. Insuper Dominus promisit Apostolis et fidelibus [1] esse cum eis *usque ad consummationem saeculi,* quod intelligitur secundum Clementinas *De reliquiis et veneratione sanctorum* [2]: Si Deum in sanctis dicitur esse praesentia corporali, quare non deficit aliquando, nec consumitur. Unde Hugo *De sacramentis,* parte VIII lib. II, c. 12, ad propositum loquitur dicens [3]: « Exhibet Christus sensui tuo similitudinem cibi corporalis, ut sensus tuus per omnia in suo erudiatur. Servat corpori suo veritatem naturae inviolabilis et immortalis, ne in suo corrumpatur. Videtur corrodi et permanet incorruptus; videtur affici vel maculari, et perseverat inviolatus (*b*). Sustinet hoc fieri circa se, ne sensus noster aliquid alienum percipiat, sed non recipit hoc in se, ne incorruptibilis natura sinceritatem suam amittat. Tanta ergo est dignitas corporis Christi, ut nec corruptione affici possit, nec sordibus maculari ». Ex praemissis patet rationabilitas praedicti stupendi octavi.

Declarandum est nono, quomodo cum Christus dicat, Ioan. 6, 56: *Caro mea vere est cibus,* quomodo hic cibus aliorum more saltem partialiter in substantiam comedentis non convertatur. Rationabilitas huius stupendi potest apparere sic. Non enim oportet, quod quidquid comeditur, in substantiam convertatur comedentis. Multa naturalia comeduntur et salubriter, et tamen in substantiam comedentis non convertuntur, sicut patet de auro et lapidibus pretiosis. Similiter Angeli in assumpta natura vere comedebant, sicut patet de tribus Angelis, Gen. 18, 9, et Tob. 12, 19 de angelo Raphaele, de Christo post suam resurrectionem [4]; et tamen talis cibus in eorum substantiam non convertebatur. Insuper ratione patet, quia corporale non trahit ad se spirituale, sed potius e converso. Corpus Christi cum sit (*c*) spirituale, I Cor, 15, 44 sqq., quare stomachus ipsum in substantiam comedentis non traiicit. Christus et *panis vivus* Ioan. 6, 51, quare non moritur et sic in substantiam non transmutatur (*d*) comedentis. Unde hic cibus modo contrario aliorum peragit, quia digne comedentem in se convertit, dicente Augustino, sibi Christum dixisse VII *Confessionum* [5]: « Cibus sum grandium; cresce et manducabis me, nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuae, sed tu mutaberis in me ». Et Innocentius III in libro *De officio missae* [6] dicit, quod « Christus de ore transit ad cor, cibus est non carnis sed animae; venit in ore, ut comedatur, sed non ut in stomacho digeratur ». Sic ergo patet praefati noni mirabilis rationabilitas et possibilitas.

Declarandum est decimo id mirabile, quomodo ad alterationem hostiae corpus Christi non patiatur. Pro quo est sciendum, quod multa sunt, quae nullam suscipere possunt passionem, sicut sunt corpora caelestia, umbra, sol, nec radius; et cum corpus Christi in hostia sit spiritualius praefatis ac impassibile, ergo etc. Sancti etiam Angeli corpora assumendo, etsi corpora paterentur, non tamen ipsi; quare, hostia alterata, non sequitur, quod Domini corpus tali passione afficiatur. Corpus nostrum post resurrectionem fiet incorruptibile et a nullo poterit laedi; quare et corpus Christi; quod sic est de facto. — Sciendum tamen pro maiori declaratione, quod corpus Christi habet duplex esse, scilicet naturale et sacramentale, de quo duplici esse loquitur Augustinus *Super Psal. 4* et ha-

(*a*) As, Edd. om. *contentum.* — (*b*) As, Ed. I *inmolatus;* (Ed. II et III *immolatus al. inviolatus*). — (*c*) Edd. *Christi est spirituale.* — (*d*) Edd. *transit.*

[1] Matth. 28, 20. — [2] Lib. III, tit. 16. — [3] L. c. (P. L. 176, 470). — [4] Luc. 24, 33. — [5] *Conf.* l. VII, c. 10 (P. L. 32, 742). — [6] *De sacro alt. myst.* l. IV, c. 15 (P. L. 217, 867).

betur De consec. dist. I [1] *Haeresis,* ubi inquit Augustinus: « Donec saeculum finiatur sursum est Dominus », et hoc quoad esse naturale, « sed tamen hic est nobiscum veritas Dominus », et hoc quoad esse sacramentale. « Corpus enim Christi, quod resurrexit, oportet esse in uno loco »: *Glossa,* id est est in caelo, in forma, qua subiici humanis oculis valet vel sensibus; « veritas autem eius ubique diffusa est »: *Glossa,* in sacramento, ubi est veraciter et non sensibiliter. Quo patet, quod corpus Christi quoad esse naturale est in caelo localiter, ut dicit Innocentius [2], et quoad esse spirituale est in hostia veraciter, non tamen localiter sed sacramentaliter, id est, praesentialiter. Quo patet, quod non omne quod directe competit corpori Christi quoad esse naturale, competit sibi directe et principaliter quoad esse sacramentale; patet, quia corpori Christi quoad esse naturale competit sibi sanguis et anima, sed, ut habet esse sacramentale, non competit sibi directe et principaliter, sed solum, ut dicetur, concomitanter.

5. Sed quae **corpori Christi** exsistenti sub hostia **possunt sibi competere,** de his quae competunt, ut habet esse naturale et est localiter?

Respondetur primo, quod omnis forma absoluta, quae competit ei, ut habet esse naturale, competit etiam ei, ut est sub sacramento; et hoc est saltem verum concomitanter. Ratio, quia absolutum non dependet a respectivo, nec prius a posteriori. Quo sequitur, quod cum corpus Christi ut dicetur: primo et per se sit sub sacramento; secundario per se et non primo sunt partes essentiales, scilicet materia et forma corporis; tertio modo nec per se et primo, sed per accidens et concomitanter, ut dicetur; sunt ibi anima et sanguis et accidentia, quae non sunt de essentiali significato corporis. Quo sequitur, licet omne absolutum tale insit, ut dictum est, si daretur quod omne respectivum quod in uno loco corpori Christi inesset, posset inesse et in alio; non tamen principaliter, ut dictum est, sed solum concomitanter. Sequitur etiam quod omnem sensationem activam quam Christus haberet in caelo vel alibi, ubi esset, haberet in sacramento concomitanter. Ratio, quia sensatio est quid absolutum. Similiter visionem, quae sibi inest in caelo, habet concomitanter prout est in sacramento. Ratio, quia visio est quid absolutum. Idem dicendum est de intellectione et volitione, quae inest sibi in caelo, inest concomitanter in sacramento, quia sunt quaedam absoluta.

Secundo, quod si corpus Christi esset passibile, ubi esset localiter, omnis passio absoluta sibi in tali loco illata, inesset sibi sub sacramento; patet ex praedictis. Quo sequitur, quod si aliquis Apostolorum in triduo consecrasset, quod omnis dolor quantum ad absolutum, quem habuit Christus in cruce, ex quo suum corpus pro tunc erat passibile, habuisset sub hostia exsistens, et hoc concomitanter; patet ex dictis. Quo sequitur, quod fuisset verum dicere tale corpus, ut erat sub sacramento, fuisset flagellatum et crucifixum, licet non principaliter, sed concomitanter.

Tertio dicitur et est ad propositum nostrum principaliter, quod cum corpus Christi nunc sit impassibile, nulla passio ab extrinseco illata sibi inesse valet et praecipue in sacramento. Ratio, quia est incorruptibile. Insuper, si aliquod corpus haberet esse in aliquo localiter et in alio solum praesentialiter, non est necessarium, quod quodlibet quod agit in ipsum, ut est localiter, idem possit agere et eodem modo in ipsum ubi est solum praesentialiter. Ratio, quia etsi omnis forma absoluta inexsistens sibi, ubi est localiter, insit ubi est solum praesentialiter et hoc concomitanter, tamen non sequitur, si agit in ipsum, ubi est localiter, quod agat in ipsum idem, ut est in loco solum praesentialiter, et hoc propter diversum modum exsistendi. Hoc patet in anima coniuncta et separata, quia non omne quod agit in eam coniunctam, agit in eam separatam. Patet etiam, quia non omne respec-

[1] De cons. II, c. 44: *Prima quidem.* Cf. Aug. *In Ioan. Ev.* tract. 30 n. 1 (P. L. 35, 1632). — [2] *De sacro alt. myst.* l. IV, c. 44 (P. L. 217, 886).

tivum, quod inest sibi ut habet esse praesentialiter, oportet quod insit sibi, ubi esse habet localiter, vel e converso. Quo sequitur, quod nulla passio corruptiva corporalis, quae posset inferri tali corpori, ut est in loco circumscriptive, posset inferri eidem immediate, ubi esset solum praesentialiter, sed solum concomitanter. Quo patet, quod quando hostia frangitur, ponitur in igne vel aqua, et sic de aliis alterationum speciebus, quod corpori Domini nulla talis passio infertur, sed in accidentibus solum talia fiunt, prout Magister dixit supra [1] de divisione hostiae et partitione. Sequitur etiam, quod corpus Christi, prout est sacramentaliter in hostia, proprie et principaliter non potest moveri, nec motu locali nec alio, nisi a Deo. Patet, quia non a virtute creata, quae sibi improportionabiliter approximatur; quare ab increata. Sequitur etiam, quod corpus Christi ut est in Eucharistia, non oportet moveri cum omni motu, quo movetur in caelo vel alibi. Ratio, quia isti sunt modi exsistendi distincti, nec omne respectivum, quod sibi inest in uno loco, oportet quod insit in alio loco, licet de absoluto semper sit verum modo iam dicto. Sequitur etiam, quod motu large accepto, quo dicimus corpus Christi moveri ad motum hostiae, non movetur nisi immediate a Deo. Ratio, quia si movetur ad motum, ergo alterius. Et cum omne, quod movetur ad motum alterius, oportet quod coniungatur illi, sicut actus cum potentia, vel sicut aliqua pars eius, vel sicut aliter saltem aliqua connexione ex necessitate naturali et non simpliciter voluntaria. Sed nullo istorum modorum corpus Christi speciebus connectitur, sed praecise voluntarie. Ratio, quia sola voluntate divina Christus est praesens sacramento, nulla connexione consurgente ex rebus, cum species per se subsistant et corpus per se. Sic ergo praefatis apparet decimum stupendum, quomodo intelligitur, et quod rationabile est id, quod de ipso dicitur.

Declarandum est undecimo illud stupendum, videlicet, quomodo est possibile, quod a malo tam sanctissimum sacramentum conficiatur sacerdote. Possibilitas istius est: quia Deus ipse hoc sacramentum instituit, quare ab homine, scilicet malo, confectio huius sacramenti et consecratio non potest impediri, dummodo verba a Deo ordinata proferat cum intentione et sacerdos exsistat. Christus est ille, qui dixit Matth. 26, 26: *Hoc est corpus meum.* Unde Augustinus in libro *De corpore Christi,* et ponitur I, q. 1 *Intra catholicam* [2]: « Intra catholicam Ecclesiam in mysterio corporis et sanguinis Dei nihil a bono maius, nihil a malo minus perficitur sacerdote, quia non in merito consecrantis, sed in verbo perficitur Salvatoris et virtute Spiritus Sancti. Si enim in merito esset sacerdotis, nequaquam ad Christum pertineret. Nunc autem sicut ipse est qui baptizat, ita ipse est, qui per Spiritum Sanctum hanc suam efficit carnem et transfundit vinum in sanguinem. Credendum est enim quod in verbis Christi sacramenta conficiantur; cuius prius creantur imperio, eius utique verbo recreantur in melius ». Haec Augustinus. Malitia ergo sacerdotis non impedit, quod Deus instituit et ordinavit. Deus enim per ora malorum, quod decrevit, perficit et ostendit, sicut patet de Balaam, Num. 22, 1 sqq, et de Caipha, Ioan. 11, 49 sqq. Patet ergo, quomodo undecimum stupendum rationabile demonstratur.

Duodecimo et ultimo declarandum est: an ab homine malo et pravo veraciter sumatur; et indubie tenendum est quod sic. Nam Christus communicando Apostolos, Matth. 26, 26, dixit: *Accipite et manducate ex hoc omnes; hoc est corpus meum* etc. Sed inter istos Apostolos fuit Iudas malus, qui vere sumpsit, ut dicit Augustinus *Super Ioannem* [3] et Hugo libro II *De sacramentis* parte VIII [4]. Et idem dicitur 1, q. 1 *Christus* et 23. q. 4: *Tu bonus.* Et concludit Magister sic in IV dist. 9, cap. 3 auctoritate Augustini et aliorum, a malis hoc sacramentum vere sumi, sed sacramentaliter, non spiritualiter.

---

[1] P. 343, l. 39 sqq. — [2] C. I, q. 1, c. 77. Ex Paschasio, *De corpore et sang. I. Chr.*, c. 12 (P. L. 120, 1310). — [3] *In Ioan. Ev.* tract. 62, n. 1 sqq. (P. L. 35, 1801 sqq.). — [4] Cf. ap. *De sacr.* l. II, p. 8, c. 4 (P. L. 176, 464).

Pro cuius evidentia est intelligendum (*a*): corpus Christi sumi, potest intelligi: Primo corporaliter, et hoc non; quia incorruptibile est, ut dictum est. — Secundo solum sacramentaliter, et sic omnes mali sumunt, ut dicit Magister; et sumere solum sacramentaliter est credere Christum sub hostia esse et tamen non debite disponi. — Tertio modo spiritualiter solum; et hoc fit quando aliquis credit et se disponit, sed aliquo impedimento eveniente, non potest corpus Domini suscipere, et talis spiritualiter sumit. Et tali dicit Augustinus [1]: « Ut quid paras dentem? Crede, et manducasti ». Et ponitur De consecr. dist. 2 *Ut qui* [2]. — Quarto modo tam spiritualiter quam sacramentaliter, et talis est qui credit et se debite disponendo sumit. Qua distinctione patet quomodo mali et peccatores corpus Domini suscipiunt communicando et quomodo non. Inter filios Israel in deserto multi fuerunt mali et multi boni et utrique manna, panem scilicet de caelo, comederunt, quae erat figura huius altissimi sacramenti. Sic ergo patet duodecimi declarandi rationabilitas. — Multa etiam essent declaranda, quae patent declaratione duodecim praefatorum. Ex quibus duodecim sic patefactis patet omnium mirorum in hoc sacramento, etsi stupenda sint, eorum rationabilitas et possibilitas. — Et sic apparet, quid est istud sacramentum in suo tenore; quia **stupendissimum**, quod erat **primum declarandum**.

6. Dico secundo, quod si quaeratur **quale est illud sacramentum in suo sapore**? respondetur, quod est **dulcorosissimum** (*b*). Ubi sciendum est, quod Deus dulcedinem suam, dilectionem, amorem et benignitatem ad hominem multipliciter se communicando ostendit. Se enim communicavit et dedit aliquando homini causaliter et participative, et hoc in creatione. Liberaliter et largitive, et hoc in dominii generalis homini collatione. Misericorditer et placative, et hoc in primorum parentum lapsu et declinatione [3]. Singulariter et praeservative, praeservando Noe et filios a diluvio et consequenter genus humanum in persona Noe et suorum [4]. Fideliter et dilective, scilicet Abrahae, Isaac et Iacob, quos in suos elegit et ipsorum posteritatem [5]. Mirabiliter et operative, scilicet Moysi per ipsum signa et prodigia faciendo in terra Aegypti in Pharaonem, servos et populum [6]. Sapientialiter, et hoc populo Israelitico, ipsi legem dando et sacrificia ordinando. Virtualiter et protective, scilicet Iosue, Gedeoni, Iephtae et sic de aliis, quos protexit et custodivit [7]. Cordialiter et amative, scilicet David, quem Dominus specialiter dilexit [8]. Radialiter et illustrative, scilicet Salomoni et sanctis prophetis. Pastoraliter et gratificative scilicet sanctis hominibus, utpote Tobiae, Iob, Eliae et sic de aliis sanctis hominibus. Medicinaliter et sanative, scilicet Ezechiae et aliis infirmis virtute divina liberatis. Formaliter et entitative in suo proprio esse se dando homini, et hoc in incarnatione. Exemplariter et imitative, et hoc sanctis Apostolis, quibus se ostendit exemplum omnis perfectionis. Obedientialiter et subiective, scilicet Mariae et Ioseph ac legi, quam voluit observare. Familiariter et conversative (*c*), scilicet omnibus hominibus. Passionaliter et expressive, sustinendo poenas, ut patet. Humiliter et admirative, quando super asinam Ierosolymam ascendit et intravit. Contemptibiliter et despective, et hoc in cruce. Triumphabiliter et imperative, scilicet daemonibus. Festivaliter et beatificative se dat et dedit suae animae et beatis in patria. Sed sacramentaliter et refective se dat omnibus sacramentum sui corporis et sanguinis spiritualiter et sacramentaliter sumentibus. Hoc est donum singularissimum, scilicet homini nunquam prius datum. Magnificum, omne genus liberalitatis transcendendo, dando seipsum liberalissimum, seipsum in cibum tradendo, ubi donator venit et in donum, et datum est idem penitus cum datore.

(*a*) Edd. *sciendum*. — (*b*) Edd. *dulcissimum*. — (*c*) Edd. *conservative*.

[1] *In Ioan. Ev.* tract. 25 n. 12 (P. L. 35, 1602). — [2] *Christus*, C. 1, q. 1, c. 88; *Tu bonus*, C. 23, q. 4, c. 2. — [3] Gen. 3 sqq. — [4] Gen. 6 sqq. — [5] Gen. 12 sqq. — [6] Exod. 3 sqq. — [7] Ios. 1 sqq.; Iud. 6 sqq. — [8] I Reg. 16 sqq.; III Reg. 3 sqq.; IV Reg. 2 sqq.; Tob. 6 sq.; Iob. 1, 42 etc.

Salvificum, mentis sanans infirmitates. Mirificum, in quo sacrificia sunt terminata. Stupendissimum, in quo datur Deus et homo, lux et vita, conditor mundi; omnem facultatem naturae transscendens et humanam. Sed super omnia est suavissimum, dulcissimum et dulcorosissimum; et hoc si consideratur quis detur, quia Iesus, qui ante, ut dictum est, nobis se dederat multipliciter, sed specialiter in socium per carnis assumptionem, se postmodum autem dedit in suavitatem, edulium et cibum. Iesus est Deus et homo, in quo *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* [1], *omnes thesauri sapientiae et scientiae* Dei sunt in eo *absconditi* [2]; *plenus gratiae et veritatis* [3]. *Quae* omnia *donata sunt nobis* [4] et sic dulcor magnus habetur, dum Iesus qui datur, cogitatur. — Apparet etiam dulcor, si pensetur quo datur, quia immensa charitate et ineffabili amore; de qua charitate et amore loquitur Urbanus IV in Clementina De relig. et veneratione sanctorum [5], *Si Deum in sanctis.* Nam quanta sit et qualis ostendit ibidem; vide ibi. Quis valet cogitare quam vehementissimo amore et quanta charitate nos Dominus Iesus amavit, dum seipsum nobis in cibum tradidit? Certe nullus; sicut nullus est, qui infinitum possit comprehendere et terminare. — Si consideretur quantum est, quid nobis datur: quia corpus Domini nostri Iesu Christi, non in signum et figuram, sed in suo esse et natura datur nobis. Unde in hoc sacramento, ut Ecclesia asserit, totus Dominus noster Iesus Christus veraciter continetur. In hostia enim vi consecrationis est corpus Domini gloriosum sumptum de Maria virgine, et per concomitantiam est ibi sanguis, cum Domini corpus nunc non sit sine sanguine. In calice vero ex vi consecrationis est principaliter sanguis Domini nostri Iesu Christi, et per concomitantiam immediatam est corpus Domini, cum sanguis sine corpore non exsistat. Est ibi tertio per concomitantiam propinquam ad corpus et sanguinem Christi anima, quae est plena omni beatitudine et gloria (*a*). Deitas insuper adest, cum inseparabiliter sit et corpori et animae coniuncta, per concomitantiam remotam est ibi; ergo etc. Et quia indivisa sunt opera Trinitatis ad extra, ratione indivisae operationis est ibi tota Trinitas. Quare considerato, quantum est, quod datur, istius dulcor apparet sacramenti. — Apparet etiam, si consideretur quale est, quod datur; quia corpus immortale et gloriosum, et consequenter Dominus Iesus totus gloriosus, qui digne percipientem sibi unit et copulat; manet enim ipse in eo et ille in Christo. Qua unione et permanentia gustat mens talis experientia certa, quam dulcis et *suavis est Dominus* [6]. Et sic praefatis diligenter attentis apparet, quod istud sacramentum est digne percipientibus dulcorosissimum. Et sic patet secundum.

Dico tertio, quod si quaeratur de eius valore, respondetur, quod est pretiosissimum. Valor huius sacramenti apparet, si consideretur, quia hic non continentur hircus vel agnus, sed hic habetur Homo-Deus, quod nunquam in aliis exstitit sacramentis. Quod homo totus Christus contineatur, patet, quia corpus et sanguis non sunt sine anima, ut dictum est; quare homo verus Christus est hic contentus. Quod vero sit Deus, patet, quia Christus non solum est homo, sed et Deus verus; quod nunquam fuit in aliquo sacrificio ab aliquo oblato. Deitas enim corpori et animae Christi inseparabiliter est unita; quare nihil maius hoc sacrificio invenitur. Non potest fieri comparatio sacrificiorum veterum ad istud, quia illa de simplicibus creaturis fuerunt, hoc de homine vero et Deo vero, ipse Homo-Deus et Deus-Homo, idem offerens et oblatum, dans et datum, placans et placatum, etsi pretiositati huius sacramenti nihil potest comparari et eius valori. — Patet etiam huius sacramenti valor ex gratia, quam continet. Haec est gratia increata, scilicet ipse Deus; haec gratia creata, quia in Christo est ponenda gratia singularis personae et capitis, quam ipse in nos refudit. Cum igitur in Christo sit omnis gratiae plenitudo et hic continetur veraciter, omnis gratiae plenitudo hic exsistit: quare eius valori nihil potest aliorum sacrificiorum comparari. — Huius sacramenti valor ostenditur, quia in ipso omnia sunt finita sacrificia. Unde si quid perfe-

(*a*) Al *gratia.*

[1] Col. 2, 9. — [2] L. c. 3. — [3] Ioan. 1, 14. — [4] I Cor. 2, 12. — [5] Lib. III, tit. 16. — [6] Ps. 33, 9.

ctionis esset ponendum in aliis, in hoc est plenissime, velut in fine et ultimo omnium aliorum. — Declaratur huius valor etiam ex hoc, quia hoc sacramentum continet quod significat, scilicet Dominum nostrum Iesum Christum. Sacramenta enim antiqua solum fuerunt figurae. Valor etiam huius sacramenti patet ex hoc, quia illa ratione offerentis et non oblati acceptabantur; hoc ratione oblati Christi principaliter (*a*), et secundario ratione offerentis acceptatur. Nullum sacramentum est vel fuit Deo acceptius isto. Ratio, quia persona summe Deo accepta hic continetur, scilicet Christus Iesus. — Apparet valor huius sacramenti, quia hoc sacramentum nunquam caret suo effectu. Alia sacramenta antiqua ratione offerentium, quando erant mali, suo carebant effectu, nec eis Deum placabant, immo per oppositum irritabant. Sed istud sacramentum nunquam ratione mali sacerdotis suo caret effectu, quia semper est ibi corpus Domini, si verba cum intentione dicantur et materia adsit debita, ac Deus ipso placatur. Quo sequitur, quod maximus valor huius sacramenti ex hoc declaratur, quia de (*b*) orationibus et operibus nostris, an sint Deo accepta dubitare habemus, de isto autem sacramento, quin placeat Deo semper, dubitare non possumus. Et si non acceptetur aliquando ratione offerentis, acceptatur ratione oblati et operati, scilicet Domini Iesu Christi in hoc sacramento contenti. — Ultimo apparet huius sacramenti valor ratione muneris, quod ipso datur, scilicet gratiae, ut dicetur, et aliorum. Sic ergo succincte patet de pretiositate et valore huius altissimi sacramenti.

Dico quarto, quod si quaeratur de vigore huius sacramenti, respondetur quod est efficacissimum sacramentum. Ubi sciendum, quod vigor huius sacramenti, intrinsece accipiendo, patet quia in ipso est Deus, ipse Omnipotens et gratia creata et increata, ut dictum est; quare efficacissimum. Sed extrinsece et penes sumentem digne particulariter loquendo est duplex, scilicet quia Christo unit et incorporat, dicente Christo [1]: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo.* Secundo vitam aeternam ministrat, dicente Christo [2]: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.* Praeter praefata alia efficit, et dicunt doctores; quia ipso Deus Pater et tota Trinitas laetificatur, quia hic est Iesus Christus, Filius Dei Patris et media in Trinitate persona; Deo summus honor datur et persona acceptissima immolatur. Angelos laetificat, quia ipso Deus placatur et panis ipsorum angelorum hominibus ministratur. Gaudium dat beatae Mariae, quia suam carnem in Filio et Filium videt Deo Patri immolari. Tota caelestis curia iucundatur, dum regem suum vident dari hominibus in cibum, ac ipsum Deum super malitias hominum placari. — Sed generaliter loquendo vigor huius sacramenti apparet multipliciter. Et primo, quia ad memoriam Christi passionem reducit: *Quotiescumque feceritis,* ait Christus, *in mei memoriam,* scilicet passionis, *facietis* [3]. Fratri Ioanni de Alverna, ut dictum est libro I conformitate VIII in tractatu *De provincia Tusciae* [4], consecratione facta, Christus apparuit ei cruci confixus; quo inspecto adeo memoria passionis Christi fuit plagatus, ut de mane usque ad nonam protelando missam, vix potuit explere. Huius est figura, Exod. 12, de agno quem Dominus annuatim praecepit offerri in memoriam egressionis de Aegypto, id est Christi de mundo ad Patrem. — Secundo fidem confirmat. Non solum dat hoc sacramentum gratiam, sed credulitas nostra confirmatur dum tot miranda, quae non videntur, tamen firma fide creduntur. Beatus Antonius, ordinis nostri, Arimini fidem defensavit et confirmavit hoc sacramento, dum, eo confecto, coram haereticis asinae praesentavit (*c*), quae dum ad comedendum ipsum eam duxerant, id venerabiliter poplites curvando asina adoravit, et haereticos, hoc viso, ad fidem adduxit [5]. Huius figura patuit in manna, data filiis Israel, cuius esus, ut in fidelitate Domini ipsi starent, datus est eis [6]. Sic et corpus dominicum datum est

(*a*) Edd. ***prius.*** — (*b*) Edd. ***de omnibus operibus n.*** — (*c*) As, Edd. ***asinae*** (As ***asino***) ***praesentato, qui.***

[1] Ioan. 6, 57. — [2] L. c. 59. — [3] *In canone missae;* cf. Luc. 22, 17; I Cor. 11, 25. — [4] AF IV, 259. — [5] AF IV, 266. — [6] Exod. 16, 12 sqq.

nobis in esum ad fidei nostrae confirmationis. — Tertio spem hoc sacramentum fidelibus auget, quia cum Domini passionem repraesentet, qua *accessum et fiduciam* ad Deum *habemus* [1], hoc sacramento spes nostra intenditur, ut speremus indubie a Deo obtinere, quod petimus. Uti enim panis datus de caelo Israelitis in deserto spem dabat et fiduciam ad terram deveniendi promissam, sic ipso nos impetrandi quod cupimus in praesenti et pro futuro spem habemus. Miles quidam ad duellum pergens cum totam suam in hoc sacramento, quod devote perceperat, spem posuisset, hostem vicit et prostravit. — Quarto mentem inflammat, cogitando infinitum amorem, quo Christus hoc instituit et quo venit, ut sit nobiscum. Beatus Franciscus huius sacramenti perceptione totus inflammabatur et extra se ducebatur [2]. Elias sumptione panis subcinericii, figurae huius sacramenti, dimissis inferioribus, inflammatus ad montem ignitum ascendit Horeb, III Reg. 19, 6 sqq. — Quinto reficit hoc sacramentum spiritualiter, quia est caro Christi, quae spiritualiter mentem reficit, ut dictum est, et etiam corporaliter in quibusdam, ut solo hoc cibo et nullo alio sustentarentur. Sic de Abbate Ioanne habetur in *Vitis Patrum* [3] et de multis aliis, qui die dominico hunc sumentes cibum, per totam hebdomadam eis ad omnem corporalem refectionem sufficiebat. Israelitae in peregrinatione deserti, cibo caelesti sunt sustentati quadraginta annis; et nos hoc cibo sustentamur quamdiu adsumus in praesenti vita.

Sexto unit Christo et copulat, Christo dicente [4]: *Qui manducat carnem meam* etc., *in me manet et ego in eo;* et hoc amore et charitate. Hoc est convivium a Christo Assuero ordinatum pro coniunctione Esther [5], id est, animae cum ipso Deo. Magdalena, sumpto hoc cibo, fuit perpetuo vincta Deo; sic Maria Aegyptiaca et sic de aliis. — Septimo vitam dat spiritualem. Primo namque Christus est vita, Ioan. 10, 28. Dat et vitam corporalem. Patet in illo, qui duobus annis, sacramento ordinatione uxoris celebrato, pro eo est sustentatus et in vita reservatus. Amalecita, id est homo, a David Christo hoc cibo dato, ad vitam quasi mortuus revocatur, I Reg. 30, 12. — Octavo munit, scilicet contra diabolum. Nam cum passio Christi diabolum vicerit et prostraverit et hoc sacramentum dominicam passionem repraesentet, quare huius sacramenti perceptio a diabolo est tutatio. Hic est panis visus a Gedeone, Iudicum 6, 19 sqq., qui castra destruxit Madian, id est daemonum, et terrae prostravit. Parisius, frater, qui diu steterat de sero in ecclesia ad orandum, dum de ecclesia exiret ut ad cellam reverteretur, totum claustrum vidit plenum daemonibus. Qui cum reverentia pixidem, ubi erat corpus Domini in altari accipiens, statim ut claustrum intravit, daemones corpus dominicum videntes, statim aufugerunt. — Nono roborat ad bene operandum. Ipso enim datur gratia creata et increata, quae hominem habent roborare et vigorare. Ionathas, id est quilibet fidelis digne sumens mel. id est hoc sacramentum, eius aperiuntur oculi et, vigore accepto, contra hostes audacter desaevit, ut habetur in figura, I Reg, 14, 27 sqq. Frater minor novitius, qui dum esset Senis saecularis, ut quamdam mulierem haberet, datus est diabolo, beneficio huius sacramenti a magistro suo oblati et remissionem accepit peccaminum et vigorem bene operandi a Deo, ut in ordine sancte vixerit et terminaverit. — Decimo sustentat contra adversitates et tribulationes, ne homo cadat. Sorores beatae Clarae, tempore quo ipsa vivebat, introitu Saracenorum ad interiora monasterii, prostratae tribulatione et timore, in capsula corpore Christi mandato beatae Clarae eas praeeunte, Saracenis fugatis liberatae sunt [6]. Paulus cibo sumpto, sustentatur, et Daniel, prandio illato ab Habacuc [7]. Et vir fidelis huius sacramenti sumptione debita Christo unitur, qui eum cadere non permittit. — Undecimo fomitem remittit. Cum enim hoc sacramento conferatur gratia, quare et fomitem remitti

[1] Respic. Eph. 3, 12. — [2] *Leg. Mai.* c. 9 n. 2. — [3] Hist. Lausiaca, c. 61 (P. L. 73, 116). — [4] Ioan. 6, 57. — [5] Esth. 2, 18. — [6] AF IV, 352; Thomas de Celano, *Leg. s. Clarae,* n. 21 sqq.; Acta SS. aug. II, 759. — [7] Dom. 14, 33 sqq.

necesse est, ut docet Magister II dist. 32 [1]; ac consequenter etiam incitantia et ad malum impellentia. Panem hunc dum devotus sumit in templo, ad nullum morticinum, id est peccatum accedit, ut in figura habetur Levitici [2]. — Duodecimo et ultimo purgat a peccato. Nihil est sic efficax remedium ad purgandum peccatum sicut oblatio huius sacramenti et sacrificii, ut beatus Gregorius de Paschasio Cardinali, de Monacho sui monasterii et aliis, in IV iuxta finem ponit *Dialogorum* [3]. Et quod perfectius est, purgatos ad vitam perducit aeternam, ut patet in praefatis. Sic ergo praefatis apparet huius sacramenti vigor et efficacia. Et sic patet succincte secundum declarandum factum in coena Domini.

7. Consequenter restat tertio videre de aliis in coena Domini actitatis, quae stupendissimam arguunt dictam coenam dominicam exstitisse. Et simul omnia complectendo: In ipsa coena Christus Dominus noster multa egit meditatione dignissima.

Et primum est quia explicavit erga istam coenam sui amoris praecordium et desiderium, dicens, Luc. 22, 15: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar,* ubi intueri libet quod Dominus noster expressit se habere desiderium manducare cum discipulis suis. Multoties comederat, sed singulari modo comedit in ultimo cum eis et insuete ab aliis comestionibus, propter illa quae fecit in hac comestione, quae in aliis non fecerat. In prima comestione de qua habetur in Evangelio [4], quae fuit in nuptiis, fecit bene mirabile aquam in vinum commutando. In aliis etiam comestionibus fecit semper aliquid meditatione dignissimum, sed nunquam sic ait de aliqua: *Desiderio desideravi* etc., nisi de ista ultima. Et licet beatus Ioannes, 13, 2 sqq., vocet eam *coenam,* tanquam in ultimo factam diei, fuit tamen, ut creditur, vere comestio, quia tota die Christus nec Apostoli comederant. Dicit ergo: *Desiderio desideravi.* Sed quare sic optavit cum discipulis manducare et specialiter in ultimo suae vitae, nisi certe ad ostendendum suam profundissimam humilitatem, ipsis discipulis ministrando? Propter quod dixit eis in coena ipsa: *Ego sum in medio vestri, sicut qui ministrat* [5]. Facto fecit quod verbo expressit; suam infinitam charitatem, cum dedit se nobis et Apostolis in cibum et potum, ut dictum est; suam magisterii excellentissimam veritatem et officium, ut quod verbo promebat, facto exerceret; propter quod dixit [6]: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis,* etc.; suam profundissimam sapientiam in legis veteris et contentorum caeremonialium in ea innovatione et terminatione; suam lucidissimam scientiam et doctrinam, sicut patet in sermone in hac coena edito; suam ad discipulos familiaritatem, quando ab eis corporaliter recessurus, voluit prius cum eis comedere et coenare. Dicit ergo: *Desiderio desideravi hoc Pascha* [7]. Vere Pascha, id est transitus, quia transiturus erat *ex hoc mundo ad Patrem,* Ioan. 13, 1 sqq.

Secundum est discipulorum ad praeparandum coenam destinatio. Cum discipuli dixissent eidem: *Ubi vis paremus tibi* manducare *Pascha?* sequitur quod: *misit duos de discipulis suis ad quemdam* dicens: *Ite in civitatem* etc. Quis fuerit iste, ad quem misit discipulos? Etsi ex circumstantiis apparet, quod fuerit homo valde in Ierusalem singularis et spectabilis, quia talis habitabat in monte Sion, ubi fuerat habitatio David et habebat palatium, ubi erat *coenaculum grande stratum,* et sufficientissime Christo immo Apostolis dedit omnia pro coena necessaria, quis tamen fuerit non dicitur. Sed *quemdam* dicit, ut ostendat eum spectabilem fuisse personam et singularem, Iesu amicum et discipulum, occultum tamen, ex quo nomen subticetur. Super hunc passum dicit Chrysostomus [8], quod Dominus adeo fuit pauper ac eius Apostoli, quod domum ad comedendum Pascha non habuerint, nec etiam ad praeparandum quae erant pro esu Paschae necessaria. Attamen quia Dominus misit

---

[1] Cf. *Lib. Sent.* II, c. 1. — [2] Levit. 22, 8 sqq. — [3] *Dial.* l. IV, c. 40 sqq. (P. L. 77, 396 sqq.). — [4] Ioan. 2, 1 sqq. — [5] Luc. 22, 27. — [6] Ioan. 13, 15. — [7] Matth. 26, 18 sqq.; Marc. 14, 12 sqq. — [8] *Sup. Matth. hom.* 81 (al. 82) n. 1 (P. G 58, 730); cf. *Hom. de prod. Iud.* I n. 4 (P. G. 49, 378)

Petrum et Ioannem, sibi inter alios dilectione praecipuos ad praeparandum, apparet quod ista coena praeparatione fuit valde singularis et miranda.

Tertium est quoad cibos, quia agni paschalis fuit ibi facta comestio, de quo habetur, Exod 12, 3 sqq., qui erat figura ipsius Domini Iesu, qui erat occidendus pro peccatis nostris et in veruto crucis ponendus ac torrendus igne immensae charitatis, circa quem agnum non me extendo et eius esum propter brevitatem.

Quartum est pedum discipulorum lavatio [1]. Ubi profundissimam cerne Salvatoris humilitatem, ut Dominus omnium se inclinaverit ad lavandum pedes tam humilium personarum, videlicet piscatorum, scilicet Petri, Andreae, Ioannis, Iacobi et aliorum. Nec fuit hic solum humilitatis ostensio, sed etiam mirabilis Christi operationis. Nam lavando pedes et manibus illos tergendo, certe a peccatis purgavit et ad corporis sui et sanguinis susceptionem debitam praeparavit. Et licet hic multa essent dicenda, unum tamen notandum est, quod Dominus tantam humilitatem volens ostendere, utpote pedes lavare discipulorum, non in palam sed in coenaculo et occulto lavit, ut ostenderet laudem humanam in actionibus nostris totaliter fugiendam.

Quintum fuit ipsius Domini ad beati Petri renuentis lotionem pedum comminatio et increpatio [2], quo documentum dedit, quod facta divina sunt miranda, non tamen semper discutienda, et quod magister agit, iustum debet putare discipulus, nec debere se homo plura sapere ostendere quam oportet [3].

Sextum fuit panis et vini in corpus et sanguinem suum commutatio [4]. Ubi ostendit se Deum omnipotentem, qui omnium creaturarum esse habet in sua potentia et virtute. Quia sicut de non esse ad esse perduxit, sic potest de uno esse in aliud esse convertere et mutare; et sic egit panem in corpus et vinum in sanguinem convertendo. Ostendit se Dominum curialissimum in dono dato Apostolis et nobis. Salomon astruitur liberalis, quia *dedit omnia quae voluit, reginae Sabae,* II Paral. 9, 12; Assuerus, qui dedit munera in desponsatione Esther iuxta munificentiam regalem [5] et sic de aliis. Nullus magnificorum (*a*) potest comparari Christo, qui dedit semetipsum, etsi principaliter corpus suum et sanguinem, concomitanter et secundario dedit se totam suam personam divinam et omnia sua. Plura convivia sunt facta in veteri Testamento, coenae et comestiones, sicut patet de convivio Abrahae facto Angelis [6], de convivio Assueri [7], de coena Darii [8] et sic de aliis. Sed nulla comparanda est coenae Christi, quia in hac coena Christi pro ferculo datur Christus, verus Deus. Sic et multa sacrificia Deo sunt facta, scilicet Abel, Noe, Abraham, Iacob, Moysi et Aaron [9] et a Deo ordinata. Nullum tamen est isto sacrificio perfectius, ubi offertur homo verus et Deus verus. Sic ergo patet sexto hoc in coena facto, quam mirandam reddit hanc Christi coenam.

Septimum fuit Apostolorum in sacerdotes ordinatio dicens [10]: *Hoc facite in meam commemorationem,* de quo dicetur conformitate sequenti.

Octavum fuit omnium, quae gessit et de pedum lotione et aliis ad memoriam revocatio dicens [11]: *Scitis, quid fecerim vobis, ego Dominus et magister?* etc. Ubi Salvator inducit ipsos Apostolos ad humilitatem et exemplaritatem aliis tribuendam et lotionem pedum faciendam, per quam lotionem munditiam vult intelligere totius hominis, quam ipsi, ut praelati et doctores aliorum a Christo instituti, verbo pariter docerent et exemplo. Signanter de lotione se eis dedisse exemplum dicit. Quia, ut ipse mundus eos mundavit, sic ipsi docerent alios, ut qui volunt ire ad mensam Christi, ubi ipsius proponitur ad comedendum corpus, mundi et loti accedant et sint in pedibus et in omnibus aliis membris.

(*a*) As, Edd *Nullus munificentior Christo, qui.*

[1] Ioan. 13, 4 sqq. — [2] Ioan. 13, 6 sqq. — [3] Cf. Rom. 12, 2. — [4] Matth. 26, 26 sqq. — [5] Esth. 2, 18. — [6] Gen. 18, 5 sqq. — [7] Esth. 2, 18. — [8] III Esdras 3, 1 sqq. — [9] Gen. 4, 4; 8, 20; 15; 22 etc. Exod. 8 sqq. — [10] Luc. 22, 19. — [11] Ioan. 13, 12 sqq.

Lavanda sunt spiritualiter membra omnium ad Christi corpus sumendum accedentium. Caput ab omni iniqua intentione: quia dicit Petrus: *Non tantum pedes, sed et manus et caput,* ut habeat partem cum Christo [1]. Oculi ab omni prava cogitatione et aspectu; manus ab iniusta operatione; corpus ab omni nociva delectatione; cor ab omni perfida opinione; facies ab omni inhonesta conversatione; pedes ab omni perversa affectione. Et sic faciamus iuxta documentum Isaiae dicentis [2]: *Lavamini, mundi estote.* Ad coenam Agni oportet lotis vestimentis accedere, Apoc. 19, 8. Et non solum homo debet lavari, sed debet vestimenta sua sumere, ut fecit Christus, et post lotionem pedum et induitionem vestimentorum, corpus suum dedit Apostolis. Vestimenta nostra, quae sumere debemus ut dominicum corpus et sacramentum sumamus, sunt virtutes et dispositiones, quas habere nos oportet, ut digne Christum in hoc sacramento contentum sumamus.

Homo autem cupiens corpus Domini spiritualiter et sacramentaliter sumere debet: Primo digne conversari. Sic vive, ait Augustinus, ut quotidie merearis illud accipere; et habetur De consecr. dist. II: *Non iste* [3]. — Secundo pro peccato amaricari; *Glossa* ad Num. 11 [4]: Corpus Christi cum accipimus, debemus pro peccatis compungi, ut amaritudo poenitentiae amorem abstergat perversae vitae. — Tertio pura confessione expurgari; De consecr. dist. II: *Panem* [5]; innocentiam debemus portare ad altare. — Quarto proximo reconciliari, Matth. 4, 24: *Vade prius reconciliari fratri tuo* etc. Et idem ponitur De consecr. dist. II: *Panem* [6]. — Quinto puritate decorari; De consecr. dist. II [7]: « Omnis homo ante sacram communionem tribus vel quatuor vel septem diebus debet a propria abstinere uxore ». De ista puritate loquitur Gregorius, cuius verba habentur dist. VI: *Testamentum* [8]. — Sexto fiducia solidari; Augustinus, et habetur De consecr. dist. II: « Credere in Christum, hoc est panem vivum manducare [9] ». Nam Deus odit sacrificia haereticorum, ait Hieronymus super Amos.

Septimo sancte operari; unde Isidorus, et ponitur De consecr. dist. II: *Qui scelerate* [10], dicit: « Qui scelerate vivunt in Ecclesia et communicare non desinunt, putantes se tali communione mundari, discant nihil sibi ad emundationem proficere ». Idem dicit papa Alexander et ponitur De consecr. dist. II: *Nihil* [11]; et idem dicit Chrysostomus *in Homil. de proditione Iudae* [12]. — Octavo (*a*) ergo vestimenta sumendo et lotus exsistendo, ad Domini coenam secure accedere potest; et sic patet qualiter Dominus est imitandus cum dicit [13]: *Exemplum enim dedi vobis* etc.

Nonum est futurorum in proditionis Iudae manifestatione, et Petri negatione manifestatio et reseratio [14]. Hoc egit, ait apostolus Andreas, ut ostenderet se non invite, sed voluntarie mortem pro nobis suscepisse, quia suum novit proditorem et quo sciebat eum venturum ad (*b*) se capiendum ad eum accessit. Ostendit hoc nono se omnium scientiam habere et cognitionem.

Decimum est Ioannis in Christi pectore repausatio et dormitio [15]. Stupenda fuit haec quieta dormitio, ut Ioannes supra pectus Domini dormiret. Mirabilis fuit ex parte somnum immittentis. Deus immisit somnum in Adam, ut de ipso formaret Evam [16]; misit somnum in Ioannem, ut sibi revelaret secreta caelestia Adam dormiendo stratum non habuit pectus dominicum, sed bene Ioannes; ubi ostendit Iesus affectum, quem specialiter habuit ad beatum Ioannem, quia eum supra pectus suum permisit recumbere et dormire, propter quod merito Ioannes vocat se dilectum a Christo [17], quia nulli alteri discipulorum hoc est concessum. Quo

(*a*) Edd. om. *Octavo.* — (*b*) Edd. om. *ad se capiendum ad eum.*

[1] Ioh. 13, 9. — [2] Is. 1, 16. — [3] *Sermo 84* inter spur. (al. 28 De verbis Dom.) n. 2 (P. L. 39, 1908 sq.). — [4] *Glossa* ord. in h. l. — [5] De consecr. dist. II, c. 64. — [6] L. c. c. 21. — [7] L. c. dist. II, c. 1; (P. L. 35, 1607). — [8] Dist. VI, c. 1; S. Gregorius, *Epist.* l. XI, ep. 63 (P. L. 77, 1189 sq.). — [9] De consecr. dist. II, c. 59; *In Ioan.* tract. 26 n. 1. (P. L. 35, 1607). — [10] De cons. dist. II, c. 24; *De summo bono,* l. I, c. 24. — [11] De cons. II, c. 8. — [12] *De Prodit. Iud.* homil. I, n. 6 (P. G. 49, 380). — [13] Ioan. 13, 15. — [14] Matth. 26, 21 sqq., 34; Marc. 14, 18 etc. — [15] Ioan. 13, 23. — [16] Gen. 2, 21 sq. — [17] Ioan. 19, 26.

et Ioannis exprimitur munditia et puritas, dilectio et charitas, despectio mundi, abiectio sui, inhaesio Christi et eidem totalis Ioannis copulatio et coniunctio. Aliter in tali pectore non dormisset, cum locus et locatum minime convenissent. Sed qualis fuit hic somnus? Certe fuit suavissimus, quia ut cantat Ecclesia[1]: « Fluenta Evangelii de ipso sacro dominici pectoris fonte potavit ». Quo sequitur iuxta dictum Augustini *Super Ioannem* Homil. 1[2] et secundum Origenem ac Petrum Damianum (*a*), quod Ioannes raptus fuit in Paradisum Paradisorum, ubi vidit, quod postmodum tam alte prompsit dicens[3]: *In principio erat verbum* etc. Et cum non sit possibile, quod homo tangendo species, fragrantia specierum suis non inhaereat manibus, ut patet experientia; sic et Ioannes caput suum super pectus Domini reclinando, quod Domini virtutem non senserit et abundantiam suarum gratiarum; dispositus fuit a Christo tali recubitu ad id, quod Christus eidem postea in cruce largitus est, ut ipse singulari adoptione, filius haberetur eius auctoritate beatae Mariae, Matris suae, ut qui erat nepos ex carne, fieret filius adoptione divina. Multa essent dicenda de hac dormitione beati Ioannis supra pectus Domini, sed quia non sunt praesentis materiae, ideo ad praesens dimitto.

Undecimum quod egit Christus in mensa, est quaestionis de maioritate inter discipulos, quis eorum videretur esse maior, exortae determinatio, prout dicit, Luc. 22, 27 sqq. Sed:

Duodecimum et ultimum in coena peractum est discipulorum de multis aliis et profundis informatio, de quibus conformitate sequenti dicetur. Sic ergo apparet, quod sapientia divina in coena ultima, facta ab ipso cum sanctis Apostolis, stupendissima exercuit, considerando sacrificiorum veterum terminationem, sui corporis et sanguinis sacramenti institutionem et factorum aliorum et verborum tenorem, de quibus brevitatis causa discussio totalis est omissa ad praesens. Sic ergo patet declarata prima pars, videlicet: **Iesus cum suis comedens.**

Secunda pars primi fructus et conformitatis tertii libri, et vigesimae nonae in ordine, videlicet:

Franciscus aemulatur.

Expositio.

Beatissimus pater noster Franciscus, ut Christo se per omnia coaptaret et sua sancta in omnibus iuxta possibilitatem humanam prosequeretur vestigia, sicut in suae conversionis (*b*) exordio, evangelica audita (*c*) forma vivendi, eidem illico per omnia se coaptavit, et semper sic et in aliis conformari se studuit Christi actibus devotis, virtuosis et charitativis, prout superiora in I libro et II iam dicta astruunt et declarant; sed specialiter propinquus et morti vicinus (*d*) se Domino et magistro Christo studuit conformare, videlicet, ut sicut Christus iuxta finem ab Apostolis recessurus, cum Apostolis comedit, ut dictum est parte prima huius conformitatis, sic ipse pater beatus Franciscus ad repraesentandum coenam Christi, ante suam mortem voluit cum fratribus comedere, ut haec secunda pars conformitatis dicit: *Franciscus aemulatur*, id est in hoc actu, qui est cum suis comedere, Iesum imitatur morti propinquum.

Pro cuius evidentia est sciendum, quod etsi omni anno dum vixit beatus Franciscus coenam dominicam effecerit cum suis fratribus, ut creditur: licet enim staret

(*a*) As, Edd. *et Origenis ac Petri Damiani.* — (*b*) Edd. *conversationis.* — (*c*) As, Edd. *evangelicam audiendo formam.* — (*d*) Edd. om. *et morti vicinus.*

[1] In eius festo; versic. ad lect. II Noct. I. — [2] Augustinus, *In Ioan.* tract. I n. 7 (P. L. 35, 1382). — [3] Ioan. 1, 1.

in locis aliquando ab hominibus remotis, die tamen dominicae coenae revertebatur ad fratres, ut patuit quando ad insulam laci Perusini, tunc a nullo habitatam, se prima die quadragesimae duci fecit, secum duos solos portans panes, quorum unius solum medietatem comedit, ut integritatem ieiunii sine cibo aliquo soli Salvatori ascriberet; cum praefato ductore ordinavit quod die coenae Domini ad ipsum accederet, quia die illo esse cum fratribus volebat; et sic factum est [1].

Sic ergo recedendo a locis remotis et desertis, ipsa die coenae (a), ut communicaret et cum fratribus dominicam coenam celebraret, remeabat. Attamen tribus vicibus ipsam solemniter exercuit.

Primo in loco, qui dicitur de Carceribus Montis Subasii, de quo dictum est libro I conformitate VIII in *Tractatu de Provincia sancti Francisci,* ubi agitur de fratre Rufino. Quo die coenae fratrem Rufinum, quem diabolus obcaecaverat de praedestinatione, beatus Franciscus oratione liberavit [2].

Secundo ipsam coenam beatus Franciscus peregit, sed in quo loco non habetur; sed credo, quod in loco fuerit Sanctae Mariae de Angelis, ubi cum vellet coenam facere cum aliquibus fratribus, ad repraesentandum illam sanctissimam coenam, quam fecit Dominus cum discipulis suis in memoriam inaestimabilis charitatis suae, affuit inter eos frater Elias proditor, quasi alter Iudas. Cumque beatus Franciscus gratias agens benedixisset panem et singulis fratribus ex eo dedisset, omnibus cum multa devotione recipientibus de dicto pane atque comedentibus, ille solus Elias in manu tenuit panem contemnens ipsum comedere, ascribens fatuitati, quod beatus pater Franciscus instinctu faciebat Spiritus Sancti. Nec mirum, quia scriptum est [3]: *Deridetur iusti simplicitas; lampas contempta apud cogitationes* mundanorum. De quorum numero iste fuit, sicut patuit ex eius fine quem fecit. Frater autem Leo, qui tunc ibi erat, cum hoc vidisset, rogavit ipsum Eliam, ut sibi porrigeret illum panem; qui cum fratri Leoni panem illum benedictum dedisset, tanquam contemnens quidquid ibi fiebat, frater Leo illum diligenter et reverenter reservavit, et postmodum ex eo multa miracula fecit.

Tertio istam coenam fecit (b) beatus Franciscus die Iovis, ut credidit ipse ante mortem suam, quae fuit die sabbati sequentis de sero; unde sciens beatus Franciscus diem et horam sui transitus ex hoc mundo ad Patrem, ut Christum suum magistrum, quem sedule fuerat prosecutus in vita, sic etiam sequeretur in morte, fecit omnes fratres exsistentes in loco ad se vocari, iussitque sibi panes apportari, et eos benedixit atque in plurimas partes frangi fecit, quia ipse prae nimia infirmitate (c) frangere non valebat. Et accipiens, unicuique fratri particulam porrexit, praecipiens, ut totam quilibet manducaret, in signum dilectionis hoc faciens fratribus. Et quod ad similitudinem faceret Christi, patuit, quia ipse beatus Franciscus quaesivit, si esset tunc feria quinta; etsi esset dies alia, ipse tamen putavit, quod esset feria quinta. Unus ex fratribus unam particulam de ipso pane servavit, quam post mortem beati Francisci plurimi infirmi gustantes (d), a variis sunt morbis liberati.

Sic ergo apparet succincte, quomodo beatus Pater Franciscus in ultimo vitae Christum imitatus est cum ipsis fratribus, ut Christus cum Apostolis (e) come-

(a) As, Edd. om. *coenae.* — (b) As, Edd. *exercuit.* — (c) As, Edd. *debilitate.* — (d) Edd. *gestantes.* — (e) Edd. om. *cum Ap.*

[1] *Actus* c. 6; AF IV, 205. — [2] AF IV, 198 sq.; *Chron. 24 gen.,* AF IV, 48 sq. — [3] Iob 12, 4 sq.

dendo. Et sic patet expositio secundae partis huius I conformitatis, videlicet: *Franciscus aemulatur.* Quomodo vero eos ad instar Christi informaverit, dicetur conformitate sequenti; ac etiam de aliis, quibus Christi factis conformis invenitur, conformitate IV huius III libri dicetur.

FRUCTUS ET CONFORMITAS SECUNDA ET IN ORDINE TRIGESIMA:
Iesus Devotos Imbuens — Franciscus Fabulatur.

Expositio primae partis, videlicet: **Iesus devotos imbuens.**

Liberalissimus Dominus noster Iesus Christus, etsi in multiplicibus beneficiis collatis in generali humano generi tam in principio conditionis humanae naturae, de quibus dictum est libro I conformitate II [1], quam et in particulari diversis hominibus veteris Testamenti, videlicet Abel eius munera acceptando, Henoch ad paradisum transferendo, Noe et filiis praeservando a diluvio, Abrahae ab Ur liberando Chaldaeorum, Isaac ab immolatione paterna custodiendo, Iacob in cunctis assistendo, Ioseph Aegypto praeficiendo, Moysi eum sui populi principem statuendo, Aaron et filios in summos sacerdotes eligendo, Iosue, Gedeonem, Aod, Iephte et sic de aliis a manibus hostium eripiendo, David in regnum sublimando, Salomoni eum sua sapientia replendo, Iosaphat ab adversariis protegendo, Ezechiae sanitatem donando, Eliae sua magnalia ostendendo, Elisaeo ipsum spiritu duplici Eliae induendo, Tobiae lucem et lumen oculorum infundendo, Iob amissa duplicando, Danieli in lacu leonum eum conservando et sic de aliis: liberalissimus tamen apparuit semetipsum nobis dando: primo in socium in incarnatione; in cibum in suae coenae celebratione, ut dictum fuit conformitate praecedenti [2]; et speciali modo suis Apostolis et discipulis, praeter corporis et sanguinis sui collationem, multorum aliorum beneficiorum impensione. — Ipse enim benignissimus Dominus Iesus circa finem suae vitae, quando scilicet passione erat abscessurus ab Apostolis, eis multa beneficia impendit suae liberalitatis declarativa.

1. Et primum est dilectionis. Ioannes dicit, quod *in finem dilexit suos* [3]. *Suos* ergo nominando, ostendit Christum ipsos speciali amore dilexisse. Insuper, ut exprimeret Christus amorem ad ipsos, in sermone de coena vocat eos filios, amicos, et quod ad invicem se diligerent sicut ipse eos dilexit, Ioan. 13, 10 sqq.

Secundum sui ipsius pro volito impensionis. Abscessurus ab eis praesentia corporali, ad libitum eorum se habendi concessit, et hoc sacramenti Eucharistiae frequentatione. Quandocumque enim missa celebratur, Christus in sacramento habetur et datur; ad quod habendum, dedit eis.

Tertium, scilicet donum ordinationis. Ut enim hoc sacramentum possent frequentare et Christum pro libito apud se habere, fecit eos sacerdotes, dum dixit eis, Lucae 22, 19: *Hoc facite in meam commemorationem.*

Quartum fuit, etsi praecesserit dictum secundum et tertium, mundationis; quia Christus lavando pedes totam personam lavit, et quod foris ostendit corporaliter, intus fecit spiritualiter: propter quod dixit eis, Ioan. 13, 10: *Vos mundi estis*; et sic eos a peccato reddidit absolutos, quia mundatos.

Quintum pro ipsis ad Patrem rogationis, ut Ioan. 17, 9 sqq. dicit: *Pater sancte, serva eos* etc. *Ego pro eis rogo, non pro mundo. Sanctifica eos in veritate* etc.

---

[1] AF IV, 60 sqq. — [2] Supra, p. 333 sqq. — [3] Ioan. 18, 1.

Sextum de regno obtinendo subarrhationis. Lucae 22, 29: *Ego dispono vobis regnum* etc. Et Matth. 26, 29: *Non bibam amodo de isto genimine vitis, donec bibam illud vobiscum novum in regno Dei* etc.

Septimum a somno et pigritia excitationis. In horto dum dormiunt, dicit[1]: *Surgite et orate, ne intretis in tentationem* etc.

Octavum de mittendo eis Spiritum Sanctum certificationis et consolationis, Matth. 26, 41. Quia Spiritus Paraclytus, id est consolatorius dicitur, eis se daturum Spiritum Sanctum ostendit, Ioan. 14, 16 et 15, 26.

Nonum est praeservationis. Nam volentes eum tenere, inquit, Ioan. 18, 8: *Si me quaeritis, sinite hos abire.*

2. Decimum est informationis. In hoc se ostendit eis liberalissimum, reserando eis profunda suae sapientiae, de quibus loquitur prima pars huius II conformitatis III libri dicens: *Iesus devotos imbuens,* id est informans, scilicet Apostolos. Et quia homo naturaliter scire optat[2], ac scire divina sit donum, cui, teste Sapiente[3], nihil valet comparari; Christus sic ipsos informando, suae liberalitatis donum singularissimum expressit. Sed ut hoc melius videatur, est sciendum quod cum Dominus Iesus sit *lux vera,* Ioan. 1, 3, et *lux mundi,* Ioan. 8, 12, habeatque omnium notitiam et cognitionem, Ioan. 16, 1 sqq., Apostolos suos diversimode informavit. Et quia, ut patet experientia, aliter docendi sunt rudes et aliter iam in scientia exercitati et imbuti, Salvator noster in primordio vocationis eorum velut rudes palam multum et quasi sine profunditate doctrinae, quid haberent agere, ut vere sui essent discipuli, in sermone, quem fecit in monte, de quo habetur Matth. 5. 6 et 7, informavit. Verum et etiam continua Christi informatione; nam quotidie docebat eos, ut habetur Matth. 11, 1. Iam exercitatis, pandidit plura alia, sicut patet Matth. 13, 1 sqq.; tamen similitudinibus et parabolis, ut facilius suorum dictorum sub similitudine expressorum recordarentur. Ultimo vero iam imbutis et in doctrina fidei exercitatis, pandit multa magna et miranda, et hoc in sermone ipsius coenae, sive in coena edito patet, in quo sermone ostendit[4]: — Primo divinarum personarum Trinitatem et unionem. Nam Pater et Filius et Spiritus Sanctus, quod sunt ostenditur et quod unum sunt concluditur. — Secundo a Patre ipsius Filii generationem, dicens Ioan. 16, 28: *Exivi a Patre et veni in mundum* etc. — Tertio Spiritus Sancti a Patre et Filio processionem, Ioan. 15, 26: *Paraclytus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum qui a Patre procedit* etc. — Quarto indivisam trium personarum operationem, Ioan. 14, 10: *Pater in me manens, ipse facit opera;* et Ioan. 5, 17: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* etc.

Quinto personarum divinarum ad invicem circumincessionem, Ioan. 14, 11: *Ego in Patre et Pater in me est.* — Sexto fidei sinceritatem et in ipso permansionem, Ioan. 14, 1: *Creditis in Deum et in me credite.* — Septimo praemiorum diversitatem in caeli habitatione, Ioan. 14, 2: *In domo Patris mei mansiones multae sunt* etc. — Octavo ipsorum Apostolorum ad gloriae perennitatem praedestinationem, Ioan. 14, 2: *Vado praeparare vobis locum* etc. — Nono mirorum faciendorum eos habituros declaravit auctoritatem, pro fidei confirmatione, Ioan. 14, 12: *Amen dico vobis, qui credit in me, opera quae ego facio, et ipse faciet et maiora horum faciet* etc.

Decimo modum, quo a Deo acceptarentur eorum orationes, declaravit et reseravit, dicens, Ioan. 14, 13[5]: *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* — Undecimo eos docuit ad ipsum habere dilectionem et amoris probationem, dicens Ioan. 14, 23 et 15: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit,* et: *Si diligitis me, mandata mea servate.* — Duodecimo, ipso docente praecepit (*a*) veram animae ad Deum coniunctionem, dicens Ioan.

(*a*) As, Edd. om. *ipso doc. praecepit.*

[1] Luc. 22, 46. — [2] Aristoteles, *Metaph.* l. I. c. 1 n. 1. — [3] Sap. 7, 8 sq. — [4] Ioan. 13 sqq. — [5] Cf. Ioan. 16, 23.

14, 23: *Si quis diligit me;* et sequitur: *Ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.* — Tertio decimo suam doctrinam valere ad habendum aeternam beatitudinem et beatificationem (*a*), Ioan. 13, 17: *Beati eritis, si feceritis ea* etc. — Quarto decimo Spiritus Sancti super eos descensionem et permansionem, Ioan. 14, 16. *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclytum dabit* etc.

Quinto decimo cordium ipsorum a Spiritu Sancto illustrationem de omnibus, Ioan. 14, 26: *Spiritus Sanctus docebit vos omnia* etc. — Sexto decimo ipsorum a Deo continuam gubernationem, Ioan. 14, 18: *Non relinquam vos orphanos* etc. et Ioan. 17, 11: *Pater sancte, serva eos, rogo* etc. — Decimo septimo ipsorum a mundo vexationem, Ioan. 15, 18: *Mundus vos odit* etc. Sequitur 16, 33: *In mundo pressuram habebitis,* et Ioan. 16, 2: *Venit hora, in qua omnis, qui interficit vos* etc. — Decimo octavo eorum in tribulationibus gaudium futurum et consolationem, dicens Ioan. 16, 22: *Vos nunc tristitiam habetis; iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum.* — Decimo nono per ipsos mundi ad ipsum conversionem, Ioan. 15, 16: *Ego elegi vos de mundo, ut eatis et fructum afferatis* etc.

Vigesimo confidentiam in ipsum et assecurationem, Ioan. 14, 27: *Non turbetur cor vestrum, neque formidet* etc. — Vigesimo primo bonorum operum fructum et operationem, Ioan. 15, 5: *Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum.* — Vigesimo secundo divinam assistentiam pro nostra bona operatione, Ioan. 15, 5: *Sine me nihil potestis facere* etc. — Vigesimo tertio infidelium punitionem, Ioan. 15, 6: *Si quis in me non manserit, mittetur foras et arescet* etc. — Vigesimo quarto ipsorum ad invicem unionem et coniunctionem, Ioan. 13, 34: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem* etc. et (*b*) Ioan. 15, 17: *Hoc mando vobis, ut diligatis invicem* etc.

Vigesimo quinto ipsorum ad Patrem recommendationem, Ioan. 17. — Vigesimo sexto vitae aeternae reserationem, dicens Ioan. 17, 3: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum et quem misisti Dominum Iesum Christum.* — De multis aliis in coena sermocinando, Salvator Apostolos instruxit et docuit; sed praefata sufficiant, quae propter sublimitatem (*c*) ipsorum magna indigerent declaratione, sed, Domino concedente, in libro, quem post istum faciam de dictis Domini Salvatoris et gestis, declarabuntur, quorum discussionem ad praesens dimitto brevitatis causa.

Patet ergo munificientia et largitas ac liberalitas declarata Apostolis (*d*) per Christum, et specialiter eos de multis illustrando, prout dicit prima pars huius conformitatis, videlicet: **Iesus devotos imbuens**; et qualiter debet intelligi, iam est declaratum.

Secunda pars secundi fructus et conformitatis tertii libri, et trigesimae in ordine, videlicet:

Franciscus fabulatur.

Expositio.

Franciscus fabulatur, dicit secunda pars II conformitatis huius III libri; in mortis articulo constitutus, fratres suos alloquitur et de multis edocet, et cum eis, ad instar Christi recessurus a discipulis, confabulatur. Hoc siquidem nunc pro expositione II fructus et conformitatis III libri est videndum ad praesens. Pro cuius declaratione (*e*) est sciendum, quod beatus pater noster Franciscus de morte, die et hora a Christo plenarie (*f*) informatus, ut dicit frater Bonaventura in XIV parte

(*a*) Edd. om. *et beatificationem.* — (*b*) As, Edd. om. *et — invicem etc.* — (*c*) As, Edd. *quia nonnulla ipsorum.* — (*d*) Al om. *Apostolis* pro quo *ante passionem.* — (*e*) As, Edd. *evidentia.* — (*f*) As, Edd. *plenissime.*

Legendae [1]: « Sui transitus hora appropinquante, fecit omnes fratres exsistentes in loco ad se vocari et eos verbis consolatoriis pro sua morte demulcens, paterno affectu ad divinum est hortatus amorem, de (*a*) patientia et paupertate et sanctae Romanae Ecclesiae fide servandis. Et adiecit: « Valete, filii omnes, in timore Domini et permanete in eo semper. Et quoniam futura tentatio et tribulatio appropinquat, felices qui perseverabunt in his, quae coeperunt. Ego vero ad Deum propero, cuius gratiae vos omnes commendo ». Haec frater Bonaventura. Et quia succincte multa tangit et in brevi, pro evidentia praefatorum notandum est, quod beatus Franciscus alloquendo (*b*) omnes ante mortem suam, ut dicit *Antiqua Legenda* [2], plura eis dixit et de pluribus eos admonendo informavit. Et quia mors beati Francisci pluries fuit credita imminere apud fratres, etsi non apud ipsum, cum ipse, Christo revelante [3], diem sciret et horam; inserenda sunt hic aliqua, quae ipse habuit fratribus dicere, dum alias moriturus a fratribus putaretur.

1. Semel enim « cum propter infirmitatem stomachi vellet evomere et sibi violentiam fecisset, per totam noctem evomit sanguinem usque ad matutinum; quod socii videntes, ipsum prae debilitate et afflictione credentes mori, cum lacrimis multis post plura ei dixerunt: « Ergo, pater, benedicas nobis et ceteris fratribus, quos in Christo genuisti, et aliquod memoriale tuae voluntatis relinquas nobis, quod fratres tui in memoriam semper habeant et possint dicere. Tunc beatus Franciscus paternos oculos in filios dirigens dixit: « Vocate mihi fratrem Benedictum de Piratro (*c*) ». Erat enim sacerdos et beato Francisco in infirmitate celebrabat. Qui cum venisset, dixit illi: « Scribe qualiter benedico omnibus fratribus meis, qui sunt in religione et qui venturi sunt usque ad finem saeculi; et quoniam propter infirmitatem loqui non valeo, in tribus verbis patefacio breviter voluntatem et intentionem meam cunctis fratribus praesentibus et futuris, videlicet, ut (*d*) in signum memoriae meae benedictionis et testamenti, semper diligant et observent dominam meam paupertatem et semper praelatis et clericis sanctae matris Ecclesiae fideles et subiecti exsistant ». Haec sunt quae tunc fecit scribi [4], et satis concordant cum dictis domini fratris Bonaventurae, ut dictum est [5].

2. Verum quia tunc beatus Franciscus non fuit mortuus, videndum est quid circa mortem dixerit. Et quia multa dixisse invenitur, ut patet in testamento, quod *Testamentum beati Francisci* appellatur [6], quod in morte fecit, et iuxta Regulam scribi et semper haberi mandavit, dictum testamentum (*e*) ad litteram hic non scribendo, sed sententialiter ipsum ponendo. Sententia autem dicti testamenti stat in multis.

Primo quia beatus Franciscus se asseruit divino munere ad statum poenitentiae evocatum, in principio dixit: « Dominus dedit mihi fratri Francisco incipere agere (*f*) poenitentiam ». — Secundo se fatetur maximum peccatorem; inquit enim: In peccatis eram. — Tertio asserit divina gratia displicentiam ad leprosos in complacentiam

(*a*) Edd. *ad patientiam, ad am. ad paup. et ad s. R. Eccl. fidem servandam.* — (*b*) Al, Edd. *aliquando;* tunc Al, As om. *omnes.* — (*c*) As *Prato* in rasura. — (*d*) Edd. om. *videlicet ut.* — (*e*) Edd. *textum ad litteram hic non scribo... ponam.* — (*f*) Edd. *facere.*

[1] *Leg. Mai.* c. 14 n. 5; cf. II Cel. II, 162 (III, 139, n. 216). — [2] *Specul. Perf.* Sabatier, c. 121 sqq. — [3] *Leg. Mai.* c. 14 n. 2; I Cel. II, c. 8 n. 109. — [4] *Specul. Perf.* Lemmens, c. 30; Sabatier, c. 87. — [5] L. c. — [6] *Opuscula S. Fr.*, 76-82.

sibi permutatam. — Quarto dixit, Dominum eum de saeculo nequam ad religionem transtulisse (*a*).

Quinto modum orandi in ecclesiis omnibus sibi Christum revelasse, ut diceret: *Adoramus te, Christe* etc. — Sexto reverentiam quoad sacerdotes, ut ad ipsos recurreret, etsi eum offenderent, Christus concessit. — Septimo, ut nunquam praedicaret contra velle sacerdotum in suis parochiis seu ecclesiis. — Octavo ipsos sacerdotes ut *dominos* suos dixit, quod (*b*) honoravit, timuit et semper amavit. — Nono in sacerdotibus non esse attendendum delictum, sed Dei Filium, qui inest eis.

Decimo summa affectione et reverentia ad altissimum sacramentum corporis et sanguinis Domini se ferri dicit, et ipsum dominicum corpus in loco venerabili voluit collocari. — Undecimo dicit de se, quod sanctissima nomina et scripturas Domini Iesu recolligebat et in loco debito seponebat, rogans sic fieri et agi per fratres. — Duodecimo confitetur beatus Franciscus, quod postquam habuit fratres, quid ageret fuit a Deo informatus. — Tertio decimo dixit, quod ut viveret secundum formam sancti Evangelii, Christus ei ostendit. — Quarto decimo, quod regulam, quam de Evangelio verbis paucis scripsit, papa confirmavit.

Quinto decimo dixit, quod intrantes suum ordinem pauperibus omnia distribuebant, quae habere poterant. — Sexto decimo in dicto testamento ponit, quod ipse cum aliis fuit unica tunica contentus, repeciata intus et extra, chorda et brachis. — Decimo septimo officium divinum ut alii clerici, sed laici *Pater noster* dicebant. — Decimo octavo dixit, quod ut plurimum ipse cum sociis conversationem habebat in ecclesiis. — Decimo nono dixit, quod humilitatem cum sociis: omnibus subditus fuit.

Vigesimo dixit, quod manibus laboravit, et sic voluit alios manibus laborare laboritio, quod ad honestatem pertinet; et nescientes addiscerent, non ad lucrum reportandum, sed ad otiositatem repellendam. — Vigesimo primo voluit, quod fratres pro labore quae pertinent ad victum, reciperent. — Vigesimo secundo dixit, quod si quando eis pro labore nihil daretur, quod irent pro eleemosina ostiatim. — Vigesimo tertio dixit, quod pacis salutationem ut diceret scilicet: *Dominus det tibi* vel *vobis* (*c*) *pacem*, Dominus ei revelavit. — Vigesimo quarto mandavit, dicens: cavere debere fratres, ne ecclesias seu habitacula construerent vel construi pro se permitterent, nisi secundum sanctam paupertatem et regulam promissam, habitantes in eisdem ut advenae et peregrini.

Vigesimo quinto prohibuit, ne fratres privilegium ullum a sede Romana peterent, pro praedicatione facienda vel persecutione vitanda, sed si eos persequerentur, abinde recederent. — Vigesimo sexto quod voluit obedire firmiter generali ministro et guardiano ei ab ipso dato. — Vigesimo septimo obedientiam declaravit praelatis a subditis exhibendam, videlicet, ut subditus nihil agat vel vadat sine ipsorum (*d*) voluntate et obedientia. — Vigesimo octavo guardianis mandavit firmiter obedire. — Vigesimo nono officium iussit secundum regulam fieri.

Trigesimo, quod officium facere nolentes secundum regulam, et si non essent catholici, quod caperentur et custodi praesentarentur, et custos ministro et minister protectori. — Trigesimo primo declaravit beatus Franciscus, quod suum testamentum non est ut alia regula, sed est causa recordationis, admonitionis, et exhortationis (*e*), ut regula promissa melius observetur. — Trigesimo secundo mandat generali

---

(*a*) Edd. *traxisse.* — (*b*) Al *et.* — (*c*) Al om. *vel vobis.* — (*d*) Codd. *sui.* — (*e*) Al *conformitatis.*

ministro, ministris et custodibus ad istud testamentum nihil addere vel minuere et iuxta regulam (*a*) scribi facere. — Trigesimo tertio voluit, quod testamentum suum legeretur, quando legitur regula. — Trigesimo quarto mandat omnibus fratribus, clericis et laicis, per obedientiam, « ut non mittant glossas in regula, nec in verbo aliquo (*b*), dicendo: Ita vult intelligi, sed simpliciter » intelligatur ut iacet, quia sic est divinae voluntatis.

Trigesimo quinto observatoribus regulae imprecatus est benedictionem in caelo altissimi Patris et in terra dilectissimi Filii sui, Domini nostri Iesu Christi. — Trigesimo sexto et ultimo benedictionem datam a Christo, qui concessit hoc scribi testamentum, confirmat eis intus et extra. — Et haec est sententia testamenti beati Francisci patris nostri, quod ante mortem suam fecit. Et sic patet qualiter beatus Franciscus fuit ante mortem cum suis fratribus *confabulatus*.

De multis aliis beatus Franciscus morti propinquus fuit locutus, sicut qualis esse deberet generalis minister et de eius sociis [1]. Unde dicitur in *Legenda Antiqua* in capitulo de zelo ipsius ad religionem, quod « prope finem vitae suae, dixit ei quidam Frater: « Pater, tu transibis ad Dominum, et familia hic te secuta remanebit in valle lacrimarum. Innue ergo nobis aliquem, si cognoscis in ordine, in quo tuus animus conquiescat, cui onus generalis ministerii digne possit imponi ». Respondit beatus Franciscus induens cuncta verba suspiriis: « Tam magni et multimodi exercitus ducem, tam ampli et dilatati gregis pastorem, fili mi, nullum sufficientem intueor. Sed unum vobis depingam, in quo reluceat, qualis deberet esse huius familiae dux et pastor. Homo, inquit, iste debet esse vitae gravissimae » etc. Require de hoc libro I conformitate XII, cap. 52; et vide ibi [2]. In quibus verbis beatus Franciscus notabiliter describit, quale esse deberet caput et membra ordinis fratrum Minorum. Et quia dominus frater Bonaventura dicit in XIV parte *Legendae Maioris*, ut allegatum est [3], quod beatus Franciscus moriturus dixit fratribus, quod futura tribulatio appropinquat etc., innuit beatus Franciscus de futura tribulatione, quam ante praedixerat mundo venturam, tam in Ecclesia quam in ordine, quod eam fratribus ad memoriam tunc reduxit. De qua futura tribulatione quia dictum est libro II conformitate VI [4], ideo sufficiat quod est ibi dictum; et ideo nihil scribo ad praesens. — Multa alia beatus Franciscus moriturus fratribus locutus est, de quibus conformitate IV huius III libri dicetur. Ad praesens sufficiant praedicta pro declaratione huius secundae partis conformitatis, videlicet: *Franciscus fabulatur;* et ex dictis eius patet expositio.

FRUCTUS ET CONFORMITAS TERTIA ET IN ORDINE TRIGESIMA PRIMA:
Iesus Crucem Suscipiens. — Franciscus Consignatur.

Expositio primae partis, videlicet: Iesus crucem suscipiens.

Quia hoc opus de conformitate vitae beati Francisci ad vitam Domini Iesu Christi est ordinatum ad ostendendum hoc, videlicet, quod quemadmodum Christus fuit crucifixus, sic et beatus Franciscus ab ipso Christo suae passionis fuit stigmatibus consignatus, prout

(*a*) Al add. *esse et nihil.* — (*b*) As *nec in verbis;* Edd. *nec verba dic.*

[1] *Specul. Perf.* Sabatier, pars V, c. 80. — [2] AF IV, 624-5. — [3] C. 14 n. 5; supra, 181, 21 sqq.; cf. 166 sqq. — [4] Supra, 163 ss.

praesens fructus XXXI in ordine et III huius III libri declarare intendit; et quemadmodum Christus fecit beatum Franciscum sibi conformem in signis passionis suae, sic et in aliis, ut deductum est in libris praecedentibus et conformitatibus. Ut enim dictum est, nulla forma in materiam inducitur, nisi materia formae introducendae contemperetur, proportionetur et assimiletur; quare et beatus Franciscus non dedisset formam suae similitudinis passionalis, nisi et in aliis reddidisset sibi similem et conformem. Quapropter, cum divina gratia faciente, in pluribus est declarata conformitas beati Francisci ad Christum, facta ipsius bonitate, restat igitur videre, quomodo in ultimo est similiter per omnia conformatus, videlicet in susceptione a Christo signorum suae sacratissimae passionis, prout praesens conformitas declarare intendit. — Et quia haec conformitas III istius III libri habet duas partes: prima dicit, quod Iesus pro salute nostra crucem suscepit, scilicet moriendo in ipsa; secunda pars dicit, quod beatus Franciscus a Christo suae passionis stigmatibus consignatur; videndum est, more praecedentium, primo de prima parte et secundo de secunda. Sed volendo loqui de prima parte pro ipsius expositione, quia dicit quod Iesus volens pro nobis se morti tradere, potius elegit mori in cruce quam alio modo, hic erit de causa investigandum; quo viso, patebit expositio istius primae partis huius conformitatis.

1. Si ergo quaeratur de causa, quare Dominus Iesus voluit in cruce mori, et praesupposito quod mori eum decebat pro satisfactione peccatorum et nostra redemptione, ut dicetur conformitate sequenti, scilicet IV, respondetur et dicitur, quod decentissimum fuit Dominum nostrum Iesum Christum in cruce mori. Et congruentiae nonnullae a sanctis assignantur doctoribus. Et prima congruentia assignatur a sancto Andrea apostolo: ut sicut ligno scientiae boni et mali facta est humani generis perditio, Adam et Eva de ipso sumendo, sic in ligno crucis decebat, ut fieret humanae naturae reparatio et redemptio [1]. Unde cantat Ecclesia in crucis praefatione: quod Deus salutem humani generis in ligno constituit crucis [2], « ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret, et qui (scilicet diabolus) in ligno vincebat (scilicet per primos parentes), in ligno crucis vinceretur (scilicet) per dominum nostrum Iesum Christum ». Et ideo dicit beatus Augustinus in *Sermone de passione:* Contempsit Adam praeceptum, accipiens ex arbore; sed quidquid Adam perdidit, Christus in cruce invenit [3]. Et beatus Andreas plures assignat congruentias ad hoc (*a*), quae videndae sunt in sua *Legenda* [4].

Secunda congruentia: ut Christus in cruce moriendo, quia tunc illud mortis genus erat abiectissimum, fideles animaret, ut nullum genus tormenti pro eius amore pati timerent. Hanc tangit Augustinus in libro *LXXXIII Quaestionum* [5].

Tertia congruentia: ut sicut Christus perambulando terram eam sanctificavit, sic in ligno crucis in aere levatus, aerem se sanctificasse monstraret. Terram sanctificavit perambulando, sanguinem suum et aquam tempore passionis fundendo; aquam, super ipsam peragrando (*b*); sic et aerem, in cruce se sublevando. Hanc tangit Chrysostomus in *Sermone de passione* [6].

Quarta congruentia: ut ostenderet in cruce moriendo, se per mortem suam totum mundum, quantum est ex sufficientia passionis suae, salvasse, qui velut ad crucem quatuor est in partibus divisus, vel ut ostenderet se iuxta partes crucis quatuor fecisse: primo hominum redemptionem, secundo Angelorum restaurationem, tertio diabolicae potentiae subiugationem, quarto a limbo patrum liberationem; vel per Christi passionem diffusam esse gratiam ad quatuor partes orbis, secundum Gregorium Nazianzenum (*c*). Sed manibus expansis

(*a*) As *de hoc;* Edd. pergunt. *vide in sua leg.* — (*b*) As *spargendo.* — (*c*) Edd. *Nicaenum.*

[1] *Legenda Aurea,* c. 2, ed. cit. 17. — [2] Missale roman. Praefatio VIII. — [3] Cf. *Sermo V de pass. Dom.* 154 (120), n. 4 (P. L. 39, 2044) — [4] L. c. — [5] *LXXXIII Quaest.* quaest. 25 (P. L. 40, 17). — [6] *Homil. in crucem et latronem* I, n. 1 (P. G. 49, 400).

crucifigitur, secundum Chrysostomum [1], ut altera manu veterem populum, altera eos qui ex gentibus sunt, trahat.

Quintam congruentiam ponit Augustinus *De gratia novi et veteris Testamenti* [2]: ut per hoc genus mortis in cruce diversae virtutes ostenderentur: in latitudine, ubi (*a*) manus extenduntur, recta operatio, in longitudine longanimitas, in altitudine supernorum exspectatio, in profunditate gratuitae gratiae condonatio declaretur; et secundum Bernardum, in superiori parte charitas, a dextris benignitas, a sinistris patientiae longanimitas, in infimo iacet humilitas.

Sextam congruentiam assignat Augustinus in *Sermone de passione* [3], dicens quod mors Christi facta est in ligno crucis, quia sic plures implentur figurae. Crux enim Christi est *lignum positum in medio Paradisi*, quia vita est Christus, qui in ea pependit, Ioan. 14, 6. *Lignum* est etiam *scientiae boni et mali,* quia ea boni salvantur et damnantur mali, Gen. 2, 17. Hoc ligno in archa a diluvio salvatur genus humanum, quia per Christum in ligno crucis a peccatorum diluvio liberatur, Gen. 7, 3 sqq. Baculo Iacobi, Gen. 39, 10, id est cruce Christi Iordanis transitur, id est amaritudo omnis praesentis vitae toleratur. Virga Moysi [4], id est cruce Christi signati per Moysen [5], assumptum de aquis id est Christum qui immunis fuit ab omni peccato, liberantur et mare transeunt; sed Pharao praefocatur cum suis et Amalech prosternitur, Exod. 17, 9, id est diabolus cum suis convincitur et superatur. Ligno, id est cruce, aquae amarae, id est mundi tribulationes dulcescunt, Exod. 15, 25. In strue lignorum Isaac superponitur, Gen 22, 9, quia Iesus in cruce affigitur. Panis vitae, scilicet Christus super mensam ponitur, id est crucem; ligno serpens prudentissimus suspenditur, scilicet Christus, Levit. 2, 4 sqq.; botrus appenditur, Num. 21, 9; et sic de aliis figuris, quae ut implerentur, in ligno crucis Iesus mori complacuit.

Septima congruentia et ultima quoad hoc est, quod Christus in cruce mori voluit, ut suam crucem ostenderet esse: primo suae vitae perfectae ostensivam. Et quia qualiter in cruce est demonstrata vita perfectionalis Christi, dicetur in expositione secundae partis huius conformitatis; ideo nihil ad praesens de ea. — Ostendit Christus crucem secundo esse verae sapientiae instructivam. In ea enim pependit ille, qui est sapientia Dei et *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei absconditi* [6], scilicet Iesus Christus. In cruce iste doctor Iesus Christus et magister summus stans ut in cathedra, legit plures lectiones, fideles de vera sapientia informantes et ad veram sapientiam perducentes. Prima lectio eius est, quod Deus est super omnia amandus et diligendus. Ratio, quia ipse prior *dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis* [7]; quare eum et amare debemus super omnia et diligere. — Secunda lectio est, quod Deo est indesinenter obediendum, quia ipse Christus factus est pro nobis obediens Patri *usque ad mortem* [8]. — Tertia lectio quam legit est, quod pro ipso Christo est moriendum et etiam pro proximo: ipse *pro nobis* mortuus est, clamans *ut sequamini vestigia eius,* I Petr. 2, 21. — Quarta lectio est, quod semper est orandum. In cruce, teste Apostolo, Heb. 5, 7, Christus solus oravit; et pro peccatoribus, Luc. 23, 34. — Quinta lectio est, quod a peccato est abstinendum et nullo modo committendum; ut enim nos a peccato lavaret, sanguinem suum fudit, Apoc. 1, 5. — Sexta lectio est, quod mundus spernendus est et derelinquendus; hoc ostendit dum nudus in cruce pependit. — Septima lectio est, quod inimicis (*b*) et mala nobis inferentibus est parcendum; pro eis oravit dicens: *Pater, dimitte illis,* Lucae 23, 34. — Octava lectio est, quod meditationi crucis iugiter est insistendum. Nam cum sibi suggereretur, ut de cruce descenderet, Matth. 27, 40, in ipsa mori voluit et terminare. — Nona lectio est, quod poenae et adversa sunt patienter toleranda.

(*a*) Al *Christi*. — (*b*) Al *quod minas et nobis mala inferentibus*.

[1] L. c. 400. — [2] *De grat. n. et v. Test.*, lib. seu epist. 140 n. 64 (P. L. 33, 566). — [3] *Sermo V de pass. Dom.* 154 (120) n. 4 (P. L. 39, 2044). — [4] Exod. 2, 3 sqq. — [5] Exod. 14, 16 sqq. — [6] Coloss. 2, 3. — [7] Eph. 5, 2 — [8] Phil. 2, 8.

Nam in tot illatis, iuxta dictum Psalmi [1] et Isaiae [2] et Ieremiae [3], *non aperuit os suum.* — Decima lectio est, quod prudenter est loquendum: Pauca enim verba ipse Dominus in cruce est locutus, etsi summae prudentiae et virtutis. — Undecima lectio est, quod corpus sive caro diris est maceranda verberibus et cibanda, aceto et felle potanda (*a*). — Duodecima lectio est, quod anima et spiritus semper sunt Deo commendanda et offerenda. In Patris manus posuit spiritum et commendavit. Regina Saba, id est beata Virgo Maria, ut sapientia adiret veri Salomonis [4], Christi filii sui, stabat *iuxta crucem,* Ioan. 19, 25. Paulus iuxta hanc crucem informatus, clamabat dicens, se nihil scire, *nisi Christum et hunc crucifixum; qui factus est nobis sapientia a Deo, iustitia, sanctificatio et redemptio,* I Cor. 25, 2 et 1, 30.

2. Tertio ostendit Christus suam crucem esse omnis scientiae divinae panditivam. Si vis omnium scientiam habere, ad crucem perge, et consilio beatae Mariae Virginis iuxta ipsam consiste, et audi doctorem Christum pendentem in ea docentem: Primo veram grammaticam, ut sciat homo devotus recte loqui populum informando, dominicam passionem in corde recte scribere de ipsa iugiter meditando, ipsamque passionem suam originem omnium virtutum esse ac perfectionum. — Secundo veram logicam, per quam falsitas mundi et terrenorum despicitur et aeternorum veritas possidetur. — Tertio veram rhetoricam, per quam, scilicet passionem suam, quam docet, sic orationes adornantur et verba, ut a Deo et sanctis audiantur libenter et acceptentur. — Quarto veram musicam, qua Deo Christi exemplo in cruce pendentis, corde psallitur et psalterium decem chordarum observantia praeceptorum pulsatione continua persolvitur. — Quinto veram arithmeticam, qua unitas divina in Trinitate colitur, dualitas naturarum in Christo creditur et trinitas coniunctorum, scilicet animae et corporis cum divinitate praedicatur, quae sunt principia omnis nostrae credulitatis. — Sexto veram astrologiam, per quam discursus humanarum calamitatum et miserationum divinarum contemplatur, et specialiter tempore gratiae, patet miseratio Domini, facta ex cruce. — Septimo veram astronomiam, quia per crucis passionem verae stellae, videlicet sancti homines, caelo inferuntur et in libro vitae annotantur. — Octavo veram geometriam, qua Deitas tam magna pro nostra salute sic inclinata et humiliata et breviata declaratur. — Nono veram philosophiam, qua Deus et eius amor addiscitur, et mundialis respuitur, dum scilicet totus a crucifixo Domino agnoscitur esse contemptus. — Decimo veram ethicam; virtutes morales Christus docet in cruce, scilicet fortitudinem contra diabolum quem superavit, temperantiam contra carnem, prudentiam contra mundum, iustitiam quoad Deum. — Undecimo veram medicinam; sacramentis institutis, quae a passione habent efficaciam, morbi auferuntur omnium peccatorum. — Duodecimo docet veram legem; quidquid enim ad vitae pertinet perfectionem, ut dicetur statim, in ipsa depromitur. — Docet etiam sacram theologiam, quia manifeste Deum se depromit, quo homo corpore et anima beatificatur.

Quarto prodit Dominus Iesus morte crucis ipsam crucem esse omnium virtutum expressivam. Ibi enim ostenditur paupertas arctissima, quia Iesus nudus moritur; humilitas profundissima, quia Deus sic vilificatur; charitas ardentissima, quia summa charitate pro nobis patitur; pietas benignissima, quia peccatoribus in latrone venia promittitur et conceditur [5]; patientia contra omnes possibiles adversitates; poenitentia contra iniquitates; abstinentia in cibis et potibus; in verbis et locutionibus atque sermonibus modestia; vigilantia in oratione; diligentia in legis divinae observatione; perseverantia in bono opere; in consummatione vitae prudentia, scilicet Deo Patri animam commendando [6]. Nec immerito crux est virtutum expressiva, quia in ipsa stat *Dominus virtutum* et *rex gloriae,* Psalm. 23, 10.

(*a*) As, Edd. om. *potanda.*

[1] Ps. 38, 10. — [2] Is. 53, 7. — [3] Cf. Thren. 3, 28 sqq. — [4] III Reg. 10, 1 ss. — [5] Luc. 23, 43. — [6] Luc. 23, 46.

Quinto Christus moriendo in cruce, ostendit ipsam esse omnium morborum spiritualium abstersivam et curativam. Sacramenta, testantibus doctoribus et beato Augustino, ut dictum est conformitate praecedenti [1], a passione Christi non solum praevisa sed exhibita habuerunt efficaciam, quibus sacramentis vitia resecantur. Sacramento Eucharistiae resecatur superbia, confirmationis invidia, matrimonii luxuria, poenitentiae avaritia, ordinis acidia, baptismi ira, extremae unctionis gula restringitur et fugatur; culpa originalis baptismo tollitur, culpa venialis extrema unctione, culpa mortalis poenitentia; poena ignorantiae sacramento ordinis, poena impotentiae et inconstantiae sacramento confirmationis, poena malitiae sacramento Eucharistiae, poena concupiscentiae sacramento matrimonii; et sic vitia, sacramentis in cruce monstratis, quoad culpam et poenam resecantur. Nec immerito, quia in cruce iacet, qui est medicus animarum et corporum, Iesus Christus.

Sexto in cruce mori dignatus est, ut ostenderet suam crucem esse hostium expulsivam et prostrativam ac debellativam (a). Diabolus enim, ut multis est miraculis approbatum, crucis signum ut videt, statim aufugit, quia in ea pependit ille, qui cepit diabolum et ligavit, Apoc. 20, 2, et diaboli potentias confregit.

Septimo in cruce volendo (b) mori, ostendit Christus crucem esse summi amoris divini expressivam. Charitas et amor eum crucem ascendere fecit, in ipsa eum tenuit et mori fecit. — Signa amoris in cruce plura sunt ostensa: primum, quia se pro nobis tradidit; secundum, quia pro peccatoribus exoravit; tertium, quia latroni paradisum promisit; quartum, quia diabolum, hostem nostrum, a nobis fugavit; quintum, quia Deo reconciliavit; sextum nos sanguine suo lavit et renovavit; septimum contra omnes adversitates suo exemplo et crucis meditatione roboravit; octavum pro peccato nostro Deo Patri satisfecit; nonum, quae sunt perfectionis hominis et vitae declaravit; decimum vetera, quae erant importabilia abolevit et cassavit; undecimum nova et quae sunt pro nostra salute consequenda ordinavit; duodecimum nostram salutem obtinuit, fecit et impetravit, ut dicit Apostolus Hebr. 5, 7: *Preces, supplicationesque offerens, exauditus est pro sua reverentia.*

Octavo Dominus in cruce mori voluit, ut ostenderet crucem esse suorum mirabilium declarativam. Deus, *qui facit mirabilia absque numero* [2], in cruce multa stupenda effecit: primum fuit veterum sacramentorum abolitio et novorum institutio et confirmatio, per virtutem eis et gratiam collatam et efficaciam. Secundum generis humani redemptio et pro ipso satisfactio, quam nulla pura creatura facere poterat. Tertium diaboli prostratio et captivatio et humani generis a suis manibus abstractio. Quartum latronis ad Christum conversio et veniae concessio et paradisi promissio. Quintum tot iniuriarum et improperiorum a Filio Dei supportatio. Sextum solis tali tempore et hora et tamdiu obscuratio et petrarum scissio et sepulchrorum reseratio. Septimum beatae Mariae in matrem Ioanni condonatio. Octavum talis vocis circa mortem emissio. Nonum animae Deitati unitae a corpore separatio et non ab ipsa Deitate. Decimum centurionis et aliorum illuminatio, dicentis [3]: *Vere Filius Dei erat iste.* Et alii *percutientes pectora sua* [4] etc. Undecimum praefatorum contritio, ut dictum est, qui pectora percutiebant etc. Duodecimum est de Christo iam mortuo, scilicet de latere sanguinis et aquae progressio. Fecit ergo Dominus in cruce mirabilia.

3. Nono voluit Dominus mori in cruce, ut ostenderet crucem suam suorum verborum singularium praedicativam. Septem verba singularissima in cruce deprompsit, quae sunt mirabilis doctrinae ostensiva. Primo verbo dicens: *Pater, dimitte,* vel *ignosce illis* [5] etc., exspressit iniuriarum omnium dimissionem, et fideles ad inimicorum induxit dilectionem suo exemplo; et sic dicto verbo patet, quod Iesus Christus fuit totus magnanimus

(a) Al *debilitativam.* — (b) Al *videndo.*

[1] Supra, p. 335 sq. — [2] Iob. 5, 9. — [3] Matth. 27, 54. — [4] Luc. 23, 48. — [5] Luc. 23, 34.

iniurias dimittendo. — Secundo verbo, scilicet *Deus, Deus meus* [1] etc., ostendit nos ad se debere habere compassionem, et ostendit quod fuit patientissimus in sustinendo, et nos ad sustinendum incommoda induxit. — Tertio verbo ostendit nostrae salutis zelum, dicens: *Sitio* [2], et sic ostendit quod zelantissimus fuit bonum nostrum inquirendo, et sic patet (*a*) quod sibi est inhaerendum. — Quarto verbo animat nos ad fiduciam et confidentiam de veniae acceptione, dicens: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso* [3]; quo liberalissimus in conferendo declaratur. — Quinto verbo ad amorem mutuum et coniunctionem animorum accendit, dicens matri: *Mulier, ecce filius tuus*. Et discipulo: *Ecce mater tua* [4]; quo ostenditur prudentissimus in disponendo. — Sexto verbo dicens: *Consummatum est* [5], docuit divinorum receptorum impletionem, et se perfectissimum et veracissimum ostendit in adimplendo. — In septimo verbo, videlicet: *In manus tuas, Pater, commendo spiritum meum* [6], ostendit deprecandam Dei iugem protectionem, et se sapientissimum in finiendo ostendit.

Ex primo et in primo verbo ostendit, se esse pro nobis apud Patrem intercessorem. — In secundo verbo: *Deus, Deus* etc. ostendit se habere virtutem constantis allegationis suae iustitiae et innocentiae ad Patrem. — In tertio dicens: *Sitio*, ostendit se habere ad nos audaciam constantissimae requisitionis pro collatis. — In quarto dicens: *Amen dico* etc. se ostendit habere virtutem summae potestatis, quia latroni paradisum promisit. — In quinto dicens: *Mulier* etc. ostendit se de nobis habere promptam sollicitudinem et providam sedulitatem. — In sexto dicens: *Consummatum est* etc. ostendit se habere virtutem triumphalem debilitationis hostium. — In septimo dicens: *In manus* etc. ostendit se habere confidentiam et virtutem securi reditus ad Patrem. Multa de praefatis verbis possent dici, quae dicenda gratia brevitatis omitto.

Decimo mori voluit Dominus in cruce, ut ostenderet crucem esse omnium spiritualium et virtuosorum operum (*b*) indicativam. Per gesta enim in cruce sunt mira ostensa. In expansione brachiorum est signum dilatationis affectus expressum ad omnia effundenda, trahenda et imploranda; in conclavatione et clavorum confixione signum conclavationis cordium et cordis ad Christum signatur (*c*), iuxta illud Apostoli: *Christo confixus sum cruci* [7]. In coniunctione Christi corporis per clavos cruci, signum stabilitatis in bono denotatur; in elevatione crucis cum Christi corpore elevatio a terrenis declaratur. In integritate ossium, dicente Scriptura: *Os non comminuetis ex eo* [8], signum est redintegrationis nostri corporis ad veram integritatem; in susceptione poenarum tolerantiam ostendit in adversis; in crucifixione inter duos latrones bene operantium et male operantium ostendit praemium; ex generalitate passionum in toto corpore ostendit vitam praesentem non esse gaudii sed moeroris. Sic ergo praefatis apparet, quare crucem suscepit Dominus et in ea mori voluit, ut qualis esset ipsa crux fidelibus ipsam apprehendentibus declararet, ac ad eius amplexum omnes induceret et invitaret.

4. Et licet praedicta inducant fideles ad crucis amplexum, sunt tamen plura alia, quae hoc idem ostendunt et suadent. Et primum est Scripturae auctoritas. Paulus clamat, Galat. 6, 15: *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi* etc. Salvator clamat, Matth. 16, 24: *Si quis vult post me venire* etc.; sequitur: *Tollat crucem suam et sequatur me.*

Secundum est omnis creaturae varietas. Omnis creatura crucis mysterium repraesentat vel factorum in ea. Crux reperitur in creatis spiritibus. Cum enim sint novem ordines Angelorum, ubi in eorum medio ponitur unus ordo, crux resultat Domini. Ponendo duos ordines, unum sub alio in parte superiori longitudinis crucis, scilicet Seraphim in supremo

(*a*) As, Edd. om. *sic patet.* — (*b*) As, Edd. om. *operum.* — (*c*) As, Edd. om. *signatur,* et subinde *denotatur, declaratur.*

[1] Marc. 15, 34; Matth. 27, 46. Ps. 21, 2. — [2] Ioan. 19, 28. — [3] Luc. 23, 43. — [4] Ioan. 19, 26 sq. — [5] Ioan. 19, 30. — [6] Luc. 23, 46. — [7] Gal. 2, 19. — [8] Exod. 12, 46; Ioan. 19, 36.

et Cherubin ad ipsum immediate sub; in parte inferiori dictae longitudinis Archangelos primo et Angelos sub immediate; in brachio dextro ponantur duo ordines, scilicet Virtutes et Potestates (*a*); in sinistro Principatus et Dominationes (*b*); in medio crucis ordinem Thronorum pone, et habes crucem factam ex novem ordinibus Angelorum. Crux ergo figuratur in novem ordinibus Angelorum ad ostendendum, quod ea sunt novem ordines ipsi reparati. Et quod Christus in ea pendens est cum quibuslibet (*c*) dictorum ordinum quoad proprietatem, cum auctoritatibus sacri Eloquii posset ostendi. — Demonstratur crux in homine: longitudo a capite usque ad pedes transversum et latitudo de brachio in brachium. — In mundi partibus est crux figurata: si crux ponatur in plano, oriens est caput, occidens est infimum et sic habetur longitudo; aquilo est dextrum, meridies est sinistrum et sic habetur latitudo. — In elementis est figurata crux. Si ponatur recta, ignis in supremo, in infimo terra et sic longitudo habetur crucis; in transverso aquam pone et aerem. — Numeri etiam significant crucis mysteria et operata (*d*). Duo significant Christum in cruce positum fuisse in duabus naturis, scilicet humana et divina et una sola persona. Ternarius numerus significat, quod in Christo exsistente in cruce tres fuerunt, scilicet caro, anima et Deitas. Quaternarius quaternarium significat virtutum in cruce ostensarum. Septuaginta significat, quod post septuaginta hebdomadas annorum iuxta vaticinium Dan. 9, 24 sqq., Christus in cruce fuit positus et mortuus. Et sic de aliis numeris. Quia ergo omnis creaturae varietas crucem repraesentat vel facta in ea, omnis creatura eius suadet amplexum.

Tertio suadet crucis amplexum eius ordinatio. Artifex eius est Christus, qui ipsam ordinavit, sicut de ipsa Ezech. 9, 4 prophetavit, quia ad formam Thau, ad ostendendum quod sicut tunc signati forma Thau, sic et modo a morte perpetua praeservantur. Sed hic artifex de quatuor lignis eam componere complacuit (*e*). Lignum erectum fuit de cypresso, transversale fuit de palma, truncus, ubi crux fuit infixa, fuit de cedro, tabula posita super caput Iesu, in qua titulus fuit crucis scriptus, erat de oliva. Longitudo crucis, ut dicit Magister in *Historia scholastica,* in tractatu de passione [1], quoad lignum erectum, fuit quindecim pedum. Et tabula apposita a Pilato cum titulo, habebat pedem cum dimidio. Sed dicta ligna sic distincta ad operationem (*f*) crucis sunt coniuncta, ad exprimendum quae sunt in cruce per Christum actitata. Pax est facta inter Deum et hominem in ligno crucis, quare lignum ibi fuit olivae; palmae lignum in signum victoriae (*g*) habitae a Christo de diabolo. Cypressus ibi fuit, ut amaritudinem passionis Christi ostenderet, cedrus ibi affuit, ut dulcedinem gratiae a Christo collatae omnibus per passionem depromeret. Et sicut Christus artifex in faciendo crucem, de pluribus lignis ipsam composuit sic (*h*) et formam ei singularem dedit, ut divinas (*i*) exprimeret conditiones eius forma, ut in altitudine divina potentia, in longitudine eius aeternitas, in latitudine divina pietas, in profunditate divinae sapientiae profunditas Christi in cruce pendentis, exprimeretur. Multa possent dici de dicta materia et forma; sed de iam dictis require in arbore *De vita beatae Mariae, fructu LI* [2].

Quarto suadet crucis amplexum crucis in Christi corpore sanctificatio et dedicatio. Sanctificata est crux carnis Christi contactu et sanguinis linitione; applicatio corporis Christi per contactum ad crucem eidem magnam efficaciam relinquit. Et ideo clamabat Andreas Apostolus dicens [3]: « O crux, quae in Christi corpore dedicata es » etc. Non igitur mirum si crucis signo sancti faciunt miracula, cum tantam efficaciam Christus suo contactu salvifico reliquerit in ea.

(*a*) Edd. ***dominationes***. — (*b*) Edd. ***potestates***. — (*c*) As, Edd. ***quilibet***. — (*d*) Edd. om. ***et operata***. — (*e*) As, Edd. ***componi voluit***. — (*f*) As, Edd. ***compositionem***, — (*g*) Edd. ***victoriam significat habitam;*** om. ***in signum***. Al ***habiturae***. — (*h*) Al ***ostendit***. — (*l*) As, Edd. ***diversas***.

[1] Petr. Comestor, *Hist. schol.* In Evang. c. 192 (P. L. 198, 1630). — [2] Ed. cit. p. 636-48.
[3] *Legenda aurea,* c. II; (p. 18).

Quinto amplexum crucis ostendit beatae Mariae iuxta crucem permansio. Signum fuit magnae efficaciae exsistentis in cruce, quando mater Dei iuxta crucem stetit[1], ac ad standum iuxta ipsam suo exemplo fideles induxit.

Sexto ad amplexandum crucem suadet Christi ad ipsam crucem dilectio. In signum amoris Christus mori in ipsa voluit et pro suo signo victoriali habere. Et quia Christus eam sic dilexit, crucem sancti alii, scilicet Petrus, Paulus, Andreas, Franciscus et alii amaverunt.

Septimo suadet crucis amplexum daemonum effugatio. Si amore crucis ac eius signo erimus protecti, diaboli insidias non oportet timere, quia statim aufugit, signo crucis viso, prout docet Gregorius in III *Dialogorum*[2].

Octavo suadet crucis amplexum tribulatio mundi, carnis et diaboli. Si enim dominica passione et crucis meditatione vallemur, teste Augustino[3], nihil adeo durum, quod non leve putetur Patet in sanctis martyribus et confessoribus, qui crucis meditatione inebriati, nihil amarum, forte vel durum eis apparuit.

Nonum crucis amplexum suadens, est a morbo liberatio. Nonne crucis signum venenum fugavit? Patet in evangelista Ioanne, qui venenum bibit, facto prius signo crucis[4]. Sancti signo crucis omnes infirmitates et morbos curarunt.

Decimum suadens iugem Christi amplexum crucis, est consideratio dignitatis crucis, quae multis figuris Scripturae declaratur. Crux enim propter ea, quae in ea sunt dicta et facta, est candelabrum illuminationis, Exod. 40, 4, quia sol iustitiae Christus et lux vera in ea stat ad omnes illuminandum. Solium eruditionis, II Paral, 9, 17 sqq., in quo verus Salomon Christus ad docendum, ut dictum est supra[5], stat veram sapientiam. Altare reconciliationis, II Reg. ult., 25, in quo est facta reconciliatio inter Deum et hominem, inter angelum et hominem et inter hominem et hominem. Fastigium exclamationis, II Esdr. 8, 4. In hoc gradu ligneo et cathedra David, id est Christus summus doctor, ut dictum est, legit suas lectiones, caput paratum tenens ad osculandum et brachia aperta ad recipiendum eius doctrinam audire volentes. Statera facta est, ubi ponderatum est pretium datum Deo Patri pro peccato humani generis, in qua statera Iob appetebat suum appendi peccatum et ponderari, Iob. 6, 2. Arbor requietionis, Gen. 18, 4; a mundanis fatigati sub umbra huius arboris requiescant et requiem invenient, prout suadet suo exemplo sponsa Cant. 2, 3. Mensa refectionis, Psal. 22, 5, in se habens panem vitae, Christum Deum et hominem. *Virga directionis*, Psal. 44, 7, in via scilicet mandatorum et omnis iustitiae, quam Christus imperat capi in suo Evangelio[6]. Signum defensionis, Psalm. 35, 17: *Fac mecum signum in bonum, ut videant.* Unde Ecclesia[7]: « *Ecce crucem Domini, fugite partes adversae* » etc. Spectaculum salvationis, nam morsus a serpente, id est peccato, intueatur Christum in ligno pendentem et sanabitur, ut in figura habetur Num. 21, 8 sq. Refugium evasionis: si quis hoc signum thau in fronte portaverit, a Dei ira et vindicta tutus erit, Ezech. 9, 4. Scala ascensionis, scilicet ad caelum; ad hoc ostendendum Christus de cruce ad perfectam et beatitudinem plenam animae transivit, docens nos, si caelum volumus adire, per hanc scalam nos ascendere oportere. Sic ergo iam dictis pensatis, crucem astringere debemus, et ei inhaerere dilectione et assidua meditatione; ut eius beneficio tuti, tandem per ipsam scalam ad gloriam ascendere mereamur.

Patet ergo de causa, quare Christus crucifigi voluit et in cruce mori; et sic patet succincte expositio primae partis istius III conformitatis III libri, videlicet: **Iesus crucem suscipiens.**

---

[1] Ioan. 29, 25. — [2] L. c. c. 17 (P. L. 77, 209 sqq.). — [3] *De conflictu vitiorum et virtutum*, (int. opp. S. Aug.) c. 9 (P. L. 40, 1096). — [4] *Leg. aur.* c. 9 (p. 59). — [5] P. 363 l. 24 sqq. — [6] Matth. 16, 24. — [7] In ritu exorcismi Sathanae et aliorum; v. gr. tempestatis, fulguris etc.

Secunda pars tertii fructus et conformitatis tertii libri et trigesimae primae in ordine, videlicet:

Franciscus consignatur.

Expositio.

Nunc in secunda parte huius III conformitatis, quae dicit: *Franciscus consignatur,* scilicet a Domino nostro Iesu Christo suae sacrae passionis stigmatibus, volendo de stigmatizatione beati Francisci a Christo facta tractare, et praesupposito quod beati Francisci stigmatizatio, prout loquimur in praesenti, fuerit in Christum transformatio et quoad passionis signa beati Francisci ad Christum per omnia similatio, prout patet statim in huius secundae partis expositione, erunt aliqua discutienda.

1. Et primum est, an transformatio, id est in formam alterius transitio sit possibilis et quomodo habet fieri. Licet de hoc sit dictum in sermone facto pro secundo *Prologo* huius operis, qui incipit: *Similem illum fecit in gloria sanctorum* [1], solutione secundae quaestionis pro thematis introductione, tamen succincte praefata repeto, quia dubium habet duas partes: Prima an transformatio sit possibilis; secunda per quod habeat fieri, praesupposita possibilitate transformationis; ideo responsio erit duplex: prima ad primam partem, secunda ad secundam.

Ad primam partem respondetur, quod transformatio est possibilis; hoc patet evidenter. Primo in naturalibus, ut patet per Avicennam VI *Naturalium* [2] parte IV cap. 19, ubi ponit, quod anima habet vim corporis complexionem transformandi, ex forti imaginatione in id quod imaginatur, prout allegatum est loco iam dicto. Idem ponit beatus Augustinus XI *De Trinitate* cap. 4 [3], animam habere dominium transformandi corpus ad qualitatem, ut possit immutare sicut vestimentum suum. Et ponit exemplum de illo, qui tanta concupiscentia inflammabatur amore mulieris, ut videretur cum ea misceri corporaliter; et exemplum etiam ponit de illis, qui solum imaginationibus illuduntur. Hoc idem patet per Scripturam, Gen. 30, 37 sqq., de virgis Iacob etc. — Est (*a*) possibilis secundo transformatio in artificialibus; patet de figura cerae vel terrae impressa a sigillo. — Est possibilis tertio transformatio in moralibus: patet de homine, qui transformatur in habitum virtuosum vel vitiosum et e converso (*b*), vel de virtuoso in vitiosum et e contrario, ut patet experientia. — Est possibilis transformatio quarto inter spiritum et spiritum; patet per Bernardum [4] dicentem: quod anima plus est ibi, ubi amat, quam ubi animat; patet per Hugonem *De arrha sponsae* [5]: « Scio, anima mea, quod tu dum alium (*c*) diligis, in eius similitudinem transformaris ». Patet per beatum Augustinum *De Trinitate* X, cap. 5 [6], ubi dicit:

(*a*) As, Edd. hic et infra om. *est possibilis... transformatio.* — (*b*) As transp. *e cont.* et *e conv.*; Al pergit *de vitioso in virtuosum, ut p.* — (*c*) Edd. *aliquid.*

[1] AF IV, 3 ss. Eccli. 45, 2. — [2] Id est *De anima,* part. IV, c. 1. — [3] L. c. (P. L. 42, 989). — [4] *Lib. de praecepto et dispensatione,* c. 20 (P. L. 182, 892): « Neque enim praesentior spiritus noster est ubi animat, quam ubi amat ». — [5] Cf. *De arrha animae,* post init. (P. L. 176, 954). — [6] L. c. (P. L. 42, 977).

quod tanta est vis amoris, ut mens nostra ea, quae amore cogitaverit, attrahat secum. Et ponit exemplum, quod cum corpora per sensus corporis adamantur, non potest anima intus ea trahere, sed trahit ipsorum imaginem. — Est possibilis transformatio quinto inter hominem et Deum, id est inter Deum et inter animam. Hoc patet verbo Christi dicentis, Matth. 6, 21: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum.* Secundo per Apostolum, I Cor. 6, 17: *Qui Deo adhaeret, unus spiritus* efficitur cum Deo. Tertio per Ioannem, I Ioan. cap. 3, 2: *Cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicut est.* Quarto per Commentatorem XII *Metaphysicorum* [1] comm. 37, ubi dicit: « Primum caelum movetur ab isto (*a*) motore secundum desiderium », ut assimiletur ei secundum suum posse, sicut (*b*) amans movetur, ut assimiletur suo amato. Quinto per Augustinum super I cap. I Canonicae Ioannis *Homilia* [2] dicentem: Si Deum diligis, Deus es, si terram, terra, si caelum, caelum es etc. Sexto per Boethium *De consolatione* III, prosa 10 [3]: Sicut adeptione iustitiae necesse est iustos fieri, sic Deitatis adeptione Deos fieri necesse est. Nam Deus unus est, participatione vero, plures. Septimo per prophetam dicentem Psalmo [4]: *Ego dixi: Dii estis et filii Excelsi omnes.* Et Apostolus, Gal. 2, 20: *Vivo ego, iam non ego, vivit vero in me Christus.* Sic ergo patet, quomodo praefatis modis transformatio est possibilis, et sic patet responsio ad primam partem. Nunc vero

Ad secundam partem, id est per quid habet fieri transformatio? Et respondeo, prout est ad propositum, de transformatione inter animam et Deum: transformatio vi amoris habet fieri; patet per Augustinum, Bernardum, Hugonem et Commentatorem supra allegatos. Et ideo dicit beatus Augustinus libro *De Trinitate* [5] loquendo de amore et eius vi ac efficacia: « Quid, inquit, est amor, nisi quaedam vita, duo quaedam copulans vel copulare appetens, scilicet amantem et id quod amatur »? Verum etsi amor hoc habeat, non tamen quilibet gradus amoris hoc agit, sed amor intensus, depuratus et totaliter circa rem quam amat intentus et specialiter circa Deum, iuxta illud Apostoli, 1 Cor. 12, 3, quod oportet, quod homo dicat, id est totum exprimat per amorem in Iesum, et hoc Spiritu Sancto, de quo amore vehementi loquitur Apostolus Rom. 8, 35 dicens: *Quis nos separabit a charitate Christi* etc. — Sic ergo amore velut quodam medio transformatio, ut praedictum est, habet fieri; et sic patet breviter ad primum, quod erat videndum.

2. Secundum videndum, an per naturam seu artis ingenium possit stigmatizationis Christi in aliquo fieri transformatio, uti facta est a Christo in beato Francisco. Respondeo quod non, sed sola virtute fit divina. Et in beato Francisco, ut dicetur, sola potentia et operatione Dei transformatio stigmatizationis est facta. Prima pars quod natura, id est naturaliter, nec arte possit fieri stigmatizatio praedicta, patet:

Primo si consideretur forma stigmatizationis a Christo in beato Francisco facta; et per illam in quolibet alio, an possit fieri natura vel arte, videatur. Forma stigmatizationis a Christo beati Francisci fuit haec, quod in manibus eius et pedi-

(*a*) Edd. *a primo*. — (*b*) Edd. *sed*.

[1] Averroes, in l. c. text. comm. 37; *Opera*, VIII (Venetiis 1552) fol. 150va. — [2] *In epist. Ioann. tract. II* n. 14 (P. L. 35, 1997). — [3] L. III, prosa 10 (P. L. 63, 765). — [4] Ps. 81, 6. — [5] L. VIII, c. 10 (P. L. 42, 960).

bus facti sunt clavi sive de nervis sive de carne, qui quidem clavi desuper erant quoad capita solidi et grossi et obtusi. Erant longi et extra manus protendebantur et extra (*a*) pedes recurvabantur, adeo ut intra recurvationem (*b*) arcualem ipsorum digitus manus immitti valebat, sicut dicit dominus frater Bonaventura cardinalis in *Legenda Maiori* parte XIII [1], et ab eis, iuramento medio, ipse accepit, qui oculis propriis conspexerunt [2]. Insuper clavi ipsi erant a carne divisi; inter ipsos enim et carnem erat apertura, ut dicetur, unde semper sanguis exibat ad eius repressionem, excepto a vespere diei Iovis usque ad sero diei Veneris sequentis, semper petiae interponebantur [3]. Ars vero sive natura, etsi vim haberet aperiendi (*c*), faciendi tamen clavos de nervis sive de carne sic duros, obtusos et recurvos nullatenus haberet.

Secundo si consideretur materia et locus, in quo stigmata in beato Francisco sunt facta. Materia enim fluida etsi natura seu imaginatione vehementi mutetur et alteretur et animae obediat, tamen ubi materies est dura, imaginationi non obedit, ut dicit Augustinus XI *De Trinitate* [4]. Modo cum materia manuum et pedum et praecipue in loco impressionis stigmatum sit tota nervosa et durior quam in aliis partibus corporis, non potest (*d*) ergo virtute naturae aut imaginationis in talibus locis stigmata talia fieri.

Tertio si vehemens imaginatio stigmata haberet imprimere, hoc prae omnibus in beata Maria, matre Domini, fuisset, quae prae aliis doluit et indesinenter (*e*) iuxta crucem Domini passionem meditando stetit; quod tamen in ea fuisse nec Ecclesia asserit nec aliquis doctorum.

Quarto in non putrefactione (*f*) dictorum stigmatum per tantum tempus, sicut fuit in beato Francisco: quia per biennium; quod esse (*g*) non potuisset natura aut arte astrui (*h*). Quare stigmata vi naturae aut imaginationis inesse non possunt. Sic ergo patet, quod natura nec arte etiam stigmata imprimi possunt. Restat ergo secunda pars, quod virtute divina et sola talia imprimantur; et sic est factum in beato Francisco, ut dicetur.

Et sic esse, scilicet quod divina virtute sint impressa eidem stigmata, hoc ostendunt modus miraculosus et miracula circa ipsa stigmata ostensa. Multa enim concurrunt (*i*) miranda: et primum miraculum, quod apparuit in stigmatizatione beati Francisci est, quod non solum manus et pedes apparuerunt perforati, sed conclavati, ita quod clavi in eis apparuerunt [5]. — Secundum miraculum, quod capita clavorum erant nigra, cum tamen carni vel nervis similes esse deberent, ex quibus facti erant. — Tertium miraculum, quod capita clavorum erant oblonga et repercussa, cum tamen martellus nec incus affuerunt. — Quartum miraculum, quod in loco ossoso et nervoso et non molli stigmata sunt impressa. — Quintum miraculum, quod clavi cum essent carnei vel nervei, ad instar tamen ferri erant duri, fortes et solidi.

(*a*) Edd. om. *extra*. — (*b*) Al *arcuationem arcualem*. — (*c*) Al add. *vel apertura* (*faciendi tamen*). — (*d*) Edd. *possunt*. — (*e*) As, Edd. om. *indesinenter*. — (*f*) As, Edd. *imputrefactio*. — (*g*) Edd. om. *esse*. — (*h*) Al plur. om. As *Astruit quod stigm*. — (*i*) As, Edd. *occurrerunt*.

---

[1] Cf. *Leg. Mai.* c. 13, n. 3; revera est potius locus *Leg. Min.* VI, lect. 3. — [2] L. c. et *Leg. Mai.* c. 13, n. 8. — [3] *Actus*, 49 n. 8-10. — [4] L. c. l. II, c. 10 (P. L. 42, 997 sqq.). — [5] S. Bonav. locis cit. Cf. et I Cel. II, c. 3 n. 95; c. 9 n. 112; *Tract. de mirac.* 2 n. 4-5. Cf. *Archivum Franc. Hist.* (AFH) III, 425 ss.

Sextum miraculorum, quod ipsi clavi non erant breves solum acumina habentes seu capita, sed erant longi ad partem aliam resultantes. — Septimum miraculum, quod clavi ipsi non stabant ex parte alia longi, sed recurvati, ut digitus intra recurvationem arcualem ipsorum immitti valeret. — Octavum miraculum, quod cum clavi essent facti ex carne vel nervis, et ex utraque parte pedum et manuum resultarent et excederent, tamen propter praefata (*a*) non erant aut pedes nec manus deformatae vel contractae. — Nonum miraculum, quod clavi erant circumquaque a carne alia separati, ut petiae circumcirca ponerentur propter sanguinis restrictionem [1]. — Decimum miraculum, quod clavi movebantur et tamen a manibus nec a pedibus removeri potuerunt, cum beata Clara et alii hoc facere attentarunt [2]. — Undecimum miraculum, quomodo et cicatrices clavorum et lateris per tantum tempus non sunt putrefactae, scilicet per duos annos et ultra. — Duodecimum miraculum erat de vulnere laterali ad instar vulneris lateris Christi. Insuper miraculum erat quomodo beatus Franciscus, cum maximum haberet dolorem ex apertione corporis in quinque locis, videlicet manibus et pedibus et latere, et sanguis scilicet iugiter a praedictis locis emanaret, potuerat per tantum tempus vivere, scilicet per biennium quod supervixit a stigmatum susceptione. Et quia, ut doctores asserunt, ut dictum est conformitate I libri II [3], quod solius Dei est miracula facere, praefata et miracula alia, ut dicetur stigmatibus facta, astruunt opificem praefatorum stigmatum fuisse Dominum Deum, et non naturam seu artem; et sic patet declarata utraque pars secundi dubii praemissi.

3. Tertio quaerendum et videndum est, an decuerit Dominum Iesum Christum stigmata suae passionis alicui imprimere. Et praesupposito quod soli (*b*) sexui virili humano stigmata essent imprimenda; quia si muliebri decuisset hoc fieri, in beata Maria, Christi matre, attenta sanctitate et sua praerogativa virtutum factum fuisset; insuper nullibi legitur in veteri Testamento nec novo, quod aliqua mulier sit ad mundum renovandum directa, et consequenter nulla talibus stigmatibus consignata: quo praesupposito, quod decuerit Christum aliquem suis stigmatibus insignire (*c*), patere potest ex hoc, quia de facto Christus sic fecit in beato Francisco, ut asserit Ecclesia, ut dicetur. Sed quibusdam congruentiis est hoc ostendendum quod sic.

Et prima, quia cum Christus fuerit *Rex regum et Dominus dominantium*, Apoc. 19, 16, et cum regis tanti decens sit habere vexilliferum sua arma deferentem, more aliorum regum et dominorum, et Christi sint arma passionis insignia; quare propositum.

Secunda, quia Iesus est noster redemptor, nam in crucis ligno nos suo sanguine redemit, Apoc. 1, 5, et peccato tantum beneficium redemptionis oblivione et ingratitudine in cordibus fidelium (*d*), oblitteratum erat ad reducendum ipsum in memoriam hominum decuit Christum aliquem passionis suae insigniis stigmatizare.

Tertia, quia Scriptura dicit et Ioannes allegat 19, 37: *Videbunt in quem transfixerunt;* et licet hoc sit verum, quia tamen nonnulli propter Christi resurrectionem in Christo passionis signa remansisse haesitarunt, quare ad ostendendum signa pas-

(*a*) As, Edd. om. *tamen propter,* quod Al in margine; Edd. *profecto.* — (*b*) Edd. om. *soli.* — (*c*) As, Edd. *consignare.* — (*d*) Al *fid. causa obliviscendi inierat ad.*

[1] Actus, c. 39 n. 8-10; AF IV, 189-90. *Chron. 24 gen.* 68 l. 9 sqq. — [2] Iacopone da Todi, *Laude,* Firenze 1490; (ed. G. Ferri, Roma 1910), lauda LXI, v. 43-6. — [3] Supra 1 sqq.

sionis in Iesu corpore post resurrectionem veraciter remansisse, decuit Christum tactu sui corporis vivifico alicui imprimere veraciter stigmatum decorem.

Quarta, cum Christus sit noster dux et doctor, *veritas* (*a*) *et vita* [1], et verbo et facto ostenderat evangelicam normam per se et per Apostolos observando (*b*), et quia Christi vita oblitterata erat, dignum erat, ut renovaretur; quare et renovans Iesu signaculo erat authenticandus, ut nuntio regis litteras eius signaculo munitas deferenti, fides indubia daretur et crederetur.

Quinta, ut probatum est, inter stupenda divina, quae arte nec vi naturae attinguntur (*c*), est sacrorum impressio stigmatum. Et cum Dominus Iesus sit mirorum omnium operator, decuit ipsum aliquando hoc miraculum peragere, scilicet insignire aliquem suae passionis stigmatibus, ut sua omnipotens virtus in cunctis possibilibus fieri monstraretur.

Sexta ad animandum fideles, ut post ipsum Dominum Iesum Christum ferventer incederent; quod utique fit tanto dono alicui fidelium collato ab ipso.

Septimo in coeto militantis ac triumphantis Ecclesiae, cum pro ornamento sanctos (*d*) diversos ut stellas posuerit, hanc (*e*) stellam, scilicet aliquem sanctorum suis stigmatibus radiantem, prae ceteris decuit ponere (*f*) et ornare, cum hoc sit praecipuum inter sanctitatis insignia et putetur.

Octava, fides catholica etsi vera sit (*g*), omni falsitate et haesitatione remota, fulcitur tamen et roboratur praecipuis sanctorum gestis a Deo in ipsis specialiter demonstratis et factis; quare et hoc decebat fieri ad fidei certitudinem de Christi passione declarandam.

Nona, ut veritas prophetarum impleretur, scilicet Ezech. 9, 4 de viro signante (*h*) Thau, et de Angelo *habente signum Dei vivi* [2], sub apertione sexti sigilli de caelo descendente; quare cum de futuro homine, alio a Christo, praefata intelligantur, ut per signatum figura intelligatur, aliquem talibus signis decuit insignire. Praefatis congruentiis ergo apparet Dominum Iesum aliquem suis signis, videlicet passionis consignare decuisse.

4. **Quartum** quaerendum, ex quo decuit Christum in aliquo suae passionis signa ponere, et non in aliqua muliere, ut dictum est, videndum est, quem sanctorum decuit talibus insigniis decorare. Et (*i*) breviter respondeo, quod prae ceteris beatum Franciscum, patrem nostrum, decuit hoc privilegio singulariter decorari. Et ad hoc ostendendum sunt plures viae et congruentiae, quibus visis, patebit de modo transformationis, scilicet de amore beati Francisci ad Christum quo signo (*k*) est expressum, ad ostendendum, quod beatum Franciscum prae sanctis aliis Christum decuit stigmatizare.

Et prima via et congruentia fundatur in Christi a beato Francisco imitatione. Pro cuius evidentia est sciendum, quod, ut dicit Gregorius: « Probatio dilectionis exhibitio est operis [3] ». Sed quorum operum imitatione dilectio Christi ostenditur? Certe ipse Salvator dicit Ioan. 14, 23: *Si quis diligit me, sermonem meum*

(*a*) As, Edd. *veritate*. — (*b*) Al *observandam*. — (*c*) Al *Attenduntur*; As *infiguntur*. — (*d*) Al *s. ibidem ut st. Deus pos.* — (*e*) Al *h. st. catholicam sanct.* — (*f*) Al *producere*. — (*g*) Edd. add. *et ab*. — (*h*) Al *signato*. — (*i*) As om. *Et breviter. — decorari*; Edd. om. *patrem nostrum*. — (*k*) Edd. *quod signum*.

[1] Ioan. 14, 6. — [2] Apoc. 7, 2. — [3] *Homil. in Ev. Ioan. XXX*, n. 1 (P. L. 76, 1220)

servabit, et sequitur transformatio: *Ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.* Oportet ergo verba non solum Christi, sed etiam facta servare, quae non discrepant a verbis per imitationem, qui in Christum debet mente et corpore transformari. Ratio est, quia oportet, ut patet in naturalibus, quod materia ante formae introductionem disponatur et formae introducendae assimiletur. Sic et homo per imitationem actuum Christi disponitur, ut in ipsum introduci valeat forma transformationis Christi. Sed actus Christi et opera: quaedam sunt personalia, sicut Christi incarnatio, adoratio et sic de aliis; quaedam sunt opera vel actus perfectionales, et isti fundantur tam in factis Christi quam in verbis et eius consiliis; quidam sunt actus passionales, ad Christi passionem scilicet pertinentes, ut est venditio, captio etc. Transformandus igitur in Christum, si posset Domini imitari vestigia quoad triplicem differentiam actuum praedictorum, perfecte tunc sequeretur Christum; sed quia in primis actibus non est possibile Christum per omnia sequi, sed bene in secundis et tertiis spiritualiter intellectis, videndum est nunc si beatus Franciscus Christum in praefatis actibus est secutus; quo viso, patebit via prima de beati Francisci ad Christum imitatione. Primo igitur beatus Franciscus Christum est secutus quoad aliquos actus personales, ut patuit in 28 (*a*) conformitatibus in duobus libris praecedentibus et in duobus in isto tertio declaratis.

Declaratum est in primo libro quomodo beatus Franciscus Christum imitatus est et eidem fuit conformis et similis [1]. — Primo in cognitione, ut dicit prima conformitas: *Iesus prophetis cognitus; Franciscus declaratur.* — Secundo in sua, ut Christus, a patre in mundum missione, ut dictum et ostensum est in II conformitate: *Iesus emissus caelitus; Franciscus destinatur.* — Tertio in ortu et gignitione, ut ostendit III conformitas: *Iesus laete progenitus; Francisco vir laetatur.* — Quarto conformis invenitur in ostensione, ut dicit IV conformitas: *Iesus magis exhibitus; Franciscus amplexatur.* — Quinto fuit Christo similis in persecutione, ut dicit V conformitas: *Iesus parvus insequitur; Franciscus agitatur.* — Sexto in eleemosynae petitione, ut dicit VI conformitas: *Iesus pauper* (*b*) *ostenditur; Franciscus separatur* [2]. — Septimo in diaboli vexatione, ut dicit VII conformitas: *Iesus hosti exponitur; Franciscus molestatur.* — Octavo in discipulorum congregatione, ut dicit VIII conformitas: *Iesum coetus prosequitur; Franciscus fecundatur.* — Nono in ordinatione, ut dicit IX conformitas: *Iesus legem dat populis; Franciscus regulator.* — Decimo in populi (*c*) informatione, ut dicit X conformitas: *Iesus doctor mirabilis; Franciscus praedicator.* — Undecimo in missione discipulorum, ut dicit XI conformitas: *Iesus mandans discipulos; Franciscus destinator.* — Duodecimo in suorum discipulorum instructione (*d*), ut dicit XII conformitas: *Iesus loquens humillimis; Franciscus reserator.* De quibus duodecim conformitatibus I liber huius operis est compositus [3].

Tertio decimo in signorum operatione, ut dicit I conformitas II libri: *Iesus signis mirificus; Franciscus divulgatur.* — Quarto decimo in zelo animarum et dilectione (*e*), ut dicit II conformitas: *Iesus pastor sollicitus; Franciscus animatur.* Quinto decimo in sublevatione, ut dicit III conformitas: *Iesus stola clarificus; Franciscus sublevatur.* — Sexto decimo in paupertatis acceptatione, ut dicit IV confor-

(*a*) Edd. om.; Al *38;* As *3 et 2.* — (*b*) Edd. ***inops.*** — (*c*) Edd. ***Apostolorum.*** — (*d*) Al ***disc. et aliorum*** (et in marg. add. ***doctrina***) ***ut d.*** — (*e*) As, Edd. om. ***et dilectione.***

[1] AF IV, 23 sqq. etc. — [2] Cf. AF IV, 125 seqq. — [3] AF IV, 1-632.

mitas: *Iesus inops et modicus; Franciscus foederatur.* — Decimo septimo in humiliatione, ut V conformitas dicit: *Iesus submissus omnibus; Franciscus minoratur.* — Decimo octavo in irradiatione, ut dicit VI conformitas: *Iesus propheta lucidus; Franciscus radiatur.* — Decimo nono in corporis (*a*) afflictione, ut dicit VII conformitas: *Iesus vacans laboribus; Franciscus imitatur.* — Vigesimo in maris sedatione, ut dicit VIII conformitas: *Iesus pacem dans fluctibus; Franciscus solidatur.* — Vigesimo primo in daemonis eiectione, ut dicit IX conformitas: *Iesu daemon expellitur; Franciscus effugator.* — Vigesimo secundo in aquae in vinum conversione, ut dicit X conformitas: *Iesu aqua convertitur; Franciscus commutator.* — Vigesimo tertio in oratione, ut dicit XI conformitas: *Iesus orans inspicitur; Franciscus exorator.* — Vigesimo quarto in populi cibatione, ut dicit XII conformitas: *Iesu turba reficitur; Franciscus ministrator.* — Vigesimo quinto in vitae perfectione, ut dicit XIII conformitas: *Iesus vita spectabilis; Franciscus operator.* — Vigesimo sexto in cordium inspectione, ut dicit XIV conformitas: *Iesus candor signabilis; Franciscus indagator.* — Vigesimo septimo de (*b*) dignitate in esse humano et divino [1], ut dicit XV conformitas: *Iesus rex venerabilis; Franciscus excitator.* — Vigesimo octavo in punitione, ut dicit XVI conformitas: *Iesus dux formidabilis; Franciscus detestator.* De praefatis XVI conformitatibus beati Francisci ad Christum integratur liber secundus [2].

Sed tertii libri I conformitas est beati Francisci ad Christum in comestione, ut dicit I conformitas: *Iesus cum suis comedens; Franciscus aemulatur.* — Secundo in locutione coenae ante mortem, ut dicit II conformitas: *Iesus devotos alloquens et imbuens; Franciscus fabulatur.* In praefatis ergo, ut deductum est in libris praecedentibus et praesenti, in triginta conformitatibus quae respiciunt actus Christi personales, beatus Franciscus Christo similis reperitur et conformis. Quibus apparet, quod beatus Franciscus Christum quoad opera et actus personales est prosecutus. De aliis decem tam in praesenti quam in sequentibus conformitatibus huius III libri dicetur.

Restat igitur videndum de secundis actibus personalibus, in quibus quilibet tenetur volens in Christum transformari, se conformare. Etsi de eis dictum est in conformitate XIII libri II; dictum est enim ibi [3], quod ad duodecim actus vita perfecta Christi reducitur, quorum primus est mundi abdicatio, secundus voluntatis propriae abnegatio, tertius est carnis maceratio, quartus est poenitentialis actio, quintus est patientia et in adversis supportatio, sextus est virtuosa operatio, septimus est cordis humiliatio, octavus est obedientiae perfectio, nonus est in virtutibus adornatio, decimus est oratio, undecimus est contemplatio; ad quae velut dispositiva sequitur, duodecimus, scilicet hominis cum Christo crucifixio et transformatio. Qualiter autem praefata in Christo primo fuerunt, et demum in beato Francisco, hoc (*c*) non est ad praesens, quia de eo dictum est iam.

Sed ostendendum restat, quod iam dicti actus necessarii, sunt velut quidam gradus ascendendi ad gradum transformationis in Christum, ita quod quilibet volens in Christum tali transformatione transire, praedicta

(*a*) As, Edd. *carnis.* — (*b*) As Edd., *de populorum commotione, ut d.* — (*c*) As, Edd. *Fr. quia dictum est loco iam dicto ideo nihil ad praesens.*

[1] Cf. supra p. 309. — [2] Supra p. 1-332. — [3] Cf. Supra, 282 sqq.

decet et eum habere, et quoad praefatos actus Christum sequi et imitari. Et hoc duobus modis potest ostendi. Primo generaliter ostendendo, quod dicti actus in scala, per quam ascenditur ad veram crucifixionem hominis cum Christo, sunt declarati. Primus gradus ascendendi per crucem et actus vitae perfectionalis, scilicet mundi abdicatio, ostensum est a Christo in cruce, quia nudus in ipsa pependit. — Secundus abnegatio sui, quando voluit ab omnibus derelinqui et contemni et inter latrones crucifigi; tunc *seipsum exinanivit* secundum Apostolum [1]. — Tertius corporis (*a*) maceratio et poenarum et clavorum in corpore susceptio et aliarum poenarum. — Quartus poenitentia, in sumptione myrrhae, aceti et fellis [2]. — Quintus patientia: *cum malediceretur non maledicebat,* secundum Petrum [3] et pro mortem sibi (*b*) inferentibus exorabat dicens: *Pater, ignosce illis* etc. [4]. — Sextus operatio virtuosa, dum secundum Psalmum [5] *operatus est salutem* nostram *in medio terrae.* — Septimus humiliatio; secundum Apostolum [6]: *humiliavit semetipsum usque ad* crucem. — Octavus quia *factus obediens* Patri *usque ad mortem,* secundum Apostolum [7]. — Nonus in virtutum perfectione (*c*). Fuit ibi paupertas, quae nunquam ipsum dimisit; charitas, quae ipsum morti tradidit; pietas, quia pro peccatoribus exoravit [8]; puritas (*d*), quia *semetipsum obtulit immaculatum Deo* [9]; fidelitas, obediendo Deo Patri usque ad mortem; fortitudo in illatis, temperantia in verbis, prudentia in factis, iustitia in satisfactione pro peccatis nostris. — Decimus oratio, quia cum *lacrimis oravit et exauditus est* etc., Hebr. 5, 7. In principio, quando crucem ascendit, oravit pro peccatoribus, et in fine oravit, quando spiritum Patri commendavit [10]. — Undecimus contemplatio; in sublevatione corporis in ligno tam alto, et cordis et mentis, et hoc dum dixit: *Consummatum est* [11]. — Duodecimus crucifixio, quando in cruce mori est dignatus. Sic ergo patet, quod generaliter Christus praedictos actus in cruce ostendit, ut reseraret illos necessarios esse ad transformationem hominis in ipsum.

Sed particulariter est declarandum, quod praefati actus sint necessarii ad transformationem obtinendam. — Primus, scilicet mundi abdicatio est necessaria. Patet, quia idem est impossibile esse simul sub duobus actibus contrariis et oppositis; ergo quis Deo et mundo servire non potest, Matth. 6, 2. — Secundus est abnegatio sui. Conformitas voluntatum est principium dilectionis et amicitiae; ubi autem remanet voluntatis proprietas, dilectio esse non potest. Si ergo cupit homo a Deo diligi, *abneget semetipsum,* Matth. 6, 24 et Lucae 9, 23. — Tertius, scilicet carnis maceratio, quod sit necessaria, patet. Contraria non iunguntur contrariis. Caro contrariatur spiritui; Deus spiritus est: non potest ergo Deo coniungi. *Mortificate ergo corpora vestra,* Col. 3, 5. — Quartus poenitentia. Patet: peccator non reconciliatur Deo nisi poenitentia, et per consequens Deo sine ipsa non coniungitur; Matth. 4, 17: *Poenitentiam agite.* — Quintus patientia. Patet: patientia anima nostra possidetur, Lucae 21, 19; cum ergo in transformatione animam, ut nostram, Deo tradere habeamus, patientia necessaria est. *Patientiam habe,* Matth. 18, 29 et Luc. 15, 17 sqq. — Sextus operatio virtuosa. Patet, quia homo ex collatis Deo tenetur, vitareque otium, quia principium est omnis mali; ergo operari: *Operamini* ergo

(*a*) As, Edd. *carnis mac. in clavorum et al. poen. in corp. susceptione.* — (*b*) As, Edd. om. *mortem sibi.* — (*c*) As, Edd. *virtutum ornatus,* (*om.* As); *ibi enim fuit.* — (*d*) Al repetit *quae nunquam ipsum dimisit.*

[1] Phil. 2, 7. — [2] Ioan. 19, 29. — [3] I Petr. 2, 23. — [4] Luc. 23, 34. — [5] Ps. 73, 12. — [6] Phil. 2, 8. — [7] L. c. — [8] Luc. 23, 34. — [9] Hebr. 9, 14 — [10] Luc. 23, 46. — [11] Ioan. 19, 30.

opus, quod non *perit*, Ioan. 6, 27. — Septimus humilitas. Patet: superbos Deus spernit mente, Luc. 1, 51, sed *cum humilibus sermocinatio eius* [1], datque eis gratiam suam, Iacob. 4, 6. — Octavus obedientia. Patet: obedientia acceptior est Deo victimis, I Reg. 15, 22; ergo obedire oportet Deo, Act. 5, 29. — Nonus virtutum ornatus. Patet: quia simile simili iungitur, Eccli. 13, 20. Christus est *Dominus virtutum*, ait Psalmus 23, 10; quare propositum. — Decimus est oratio. Patet, quia ipsa mens elevatur in Deum; quare necessaria est in trasformatione. — Undecimus contemplatio. Patet, quia necessario habet scire homo, in quem debet transformari. Insuper habet mente elevari in Deum, si anima debet Deo coniungi, secundum Dionysium [2]. Patuit in Moyse, qui in monte Sinai ingressus caliginem, Exod. 20, 21 et Num. 12, 8, Deum vidit. — Sic ergo patet, quod omnia praefata sunt necessaria, ut homo perveniat tandem ad duodecimum gradum, scilicet, ut Christo crucifigatur et in ipsum transformetur. Quae omnia in beato Francisco fuerunt, ut dictum est conformitate XIII libri II [3]. Quibus apparet beatum Franciscum Christum prosecutum fuisse secundo modo, scilicet quoad actus vitae perfectionales; observavit enim, ut dictum est conformitate IX libri I [4], ad litteram totum Evangelium, prout de eo in Ecclesia cantatur: « Franciscus evangelicum nec apicem vel unicum transgreditur, nec iota [5] ».

Videndum est nunc tertio de actibus passionalibus Domini, qui sunt venditio, proditio, captio, ligatio, illusio, percussio, coronatio, spoliatio, potionatio, crucifixio, intitulatio et lanceatio. Dicti dicuntur actus passionales Domini Iesu, quos quilibet in se in Christum transformandus, spiritualiter intelligendo, debet habere; qui in beato Francisco perfecte fuerunt:

Fuit enim venditus beatus Franciscus, ut quilibet debet esse transformandus (quia quod de ipso dicitur, proportionaliter de aliis debet dici et intelligi) totali abnegatione sui et de se desperatione; sicut is qui venditur, nihil se reputat, dicens cum Psalmo [6]: *Ego sum vermis et non homo* etc. Beatus Franciscus se nihil aliud proclamabat, nisi vas fictile et sordidum [7].

Proditus fuit et traditus, pro Christo mori optando, exemplo Apostoli, qui dixit Act. 21, 13: *Ego ligari et mori paratus sum* etc. — Beatus Franciscus id semper sic optabat, et ter ad infidelium partes pro martyrio obtinendo accessit [8]. Captus scilicet divina dulcedine, ut quidquid mundi est sibi amarescat, sola divina eidem dulcescat. In beato Francisco dicta a Christo, sunt in eo completa, videlicet, quod quae erant ei prius dulcia, amara, et quae amara sibi postea dulcia apparerent [9]

Ligatus, dum divina dulcedine consolatus; a Dei amore nihil humanum et mundanum aut terribile, iuxta dictum Apostoli Rom. 8, 35, potest separare. Franciscum nec frigus nec mendicitas, persecutio aut infirmitas a Christo, cui erat ligatus et coniunctus, separare valuerunt. Illusus in tormentis non movetur, blandimentis non dissolvitur; verbis iniuriosis congaudet et factis, ad instar Apostolorum, Act. 5, 41. Sic (*a*) et Franciscus vituperia malebat audire et (*b*) diversis laudibus non adulari, deludi potius quam honorari [10].

(*a*) Edd. *Nam.* — (*b*) As, Edd. *quam* (As *non*) *laudes, deludi.*

[1] Prov. 3, 32. — [2] *De myst. theol.*, c. 1 (P. G. 3, 998 sq.). — [3] Supra 288 sqq. — [4] AF IV, 373 sqq. — [5] Antiph. IV in I vesp. in festo S. Francisci. — [6] Ps. 21, 7. — [7] *Leg. Min.* c. 3, lect. IV. — [8] *Leg. Mai.* c. 9 n. 5 sqq. — [9] Cf. *Testamentum S. P. Francisci, Opuscula*, 77; *Leg. Mai.* c. 2 n. 1 sqq. *Leg. 3 soc.* c. 4 n. 11. — [10] *Leg. Mai.* c. 6 n. 1 sqq.

Percussus sub patientiae malleo, quando morbis diversis afflictus et percussus ad instar Iob patientiam servabat. O quot infirmitatibus beatus Franciscus splenis, stomachi et corporis ac oculorum fuit agitatus! Et quia patienter sustinebat (*a*), de thesauro caelesti a Deo subarrhatus fuit obtinendo [1]. Quapropter Dominum rogabat, ut non mitigaret sed augeret potius, voluntati divinae se conformando [2].

Coronatus fuit. Sed quibus? Certe spinarum aculeis, id est modis distinctis ad divinum inflammatus amorem; cum per scalam creaturarum ad divinum incitatus amorem, ad illum, qui est *desiderabilis totus*, ascendebat [3].

Exspoliatus, dum in eo *vetus homo* a vitiis et suis actibus crucifixus fuit [4], abstinentiis maximis et sui corporis afflictionibus assiduis [5].

Potionatus felle amaritudinis vitae praeteritae, a qua beatus Franciscus liberatus est per dimissionem omnium peccatorum [6], et consideratione elongationis a Christo per vitam praesentem, dixit cum Apostolo [7]: *Cupio dissolvi et esse cum Christo.*

Crucifixus fuit: primo mundo, nihil eius appetendo; secundo Christo, amore vehementissimo in ipsum transeundo. Sed: in monte Calvariae, quia ab omni macula depuratus; in cruce, assidua meditatione quatuor clavis, omnia mundialia, ut a Christo separantia abhorrendo, eum super omnia diligendo, displicibilia Deo non appetendo, Deo placibilia perficiendo. Nam beatus Franciscus, quae sunt mundi abhorruit, quia nihil habere voluit; Christum super omnia dilexit, pecuniam et alia Deo displicibilia noluit et quae sunt Christi toto posse perfecit [8].

Titulatus fuit beatus Franciscus titulo: *Iesus,* per conformitatem, quam habuit ad vitam Christi; *Nazarenus,* quia virgo purissimus; *Rex* in sensuum interiorum et exteriorum custodia et regulatione, ut dicit V pars *Legendae Maioris* [9]; *Iudaeorum,* quia iubilo et gaudio plenus, creaturas omnes ad Deum laudandum sollicitavit, ut de ipso cantatur [10].

Lanceatus per omnium dilectionem, cuius signum fuit, quod omnes creaturas fratris vel sororis nomine vocitabat, ut dicit pars VIII *Legendae Maioris* [11]. Sed specialiter ad animas Christi sanguine redemptas dilectionem habuit, ut in pluribus locis tam I libri quam II est ostensum [12].

Sic ergo patet succincte, quod beatus pater Franciscus ad instar Christi fuit: primo venditus, se vilissimum et abiectissimum tenendo et reputando; secundo proditus et traditus, pro Christo mori cum Apostolo peroptando; tertio captus Dei amore, omnia quae erant sibi prius amara dulcia computando; quarto ligatus, nulla vi vel adversitate a proposito divini amoris declinando; quinto illusus, conviciis gaudendo et iniurias audire cupiendo; sexto percussus, infirmitates varias et incommoda supportando et percipiendo; septimo coronatus, Deum in cunctis creaturis intuendo et stringendo; octavo spoliatus, scilicet vitiis et virtutibus se totaliter componendo; nono potionatus, dimissis caducis, ad aeterna sitiendo et anhelando; decimo crucifixus, Christum super omnia diligendo; undecimo titulatus, Iesum Christum totum in

(*a*) Al, As, om. *sustinebat.*

[1] *Actus,* c. 21 n. 9; *Specul. Perf.* Sabatier, c. 100. — [2] L. c. c. 14 n. 2 sqq. — [3] L. c. c. 5 n. 1 sqq.; c. 8 n. 6 sqq. Respicitur Cant. 5, 16. — [4] Rom. 6, 6. — [5] *Leg. Mai.* c. 5 n. 1 sqq. — [6] L. c. c. 3 n. 6. — [7] Phil. 1, 23; cf. *Leg. Mai.* c. 14 n. 3 sqq. — [8] Cf. *Leg. Mai.* c. 13 n. 2 sqq. — [9] C. 5 n. 3 sqq. — [10] Antiph. V ad Laudes Officii S. Francisci. — [11] C. 8 n. 6. — [12] Cf. AF IV, 464 supra, 29 sqq.

se ferendo; duodecimo lanceatus, Deum in cunctis amando et diligendo et cuncta propter Christum charitatis nexibus astringendo. Praefata quia multis modis in praecedentibus libris et conformitatibus sunt probata, non aliter ea ostendo; sed concludendo, quod beatus Franciscus sicut in actibus personalibus et perfectionalibus, sic et in actibus passionalibus fuit Christo conformis; quare, si aliquem sanctorum decebat Christum stigmatizare, utique a fortiori beatum patrem Franciscum, ipsum imitatum prae aliis in iam dictis. Et sic patet prima ratio declarata.

5. Secunda via et congruentia, sive ratio fundatur in Crucifixi amore, amplexu et meditatione. Ubi duo sunt videnda: Primum quod Crucifixi passionis beatus Franciscus fuit singularis amicus; secundum, quod prae aliis sanctis. — Quantum ad primum, beatum scilicet Franciscum amicum fuisse Crucifixi ostenditur: primo Francisci figuratione. Fuit enim vir ille, quem vidit Ezechiel 9, 2 sqq., qui ut verus amicus Crucifixi, directus est a Domino ad signandum *frontes virorum gementium et dolentium signo Thau,* ut mortis interitum evaderent [1]. Et quod hic vir fuerit beatus Franciscus, patet ex visione fratris Pacifici, qui ut sciret ipsum esse ab Ezechiele visum, vidit signum Thau in fronte beati Francisci, quod mira colorum varietate faciem beati Francisci miro venustabat ornatu [2]. — Per Angelum ferentem *signum Dei vivi* et signantem alios dicto signo. Et quod dicta prophetia Ioannis in Apoc. 7, 2 sq. fuerit ad litteram de beato Francisco, divinitus domino fratri Bonaventurae cardinali, generali tunc nostri ordinis, fuit ostensum. Cum enim in crastino, exsistens in loco Sanctae Mariae de Portiuncula, deberet de beato Francisco praedicare, tenens et librum Apocalypseos coram (*a*) se coepit instantissime orare Deum, ut (*b*) dignaretur sibi revelare, de quo fuit dicta illa figura Apocalypseos de Angelo habente signum Dei vivi, cap. 7; et ita vox de caelo venit dicens: « Frater Bonaventura, figura illa litteraliter dicta est de beato Francisco ». Et hoc ipse fratribus et saecularibus postmodum dixit [3]. Quomodo ergo beatus Franciscus, si (*c*) non fuisset singularis Crucifixi devotus et amicus, *signum Dei vivi,* id est crucem baiulasset prae aliis sanctis, et Thau, id est ipsa cruce, corda et frontes hominum consignasset?

Secunda ratio fundatur in Crucifixi beato Francisco facta apparitione. Quomodo Iesus crucifixus et in forma crucifixi beato Francisco toties apparuisset, nisi beatus ipse Franciscus ipsius Crucifixi amicissimus fuisset? Apparuit enim Christus crucifixus beato Francisco, « primo vice quadam dum sequestratus oraret, ut dicit I pars *Maioris Legendae* [4]; ad cuius conspectum *liquefacta est anima eius* et memoria passionis eius cordis visceribus impressa medullitus », ita ut dum recordaretur, a fletu vix se continere valeret. — Secundo in ecclesia Sancti Damiani oranti, quando Crucifixus ei dixit ter: « Francisce, vade, repara domum meam quae labitur ». De quo dicit II pars *Legendae Maioris* [5]. — Tertio quando eunti de Perusio versus Sanctam Mariam de Portiuncula, in cruce aurea Christus crucifixus (*d*) ap-

(*a*) As, Edd. *ante.* — (*b*) As, Edd. *quatenus.* — (*c*) As, Edd. *ubi.* — (*d*) Edd. *confixus.*

[1] *Leg. Mai.* Prolog. n. 2. — [2] *Leg. Mai.* c. 4 n. 9; *Leg. Min.*, II l. 9. — [3] Ubertinus de Casali, *Arbor Vitae crucifixae Iesu,* (Venetiis 1485) l. V, c. 1. S. Bonaventurae, *Leg. Mai.* Prolog. n. 1; c. 13 n. 10; *Opera omnia,* X (Ad Cl. Aq. 1902) 59; IX (1901) 597. — [4] C. 1 n. 4; Cant. 5, 6. — [5] C. 2 n. 1. Verba sunt ex antiph. I ad Laudes in festo SS. Stigmatum.

paruit, ipsum beatum Franciscum praecedens, facie ad ipsum beatum Franciscum revoluta; ut clare socius eius frater Leo conspexit [1]. — Quarto eidem beato Francisco Christus ut Crucifixus apparuit in sacro Monte Alvernae, quando stigmata ei impressit et dedit [2]. — De praefatis habetur in pluribus locis scripturae (*a*); sed de aliis multis apparitionibus non reperi scripturam, quare hic non pono.

Tertia ratio fundatur in crucis facta Francisco demonstratione. Nam ante suam conversionem ad Christum, cum militem suis novis vestimentis induisset, se nudato, de nocte, ut dicit I pars *Legendae Maioris* [3], cum se sopori dedisset, « palatium speciosum et magnum cum militaribus armis, crucis signaculo insignitis » monstratum (*b*) est sibi, dictumque tanquam amico Crucifixi futuro, quod omnia sua forent, militumque suorum, si vexillum crucis constanter assumeret.

Quarta ratio fundatur in beati Francisci in Crucifixi figura declaratione. Nam in crucis forma visus est primo a fratre Silvestro ter, et hoc exsistente ipso presbytero saeculari, qui vidit crucem auream ex ore beati Francisco procedentem, cuius altitudo caelos tangebat et latera usque ad terminos orbis terrae protendebantur, cuius aspectus praefulgidus draconem teterrimum effugabat, ut habetur in III parte *Legendae* [4]. — Secundo a fratre Pacifico, qui beatum Franciscum vidit duobus ensibus in crucis modum valde fulgentibus, « quorum unus a capite usque ad pedes, alter a manu in manum transversaliter per pectus protendebatur (*c*) » decoratum, et hoc dum beatus Franciscus praedicaret in Marchia apud Castrum Sancti Severini [5]. Et demum vidit idem frater Pacificus signum Thau in fronte beati Francisci colorum varietate exaratum [6]. — Tertio in forma Crucifixi in aere sublevatus, beatus Franciscus fratribus benedicens ad ostium capituli, dum beatus Antonius tunc de titulo crucis praedicaret, prout vidit frater Monaldus, se praesentavit, cum ipse ageret in remotis, et hoc apud Arelatem, prout ponit IV pars *Legendae Maioris* [7]. — Quarto multoties visus est « orans in aere sublevatus, expansis manibus in modum crucis et nubecula valde fulgida circumdatus », ut dicit X pars *Legendae Maioris* [8].

Quinta (*d*) ratio fundatur in Crucifixi deploratione. Iugiter enim dominicam deplorabat passionem, adeo ut ob lacrimas fieret caecus. Dum semel cum esset saecularis adhuc beatus Franciscus et iret iuxta ecclesiam Sanctae Mariae de Portiuncula valde fortiter plorando, interrogatus a quodam viro spirituali de causa, cur sic amare fleret, respondit, quod passionem Domini Iesu Christi plorabat, pro qua non deberet verecundari ire per totum mundum plorando. Hoc habetur in *Legenda trium sociorum* [9].

Sexta ratio fundatur in crucis et Crucifixi adamatione (*e*). Amator Crucifixi beatus Franciscus, quidquid peragebat crucem et Crucifixum repraesentare volebat. — Patuit primo quando, mundo abnegato, nudo remanente coram Episcopo, datus esset ei mantellus quidam; caemento enim in modum crucis consignans, inde habitum, Crucifixum repraesentatum (*f*), formavit [10]. — Secundo quando iam ad octo-

---

(*a*) Edd. om. *scripturae*. — (*b*) As, Edd. *vidit, dictumque est sibi*. — (*c*) Codd. om. *protendebatur*. — (*d*) Ed. II denuo *Quarta*. — (*e*) Al *repraesentatione. Beat. Franc.* — (*f*) As *Crucifixi repraesentativum*.

---

[1] *Actus*, c. 38 n. 5 sqq. *Chron. 24 gen.* p. 68; AF IV, 189. — [2] *Leg. Mai.* c. 13 n. 3 sqq. — [3] C. 1 n. 2 sq. — [4] *Leg. Mai.* c. 3 n. 5. — [5] *Leg. Mai.* c. 4 n. 9. — [6] Supra 379 l. 15 sqq. — [7] C. 4 n. 10. — [8] L. c. n. 4. — [9] C. 5 n. 14. — [10] *Leg. Mai.* c. 2 n. 4.

narium numerum habuit fratres, ad quatuor orbis partes in crucis modum destinavit [1].

Septima ratio fundatur in beati Francisci instructione. Ut enim dicit IV pars *Maioris Legendae* [2]: in principio ordinis cum fratres « libros ecclesiasticos non haberent, loco illorum librum crucis continuatis aspectibus diebus ac noctibus revolvebant, exemplo patris Francisci et eloquio eruditi, qui iugiter faciebat eis de Christi cruce sermonem ».

Octava ratio fundatur in beati Francisci recreatione. Cum infirmitate gravatus a socio suaderetur eidem, ut aliquid de Scriptura faceret sibi legi pro spiritus recreatione, rèspondit, quod non indigebat pluribus: « *Scio,* inquit, *Iesum* pauperem, *crucifixum* [3] ».

Nona ratio fundatur in beati Francisci studio et consideratione. Ut enim habetur in IX parte *Legendae Maioris* [4]: « Christus Iesus crucifixus *intra* mentis suae *ubera, ut myrrhae fasciculus* iugiter *morabatur* [5], in quem optabat per excessivi (*a*) amoris incendium totaliter transformari ». Et in fine dictae *Legendae Maioris*,[6] sic dicit frater Bonaventura: « Crucis mysterium, magnum et mirum, in quo charismata gratiarum et merita virtutum et thesauri sapientiae et scientiae tam alta profunditate velantur, ut a *mundi prudentibus et sapientibus* sit occultum [7], tam plene fuit huic pauperculo revelatum, ut omnis vita ipsius non nisi crucis vestigia sequeretur, non nisi crucis dulcedinem saperet, non nisi crucis gloriam praedicaret ».

Decima ratio fundatur in beati Francisci per crucem operatione. Opera, quae beatus Franciscus cruce gessit, subditis rhythmis depromuntur, videlicet:

Crucis domum cernit plenam,
Crucis audit sonitum;
Crucis Christi novit poenam,
Crucis agit (*b*) monitum.

Cruce vestem consignavit,
Cruce draco territur;
Cruce fratres destinavit,
Crux pro libro colitur.

Crucis ense venustatur,
Cruce frons conscribitur;
Crucis forma praesentatur,
Cruce caro agitur.

Cruce aqua permutatur,
Cruce ignem temperat;
Cruce contractus (*c*) solidatur,
Cruce mentem sublevat.

Cruce fratres (*d*) consignantur,
Cruce avis mittitur;
Cruce puer reparatur,
Cruce morbus pellitur.

Cruce ossa delegantur,
Cruce manus solvitur;
Cruce caeci radiantur,
Cruce daemon spargitur.

Crucis (*e*) regem intuetur,
Cruce virtus discitur (*f*);
Crucis signo edocetur,
Cruce caro pingitur (*g*).

Cruce pestis abdicatur,
Cruce grando siluit (*h*);
Crucis bonum imprecatur (*i*),
Cruce caelum adiit.

Expositio praefatorum operum beati Francisci (*k*) breviter haec est: *Crucis domum cernit plenam,* quando beatus Franciscus palatium armis cruce insignitis (*l*) vidit et sibi est repromissum [8].

Crucis audit sonitum, cum Christus sibi praedixit, quod dulcia in amara et amara in dulcia sibi converterentur. Insuper vice alia dixit, quod sibi revelaret quid ipsum agere oporteret, ut habetur de ambobus in *Legenda trium sociorum* [9].

(*a*) As, Edd. **excessivum.** — (*b*) Al **audit.** — (*c*) Al **tractus.** — (*d*) Al **fronte consignatur.** — (*e*) Al **cruce.** — (*f*) Al **deficit.** — (*g*) As **pungitur.** — (*h*) Al **solvitur.** — (*i*) As **cruce bonum impetratum.** — (*k*) As, Edd. om. **operum b. Fr.** — (*l*) Codd. **insignitum.**

[1] *Leg. Mai.* c. 3 n. 7. — [2] C. 4 n. 3. — [3] I Cor. 2, 2. — [4] C. 9 n. 2. — [5] Cant. 1, 12. — [6] *Leg. Mai.* mirac. X n. 8. — [7] Cf. Matth. 11, 25. — [8] *Leg. Mai.* c. 1 n. 3. Supra 380 l. 7 sqq. — [9] *Leg. 3 soc.* c. 4 n. 11; c. 2 n. 6.

Crucis Christi novit poenam, quando oranti apparuit ei Christus Iesus, uti crucifixus (*a*), ut supra [1] dictum est.

Crucis agit (*b*) *monitum,* quando in ecclesia Sancti Damiani audivit Christum crucifixum ter dicentem, ut ecclesiam repararet [2].

Cruce vestem consignavit, quando mantellum sibi datum calce (*c*) in modum crucis pro suo indumento consignavit [3].

Cruce draco territur: visio fratris Silvestri fuit, quod crux aurea de ore beati Francisci procedens (*d*) suo splendore draconem terrebat et fugabat.

Cruce fratres destinavit: statim, ut ad numerum octonarium fratrum pervenit, in quatuor partes divisos in modum crucis, ad quatuor partes orbis emisit.

Crux pro libro colitur, quando fratres libri carentes ad dicendum officium docuit, ut in libro crucis continuatis aspectibus studerent et legerent.

Crucis ense venustatur, scilicet beatus Franciscus, cum apparuit fratri Pacifico duobus ensibus valde fulgentibus in modum crucis transversaliter dispositis consignatus.

Cruce frons conscribitur, cum idem frater Pacificus in facie vidit beati Francisci signum Thau colorum varietate distinctum.

Crucis forma praesentatur: in capitulo Arelatensi, in aere beatus Franciscus ad instar Crucifixi extensis manibus apparuit, beato Antonio praedicante, benedicens fratribus, ut vidit frater Monaldus.

Cruce caro figitur: Beatus Franciscus attendens illud Apostoli [4]: *Qui autem sunt Christi carnem suam crucifixerunt* etc., sic et ipse peregit.

Cruce aqua permutatur: Beatus Franciscus signando aquam crucis signo, aqua fit vinum optimum in eremitorio Sancti Urbani, ut dicit V pars *Legendae* [5].

Cruce ignem temperat (*e*): cum enim coctura pro repressione lacrimarum, ne caecus efficeretur, fieri deberet, ignitum ferrum cruce benedicendo ardorem ignis suppressit et nihil mali persensit, ut dicit V pars *Legendae* [6].

Cruce contractus solidatur: apud Reate Gedeoni contracto dum crucis signum imprimit, statim sanus surgit, ut dicit XI pars *Legendae* [7].

Cruce mentem sublevat: visus est beatus Franciscus multoties orans sublevatus a terra in modum crucis expansis manibus, in nubecula alba circumdatus, ut illustrationis internae signum esset notissimum [8].

Cruce fratres consignantur: duo fratres ad beatum Franciscum apud Graecium morantem cum accessissent, causa benedicendi et consignandi ab eo, nec sibi valerent loqui, quia clausus esset in cella, cum tristes abscederent, beatus Franciscus in spiritu videns hoc, egressus e cella clamando post eos, ut optaverant, signo crucis benedixit [9].

Cruce avis mittitur: postquam beatus Franciscus avibus praedicaverat, eis benedicendo signo crucis et licentiando, in modum crucis se dividendo, ad quatuor partes orbis perrexerunt [10].

(*a*) As, Edd. ***cruci confixus.*** — (*b*) Al ***audit.*** — (*c*) Al ***castum.*** — (*d*) As, Edd. ***progrediens.*** — (*e*) Al ***huius et sequentis narrationis ordinem invertit.***

---

[1] Supra 379 l. 33 sqq. — [2] Supra 379 l. 37 sqq. — [3] Supra 380 l. 38 sqq ubi et seqq. — [4] Gal. 5, 25. — [5] *Leg. Mai.* c. 5 n. 10. — [6] *Leg. Mai.* c. 5 n. 9. — [7] *Leg. Mai.* c. 11 n. 5. — [8] Supra 380 l. 27. — [9] *Leg. Mai.* c. 11 n. 12. — [10] L. c. c. 12 n. 3.

Cruce puer reparatur: apud Thuscanellam puerum a nativitate contractum, signo crucis signando, ad statum debitum reparavit [1].

Cruce morbum pellitur: cum paralyticum omnium membrorum officio destitutum in civitate Narniensi signo signasset crucis, illico sanavit [2].

Cruce ossa delegantur: in civitate Ortensi puer conglomeratus a beato Francisco signo crucis consignatus, ossa confracta habens, ipsis ossibus extensis et reintegratis, liberatus est [3].

Cruce manus solvitur: mulier habens ambas manus siccas et aridas, apud Eugubium salutiferae crucis a beato Francisco signo signata, statim sanatur [4].

Cruce caeci radiantur: apud Narnium mulier caeca per beatum Franciscum signata crucis signo, illuminata est [5].

Cruce daemon spargitur (*a*): multos liberavit signo crucis facto super daemoniacos [6].

Crucis regem intuetur: multoties vidit beatus Franciscus Crucifixum, ut dictum est [7].

Cruce virtus discitur: contemplatione crucis iugiter beatus Franciscus, ut dicetur, omnis virtutis disciplinam accepit.

Crucis signo edocetur: quando in apertione libri Evangelii cum semper occurreret materia passionis, intellexit, Christo docente, se cum Christo crucifigendum [8].

Cruce caro pingitur (*b*): quando stigmata a Christo impressa in suo corpore recepit.

Cruce pestis abdicatur: apud civitatem Reatinam animalia languida, sparsa aqua loturae manuum et pedum iam stigmatizatorum beati Francisci, illico sunt liberata [9].

Cruce grando siluit (*c*): in monte Alvernae post stigmatum impressionem grando consueta cessavit [10].

Cruce bonum imprecatur (*d*): quando beatus Franciscus fratribus omnibus in fine benedixit crucis signo [11].

Cruce caelum adiit, quia ipse beatus Franciscus Christo concrucifixus, cum armis regis Christi caelum introivit gloriosus. — Praefatis ergo operationibus patet, quod beatus Franciscus cum aliis antedictis amicus fuit Crucifixi et (*e*) dominicam meditatus passionem fuit. Et sic patet prima pars istius secundae rationis.

Secunda pars, quod prae (*f*) aliis sanctis: hoc probatur unico exemplo. Frater Petrus de Monticulo sanctitate insignis, de quo dictum est libro I conformitate VIII in *Tractatu de provincia Marchiae* [12], dum in die Veneris sancta Domini passionem meditaretur, immissum est menti suae velle scire, quis magis doluit de dominica passione: an beata Maria, seu Ioannes Evangelista, an beatus Franciscus stigmatizatus a Christo. Et cum sic in oratione esset et dicta cogitaret, subito eidem beata Virgo cum Ioanne Evangelista et beato Francisco apparuit; et beatus Franciscus excellentius erat indutus beato Ioanne Evangelista. Quos cum dictus frater Petrus videret et stupefactus esset, beatus Ioannes eum coepit alloqui dicens: « Scias, fra-

(*a*) Al *effugatur*. — (*b*) As *pungitur*. — (*c*) Al *solvitur*. — (*d*) As *impetratur*. — (*e*) Ed. II. et III add. *sic*. — (*f*) As, Edd. *plus*.

[1] L. c. n. 9. — [2] L. c. — [3] L. c. — [4] L. c. n. 10. — [5] L. c. — [6] Supra 11 sqq. — [7] Supra 379 l. 31 sqq. — [8] *Leg. Mai.* c. 13 n. 2. — [9] L. c. n. 6. — [10] L. c. n. 7. — [11] L. c. c. 14 n. 5. — [12] AF IV, 276-7; 233, 513.

ter Petre, quod post nos duos, beatus Franciscus plus doluit de Christi passione prae omnibus aliis sanctis ». Et (a) cum peteret ipse frater, quare beatus Franciscus eo melius esset indutus, respondit beatus Ioannes: Quia in mundo eo vilius incessit. Et his dictis disparuit. Sic ergo apparet quod, quia beatus Franciscus prae aliis sanctis magis fuit Crucifixi amicus, prae omnibus est eius stigmatibus consignatus [1]. — Et si dicatur iuxta dictam rationem: beata Maria stigmatizari debebat et etiam beatus Ioannes Evangelista, quia magis doluerunt de Christi passione, respondetur, quod virgo Maria, quia mulier, stigmatizari non decebat, nec Ioannes Evangelista, ut dicetur, quia fuit de primo sigillo et non de sexto.

6. Tertia via et congruentia seu ratio fundatur in beati Francisci destinatione a Deo et missione. Ut enim ostensum est libro I conformitate II parte secunda [2], beatus Franciscus a Deo Patre et specialiter Filio petente et Spiritu Sancto in mundum destinatus est ad vitam evangelicam renovandam et passionem Christi cordibus fidelium implantandam, ut in praefatis locis pluribus est ostensum indiciis. Cum ergo, ut patet in sacra Scriptura, Esth. 3, 12 et 8, 8, et consuetudo demonstrat, ambasiatoribus et nuntiis regis non creditur, nisi deferant litteras regias sigillo regio consignatas; ut beato Francisco nuntio regis Christi et ab eo specialiter directo crederetur et fides indubia daretur, decuit eum suo sigillo, scilicet sacris stigmatibus, consignare. Et ideo statim post mortem beati Francisci daemon per os cuiusdam mulieris, cuidam baroni de tertio ordine beati Francisci, moranti in Alpibus iuxta Eugubium, loquens de beato Francisco dixit: quod Christus petiit a Patre caelesti sibi dari aliquos qui essent suae crucis baiuli; et Pater caelestis dedit sibi beatum Franciscum cum ordine suo. Et subdit daemon, quod Christus videns beatum Franciscum sibi datum a Patre pro signifero, sibi sua stigmata impressit, ut sibi similis esset per omnia et conformis [3].

Quarta ratio et congruentia fundatur in temporis dispositione. Nam cum sit ostensum quod decebat Christum stigmatizare aliquem sanctorum, sed quo tempore non est dictum. Ad propositum non decuit Christum istud donum stigmatizationis alicui sanctorum in primo tempore, scilicet Apostolorum dare. Ratio, quia Christus parum ante fuerat mortuus et multi ipsum viderant. Insuper ad confirmationem fidei Apostolis concessum est signa facere et miracula; quare fides pro tunc non indigebat hoc fieri miraculum, quia hoc miro homines non magis Christo credidessent, cum (b) vix crederent aliis Apostolorum et sanctorum miraculis. Non tempore martyrum, quia tunc erant reges et imperatores, qui Christum persequebantur, nec in Christum credebant, tot miraculis visis martyrum; quare nec aliquem Christo conformem credidissent, quia gentiles credere in Crucifixum stultitiam reputabant, I Cor. 2, 14. Nec tempore patrum de Aegypto, quia etsi virtutibus fuerint perfecti, de nullo tamen in singulari, quod fuerit toto studio considerationi et meditationi dominicae passionis deditus et intentus, legitur. Tempore ergo quo decuit Christum hoc donum tribuere? Non nisi certe illo tempore, quo oblitterata erat meditatio dominicae passionis. Et cui magis quam illi, qui totum suum studium circa

(a) Ed. III om. *Et — disparuit.* — (b) Edd. *credidissent quam aliis.*

[1] *Chron. 24 gen.* 410-1. (*Actus* c. 74). — [2] AF IV, 70 sqq. — [3] *Chron. 24 gen.* 29; *Leggenda antica,* c. 22; supra 222-4. AF IV, 73-4; 81.

meditationem passionis posuerat? Quare merito beato Francisco, cum in suo tempore vita evangelica esset oblitterata et beatus Franciscus prae aliis sanctis totus esset speculationi dominicae passionis intentus.

Quinta ratio fundatur in cordis beati Francisci ostensione et revelatione. Cor hominis soli Deo notum est, Ier. 17, 9 sq. Cum ergo cor beati Francisci, ut superiora ostendunt, nihil amaret nec appeteret nisi Crucifixum, decuit Christum ad gloriam Sancti hoc revelare, quare et signo aliquo visibili. Et quo alio nisi de quo quidam versificator dicit:

Sic tranformatur cor amantis in id quod amatur,
Ut per signa foris (*a*) virtus prorumpat amoris;

per signa scilicet sacrorum stigmatum? Et quia quid (*b*) diligant, manifestare est ad sanctorum gloriam; quare et per signa talia decuit ad honorem beati Francisci Christum cor eius declarare.

Sexta ratio fundatur in Regulae approbatione. Regula fratrum Minorum et beati Francisci cum sit Domini nostri Iesu Christi et Apostolorum, quare ad ipsius confirmationem decebat bulla Crucifixi in ipsius institutore beato Francisco approbari. Unde papa Nicolaus III ad propositum loquens in declaratione Regulae, et ponitur in VI Decretalium sub titulo *De verborum significatione* « Exiit » [1], sic dicit de Regula, quod ipsa « evangelico fundatur eloquio, vitae Christi roboratur exemplo, fundatorum militantis Ecclesiae Apostolorum eius sermonibus, actibusque firmatur. Haec est apud Deum et Patrem munda et immaculata religio, quae *descendens a Patre luminum* [2] per eius Filium exemplariter et verbaliter tradita Apostolis et demum per Spiritum Sanctum beato Francisco et eum sequentibus inspirata, totius in se quasi continet testimonium Trinitatis. Haec est enim cui, attestante Apostolo [3], *nemo de cetero* debet esse *molestus;* quam Christus suae passionis stigmatibus confirmavit, volens institutorem ipsius passionis suae signis notabiliter insigniri ». Haec ille.

Septima ratio fundatur in Christi acceptatione sancto Francisco stigmata passionis imprimendo. Dominus Iesus effectu singulari ostendit, quantum illos diligat, qui super omnia eius passionis meditationi intendunt.

Octava ratio in beati Francisci mundi divulgatione fundatur. Cum enim beatus Franciscus a Deo sit et Christo transmissus ut authenticus tribus ordinibus institutis ac ceteris mundi hominibus, stigmatibus notabiliter insignitus a Christo fuit, ut dictum est in tertia ratione [4], diabolo dicente, quod Christus videns Franciscum sibi datum pro signifero tanti ordinis, ipsi suorum vulnerum stigmata impressit et clavos in manibus et pedibus et in latere dextro vulnus, sicut iam patet in corpore suo et plurimi hoc viderunt. Hoc diabolus [5]. Hoc siquidem ad authenticandum beatum Franciscum, et quod post eius vitam et doctrinam proficisci erat tutissimum, effecit. — Verum (*c*) cum beatus Franciscus zelantissimus pro animabus sacram indulgentiam Sanctae Mariae de Portiuncula obtinuisset a Christo et domino papa, nec a papa bullam voluisset recipere; quare hoc sit factum diabolus adiuratus a quodam sacerdote de veritate dicenda de ipsa indulgentia, post plura per os mulieris apud Ra-

(*a*) Al hic inserit: ***sacrorum stigmatum***. — (*b*) Al postea corr. *quod diligitur*, tunc ***manifestum***. — (*c*) Al ***nona ratio est cum***.

[1] VI Decr. l. V, tit. 12, c. 3 in prologo; *Bull. Franc.* III, 405. AF IV, 425. — [2] Iac. 1, 17. — [3] Gal. 6, 17. — [4] Supra 384 l. 10 sqq. — [5] Cfr. *Chron. 24 gen.* p. 28.

vennam morantis nomine Zantesae, sic inquit: « In caelo tantum sunt duo, scilicet Christus et ille stomachosus Franciscus, signati. Sciens igitur Christus se daturum illi stomachoso bullam suorum stigmatum non permisit ipsum aliud privilegium accipere vel bullam manu hominis fabricatam. Nam sicut rex non committit annuli sui bullam nisi propter aliquod magnum factum, ita crucifixus Iesus, quando voluit salvare populum suum noluit Francisco aliud signum concedere nisi bullam suorum stigmatum ». Haec diabolus [1]. Quare, ut in omnibus suis factis, verbis et operibus beatus Franciscus acceptissimus Deo, appareret mundo sanctissimus, decuit eum prae aliis sanctis suorum stigmatum dono Dominum Iesum decorare. Multae congruentiae aliae possunt adduci; sed praefatae sufficiant, et sic patet quartum videndum.

7. Quintum inquirendum est de modo, quo beatus Franciscus a Christo fuit suae passionis sacris stigmatibus consignatus. Et pro huius evidentia sunt plura videnda.

Et primum est an beato Francisco fuerit a Christo, quod stigmatizandus esset, indicatum. Respondet frater Bonaventura in XIII parte *Maioris Legendae* [2] dicens, quod sic. Sed quomodo? Inquit; « Immissum est menti eius per divinum oraculum, quod in aperitione libri evangelici revelaretur ei a Christo, quid Deo in ipso et de ipso maxime foret acceptum. Oratione itaque cum multa devotione praemissa, sacrum Evangeliorum librum de altari sumptum, in sanctae Trinitatis nomine aperiri fecit per socium, virum utique devotum et sanctum. Sane cum in trina libri apertione Domini passio semper occurreret, intellexit vir Deo plenus, quod sicut Christum fuerat imitatus in actibus vitae, sic ei conformis esse deberet in afflictionibus et doloribus passionis, antequam ex hoc mundo transiret ». Haec frater Bonaventura. — Beatus Franciscus revelando, ut dicetur, quomodo stigmata recepit uni laico, qui mandato fratris Philippi de Perusio, tunc ministri Thusciae, beatum Franciscum rogaverat, ut modum quomodo stigmata receperat et diem sibi revelaret, beatus Francisus sibi apparens in loco montis Alvernae et in situ ubi stigmata recepit [3]; cuius (*a*) verba, quae ad propositum sibi dixit, sunt haec: « Proxima die ante festum Exaltationis sanctae crucis, venit ad me unus Angelus, dicens mihi ex parte Dei, quod me pararem ad patientiam et ad recipiendum quidquid vellet ipse mihi facere. Et ego, inquit beatus Franciscus, respondi promptum me esse et paratum suscipere quidquid Dominus dignaretur inferre ». Haec beatus Franciscus. — In *Legenda De inventione montis Alvernae* [4] dicitur, quod beatus Franciscus, postquam visionem illam mirabilem, qua Christus a beato Francisco, sibi apparendo, petierat tribus vicibus, ut sibi aliquid daret, et beatus Franciscus tribus vicibus ei dedisset monetam de auro valde mirabilem, exposuisset fratri Leoni, qui omnia viderat, intulit beatus Franciscus: « Ad paucos dies Deus tam stupenda mirabilia in hoc monte faciet, quod admirabitur totus mundus. Faciet enim nova quaedam, quae nunquam in hoc mundo fecit alicui creaturae ». Hoc beatus Franciscus. Et ita fuit, quia ad paucos dies post haec

(*a*) Edd. *huiusmodi verba ad prop. sibi dixit: Proxima.*

[1] Supra 46-7; *Bartholi* c. 37. — [2] C. 13. n. 2. — [3] *Instrumentum de stigmatibus b. Francisci* AF III, 641-45; 643. Cf. *Acta SS.* oct. II, 860. *Bartholi,* ed. Sabatier, p. CXLIX. — [4] *Actus,* c. 9: De inv. m. Alv. et visione fr. Leonis, n. 43 sqq.; n. 67. Cf. *Specul. Vitae* (Venet. 1506; Metis 1509) f. 92a-96a. *Specul. Perf.* Sabatier, p. LXXVII, CLXXXIV.

verba fuit stigmatizatus. Et sic patet quod beatus Franciscus stigmatizandus, fuit declaratus divinitus per Christum.

Secundum videndum est in quo loco sibi Christus stigmata impressit. Respondetur, quod in monte sacro Alvernae, quem montem dominus Orlandus beato Francisco dedit et suis fratribus tanquam montem devotissimum et solitarium et ad poenitentiam faciendam aptissimum. Ad quem locum dum beatus Franciscus pergeret cum fratre Massaeo, fratre Leone et fratre Angelo, quondam milite de Reate, et iam coepissent montem ascendere et quiescere « aliquantulum cum sociis ad pedes cuiusdam quercus, multitudo diversarum avium venit ad beatum Franciscum cum hilaritate et cantibus et alarum ioco, et aliquae se ponebant super caput eius, aliquae super spatulas, aliquae super genua, in aliquae manibus sancti patris. Quod mirabile novum cernens beatus Franciscus dixit sociis: « Credo, fratres mei carissimi, quod Domino nostro Iesu Christo placeat, ut in monte hoc solitario locum capiamus, ex quo (*a*) tantam de nostro adventu sorores aviculae praetendunt laetitiam[1] ». Ad hunc siquidem locum beatus Franciscus, etsi propter faciendam quadragesimam beati Archangeli Michaelis ascendit, principaliter tamen et praecipua causa erat ut contemplationi divinae liberius vacaret. « Tempus siquidem concessum sibi ad meritum, dividere sic prudenter didicerat, ut aliud proximorum lucris laboriosius impenderet, aliud contemplationis tranquillis excessibus dedicaret[2] ». In hoc siquidem monte beatus Franciscus stans, prae solito divinis contemplationibus vacans, mirandis excessibus quod elevaretur mentaliter, testis erat ipsius elevatio corporalis, ut eius socius frater Leo vidit. Aliquando enim invenit « eum in aëre per tantum spatium elevatum, quod vix poterat tangere pedes eius, et tunc illos amplexabatur dicens cum lacrimis Deo: « Propitius esto mihi peccatori, et per merita huius sanctissimi viri fac me tuam invenire misericordiam ». Aliquando invenit eum usque ad medios fagos elevatum a terra. Aliquando invenit eum in tanta aeris altitudine elevatum quod vix eum videre poterat[3] ». Et saepe frater Leo invenit eum cum Christo loquentem, ut dicetur.

Mons iste Alvernae a Deo fuit beato Francisco praeparatus, ut in ipso stigmatizaretur. Hic mons altitudine est procerus; est enim valde altus et a corruptione aeris (*b*) mundus et sincerus, ab aliis montibus totaliter separatus, et passionis Christi signis specialiter praedotatus. Nam tempore passionis, ut patet in Evangelio[4], *petrae scissae sunt;* quod singulari modo in monte isto apparet. Nam divisus est a capite usque deorsum. Partes eius, ut patet cernentibus, scilicet saxa, ab invicem sunt divisa. Et praefata omnia impressioni stigmatum fuerunt apta (*c*). Eius altitudo correspondet mentali elevationi, quae exigitur in tali stigmatizatione; puritas correspondet mentali et corporali dispositioni, quia in corpore impuritati disposito et subdito peccatis imprimi hoc donum non decebat; sequestratio respondet abdicationi omnium et remotioni per desiderium ab omnibus. Sed passionis vestigia prae aliis indicant stigmatizari aliquem ibidem debere, ac stigmatizandum nihil aliud in se habere debere, nisi assiduam crucis baiulationem per assiduam meditationem passionis. In monte ergo sacro Alvernae beato Francisco a Christo stigmata sunt impressa.

Et attendendum est, mons iste stigmatizatione beati Francisci est primo factus valde singularis, et secundo in ipso facta sunt multa miranda.

(*a*) As, Edd. om. *ex quo*. — (*b*) As, Edd. *aeris*. — (*c*) Al *aperta*.

[1] L. c. c. 9 n. 26 seq. — [2] *Leg. Mai.* c. 13 n. 1. — [3] L. c. n. 32 sqq. — [4] Matth. 27, 51.

Est factus valde singularis; quod apparet si fiat comparatio factorum in ipso ad facta in montibus aliis, quos sacra Scriptura commemorat. Unde incipiendo a primo monte Scripturae, scilicet Ararat (*a*) [1], ibi requievit archa Noe post diluvium, Gen. 8, 4; in monte Alvernae stetit angelicus vir Franciscus, archa Noe; scilicet Dei Patris et totius Trinitatis. — In monte Bethel stetit Abraham a sua egressus terra (*b*), Gen. 13, 3; in sacro monte Alvernae habitavit Franciscus alter Abraham, scilicet fide et quia pater multorum, toto mundo derelicto. — In monte Galaad stetit Iacob fugiens Laban, Gen. 31, 23, ac iuramentum factum est inter Iacob et Laban; in monte Alvernae vir Dei Franciscus diaboli, mundi et carnis supplantator, Deo iuramentum praestitit ab ipso aliquando non recedere aliqua offensione nec contravenire suae sanctissimae voluntati. Haec patent pignore stigmatizationis beato Francisco dato. — In monte Phasga Balaam vidit Israel, Num. 23, 14 [2]; in monte Alvernae beatus Franciscus vidit Dominum Iesum Christum. — In monte Hor, Num. 20, 25 sqq., Aaron est tumulatus; in monte Alvernae Christus, qui est vita, beato Francisco est summe copulatus. — In monte Abarim (*c*) Moyses terram cernit Israel promissam nec ingreditur (*d*), Deut. 32, 49 sqq.; in monte Alvernae vitam aeternam cernit beatus Franciscus sibi promissam et de ipsa subarrhatur. — In monte Sinai lex vetus Moysi datur, Exod. 20, 21; in monte Alvernae lex evangelica Francisco a Christo data confirmatur. — In monte Garizim Iosue benedictio datur Domini [3]; in monte Alvernae beato Francisco benedictio data declaratur. — In monte Moria templum Domino a Salomone fabricatur (*e*), III Reg. 6, 1; in monte Alvernae corpus et anima beati Francisci in modo singulari in templum Christo dedicatur et consecratur. — In monte Libani thus, quod Deo incenditur, originatur; in monte Alvernae Franciscus in crucis ara Deo sacrificatur. — In monte Golgotha et Calvariae Christus crucifigitur [4]; in monte Alvernae a Christo Franciscus Crucifixo conclavatur. — In monte Oliveti Christus caelos ascendendo, caelum humano generi aperuit; in monte Alvernae beato Francisco a Christo purgatorii spoliatio post suam mortem conceditur [5]. — In monte Sion Spiritus Sanctus super sanctos Apostolos emittitur [6]; in monte Alvernae Franciscus cum Deo et Domino Iesu Christo unus spiritus efficitur. Multa de aliis Scripturae montibus possent dici; sed pro nunc sufficiat de praefatis. Sic ergo de praefato monte potest merito dici [7], quod est *mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo, et Dominus habitavit* in eo *in finem.*

Dictus mons Alvernae vocatur mons Angelorum, sicut exstitit per Angelum cuidam fratri guardiano Florentino, qui ad ipsum montem Alvernae accesserat ob devotionem, declaratum. Hic frater cum in capella stigmatum ad dicendum missam se iam parasset, et dixisset *Introibo* etc., Angelus Domini eidem apparens, dixit ei: « Frater, de quo vis celebrare »? Cui frater: « De Cruce ». Cui Angelus: « Non celebrabis de cruce ». Et frater: « Celebrabo igitur de sancto Francisco ». Cui dixit Angelus: « Nullo modo ». Cui frater: « Celebrabo de beata (*f*) Maria ». Cui Angelus: « Non facias ». Cumque frater diceret: « De quo ergo celebrabo »? dixit sibi Angelus: « Totus iste mons est Angelorum ». Frater autem de Angelis celebravit [8]. Sic ergo apparet primum, quomodo mons iste Alvernae est valde singularis.

(*a*) Al ***Marath***; As, Edd. ***Morach***. — (*b*) As, Edd. ***patria***. — (*c*) Codd., Edd. ***Abirim***. — (*d*) Al ***nec intrare dicitur***. — (*e*) As, Edd. ***aedificatur***. — (*f*) As, Edd. ***sancta***.

[1] Cf. Is. 37, 38; Ier. 51, 27. — [2] Cf. Num. 22, 41; 23, 28 sqq.; 24, 1 sqq. — [3] Ios. 8, 33. — [4] Matth. 27, 33. — [5] Cf. AF III, 646. — [6] Act. 2, 1 sqq. — [7] Ps. 67, 17. — [8] AF IV, 519.

Secundo videndum est nunc de mirabilibus in hoc monte factis. Unde sciendum,quod in hoc monte Domino Iesu (*a*) beatum Franciscum stigmatizando, plura sunt facta. Primum est, quod ordo Minorum est approbatus in beato Francisco, et Regula nostra est summi Dei bulla bullata et approbata. — Secundum est vita beati Francisci tanquam sancta probata et authenticata. — Tertium doctrina eius ut saluberrima a Christo, summo doctore et veritate, est veridica iudicata. — Quartum corpus et caro beati Francisci figura Iesu Christi depicta et figurata, ut beatum videndo Franciscum, videatur et Christus. — Quintum anima eius singulari charactere transformationis in Deo cauterizata. — Sextum indulgentia Sanctae Mariae de Portiuncula, iuxta dictum daemonis, summi pontificis Christi bulla est veridicata et corroborata [1]. — Septimum charta (*b*) beato Francisco de remissione omnium delictorum et ab omni peccato praeservatione est facta et data. — Octavum de vita aeterna consequenda beato Francisco est arrha collata [2]. — Nonum de sua sublimatione super sanctos est sua certitudo delata, quia prae (*c*) aliis sanctis se insignitum videndo stigmatibus, consequenter intellexit se in Ecclesia triumphante exaltandum. — Decimum de verbis a Christo eidem dictis de liberatione animarum a purgatorio in die sui obitus et deductione ipsarum ad caelum est cautio vera data et praestata [3]. — Undecimum (*d*) beati Francisci potentia ad daemones effugandos cunctis fidelibus est reserata; quia si crucem daemones fugiunt, a fortiori videndo Franciscum signo Dei vivi consignatum. — Duodecimum canonizatio beati Francisci a Deo in hoc monte tali stigmatizatione est praedicata et declarata. Est etiam de amore Christi ad beatum Franciscum et dilectione, quanta sit prae aliis, veraciter demonstratum et iudicatum. Plura alia mirabilia sunt facta in hoc monte, de quibus statim dicetur. Sic ergo apparet de loco stigmatum, scilicet de monte Alvernae, quam mirabilis est et singularis.

Tertium videndum est de tempore quo hoc donum stigmatum beato Francisco est collatum. Et licet dominus frater Bonaventura XIII parte *Legendae* dicat [4], quod fuit « quodam mane circa festum Exaltationis sanctae crucis », hoc dixit quia tempore suo beatus Franciscus nondum revelaverat, sed post (*e*), rogatu cuiusdam sanctissimi fratris laici, qui in mandatis acceperat a fratre Philippo de Perusio, tunc ministro Thusciae, ut beatum Franciscum rogaret, ut quo tempore stigmata habuerat sibi indicaret, et de modo. Frater autem praefatus a beato Francisco, divina sibi voluntate apparente, anno scilicet Domini 1281 (*f*) (a morte beati Francisci, quae fuit anno Domini 1226, anno 55) fuit declaratus, quod summo diluculo in die Exaltationis sanctae crucis, stigmata a Christo apparente recepit [5]. Et nota, quod decenter est factum, ut tali die beatus Franciscus stigmatizaretur. Nam cum beatus Franciscus, ut superiora ostendunt, amicus fuerit crucis et Crucifixi, decebat, quod non stigmatizaretur nisi in die crucis, nec nisi in die tali debebat consignari. — Et sicut die tali crux fuit per Heraclium (*g*) imperatorem exaltata; sic per imperatorem Christum die tali Franciscus stigmatum impressione super omnes san-

(*a*) Al *Dominus Iesus.* — (*b*) Al, As add. *de;* As tunc *pro remiss.* — (*c*) Al *data quia super alios sanctos.* — (*d*) Al (sed postea delevit), As, Edd. add. *de.* — (*e*) Edd. add. *et hoc.* — (*f*) Al postea corr. *1292*, infra *66;* As, Edd. *1282*; As *64;* Edd. 56. — (*g*) As, Edd. *tali,* postea *Eradium.*

[1] Supra 46-7, 386 l. 1-7. — [2] Supra 378 l. 3-4. — [3] Infra p. 397-8. — [4] *Leg. Mai.* c. 13 n. 3. — [5] AF III, 641-5.

ctos hoc dono est sublimatus. Et sicut die tali ad gloriam fuit Christi crucis exaltatio; sic ad eius gloriam est beati Francisci stigmatizatio. Et sicut die tali, cum crux est exaltata, mira sunt ipsa cruce operata; sic stigmatizatione beati Francisci in monte Alvernae in corpore et anima beati Francisci sunt miranda declarata, ut dictum est et dicetur. In die tali de infimo fuit crux ad honorem Christianorum in summo collocata; sic die tali beatus Franciscus de infimo, id est pauperculo et despecto, ad tantum apicem est sublimatus, ut Christo similis sit et reperiatur.

Sed qua hora? Dicit Bonaventura, quod hora fuit « quodam mane ». Sed beatus Franciscus dicto fratri laico dixit, quod fuit valde diluculo [1], id est ante diem, superveniente tamen die. Hoc sic fuisse apparet et ex hoc, quia, ut dicit *Legenda Antiqua* [2], Cristus apparuit cum tanto splendore de nocte, quod illuminavit montes et colles circumquaque distantes, amplius quam si solis claritas affuisset. De quo testes fuerunt pastores qui per partes illas cum gregibus vigilabant. Sic etiam custodes arcium et castrorum tunc vigilantes.

Et sic patet, quod illa hora beatus Franciscus stigmata recepit, qua hora Christus secundum opinionem communiter doctorum resurrexit a mortuis. Nec hoc a mysterio vacat, ut sicut Christus prius mortuus integraliter resurrexit, sic beatus Franciscus in corpore plagatus veraciter et in anima mentaliter apparuit. Et sicut Christi resurrectione est fides catholica roborata et confirmata, sic beati Francisci stigmatizatione Iesu et Apostolorum vita oblitterata, est renovata et confirmata. Et sicut Christus resurgendo est factus ductor Christiani exercitus, scilicet sanctorum patrum et aliorum, sic Franciscus stigmatizatus est factus princeps Iesum et Apostolos sequi peroptantium. Et sicut Christus resurgendo gaudium fidelibus intulit et suae matri, sic stigmatizatio facta beato Francisco ad exsultationem est humanae naturae et specialiter fratrum sub beati Francisci Regula Christum imitantium, ac ad gaudium est totius militantis ac triumphantis Ecclesiae. Sic ergo apparet (*a*) de die et hora, qua beatus Franciscus fuit stigmatizatus.

8. Quartum videndum est de actore, quis fuerit stigmata beato Francisco imprimens. Et pro evidentia ipsius et sequentium dicendorum, est ponenda series stigmatizationis beati Francisci, sicut ipse beatus Franciscus retulit praefato laico [3], cui deprecanti, ut sibi modum reseraret impressionis sacrorum stigmatum, diem et omnia pertinentia ad praefata, et in monte esset Alvernae ac in cella, ubi impressio sacrorum stigmatum, ut creditur, est facta, ibi exsistenti et oranti de nocte diei Veneris supervenientis, anno Domini, ut dictum est, 1281 (*b*) de mense maii, cum ultra primum somnum noctem orando transigeret, circa ipsum quaedam claritas in modum illustrationis apparuit, « ad quam frater praefatus aliquantulum obstupuit. Sed sibi signo crucis impresso, nomine Domini invocato, vires recepit et orando persistebat. Post modicum vero spatium temporis lux, maior et clarior priore, in cella eadem apparuit, quae ipsam cellam et ea quae in ipsa erant totaliter illustrabat. Ad quam lucem ipse frater amplius stupebat, adhuc ipse se signo crucis muniens, nomen Dei et beatae Mariae virginis et beati Francisci ardentius invocavit, et sic fortiores (*c*) vires recepit, continuavitque orationem. Et ecce aliquanto intervallo facto, tanta Dei

(*a*) As, Edd. *patet*. — (*b*) Al corr. *1291;* As, Edd. *1286*. — (*c*) Al *ardentiores*.

[1] L. c. 643 « summo diluculo ». — [2] *Fioretti*, consid. III delle s. stimm. ed. Passerini, p. 169.
[3] AF III, 642.

claritas fulsit, quod tota illa cella ad modum splendoris aurei retinebat; ad cuius splendoris aspectum frater ipse (*a*) valde stupefactus, exclamavit nomen beatae Virginis in sui adiutorium. Et cum staret reverenter super genua sua, ex vi ipsius luminis fuit ad terram totaliter incurvatus; et tunc frater vigoratione spiritus robustior factus, super genua sua se direxit et (*b*) erexit. Quo respiciente versus ostium cellae, tunc beatus Franciscus astitit ante ipsum, dixitque illi latinis verbis: « Quid facis tu hic »? At ipse ore tacitus, affectione cordis sui desiderium de praefata revelatione, ut alicui revelaret modum stigmatizationis, horam et diem, depromebat. Et iterum verbis vulgaribus beatus Franciscus alloquitur (*c*) dicens: « De quo rogas (*d*) Deum, ut tibi debeat respondere »? Tunc frater ipse voce respondit: « Pater, rogabam Deum, ut dignaretur ostendere quo die et hora vobis fuerunt (*e*) signa dominicae passionis impressa ». Tunc sanctus pater dixit ei: « Dominus vult, quod tu scias, et ego dicam tibi. Ego enim sum pater vester Franciscus, tu me bene nosti ». Et ostendit (*f*) signa stigmatum manuum, pedum et lateris, addens quod tempus adest, quod Deus propalare vult, quod fratres hactenus neglexerunt. « Scias igitur, quod ille, qui mihi tunc apparuit, non fuit Angelus, sed fuit Dominus (*g*) meus Iesus Christus in specie (*h*) Seraph, qui sicut vulnera ipsa sacra in cruce suscepit corpore, ita manibus suis benedictis in corpore meo impressit ». Modum vero apparitionis describens beatus Franciscus subdens adiecit: « Proxima die ante festum Exaltationis sanctae crucis venit ad me unus Angelus, dicens mihi ex parte Dei, quod me pararem ad patientiam et ad recipiendum quidquid vellet facere mihi. Et ego respondi, me promptum esse et paratum suscipere quidquid Dominus dignaretur inferre. In mane ergo Exaltationis sanctae crucis, summo diluculo, exiens cellam in vehementissimo fervore spiritus, ad locum quidem orationis solitum properabam; et ecce per aera iuvenis quidam crucifixus, praetendens speciem Seraph, sex alas habens, cum maximo impetu descendebat, ad cuius aspectum substiti et mea genua hic in loco isto fixi, et me orationi dedi, tantamque mihi aspectus eius compassionem dedit, quod passionem ipsam in corpore meo mihi videbatur experiri. Ad ipsius quoque Crucifixi praesentiam mons totus luce aurea refulgebat. Cum ergo descendisset et staret ante me, me rogabat, ut sibi aliquid darem [1]. At ego: « Tu scis, Domine, quod nihil habeo, quod dem tibi; omnia enim dereliqui, sed et corpus et animam dedi tibi ». At ipse instabat (*i*), ut eleemosynam acciperet, et dicebat: « Quaere in gremio tuo, si aliquid habes ». Cumque ponerem (*k*) manum ad gremium, unum aureum reperi et dedi Domino nostro cum multa admiratione. Quo accepto, iterato insistebat, ut sibi aliquid darem. Et ego verbis similibus me excusabam, ad exhortationemque ipsius manum iterum ad gremium porrigens, inveni alterum aureum maioris ponderis et valoris, et hunc sibi cum maiori admiratione largitus sum. Et ipse adhuc eleemosynam postulabat; factaque petentis instantia et (*l*) efficacia excusantis, simili tamen monitione inductus, manum tertio porrexi ad gremium et aureum inveniens prioris quantitatem et valorem notabiliter excedentem, et (*m*) simili modo dedi. Quibus susceptis, dixit mihi: « Scis tu quid ista significant? Haec significant institutionem et gradum trium Ordinum tua diligentia fundatorum. Post haec ipse Dominus Iesus crucifixus manus suas corpori meo ap-

(*a*) Al *ille.* — (*b*) As, Edd. om. *direxit et.* — (*c*) Al om. *alloquitur*; in marg. *ait;* add. *ei.* — (*d*) Al *interrogas.* — (*e*) As, Edd. *fuerint.* — (*f*) Edd. add. *ei.* — (*g*) Al. add. *Deus.* — (*h*) Al *modo.* — (*i*) As, Edd. *insistebat.* — (*k*) As, Edd. *posuissem.* — (*l*) Al *cum efficacia excusavi.* — (*m*) Al *quod et;* Edd. om.

[1] Cf. *Actus,* c. 9 n. 55 sqq.; cf. supra 386 not. 4.

plicuit et primo manibus, secundo pedibus, tertio stigma lateris cum vehementissimo dolore sensi, et cum magna qualibet vice voce clamoris mei impressit. Et verba quaedam secreta mihi dixit, quae nulli adhuc homini relevavi. Verumtamen tempus appropinquat, in quo revelabuntur, quia Ordo et fratres mei magis indigebunt. Post hoc Dominus meus Iesus Christus a me disparuit, et ego me consignatum repperi ». Et conclusit beatus Franciscus: « Quare, secure dicas ministro tuo, quod istud est opus Dei et non hominis ». Et valefaciens fratri praedicto beatus Franciscus cui hoc revelavit dixit: « Vade, fili, in pace in nomine Domini ». Et sic in caelo beatus Franciscus cum magna multitudine fratrum Minorum splendidorum se recepit [1].

Ex quibus quartum videndum apparet, scilicet de actore, quis esset qui stigmata beato Francisco impressit. Et apparet quod fuit Dominus Iesus Christus, ut dixit ipse beatus Franciscus fratri praedicto: « Dominus, inquit, Iesus Christus, qui mihi apparuit, et non Angelus fuit ». Et hoc etiam ex superioribus dictis potest apparere, quia tantum opus per creaturam angelicam fieri non potuisset. Ratio, quia Angelus virtutem non habet transformandi animam primo, nec consequenter et corpus. Insuper transformatio virtute amoris est facta divini et non angelici. *Et nemo,* ut dicit Apostolus [2], *potest dicere Dominum Iesum, nisi in Spiritu Sancto;* quare nullus Angelus hoc potuit exercere, ut homo totus in Christo diceretur et exprimeretur. Insuper per illum decebat, qui stigmata passionis in suo gestabat corpore; quare et per Christum. Quorum signorum applicatio per Christum facta membris beati Francisci ipsum stigmatizavit et sibi similem reddidit ac conformem. Et quia per ipsum actorem Christum stigmata sunt beato Francisco impressa, patet amor Christi ad beatum Franciscum, quia eum stigmatizavit. Claret acceptabilitas in conspectu Domini prae aliis sanctis beati Francisci, quia hanc gratiam solus invenit. Amoris beati Francisci ad Crucifixum ostensa est sinceritas et totalitas, quae ipsum in Christi effigiem sic transmutavit. Ostensa est beati Francisci quoad corpus puritas, quia Salvator purissimus non in corpore, carnali macula consperso, tale donum se applicando praebuisset. Demonstrata est beati Francisci humilitas, quia Christus superbos despicit; spiritui subiectio corporis Francisci, quia non rebellis caro fuit, sed subiecta; charitas, qua mente primo in Christum est transformatus; fidelitas, qua constitutus est a Christo *super familiam suam* [3]; virtutum omnium excellentia et ornatus, cum regi Christo in interiori domo, ut sponso, vestem nuptialem sibi praeparasse beatus Franciscus indubie agnoscitur; ac beati Francisci quoad perfectissimam sanctitatem patet praeconium et commendatio, quia Christus beatum Franciscum dum adhuc viveret canonizavit, ipsum sua bulla sanctorum catalogo prae aliis mirifice et magnifice adscribendo.

Quintum videndum est in qua specie Dominus apparere est dignatus beato Francisco, eidem stigmata imprimendo. Et dicit beatus Franciscus, quod sibi in forma Seraph et crucifixus apparuit. Sed sciendum, quod Dominus Iesus in specie Seraph tunc apparuit, ut declararet ad modum Seraph beati Francisci cor sibi immediate unitum et copulatum et nulli alteri, amore seraphico beatum Franciscum inflammatum, igne seraphico non solum labiis sed totum et totaliter purgatum [4], multiplici perfectione beatum ac ordine seraphico post mortem collocandum. Apparuit Christus in tali specie, dicit frater Bonaventura in XIII parte *Legendae* [5], « ut amicus ipse Christi beatus Franciscus praenosceret, non per mar-

[1] L. c. 644. — [2] I Cor. 12, 3. — [3] Matth. 24, 45. — [4] Cf. Is. 6, 5 sqq. — [5] *Leg. Mai.* c. 13 n. 3.

tyrium carnis, sed per incendium mentis in Christi similitudinem transformandum », ac quod anima non notitia sed amore in Deum transformatur. Et quod plus agit amor quam notitia, in tali specie Christus apparere est dignatus, ut ostenderet per ipsum beato Francisco conditiones seraphicas esse impressas; de quibus loquitur Dionysius in libro *De angelica Hierarchia*[1]. Sed apparuit nihilominus in specie Crucifixi, ut ostenderet, quod nón caelestis spiritus stigmata imprimeret, sed ipse, qui pro nostra salute fuit crucifixus. Sic apparere complacuit, ut ostenderet quid in beato Francisco agere intendebat, utpote in Crucifixi similitudinem transformare. Et decuit Christum, in specie Seraph apparendo, apparere et crucifixum, quia ubi primum sine secundo fuisset, amor beati Francisci potius circa creaturam diceretur fuisse quam circa Creatorem, cuius erat oppositum.

Sextum videndum est de modo, quo Christus beato Francisco stigmata impressit. Et dicit beatus Franciscus tria. — Primum quod ante diem Exaltationis sanctae crucis misit Dominus Angelum suum ad eum, « ut se praepararet ad suscipiendum quidquid Deus in ipso vellet sibi inferre » etc.[2]. Quo patet, quod beatum Franciscum de imprimendo eidem stigmata notificavit, ut dictum est. — Secundum dicit, quod apparuit sibi cum tanto lumine, ut « mons totus aurea luce refulgeret ». Cum tanto splendore Dominus apparere voluit, ut ostenderet quod ipse, qui est *lux vera*[3] et *sol per omnia illuminans*, esset actor impressionis stigmatum et non alius. Apparuit cum tanto lumine, ut per lumen exterius lumen quod infundebatur interius in beato Francisco, stigmatum impressione declararetur, ac quod stigmatum impressio in beato Francisco ad illuminationem esset gentium[4], ut Crucifixi prosequeretur vestigia. — Tertium quod dicit beatus Franciscus est, quod Dominus Iesus volens eidem stigmata imprimere « manus suas benedictas primo manibus, secundo pedibus applicavit, tertio stigma lateri impressit cum magno dolore beati Francisci, et semper qualibet vice vehementi clamore ». Ubi vide Domini Iesu ad beatum Franciscum affectum, quia se ad ipsum ut dilectum applicavit. Attende Domini Iesu potentiam, quia eum tangendo stigmata ipsi impressit. Vide sapientiam, quia cum dolore vehementi impressit, ut sicut beatus Franciscus in vita sua dolorem passionis Christi fuerat expertus cordialiter et mentaliter, sic realiter (*a*) ac corporaliter experiretur. Impressit cum dolore vehementissimo, ut ipse beatus Franciscus dolorem passionis experiendo tam mente quam corpore efficeretur martyr Christi gloriosus, praemio martyrum in caelo laureandus. Poenam magnam habuisse beatum Franciscum primo mente, ostendit Crucifixi visio: nam ipsius viscera gladius compassionis pertransibat; secundo corpore: nam per contactum Christi, corpus est apertum in quinque locis cum maximo dolore beati Francisci, quod expressit eius magna in qualibet praedictarum partium apertione exclamatio. Christus enim beato Francisco dedit stigmata sua et suorum stigmatum dolorem, quem in talium a Iudaeis impressione fuerat ipse expertus.

9. Septimum videndum de forma stigmatum beato Francisco a Christo impressorum; et licet in parte tactum sit in solutione secundi quaesiti[5], an arte vel

(*a*) Al *regulariter etiam*.

[1] *De cael. Hier.* c. 7 (P. G. 3, 265 sqq.). — [2] Supra 391 l. 20-1. — [3] Ioan. 1, 9; Eccli. 42, 6. — [4] Cf. Luc. 2, 32. — [5] Supra 371 sq.

natura stigmata etc.; attamen pro declaratione huius septimi videndum est. Et pro maiore evidentia praefatorum est sciendum quod latus beati Francisci tactu Christi fuit apertum ad instar lateris Salvatoris et speciem sui vulneris lateralis praetendit. In manibus et pedibus clavi apparuerunt, « qui de subiecto (*a*) propriae carnis sunt facti vel de materia novae creationis », ut dicit papa Alexander in privilegio de stigmatibus [1]. Sed isti clavi in interiori parte manuum incipiebant, ad partem superiorem (*b*) resultantes. In pedibus incipiebant in superiori parte et ad partem inferiorem descendentes et resultantes recurvabantur, ut dicit doctor Bonaventura in XIII parte *Legendae* [2]. Capita clavorum in manibus et pedibus erant nigra. Ecce miraculum! quia cum essent ex nervis vel ex carne, praefatis similia esse et non dissimilia debebant. Erant longa, rotunda et repercussa: ecce aliud miraculum! Nullus artifex de carne vel nervis talia potuisset facere nisi summus artifex ipse Christus, *qui solus facit mirabilia* [3]. Et vide quod hic artifex nec incude nec martello aut igne fuit usus ad repercutiendum tales clavos et ipsorum acumina ad recurvandum, ut non artifex materialis crederetur sed divinalis. Et sicut digito in tabulis lapideis exaravit Moysi legem [4], sic ipso igne divino et malleo suae omnipotentiae Christus clavos fecit in manibus et pedibus beati Francisci. Et vide quod non in loco molli sed forti, nervoso et ossoso, ut sic loquar, impressit stigmata, ut talis impressio non posset vehementi imaginationi attribui, sed soli Deo. Erant dicti clavi non breves sed longi, utpote transeuntes de una superficie manuum et pedum ad aliam. Et adeo longi ut non in longo manerent, sed recurvarentur ab alia parte egredientes. Ecce aliud miraculum: recurvatio ipsa clavorum. Et adeo erant eminentes, quod intra recurvationem arcualem (*c*) ipsorum digitus manus immitti valeret [5]. Et prominentes adeo erant ipsae recurvationes in pedum parte inferiori, ut minime applicari pedes terrae permitterent. Unde oportebat beatum Franciscum vel in ultima parte pedum, scilicet calcaneis semper incedere, vel asello, seu a fratribus deportari. Mira sunt valde praefata; sed stupendissimum erat quod clavi circumquaque a reliqua carne in pedibus et manibus erant separati et remoti, ut petiae inter ipsos et carnem ad reprimendum continuam (*d*) sanguinis effusionem ponerentur [6]. Et tamen clavi sic a carne praecisi nec a pedibus nec a manibus, cum plures attentassent eos removere a praefatis locis, amoveri potuerunt (quod aliud (*e*) magnum miraculum est tenendum); moveri poterant sed non auferri; quod divinae potentiae est totum ascribendum et miraculo [7]. Et poterat esse, quod capita adeo erant magna clavorum, et sic recurvatio ipsorum ad orbicularitatem retracta, quod nulla vi extrahi, etsi fuerit per aliquos attentatum, potuerunt. — Vulnus vero lateris obductum erat et saepe in magna quantitate sanguinem fundens, nisi petiis obturaretur. Sed sciendum quod (*f*) diebus ceteris hebdomadae petiae in manibus ponebantur et pedibus modo iam dicto, propter dolorem mitigandum et repressionem sanguinis exeuntis, et sic in vulnere laterali. Die tamen Veneris superveniente, ut totus esset in doloribus plagatus et

(*a*) Sic. Edd. et Bulla: Al, As *substantia*. — (*b*) Edd. *inferiorem*. — (*c*) Edd. *circualem*. — (*d*) As. *confluentiam et sanguinis eff.* — (*e*) As, Edd. *ad;* Al tunc om. *magnum*. — (*f*) As, Edd. om. *sciendum quod*.

[1] Cf. *Bull. Franc.* II, 86. (Bulla: *Benigna operatio*); cf. infra 405 l. 16 sqq — [2] *Leg. Mai.* c. 13 n. 3; c. 15 n. 2-3. Cf. *Leg. Min.* VI, lectio 3; I Cel. II, c. 3. n. 95; n. 112-3. *Tract. mirac.* c. 2 n. 4-5. Cf. AFH III, 425 sqq. — [3] Ps. 71, 18. — [4] Exod. 34, 1 sqq. — [5] *Leg. Min.* VI, l. 3. — [6] *Actus,* c. 39 n. 8. — [7] Supra 372 l. 9-10.

crucifixus cum Christo, a sero diei Iovis usque ad sero diei Veneris removebantur petiae, et ibi nihil ponebatur [1]. Unde etsi (*a*) continue doleret beatus Franciscus, tunc tamen vehementissimum patiebatur dolorem. Tunc beatus Pater Franciscus experiebatur, quantus fuit dolor Christi perforatione manuum et pedum ac lateris in carne sua benedicta. Qua miraculi ratione (*b*) beatus Franciscus non solum erat martyr desiderio sed et corpore, experiendo Christi dolorem in suo corpore, qui (*c*) omnium martyrum dolorem excessit. Quo arguitur miraculum magnum potentiae Salvatoris, vitam praeservando per tantum tempus beati Francisci, cum talibus plagis et doloribus maximis; ac patientia beati Francisci ostenditur, tales poenas et dolores tanto tempore supportando. Et sic patet ex dictis de forma stigmatum. Quibus cum aliis in partibus superioribus huius conformitatis quoad secundam partem iam dictis, apparet evidenter, quod stigmatizatio beati Francisci inter opera stupenda divina debet adnotari propter magna a Christo facta in beato Francisco tali stigmatizatione.

Et ut hoc videatur melius, sunt Dei mirabilia hactenus facta cum isto inspicienda et comparanda. Mirabile fuit magnum caelum et terram de nihilo creare [2]; sed maius fuit hominem sanctissimum facere, cum homo sit caelo et ceteris insensatis nobilior: sanctitas beati Francisci praecipue ex stigmatizatione declaratur. Magnum mirabile fuit Adam ad suam imaginem et similitudinem creare [3]; sed maius fuit beatum Franciscum in suam imaginem perfectionalem et corporalem transformare, quia naturalem habuit ut Adam, et ultra illam habuit aliam. — Magnum et mirabile fuit paradisum condere tam caelestem quam terrestrem [4]; sed maius fuit regem gloriae et beatitudinem videre, ut vidit beatus Franciscus in stigmatizatione. — Magnum et mirabile fuit Noe a diluvio praeservare [5]; sed maius fuit beatum Franciscum stigmatizatione a peccato praeservare mortali et frequentia venialium. — Mirabile fuit Abraham ab Ur, id est igne Chaldeorum praeservare [6]; sed maius fuit beatum Franciscum a fomite stigmatizatione conservare, ipsum fomitem comprimendo. — Magnum et mirabile fuit Iacob scalam videre, cui stabat innixus Dominus [7]; sed maius fuit beatum Franciscum videre Christum Deum ad se stigmatizandum de caelo (*d*) descendisse. — Magnum mirabile fuit et Ioseph annulum Pharaonis habuisse [8]; sed maius fuit beatum Franciscum bullam Dei vivi accepisse. — Magnum fuit Moysen principatum populi Israelitici habuisse et accepisse [9]; sed maius est beatum Franciscum esse vexilliferum summi Dei a Christo constitutum. — Mirabile fuit mare dividere et populum Israeliticum liberare [10]; sed maius fuit a dracone diabolo per crucem ex ore Francisci progredientem [11] coetum christianum eripere et ad Christi prosequenda vestigia populum stigmatizatione Francisci animare et deducere. — Mirabile fuit populum Israeliticum manna XL annis de caelo cibare [12]; sed maius fuit beatum Franciscum stigmatizando eius animam cibo indicibilis consolationis replere et reficere. — Magnum et mirabile fuit Deum in monte Sinai Moysi apparuisse et legem dedisse [13]; sed maius beatum Franciscum in monte Alvernae Christum

(*a*) As, Edd *si cont. dolorem b.* — (*b*) As, Edd. *Quo merito ipse b. Fr.* — (*c*) Al *qui per carnium dolores exc.* — (*d*) As, Edd. om. *de caelo.*

[1] *Actus,* c. 39 n. 8-9. — [2] Gen. 1, 1 sqq. — [3] Ib. 1, 27. — [4] Ib. 2, 8. sqq. — [5] Ib. 6 sqq. — [6] Ib. 12, 1 sqq. — [7] Ib. 28, 12 sqq. — [8] Ib. 41, 42. — [9] Exod. 3 sqq. — [10] Ib. 14, 21 sqq. — [11] Supra 380 l. 14 sqq. — [12] Exod. 16, 11 sqq. — [13] Ib. 19, 17 sqq.

vidisse et Regulam evangelicam suorum stigmatum bulla confirmasse. — Mirabile fuit Deum suo digito (*a*) tabulas lapideas praeceptis scripsisse [1]; sed maius fuit per se, et non Angelo mediante, digito suo carneis membris stigmata impressisse. — Mirabile fui Josue et alios hostes debellasse [2]; sed maius est inspectione beati Francisci crucifixi daemones aufugere [3]. — Magnum mirabile fuit et tempore Iosue solem immobilem in medio stetisse caeli [4], et tempore Isaiae et Ezechiae retro cessisse [5]; sed maius est solem iustitiae Christum Deum de caelo empyreo ad stigmatizandum beatum Franciscum descendisse.

Mirabile fuit Deum de infimo David ad regnum sublimasse [6]; sed maius fuit Franciscum pauperculum, modicum et despectum, super omnes sanctos stigmatizatione exaltasse. — Mirabile fuit donum sapientiae Salomonem a Deo habuisse [7]; sed maius est beatum Franciscum vere vidisse et scivisse Christum, Dei virtutem et sapientiam et crucifixum, ut Franciscus novit stigmatizatione et scivit. — Mirabile fuit quando Deus voluit per Moysen sibi tabernaculum fieri [8] et per Salomonem templum [9]; sed maius fuit beatum Franciscum esse templum Dei vivi sua stigmatizatione. — Mirabile fuit Eliam in monte Horeb audisse Dei magnalia [10]; sed maius fuit beatum Franciscum audisse Christum et vidisse, stigmata imprimendo, magnalia et mirabilia nunquam alias facta. — Mirabile fuit prophetas fecisse; sed maius est Christum stigmatizando beatum Franciscum eidem multa dixisse, quae dicere adhuc nulli voluit. — Mirabile fuit Isaiam et Deum et Seraphim vidisse, ac esse in labiis mundatum [11]; sed maius beatum Franciscum stigmatizatione esse unitum Christo Deo incendio seraphico et per totum tali incendio purgatum et emundatum. — Mirabile fuit beatum Petrum pro Christo crucifixum [12]; sed maius est per tantum tempus beatum Franciscum stigmatizatione cruci affixum. — Mirabile fuit beatum Paulum tot pro Christo poenas tolerasse [13]; sed maius fuit beatum Franciscum stigmatizatione dolorem dominicae passionis habuisse et sensisse. — Mirabile fuit beatum Paulum raptum fuisse ad tertium caelum [14]; sed maius fuit stigmatizatione beatum Franciscum unum spiritum effectum cum Christo Deo, cuius sensum non ignorat. — Mirabile fuit Magdalenam de optima parte non amittenda certificare [15]; sed maius fuit beatum Franciscum stigmatizatione a Christo nunquam separandum, nec in praesenti nec in futuro. — Mirabile fuit Christum suae cruci tantam efficaciam dedisse; sed maius fuit beato Francisco stigmatizatione se totaliter dedisse. — Mirabile fuit Ioannem Evangelistam beatam Mariam in matrem sibi a Christo traditam habuisse [16]; sed maius est beatum Franciscum stigmatizatione in regem gloriae Christum anima et corpore transivisse. — Mirabile fuit Christum per triduum (*b*) corpus suum integrum servasse; sed maius fuit in beato Francisco stigmata sua per duos annos sine putrefactione (*c*) conservare. — Mirabile fuit Christum per alios clavis ferreis confixum [17]; sed maius est beatum Franciscum stigmatizatum per ipsum Christum clavis carneis crucifixum. — Mirabile fuit beatum Stephanum vidisse *Iesum stantem* (*d*) *a*

(*a*) Al add. *et suo praecepto.* — (*b*) As, Edd. *in triduo.* — (*c*) As, Edd. *putredine.* — (*d*) Al *sedentem.*

[1] Ib. 31, 18. — [2] Ib. 17, 13. — [3] Supra 383 l. 12-3; p. 11 sqq. — [4] Ios. 10, 12 sqq. — [5] Is. 38, 8. — [6] I Reg. 16, 13 sqq. — [7] III Reg. 3, 5 sqq. — [8] Exod. 25 sqq. — [9] III Reg. 6, 1 sqq. — [10] III Reg. 19, 8 sqq. — [11] Is. 6, 1 sqq. — [12] *Leg. aurea* c. 89 (84); *Acta SS.* iun. IV, 416 sqq. — [13] II Cor. 11, 23 sqq.; *Acta SS.* l. c. 411 sqq. — [14] II Cor. 12, 1 sqq. — [15] Luc. 10, 42. — [16] Io. 19, 26 sq. — [17] Matth. 26, 35.

dextris Dei [1]; sed non minus est beatum Franciscum Christum ad se stigmatizandum videre descendere et sibi sua sacra stigmata imprimere. — Mirabile est Deum sanctos fecisse; sed maius est beatum Franciscum non solum sanctum fecisse sed super sanctos sanctum (*a*) ostendisse. — Mirabile fuit Deum Angelum in fornacem ad tres pueros direxisse liberandos [2]; sed maius fuit beatum Franciscum Angelum gratia effectum cum signo Dei vivi ad fornacem mundi ad consignandum fideles, ut evaderent, emisisse. — Mirabile fuit Deum tollerantiam martyribus in tormentis dedisse; sed maius fuit beatum Franciscum in tot doloribus passionis conservasse.

Multa sunt alia mirabilia a Deo facta, quae si comparentur ad facta in beato Francisco per Dominum nostrum Iesum Christum stigmatizatione non multum excedere reperientur. Quapropter beati Francisci stigmatizatio facta a Christo non est parvipendenda sed summe veneranda, et a quolibet Christiano et homine utenti ratione appretianda, utpote quod ea humana natura dignificata, provecta et exaltata.

Octavum et ultimum quoad hoc videndum est de verbis quae Christus stigmatizando beatum Franciscum dixit eidem. Ubi sciendum, quod beatus Franciscus etsi seriem visionis Christi et impressionis sacrorum stigmatum sociis quibusdam revelavit, prout dicit *Legenda Maior* parte XIII [3], tamen quae Christus eidem fuit locutus, dum adviveret nulli hominum aperire voluit. Post mortem vero suam beatus Franciscus precibus cuiusdam fratris de hoc singulariter Deum rogantis, ut cogeret beatum Franciscum ad referendum, quae Christus stigmata imprimendo eidem dixerat, beatus Franciscus voluntate Christi fratri eidem apparendo, aliqua et non omnia, revelavit. Unde beatus Franciscus dicto fratri apparendo dixit, quod inter alia sibi a Christo dicta, dum stigmata ei impressisset, hoc erat unum, videlicet, quod Christus sibi dixit: « Scias, Francisce, quid fecerim tibi? Ego dedi tibi stigmata mea et in signum, quod vexillifer meus es effectus. Sicut ego in die obitus mei ad limbum accessi et meritis ac virtute passionis meae stigmatumque omnes animas quas inveni, extraxi, sic (*b*) et tu (ut sis mihi conformis in morte, sicut es in vita) sic in die natalitii tui vadas quolibet anno ad purgatorium, et omnes animas trium Ordinum scilicet Minorum, Sororum Sanctae Clarae et continentium tertii Ordinis (*c*), quas ibidem invenies, in virtute et efficacia tuorum stigmatum eruas et ad gloriam paradisi perducas. Haec, inquit beatus Franciscus, verba, dum vixi nemini dixi, ne iactantiae praesumptionis et vanae gloriae (*d*) viderentur ». Haec beatus Franciscus [4].

Alia etiam verba Christus dixit beato Francisco, quae nulli adhuc, ut sciatur, revelavit. Et quia beatus Franciscus in vita dicta verba nulli sociorum suorum seu alteri pandere voluit et post mortem ad revelandum a Christo inductus fuit; quare verissima credenda sunt. Quae verba pandunt singularem affectum Domini Iesu Christi ad beatum Franciscum, concedendo ipsi, quod tantum bonum annuatim, sicut est a purgatorio liberatio, peragat in suis devotis. Debent dicta verba inducere Chri-

(*a*) Edd. *factum*. — (*b*) Edd. add. *volo quod*. — (*c*) Al om. *tertii Ordinis*. — (*d*) Edd. add. *esse*.

[1] Act. 7, 55. — [2] Dan. 3, 22 sqq. — [3] C. 13 n. 4. — [4] Cf. *Speculum vitae* (Venetiis 1504, Metis 1509) f. 97v-99, 188r-v, 224-5. Cf. *Opuscules de crit. hist.*, I, 52; 334 n. 119: 348 n. 249; 353 n. 287; cf. 77-8. *Actus*, ed. Sabatier, p. XXXVII. *Fioretti*, consid. III et V sulle s. stim., (ed. Passerini) 169-70, 190 sqq. Cf. AF III, 635-6, 646, AF IV, 452 l. 17-20.

sticolas in quocumque sint statu, sub patrocinio (*a*) beati Francisci in aliquo trium Ordinum velle militare, habendo tam firmum promissum a Christo de liberatione a poenis, meritis et voluntate beati Francisci. — Habuerat beatus Franciscus prius, quod suum Ordinem diligentes misericordiam in ultimo consequerentur a Christo [1]; et nunc habuit, quod post mortem, si in aliquo essent trium Ordinum, liberarentur a poenis; quare humana infirmitas ad beatum Franciscum tam ratione primi quam secundi debet totaliter affici devotione. — Datur praefatis verbis documentum, quod stigmatizatio beati Francisci, etsi ante beatus Franciscus erat humilis, fecit eum magis humilem. Patuit, quia ex nimia humilitate praedicta verba, quae ad sui erant laudem, nulli dicere voluit dum viveret. — Exsistentes in dictis Ordinibus omni reverentia et devotione debent extollere sanctum Franciscum, quia ipsorum est, ubi placuerit eidem, post mortem a purgatorio liberator et erector. Multa alia possent deduci; sed sufficiant ad praesens praedicta. Praemissis ergo octo apparet de modo quo beatus Franciscus fuit stigmatizatus a Christo.

10. Sextum inquirendum est: qualis fuit beati Francisci stigmatizatio. Etsi ex praemissis pateat, tamen pro maiori evidentia est sciendum, quod beati Francisci stigmatizatio a Christo fuit:

Primo supernaturalis et prodigiosa, quia non est facta vi naturae aut artis ingenio nec humanitus aut arte caelestis spiritus, sed immediate divinitus a Christo Deo, ut est dictum [2].

Secundo specialis et virtuosa, quia, ut dictum est [3], etsi opera divina aliquando fiant Angelorum ministerio, haec tamen stigmatizatio facta est non ab ipsis sed in speciali a Christo Deo.

Tertio est insolita et singularis ratione apparentis, quia Christus; ratione speciei, quia nulli Christus in specie Seraphim apparuit nisi beato Francisco; ratione formae, quia Crucifixus; ratione impressionis, quia solus Franciscus est stigmatizatus.

Quarto visceralis et dilectione plena. Christus beatum Franciscum suis sacris stigmatibus adornando signum magni amoris ostendit, tantum donum ipsi soli et non alteri alii (*b*) tribuendo. Ex quo sequitur quod:

Quinto fuit exemplaris et perfectionis beati Francisci ostensiva, scilicet devotionis et dilectionis totalis ipsius beati Francisci ad Crucifixum et eius passionem; quod tota Francisci devotio, meditatio et intentio ad dominicam passionem fuerit, stigmatizatio facta evidenter ostendit.

Sexto fuit virtuosa et salutaris. Licet enim beati Francisci anima ut ceterorum hominum ad Dei imaginem sit condita, tamen quia transformatio primo facta est in anima et stigmatizatio secundo facta est in corpore, hinc est, quod anima et corpus beati Francisci signaculum speciale factum est Dei vivi; quare eius anima speciali modo et virtuoso facta est Dei imago.

Septimo fuit dolorosa et delectabilis. Delectabilis fuit in Christi apparentis aspectu. Sed dolorosa: Primo intuendo Christum crucifixum; quo viso, gladius compassionis viscera penetravit beati Francisci. Secundo suscipiendo stigmata in talibus

(*a*) Al *tirocinio;* As *trocinio.* — (*b*) As, Edd. *aliquando.*

[1] Cf. locis cit. et Eccleston, *De adv. fr. Min. in Angliam* AF I, 245; ed. Little (Paris 1909), 93. *Specul. Perf.* Sabatier, c. 79. — [2] Supra 370-2. — [3] Supra 370 sqq. 392.

membris, quod fuit cum magno dolore beati Francisci suscipientis et clamore; etsi stigmatizatio quasi subito facta sit. Quamdiu vixit beatus Franciscus, semper maximum dolorem habuit.

Octavo amorosa et amicabilis (*a*), utpote facta vehementi amore, et Christo amorose tunc beatum Franciscum alloquente; quae verba dum vixit, ut dictum est [1], nulli prodidit; et Christus beato Francisco, ut amico appropinquans, stigmata eidem impressit.

Nono morosa et temporalis. Stigmatizatio haec facta beato Francisco et data, non recessit unquam a beato Francisco, sed quamdiu advixit, scilicet per duos annos, semper habuit et in morte etiam, ut plurimi viderunt [2], permansit, ut temporis longitudine veritas tanti miraculi ipsius stigmatizationis agnosceretur Francisci.

Decimo gloriosa et mysterialis, quia beatum Franciscum, ut dicetur, super cunctos sanctos evehit. Sed mysterialis, quia sicut Christus a captione sua XVIII hora fuit crucifixus, sic beatus Franciscus in XVIII anno a conversione sua, qua captus divino amore et Christo totus traditus est [3], stigmatizatus fuit. Et sicut Christus post duas horas a crucifixione sua mortuus est, sic beatus Franciscus post duos annos ab impressione sacrorum stigmatum ex hac vita decessit. Sic ergo praefatis patet sextum, scilicet quod stigmatizatio beati Francisci fuit et mirabilis et stupenda.

11. Septimum inquirendum est, quid beatus Franciscus habuit hac sacra sui corporis a Christo stigmatizatione. Ubi sciendum quod haec benedicta stigmatizatio (*b*) multum beatum Franciscum dignificavit et magna bona contulit.

Et primum fuit perfectae sanctificationis, ut videlicet more Apostolorum per Spiritum Sanctum sanctificatus, mortaliter ulterius non peccaret aliquando. Nam peccatum mortale non stat cum transformatione tali corporis et animae. Et specialiter tali stigmatizatione permanente, sicut fuit in beato Francisco usque ad mortem.

Secundum est magnae foecunditatis, quoad gratiam. Credo, quod copiosior gratia data fuerit beato Francisco tunc, quam ante haberet, quia forte prima gratia non suffecisset ad tantam et talem transformationem. Sicut (*c*) dicunt doctores de Maria matre Domini, quod ante Verbi incarnationem erat *plena gratia* [4], sed illa, etsi sufficeret pro sanctificatione Virginis quoad personam (*d*), non tamen sufficiebat pro incarnatione Verbi; et tunc in secunda sanctificatione fuit sibi data, quae pro tanto mysterio (*e*) faciendo sufficiebat. Sic etiam in proposito potest dici.

Tertium est per gratiam fomitis suppressionis. Credo quod tali stigmatizatione facta beatus Franciscus nihil habuit ex tunc ipsum impellens ad malum, et (*f*) habuit eum incitans ad omne bonum; et hoc et considerata eius unione et adhaerentia cum Deo, qua erat cum eo unus spiritus effectus, et consequenter fomes in eo erat suppressus et sopitus (*g*).

Quartum est in gratia confirmationis, ut a gratia nunquam caderet. Magdalena habuit certitudinem de non amittendo partem meliorem [5]; quare et hoc signaculo signi Dei vivi beatus Franciscus arrham accepit permanendi in gratia et beatitudinis obtinendae, cum tamen de beatitudine obtinenda a Christo iam habuisset.

(*a*) Al om. *amicabilis* — *temporalis* (l. 7). — (*b*) Edd. *stigmata* etc. — (*c*) Edd. *Sed.* — (*d*) Al *primam.* — (*e*) Edd. *ministerio.* — (*f*) Edd. *sed.* — (*g*) Edd. *suppositus.*

[1] Supra 397 l. 17 sqq. — [2] *Leg. Mai.* c. 13 n. 8. — [3] *Leg. Mai.* c. 2 n. 5 sqq. Cf. AFH II, (1909) 181-196. — [4] Luc. 1, 28. — [5] Luc. 10, 42.

Quintum est divinae expressionis. Factus est beatus Franciscus stimatizatione forma expressiva Crucifixi, cum eius passio in suis membris est ab ipso Iesu sic impressa et infixa (*a*).

Sextum est directionis. Beatus Franciscus stigmatizatione factus est forma, norma et regula directiva Christum sequi volentium. Si viam perfectionis quis cupit tenere, Francisci insequatur vestigia, quia eius vita, conversatio et doctrina authentica sunt bulla crucifixi Dei viventis.

Septimum est deiectionis daemonum. Factus est enim Franciscus stigmatizatione sua hostibus et daemonibus terribilis. Si crucem videndo daemones et Crucifixum fugiunt et contremiscunt, non immerito videndo beatum Franciscum passionis Christi signis notabiliter decoratum, ab eius facie fugiunt et recedunt.

Octavum proclamationis. Apostolus dicit I Cor. 12, 3, quod *nemo potest dicere Dominum Iesum,* id est in Christum se exprimere, *nisi in Spiritu Sancto,* id est in divino amore et operatione. Proculdubio Franciscus in Christum transformatus secure potest dicere, in ipso, corpore et anima prae aliis transformatus.

Nonum est consolationis; si pro quia homo Deo iungi appetit et in ipsum transformari (*b*), quare beatus Franciscus, etsi foris poenas, intus tamen laetitiam habebat et gaudium, cernendo se in Deum, quem semper sitierat, unitum et transformatum.

Decimum est martyrizationis. Cum enim dolor passionis Christi acerbissimus fuerit, utpote omnium martyrum dolores superexcellens (*c*), et hic iugiter per duos annos beato infuerat Francisco, proculdubio si prius mente et voluntate erat martyr, post stigmatizationem factus est martyr mente et corpore gloriosus, et martyrum praemio in caelo non privatur, sed eo coronatur.

Undecimum est perfectionis. Declaravit Christus stigmatizando beatum Franciscum prae aliis, quantae esset perfectionis, cum eidem et soli tantum munus gratiae et praerogativae concedere placuit.

Duodecimum est a Deo beato Francisco canonizationis, ut dictum est. Nam stigmatizatio fuit beati Francisci sanctitatis suae approbatio et authenticatio; quare et canonizatio: per bullam summi pontificis Domini Iesu Christi mandatur (*d*) fidelibus tali stigmatizatione festum beati Francisci celebrari et venerari [1].

Tertium decimum demonstrationis effectus missionis et destinationis beati Francisci a Deo, ad quid sit missus a Deo, nisi ad crucem implantandam cordibus fidelium, ut Ioannes praeviderat, Apoc. 7, 2 sqq., stigmatizatio beati Francisci declarat, prout dictum est conformitate II libri I [2].

Quartum decimum est exaltationis beati Francisci. Beatus enim pater Franciscus hac stigmatizatione exaltatur: — Primo quia hoc privilegio solus gaudet, prout sancta mater declarat Ecclesia, scilicet quod solus (*e*) a Christo sit stigmatizatus. — Secundo quia ipse solus valet dicere illud Galat. 6, 17: *Nemo mihi molestus sit; ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* — Tertio, ut Christus eidem dixit stigmata sibi imprimendo, quod faciebat eum suum vexilliferum [3], sic beatus Franciscus hac stigmatizatione factus est miles et vexillifer summi regis, crucis labarum (*f*) ferendo et vexillum. Quo sequitur: — Quartum, quod beatus Franciscus est

(*a*) Al *crucifixa.* — (*b*) Sic Codd. et Edd. — (*c*) As *superexcedens;* Edd. *excedens.* — (*d*) As, Edd. *mandans.* — (*e*) As, Edd. om. *solus.* — (*f*) Edd. *laborem.*

[1] Cf. infra 406 l. 29 sq. Sancti festum ordinavit bulla Canonizationis *Mira circa nos,* Sbaralea, *Bull. franc.* I, 42-44. — [2] AF IV, 74-5. — [3] Supra 397 l. 24-5.

princeps et capitaneus novae militiae Iesu Christi, id est omnium vitam Christi crucifixi sequi appetentium. Unde Papa Gregorius IX in *Prosa* de beato Francisco, quam fecit, dicit:

Franciscus princeps inclytus,
Signum regale baiulat etc. [1].

Quinto factus est beatus Franciscus Christi nuntius et veredarius [2], ferens ipsius regis caelestis litteras sigillo proprio consignatas; quare et fides indubia ab omnibus Christicolis est adhibenda. — Sexto est cancellarius eius, tenens sigillum, id est signum Dei vivi, Apoc. 7, 3, quo sigilli charactere consignare habet et (*a*) in frontes imprimere ipsum signum Dei vivi, ut a Dei ira praeserventur, Ezech. 9, 4. — Septimo, quod beatus Franciscus sicut in Ecclesia militanti fuit Iesu Christi vexillifer, sic et post resurrectionem, remanentibus in corpore signis stigmatum secundum doctores (*b*), erit princeps sanctorum et vexillifer in Ecclesia triumphante. — Octavo quod sicut armiger et vexillifer regis a cunctis regis subditis honoratur, sic revera beatus Franciscus signifer Christi ab Angelis, sanctis et electis veneratur et collaudatur. — Nono quod cum ferens signa regia et insignia iuxta regem stet et moretur, proculdubio beatus Franciscus locum tenet Christo multum propinquum et vicinum; et ideo daemon adiuratus a quodam sacerdote, inter alia de beato Francisco loquendo dicit, quod post beatam Virginem et Ioannem Baptistam et Apostolos, Franciscus cum suis, vexillo crucis explicato (*c*), omnes sanctos et sanctas in caelesti patria praecedit [3]. Quare praefatis diligenter inspectis, apparet quantum beatus Franciscus stigmatizatione sua dignificatus est a Christo Domino nostro, et quod Christus solus beatum Franciscum exaltavit super omnes principes, quos habebat, ut scribitur figuraliter Esth. 3, 1; et sic patet de septimo, quod quaerebatur.

12. Octavum et ultimum est videndum (*d*), quibus beati Francisci stigmatizatio approbetur veridica et attestetur. Ubi sciendum, quod beati Francisci stigmatizatio est: primo per ipsum Dominum Iesum Christum authenticata et approbata. Hoc patet, quia cum multa miracula stigmatibus sint patrata beati Francisci, nec per ipsum nisi intercessive et supplicative, per Christum Deum principaliter et effective; quare miraculis, ut dicetur, authenticatur ipsa merito stigmatizatio beati Francisci et est attestata.

Secundo per beatam Mariam Virginem, Christi matrem; et hoc modo infrascripto. Nam cum frater laicus praefatus [4], cui beatus Franciscus seriem pandidit suae stigmatizationis, cum bis per Angelum monitus fuerit, quod ea quae beatus Franciscus dixerat sibi revelaret, et ipse non fecisset, tertia nocte post secundam monitionem Angeli, quae facta est sibi in crastino Exaltationis sanctae crucis, anno Domini 1282, frater ipse « in ecclesia se orationi dederat et orabat beatam Virginem, ut ipsa eum dirigere in praedictis et omne dubium removeret. Cumque nocte profunda perseveraret in oratione, splendor advenit, aliquibus morulis interiectis.

(*a*) As, Edd. *quia in fronte* (As *frontes*) *impr.* — (*b*) As, Edd. om. *sec. doctores.* — (*c*) Edd. *explicito.* — (*d*) As, Edd. *inquirendum.*

[1] Chevalier, *Repert. hymnol.* n. 2625; Cf. AF IV, 72. Prosa: *Caput Draconis.* Est v. gr. ap. *Cantus varii in usu apud nostrates* [O. F. M.] Romae-Tornaci-Parisiis 1902, 215-7. — [2] Veredarius est qui veredis (curribus) publicis usus, principum mandata defert. — [3] Supra, 46 l. 20 sqq. *Bartholi,* c. 37. — [4] Supra 389 l. 30 sqq.

Tantus autem fuit fulgor, ut etiam tota (*a*) ecclesia non tantum illuminata, sed velut (*b*) quaedam lux aurea renitebat. Et cum frater ille respiceret versus chorum, vidit quatuor Angelos in quadro dispositos, albis indutos, cum cereis accensis procedentes in choro, in quorum medio erat beata Virgo, in ulnis gestans Filium suum. Ad cuius adspectum frater ille se ferre non valens, cum prius super genua sua staret, prono lapsu incurvatus est. Et cum taliter Angeli cum beata Virgine usque ad fratrem pervenissent, unus ex eis tetigit eum, confortavit ac erexit, dixitque illi: « Ne timeas, nec loquaris aliquid ». Tunc beata Virgo, induta quasi vestibus aureis, contextione rosarum ac nimia fragrantia redolentibus, dixit ei: « Verbum (*c*) de stigmatibus beati Francisci, pro quo rogasti me, ut tibi a Filio meo certitudinem impetrarem, pro certo teneas, nec timeas, neque differas revelare, quoniam voluntas Filii mei est, ut ad notitiam deducatur. Immo si tu ulterius negligeres et celares, displiceres Deo et iudicium gravius promerereris ». Et his dictis visio disparuit [1] ». Et tunc frater, ut dicetur inferius [2], studuit revelare. Et sic patet, quomodo Virgo Maria testificata est de stigmatibus beati Francisci.

Tertio testificata est beati Francisci stigmatizatio per Angelos. Facta enim fratri praefato revelatione a beato Francisco de stigmatum impressione a Christo, nocte sequenti ad dictam beati Francisci revelationem, « cum in oratorio cellae eiusdem loci frater praefatus in oratione (*d*) persisteret, sollicitus tamen et anhelans, quomodo in his se haberet, visus est iuvenis quidam alius, vestibus albis indutus, ab altari procedere, qui fratri appropinquans, dixit: « Cur dubitas tu de illis, quae tibi dixit beatus Franciscus? Nonne recordaris quot tibi beneficia in Ordine et in saeculo fecit? In nullo ergo dubites ». Cumque ad quaedam beneficia specialia memoranda descendisset, tunc qui loquebatur adiecit: « In nullo dubites, sed certus esto, quia Deus vult, quod ista reveles ». Et his dictis, disparuit [3]. — « Procedente autem (*e*) anno Domini 1282 in crastinum Exaltationis sanctae crucis, praelibatus frater cum post horam serotinam in cella sua sedendo quasi qualemcumque quietem vellet capere, seque sopori dedisset, sensit se vestibus attrahi et excitari; sed cum nullius videret speciem nec vocem audiret, iterato se sopori contulit. Et ecce iterum attrahitur et excitatur. Et dicitur (*f*) ei: « Quid tu tanto sopore deprimeris? Quare non excitaris? » Et tunc in lectulo suo quasi pavidus residens, signum crucis sibi impressit, nemineque sibi apparente, audivit vocem dicentem sibi: « Ne timeas, sed esto robustus ». Frater vero dixit: « Quis es tu »? Ille vero dixit: « Ego sum Dei nuntius; ne timeas, neque clames. Illud quod ostendit tibi Dominus in hoc loco Alvernae de stigmatum impressione beati Francisci, quare occultas, cum Deus velit fieri manifestum? Revela ergo illud, quia Deus vult, quod cito dicatur ». Tunc frater in cella se erigens stabat et flebat, nesciens quomodo hoc exsecutioni mandaret, propriae fragilitatis conscientiam expavescens. Istis ergo occupationibus et moeroribus occupatus, facta est vox dicens: « Quare (*g*) de re quam tibi Dominus revelavit et tot modis instigavit, adhuc haesitas et formidas? Oportet omnino quod dicas, alioquin displices Deo et tibi periculum imminet ». Et frater remansit aliqualiter confortatus [4] ». Sic ergo apparet, quomodo per Angelos stigmatizatio est testificata.

(*a*) Al *ut nitore eccl.* — (*b*) Al *valde quadam;* Edd. *luce.* — (*c*) Al *Verum;* postea superscripsit *est.* — (*d*) Edd. om. *in oratione.* — (*e*) AF III, 644 add. *tempore, anno scil.* — (*f*) As, Edd. *dixit.* — (*g*) As, Edd. *quid.*

[1] AF III, 645. — [2] Cf. l. 20 sqq. — [3] AF III, 644 l. 17-23. — [4] AF III, 644 l. 24-645 l. 5.

Quarto stigmatizatio beati Francisci authenticata est per Ecclesiam sanctam Romanam, catholicam et apostolicam. Et hoc per bullas plurimorum summorum pontificum, qui caput in Ecclesia militanti fuerunt. Stigmatizationem beati Francisci asserit Dominus papa Gregorius IX, qui beatum Franciscum catalogo adscripsit sanctorum. Cui beatus Franciscus dum esset cardinalis Ostiensis et Ordinis protector, praedixit futurum eum summum pontificem [1]. Hic pontifex, antequam beatum Franciscum sanctorum catalogo adscriberet, scrupulum in corde habuit de stigmatibus, quoad vulnus laterale. « Nocte vero quadam, sicut idem pontifex postea referebat cum lacrimis, beatus Franciscus quadam faciei praetensa duritie, ei in somnis apparuit et haesitationem cordis eius redarguens, elevavit brachium dextrum, detexit vulnus, phialamque poposcit ab ipso, ut scaturientem reciperet sanguinem qui ex latere defluebat. Obtulit in visione pontifex ipse phialam postulatam, quae ad summum sanguine » mixto (*a*) cum aqua « profluente, de latere videbatur impleri. Et ex tunc ad illud miraculum tanta coepit devotione affici et aemulatione fervere, ut nullo modo pati posset quod aliquis praefulgentia illa signa superba impugnatione obfuscare praesumeret, quin eum severa increpatione feriret [2] », sicut patet in bullis ipsius.

Informatus igitur hic dominus Gregorius IX de sanctitate vitae beati Francisci et de eius stigmatibus, plures bullas fecit, in quibus asserit beatum Franciscum stigmata Domini Iesu veraciter in suo corpore impressa a Christo habuisse. Et hoc tenendum mandat fidelibus et credendum, sub nota haeresis puniendum oppositum sapientem [3].

Et bulla istius domini Gregorii IX prima [4] dirigitur universitati fidelium et incipit bulla ipsa: « Confessor Domini gloriosus », ubi post multa prius dicta subdit: « Universitati vestrae tenore praesentium non indigne duximus exprimendum, videlicet, quod sanctus Franciscus cum adhuc spatium praesentis vitae percurreret et postquam feliciter consummavit, manibus, latere et pedibus specie stigmatum divinitus exstitit insignitus. Quo ad nostram, fratrumque nostrorum notitiam deducto, et cum ceteris eiusdem miraculis per testes fide dignissimos solemniter probato, ex ipso specialem causam habuimus, quod confessorem eumdem sanctorum catalogo duximus ascribendum ». Quibus domini papae verbis patet, quod stigmatizatio beati Francisci, fide dignissimis testibus summo pontifici et cardinalibus, est comprobata (*b*). — Et ipsa stigmatizatio est adeo donum magnum, et habentem comprobat (*c*) tam sanctum, quod catalogo sanctorum adscribi est dignus ex hoc solo [5]. Quo nimirum panditur, quod beatus Franciscus prae aliis fuit sanctissimus canonizari. Papa hic cognita tam evidenter beati Francisci stigmatizatione, ut dictum est, per testes fide dignissimos, contra obloquentes de dictis stigmatibus valde acriter processit.

Et quia tempore suo duo prae aliis impugnatores fuerunt beati Francisci, videlicet quidam frater Praedicator Alamannus nomine Everardus (*d*) et quidam episcopus Olomucensis (*e*), primus detrahendo in publica praedicatione, dicendo quod beatus

(*a*) As, Edd. *mundo.* — (*b*) As, Edd. *approbata.* — (*c*) Al *approbat.* — (*d*) Edd. *Evercardus;* sic et infra. — (*e*) Codd., Edd. *Coloniensis;* sic et infra.

[1] Supra 162 l. 11 sqq. — [2] *Leg. Mai.* c. 16 (mirac.) I, n. 2. — [3] Pisanus exaggerando refert. Cf. tamen infra 407 l. 4 sqq. — [4] Sbaralea, *Bull. Franc.*, I. 214, data 5 april. 1230. Cf. AFH III (1910) 402 sqq. — [5] Quod Pontifex non dixit; cf. l. c. infra p. 404 l. 12-14 et l. 28-9.

Franciscus stigmata non habuit; secundus, scilicet episcopus, beatum Franciscum depictum cum stigmatibus abradi fecit (*a*). Contra fratrem Praedicatorem bullam (*b*) ipse papa Gregorius direxit, et est secunda bulla ipsius papae de stigmatibus sacris, quam direxit prioribus et provincialibus (*c*) Ordinis fratrum Praedicatorum. Et incipit[1]: « Gregorius etc. Non minus dolentes accepimus quam mirantes, quod quidam frater vestri Ordinis nomine Everhardus, immemor quod sermo praedicantium salis gratiae semper debeat habere condimentum, cum venisset Oppaviam, Moraviae (*d*) civitatem, de praedicante transiens in blasphemum, in communi dicere non expavit, quod in laudem beati Francisci per quosdam ex discipulis suis pie (*e*) proposita haberi deberent pro reprobis, quod in eius corpore stigmata non fuissent. Quid ultra? Nec Christo, qui sanctum eumdem manibus, pedibus ac latere huiusmodi stigmatum privilegio decoravit, nec nobis deferens, qui ex tanto miraculo cum ceteris probato solemniter, causam specialem habuimus, quod ipsum ascripsimus catalogo sanctorum, dicti fratris elatio in tantam prorupit audaciam, quod discipulos memoratos coram populo quaestuarios et falsos praedicatores appellans asseruit, quod in ipsos et consimiles posset auctoritate nostra excommunicationis sententiam promulgare ». Et subdit dominus papa: « Discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, fratrem eumdem apud quemcumque fuerit, suspensum a praedicationis officio, ad nostram mittatis praesentiam pro meritis (*f*) recepturum » etc.

Tertia bulla est domini Gregorii praefati de stigmatibus contra dictum episcopum Olomucensem, quae bulla incipit: « Gregorius etc. Usque ad terminos orbis terrae[2] praesumptionis tuae signa protendens »; et infra: « Dei (*g*) sapientia, quae de limo terrae similem sibi formans hominem, similis ei fieri per incarnationis mysterium, ut ipsum a morte redimeret non contempsit, dilectum sibi beatum Franciscum suorum specie stigmatum decoravit »; et infra: « De stigmatibus vero plures fide dignissimi, quos miraculi tanti conscios divinae placuit pietati reddere, testimonium veritati perhibeant. Et ad hoc ipsum fidelis (*h*) mater Ecclesia suffragetur (*i*), quae ex huius miraculo cum multis aliis debita solemnitate probato, causam specialem habuit, quod eumdem sanctum beatorum catalogo reverenter ascripsit ». Et concludit: « Firmiter crediturus, quod idem sanctus cum adhuc nostrae mortalitatis habitum baiularet, praedictis stigmatibus exstitit insignitus. Et licet illa visa a pluribus, ipse tanquam contemnens laudes hominum, quia vacans contemplandae dulcedini caelestium organorum, celare semper studuerit, ea tamen migrans ad paradisi patriam occurrentium obtuitu publicavit ». — Sic ergo apparet qualiter dominus Gregorius IX tribus bullis testimonium dat de stigmatibus beati Francisci.

Dominus Alexander IV, qui stigmata vidit oculis propriis beati Francisci, ipso beato Francisco adhuc vivente, prout recitat frater Bonaventura in XIII parte *Legendae Maioris*[3] quod ipse, populo praedicando coram ipso et aliis, affirmavit hic pontifex, veritate de stigmatibus beati Francisci agnita tam visu quam testibus, consimiles bullas de hac materia confecit.

(*a*) Al *deposuit*. — (*b*) As, Edd. om. *bullam*. — (*c*) Al, As add. *ministris*. — (*d*) Al, As *Marravie*. — (*e*) As, Edd. *pia*. — (*f*) Al *demeritis*. — (*g*) Al *Divina*. — (*h*) Al *fideles*; As *fideliter*. — (*i*) Edd. *suffragatur*.

[1] Sbaralea, l. c. II, 213; data 31 mart. 1230. Cf. AFH III, 424. — [2] Sbaralea, I, 211-2; data 31 mart. 1237. Cf. AFH III, 424. — [3] C. 13 n. 8.

Et prima est, in qua se conformat (a) domino Gregorio IX praedecessori suo. Et incipit[1]: « Alexander etc. Grande ac singulare miraculum (b), quo beatum Franciscum ipse Splendor Sanctorum, Dominus Iesus Christus, mirabiliter decoravit, vobis felicis recordationis Gregorius papa IX, praedecessor noster, clara sua insinuatione litterarum expressit, videlicet quod idem sanctus, cum adhuc praesentis vitae spatium percurreret, et postquam illud feliciter consummavit, in manibus, latere et pedibus specie stigmatum exstitit divinitus insignitus. Cum igitur tam insigne divini amoris signum, quod utique ante eius obitum patuit et nobis etiam tunc notum fuit, eodem praedecessore in minore officio constituto, ab omnibus Christicolis credi firmiter cupiamus, devotionem vestram rogamus et hortamur in Domino Iesu Christo in remissionem vobis peccaminum iniungendo, quatenus ab assertione contraria, quae nonnisi ex cordis malignitate procederet, aurem et mentem penitus avertatis ». Et haec bulla directa est universis Christifidelibus. Patet dicta bulla, quod ipse papa Alexander asserit se beati Francisci stigmata conspexisse.

Secunda bulla ipsius domini Alexandri IV omnibus praelatis Ecclesiae sanctae Dei dirigitur. Et incipit « Alexander etc. Benigna divinae operatio voluntatis[2] ». In qua bulla post multa praeclara de beato Francisco subdit de stigmatibus dicens: « Signanter a nobis ante oculos proponi volumus recolenda frequentius et vehementius admiranda illa saltem iucunda passionis dominicae insignia, quae in eiusdem sancti corpore, dum adhuc vitali spiritu foveretur, manus caelestis operatoris impressit. Viderunt ergo oculi fideliter intuentes et certissimi contrectantium (c) digiti palpaverunt, quod in manibus eius et pedibus expressa undique clavorum similitudo de subiecto propriae carnis excrevit, vel de materia novae creationis accrevit. Quae equidem idem sanctus studiose ab omnibus hominibus, quorum refugiebat gloriam, dum viveret, abscondebat. Inventa est quoque patentius in ipsius defuncti corpore, non inflicta humanitus neque facta, plaga vulneris lateralis quasi ad instar Domini Salvatoris, quod redemptionis et regenerationis humanae protulit sacramentum. Quae quidem plaga quosdam ex fratribus sibi familiarius adhaerentibus latere non potuit propter (d) defluxum humoris, qui (e) diu viruerat in vivente. Haec (f) igitur mira et decora novae demonstrationis indicia magnae debent esse devotionis divitiae (g) Christianis et inaestimabiles (h) religiosis (i) deliciae Ecclesiae orthodoxae, cum ex his sincera (k) fides accipiat, quod illi etiam fiunt passionis Christi sine extrinseco persecutore consortes, qui pro eius amore *carnem suam cum vitiis et concupiscentiis* crucifigunt[3]. Sane de praefato sancto hoc certius asserentes indoctas fabulas seu vanae adinventionis deliramenta non sequimur[4], cum ea nobis dudum nota fecerit plenior fides rerum, quando nos, videlicet, in minoribus constituti, confessoris eiusdem familiarem ex munere divino meruimus habere notitiam, saepe dicti praedecessoris nostri domesticis obsequiis tunc temporis insistendo ». Et sub-

(a) Al, As *confirmando.* — (b) Edd. add. *ubi inquit papa Alexander: Grande ac singulare miraculum.* — (c) Bull. Fr. II, 86 *palpantium.* — (d) As, Edd. *per.* — (e) Al *qui diminuerat vivente;* As *qui diu inruerat in virente;* Bull. *qui sic diu ante vir. in viv.* — (f) As *Haec gemma et dec.;* Edd. *H. germina et d.* — (g) As *divinae,* sic et infra. — (h) Codd., Edd. *inaestimabilis.* — (i) As, Edd. *religionis;* tunc Edd. *divitiae.* — (k) Al *sinceram fidem accipiant.*

[1] Sbaralea, II, 169; dat. 10 iul. 1255. (cf. AFH I, 608 n. 86). Eubel, *Bull. Franc. Epitome* etc. (Ad Cl. Aquas 1908) 78 n. 792 a. — [2] Sbaralea, II, 85-7; (Benig. op. div.) data 19 oct. 1255; cf. Eubel, l. c. 80 n. 822; (cf. AFH l. c. et I, 609 n. 89). — [3] Cf. Gal. 5, 24. — [4] Cf. II Petr. 1, 16.

dit: « Nemo, inquit, eidem sancto audeat de cetero esse molestus [1], Iesu Christi in corpore suo triumphalia stigmata praferenti. Si quis vero » etc.

Tertia bulla est ipsius papae Alexandri IV, omnibus (*a*) videlicet generali et provincialibus ministris et fratribus Ordinis fratrum Minorum directa, quae incipit: « Alexander etc. Si novae militiae (*b*) militantis Ecclesiae » etc. [2]. In qua bulla mandat praefatis (*c*), quod locum montis Alvernae nunquam deserant aut dimittant, dicens: « Sane, dilecti filii, celebrem illum vernantis Alvernae montem (*d*), in quo sublimatum corpus a sublimiore animo non dissentit, cum ibi prius suus amor interius in mente fervens intuitu Seraph incalescens, incendii fervore prorupit exterius, decorans corpus in cruce splendidissimis margaritis, affectionis brachiis amplectimur, tot et tanta mirifice recolentes. Quem enim amicum aeternae salutis ille locus non delectet quamplurimum, ubi extremo iam instante saeculi senescentis interitu, ostendit excessus regis militem regiis militaribus insignitum, ut regis aciem iam labentem, iamque ab hostibus fugientem defenderet et certamen victoriosum triumphatoris superni verbis et actibus hostes aggredientibus praedicaret »? Et plura dicit in dicto privilegio. Et concludit, quod dictum locum in specialem assumit suis viribus protegendum; et mandat nunquam destruendum nec dimittendum. Et sic sunt tres bullae domini papae Alexandri de stigmatibus sacris.

Dominus papa Nicolaus tertius, habita declaratione de stigmatibus beati Francisci, privilegium domini Gregorii ad litteram approbat in bulla, quae incipit; « Nicolaus etc. Litteras felicis recordationis [3] Gregorii papae IX, praedecessoris nostri etc. », in qua bulla dicit idem, quod dominus papa Gregorius de stigmatibus sacris beati Francisci, inserens ipsam bullam domini Gregorii suae bullae ad litteram de verbo ad verbum. — Idem papa Nicolaus in declaratione Regulae beati Francisci, et ponitur in *Libro Decretalium* sub titulo: *De verborum significatione:* « Exiit [4] », loquens de Regula, sicut supra recitatum est, dicit: « Haec est, cui attestante Paulo nullus de cetero debet esse molestus [5], quam Christus suis stigmatibus confirmare volens, institutorem ipsius passionis suae signis notabiliter insignivit ». — Dominus papa Benedictus XII bullam dedit Ordini, ut festum celebraretur de stigmatibus beati Francisci [6].

Sic ergo apparet VIII bullis summorum pontificum, scilicet tribus domini Gregorii IX, tribus domini Alexandri IV, una domini Nicolai III et alia domini Benedicti, quomodo beatus Franciscus stigmata habuit.

Et cum sanctae Romanae Ecclesiae sit determinatio verissima et certissima (ipsa enim Romana Ecclesia tanquam magistra sequenda est in omnibus, Dist. XI « Quis » in fine [7]; Dist. XII cap. 1 « Non decet » et sequenti [8], et Dist. XXII « Omnes » in fine [9]: et qui contra eam loquitur haereticus reputatur « Dist. XXII « Omnes [10] »; quia ipsa nunquam a tramite Apostolicae traditionis erravit XXIV, qu. 1 « A re-

(*a*) Al *IV generali ministro.* — (*b*) Edd. *laetitiae.* — (*c*) Al *praefatus papa quod montem.* — (*d*) Al add. *dulcoris plenum divinitatis.*

[1] Cf. Gal. 5, 17. — [2] Sbaralea, II, 29 (data 8 apr. 1255). — [3] Sbaralea, III, 417 (data 25 aug. 1279). — [4] Decret. l. VI, tit. 12, c. 3; Sbaralea, III, 405. — [5] Cf. Gal. 6, 17. — [6] Quae bulla apocrypha videtur; cf. AFH III, 169; Wadding. ad an. 1337 n. 4; cf. 1304 n. 14.— [7] Dist. XI, c. 9. — [8] Dist. XII, c. 1 et 2 (P. L. 187, 61 sqq.). — [9] Dist. XXII c. 1 (Ib. 121 sq.). — [10] L. c.

cta ergo fide (*a*) [1] », et cap. « Cum beatissimus [2] »; ad quam in dubiis et arduis est recurrendum Dist. XI « Palam [3] », Dist. XII « Praeceptis [4] » XXIV qu. 1 « Quoties [5] »; ipsaque valet omnes iudicare, et de ipsa iudicare nulli permittitur, XI qu. 3 « Episcopo » paragr. « Sola [6] », XVII qu. 4 « Nemini [7] ») et ipsa Ecclesia determinavit (*b*) beatum Franciscum stigmatizatum a Christo, ut patet ex bullis praefatis; quare hoc est firmissime tanquam verum tenendum, et oppositum ut haereticum ab omnibus despiciendum [8]. Et praesertim cum dicti duo summi pontifices, scilicet Gregorius et Alexander non solum oculis propriis viderint, sed fide dignissimis (*c*) testibus hoc esse attestatum dicant expresse. Et quia dominus papa Gregorius IX sic est certificatus, ideo in Prosa, quam fecit de beato Francisco, quae incipit: *Caput draconis ultimum*, etc., subdit de stigmatibus [9]:

Verum de Christi latere novus legatus mittitur,
In cuius sacro corpore vexillum crucis cernitur.
Franciscus princeps inclytus signum regale baiulat etc.

Et in antiphona quam fecit de beato Francisco, scilicet: « Plange, turba paupercula, ad patrem clama pauperum, hoc lugubre suspirium, pater Francisce, suscipe, et prode Christo stigmata lateris, pedum, manuum, ut nobis reddat orphanis tanti patris vicarium » [10].

Quinto probatur stigmatizatio beati Francisci testimonio dominorum cardinalium. Dominus Rainerius cardinalis de Viterbio in laudem beati Francisci composuit hymnum laudum, scilicet: *Plaude turba paupercula* etc. [11], ubi inter alia de stigmatibus loquendo dicit in quodam versu:

Vili contectus tegmine,
Sancto calescens flamine,
Vicit algorem, caumata,
Christi dum gestat stigmata.

Idemque dominus Rainerius cardinalis antiphonam illam famosissimam [12] composuit videlicet:

Caelorum candor splenduit,
Novum sidus emicuit,
Sacer Franciscus claruit,
Cui Seraph apparuit,
Signans eum charactere,
In volis, plantis, latere,
Dum formam crucis gerere,
Vult corde, ore (*d*), opere.

Quo testimonio nihil apertius. Dominus Thomas cardinalis de Capua cum duos hymnos ad honorem fecerit (*e*) beati Francisci, videlicet: *In caelesti collegio* etc. [13],

(*a*) As, Al *a recte in sede*. — (*b*) As, Edd. *declaravit*. — (*c*) As, Edd. *dignis*. — (*d*) Al add. *et*. — (*e*) As *fecerat*; Edd. *faceret*.

[1] Causa, XXIV, q. 1, c. 9. — [2] L. c. qu. 1, c. 16. — [3] Dist. XI, c. 9. — [4] Dist. XII, c. 2. — [5] C. XXIV, qu. 1, c. 12. — [6] C. IX, qu. 4, c. 9. — [7] C. XVII, q. 4, c. 30. — [8] Cf. supra 403, l. 18-21. — [9] Supra 401, not. 1. Cf. AF IV, 72. Chevalier, *Rep. hymnol.* n. 2625. Cf. Salimbene, *Chronica* (Parmae 1857) 194; *Mon. Germ. hist. Script*, XXXII, 383. — [10] Olim dicebatur haec antiphona infra octavam S. P. Francisci; ed. v. gr. ap. Hil. Felder, *S. Francisci Ass. et S. Antonii Pat. Officia rhythmica* (Friburgi Helv. 1901), 125. Cf. 50 de auctore; AFH III, 405. Chevalier, n. 14961. — [11] Rainerius Capoccius. Adhuc recitatur in Offic. S. P. Franc., ad Laudes. Chevalier, n. 15058. Cf. AFH IV, 357; in hac forma antiquiore est v. gr. ap. Felder 122. — [12] Cf. *Breviar. Rom.-Seraph.*, Antiph. post Complet. *Cantus varii*, 214-5; in hac forma antiqu. est v. gr. ap. Felder, 124. Chevalier, n. 3589. — [13] Salimbene, 194 (M. G. 384). Est adhuc hymnus ad Matutin. Chevalier, n. 8544.

qui dicitur ad Nocturnum, et hymnum, scilicet: *Decus morum, dux Minorum* etc., qui in secundis Vesperis cantatur [1], in hoc secundo hymno, scilicet *Decus morum,* in quodam versu sic dicit:

Regis signum, ducem dignum,
Insignit manu, latere etc.

Dominus frater Bonaventura de Balneoregio cardinalis asserit in *Legenda Minori* quae legitur in ecclesia [2], et in *Legenda Maiori,* quas ipse ambas composuit, et hoc in XIII parte *Maioris Legendae* [3], quod illa, quae ipse scripsit de stigmatibus sacris ab eis ipse accepit, qui viderunt, palpaverunt et osculati sunt stigmata beati Francisci et tactis sacrosanctis sic fuisse et vidisse affirmarunt. — Insuper ipse dominus cardinalis frater Bonaventura dum esset generalis, ut dictum est [4] supra, fuit divinitus edoctus, quod prophetia illa Apoc. 7, 3 sq., de Angelo habente signum Dei vivi, ad litteram est de beato Francisco. Sic ergo testimonio praefatorum patet de stigmatibus beati Francisci.

Sexto authenticatur stigmatizatio beati Francisci testimonio malignorum spirituum, de quibus supra est dictum [5]. Daemon enim per os cuiusdam mulieris, cuidam baroni habitanti in montibus iuxta Eugubium dixit, loquendo inter alia de stigmatibus beati Francisci, quod Christus videns beatum Franciscum sibi datum a Deo Patre pro signifero, ipsi stigmata suorum vulnerum (*a*) impressit et clavos in manibus et pedibus et in latere dextro vulnus, sicut iam patet in corpore suo et multi iam viderunt. — Alius daemon cuidam domino Bartholomaeo de tertio Ordine beati Francisci loquens de sanctitate beati Francisci, inter alia, ante stigmatizationem beati Francisci bene per biennium praedixit ipsum beatum Franciscum stigmatizandum a Christo. Inquit enim daemon: « Adhuc notum erit toti mundo, qualiter Christi passio in hoc homine beato Francisco renovetur [6]. — Alius daemon per os mulieris, Zantesae nomine, dixit fratri Iacobo de Bononia de tertio ordine beati Francisci coram XVIII testibus: « Duo sunt tantummodo in caelo signati, scilicet crucifixus et stomachosus ille Franciscus. Sciens se Christus illi daturum stomachoso bullam suorum stigmatum, non permisit ipsum aliud de Indulgentia Portiunculae privilegium accipere vel bullam manu hominis fabrefactam (*b*). Nam sicut rex non committit annuli sui bullam alicui, nisi propter aliquod magnum factum, ita Crucifixus quando voluit salvare populum suum, noluit illi stomachoso concedere aliud signum nisi bullam suorum stigmatum [7] ».

Septimo stigmata beati Francisci sunt authenticata testimonio sanctorum fratrum et virorum, videlicet (*c*):

Primo fratris Illuminati, qui cum beato Francisco ad Soldanum perrexit [8]. Hic stigmata vidit et beatum Franciscum seriem et modum impressionis recitantem audivit; de quo dixit XIII pars *Legendae Maioris* [9], quod beatus Franciscus cernens « quod stigmata carni tam luculenter impressa socios familiares latere non possent, timens nihilominus publicare Domini sacramentum, in magno fuit positus dubitatio-

(*a*) As, Edd. *sua vulnera.* — (*b*) As, Edd. *fabricatam.* — (*c*) Al pergit *et sororum, qui videlicet beatum Franciscum seriem et modum impressionis recitantem audierunt, de quo etc.*

[1] Adhuc hodie. Chevalier, n. 4310. — [2] P. III, lect 3. — [3] C. 13 n. 8. — [4] Supra 379 l. 18 sqq. — [5] MS. Coll. S. Antonii fol. 51 sq. Cf. *Fioretti,* consid. V delle s. stimate, ed. Passerini, 196-8. — [6] *Chron. 24. gen.* 28. Supra 223 l. 40 sqq. — [7] Supra 46 l. 40 sqq. Cf. 401 l. 16 sqq. — [8] *Leg. Mai.* c. 9 n. 8. — [9] C. 13 n. 4.

nis agone, utrum videlicet, quod viderat, diceret vel taceret. Vocavit proinde aliquos fratres et verbis generalibus loquens, dubium coram eis proposuit et consilium requisivit. Cui quidam ex fratribus, gratia Illuminatus et nomine, intelligens quod aliqua miranda vidisset, pro eo quod stupefactus videbatur, dixit ad beatum Franciscum: « Non propter te, verum etiam propter alios scias tibi ostendi aliquando sacramenta divina. Timendum propterea iure (*a*) videtur, ne si quod profuturum pluribus accepisti celaveris, pro talento accepto reprehensibilis iudiceris ». Et tunc beatus Franciscus retulit seriem visionis et suae stigmatizationis. Et credendum est, quod ostendit eis omnia clare facto, sicut dixerat verbo.

Secundo fratris Leonis, socii beati Francisci, qui cum ipso erat in monte Alvernae, quando stigmata recepit, cui, ut dictum est supra, beatus Franciscus praedixit de stigmatizatione sua dicens, quod faceret Deus in monte Alvernae ad paucos dies talia, quae nunquam fecerat alicui [1]. — Hic frater Leo stigmata ipsa videbat continue, quia ipse ponebat petias inter clavos et carnem omni die hebdomadae, excepta sexta feria, mutabatque vulnus laterale. Immo beatus Franciscus multotiens ad intuendum obiiciebat manus fratri Leoni, et tunc frater Leo respiciendo maximam consolationem hauriebat [2].

Tertio fratris Rufini, de quo dicit beatus Franciscus quod dum viveret hic in praesenti, erat iam canonizatus a Christo in caelo [3]. Qui frater Rufinus, etsi de stigmatibus manuum et pedum esset certificatus, de vulnere laterali tripliciter fuit certificatus et declaratus. — Et primo lavando femoralia beati Francisci inveniebat illa sanguine cruenta ex parte dextri lateris (*b*), propter quod certitudinaliter advertit, quod sanguis ille erat qui a dicta plaga exiverat [4]. — Secundo cum scalperet beatum Franciscum, digitum in dicta plaga immisit, propter quod beatus Franciscus angustiatus dolore, clamavit fortiter dicens: « Parcat tibi Dominus, frater Rufine, cur hoc facere voluisti »? — Tertio cupiens eam videre oculis propriis, dixit beato Francisco (*c*): « Rogo te, pater, ut hanc consolationem mihi facias, ut des mihi tunicam tuam, et tu meam accipias [5] ». Hoc autem faciebat, ut (*d*) beatus Franciscus se exuendo, videret plagam. Cui beatus Franciscus assentiens, dum se tunicam habitualem, quam solam habebat, exueret, non sic se potuit cooperire, quin frater Rufinus ipsam videret. Et sic fuit certificatus de vulnere laterali [6]. — Fuit etiam certificatus in morte cum aliis fratribus, qui omnia stigmata viderunt, ut dicetur [7].

Quarto fratris Pacifici, qui stigmata manus vidit et cuidam fratri de Brixia, qui videre optabat, cum cautela ostendit [8]. Nam cum esset Senis beatus Franciscus, ivit cum dicto fratre ad beatum Franciscum (*e*) dicens: Mater carissima (*f*), benedic nobis, et manum mihi praebe ad osculandum ». Quam cum beatus Franciscus porrigeret, frater Pacificus dicto fratri innuit, ut dum deoscularetur eam, respiceret. Et volens frater Pacificus manum deosculari, ipsam detexit; et sic uterque stigmata conspexe-

(*a*) As, Edd. *in te.* — (*b*) Al *parte dextra.* — (*c*) As, Edd. om. *b. Francisco.* — (*d*) As, Edd. *ut cum b. Fr. se exueret. tunc.* — (*e*) As, Edd. *ad ipsum.* — (*f*) Al, As (postea corr.) *Pater carissime.*

[1] Supra 386, l. 33 sqq. — [2] Supra 394, l. 35 sqq. — [3] AF IV, 198 l. 10 sqq. — [4] AF IV, 201 l. 34 sqq. Ex *Actus*, c. 34; cf. I Cel. II, c. 3 n. 95; cf. II Cel. II, 100 (al. III. 77) 138. — [5] Locis cit. — [6] Cf. ll. cc. *Chron. 24 gen.* 52-3. Cf. Bern. de Bessa, AF III, 668; *Leg. Mai.* c. 13 n. 8; AFH III, 414 sqq. *Actus*, c. 34. — [7] Cf. p. 410, l. 9 sqq. — [8] II Cel. II, 99 (III, 76) 137

runt. Beatus enim Franciscus stigmata manuum manicis habitus cooperiebat, ut nullus videret. In pedibus ad cooperiendum stigmata calciatus deinceps incessit [1].

Beata Clara vidit stigmata beati Francisci dum viveret et vulneri laterali emplastrum quoddam ipsa fecit, ut hodie (*a*) ostenditur in monasterio Sanctae Clarae de Assisio [2]. Frater Elias, vicarius beati Francisci, vidit, ut dicit frater Bonaventura in XIII parte *Legendae Maioris* [3]: cum ad excutiendum, tunicam beatus Franciscus extraheret, plagam conspexit vulneris lateralis. — Similiter et quidam frater alius modo vidit consimili, ac tres digitos immittens plagae lateris, tam visu fuit certificatus quam tactu [4].

In morte omnes fratres assistentes, dum beatus Franciscus se denudasset, viderunt stigmata, licet manu vulnus laterale obtegeret [5]. — Et quia vulnus laterale quasi iugiter sanguinem distillabat, hinc est quod ad femoralia descendebat [6]; unde fratres socii ea lavantes pro tempore perpenderunt, quod sicut in manibus et pedibus, sic et in latere stigmata (*b*) habuit Crucifixi impressa. — Quinquaginta fratres et amplius, mortuo beato Francisco, in eius corpore quinque stigmata viderunt, tetigerunt et osculati sunt ad testimonii veritatem [7]. — Cives multi Assisinates, qui mortuo beato Francisco ad locum Sanctae Mariae confluxerunt, viderunt, tetigerunt et osculati sunt. Inter quos dominus Hieronymus miles, cum esset de praefatis incredulus, audacter se ingerens, clavos manuum et pedum coram omnibus tetigit, et demum digitos, ut alter Thomas Apostolus, in lateris vulnus immisit. Et cognita veritate, prae aliis non solum factus est devotus, sed testis publicus de sacris stigmatibus [8]. Praefatis igitur testibus fide dignissimis a Christo stigmata esse impressa beato Francisco est attestatum. — Stigmata et corpus beati Francisci, iuxta prophetiam eiusdem [9], beata Clara vidit cum suis sororibus, quae tunc in Sancto Damiano morabantur. Et hoc dum corpus beati Francisci de Sancta Maria de Angelis portaretur Assisium ad sepeliendum. Divino enim nutu fratres dictam viam tenentes, corpus beati Francisci margaritis stigmatum Christi consignatum beatae Clarae et sororibus, crate remota, ad tangendum et osculandum tradiderunt [10]. — Et tunc, ut dicitur, beata conata est removere unum clavum de manibus, sed nullo modo valuit [11].

Et non solum praefatis est sic attestatum, sed miraculis etiam per beatum Franciscum vivendo factis. Dum enim iam stigmatizatus de monte Alvernae per comitatum ivisset Aretii versus Assisium, cum asello esset vectus et animal rediret, cum mulier pluribus quaedam laborasset diebus in partu, homines videntes animal, cui insederat beatus Franciscus, redire, frenum sacris manibus beati Francisci tactum admoventes et super mulierem ponentes, illico mulier peperit cum salute. — In provincia Reatina pestis cum esset animalium, vir quidam praemonitus, ut aquam acciperet lotionis manuum et pedum stigmatizatorum beati Francisci et spargeret super animalia: quod cum fecisset, statim animalia languida et in terra iacentia sana surrexerunt ad pascua festinantia. De primo miraculo habetur in XII parte

(*a*) As, Edd. *adhuc*. — (*b*) Edd. *stigma... impressum*.

[1] II Cel. II, 98 (III, 75) 136. — [2] Occasione narratorum ap. *Spec. Perf.* Sabatier, c. 100; *Actus*, c. 21. — [3] C. 13 n. 8. Cf. II Cel. II, 100 (III, 77) 138. — [4] *Leg. Mai.* l. c. *Chron. 24 gen.* 225 sq. Bessa, ib. 668. — [5] *Leg. Mai.* c. 14 n. 3. — [6] L. c. c. 13 n. 8. — [7] L. c. — [8] L. c. c. 15 n. 4; Ioan. 20, 25 sqq. — [9] *Spec. Perf.* Lemmens, c. 18; Sabatier, c. 108. — [10] Ll. cit. *Leg. Mai.* c. 15 n. 5. — [11] Cf. Iacoponus Tudert. Iacopone da Todi, *Laude*, Firenze 1490 (ed. G. Ferri, Roma 1910) lauda LXI, v. 43-6; supra 372 l. 9-10.

Maioris Legendae [1]; de secundo in XIII parte eiusdem [2]. — Grandis tempestas quae circum adiacentia ad montem Alvernae dissipabat quoad blada et vineas, post stigmatum impressionem in loco praefato cessavit [3]. — Beatus Franciscus cuiusdam hominis, cuius vehebatur asello, cum de nocte nivium frigore periclitaretur, tangendo manibus propriam (*a*) personam stigmatibus consignatis, tantum calorem eidem praebuit, ac si de fornace incendium prosiliisset, omnique frigore propulsato, inter nives suavissime obdormiret [4]. — Sic ergo praefatis miraculis velut testimonio octavo, stigmata Francisco impressa a Christo declarantur. Praefatis igitur octo testimoniis beatum Franciscum a Christo habuisse stigmata veraciter comprobatur.

13. Restat nunc ultimo videre, quomodo post mortem declaratum sit miraculis et apparitionibus stigmata Domini Iesu veraciter in corpore et in membris beati Francisci fuisse. Ad quorum probationem dominus frater Bonaventura in XVI (*b*) parte *Legendae* [5], ubi agit de miraculis beati Francisci, ad probandum de stigmatibus sacris, plura addit miracula facta.

Et primum est de domino papa Gregorio, de quo dictum est supra [6]. Qui dubitans de vulnere laterali, beato Francisco sibi in visione apparente et implente amphoram, quam ipse pontifex manu tenebat, sanguine suo et aqua a vulnere laterali progrediente, fuit a beato Francisco de dicto stigmate lateris certificatus [7].

Secundum ponit de fratre Minore, praedicatione et fama praeclaro, qui dubitabat de sacris stigmatibus; cui in visione beatus Franciscus apparens, ostendendo stigmata membris (*c*) suis impressa, reddidit certum, omni dubitatione remota [8]

Tertium ponit de matrona Romana, quae ob reverentiam beati Francisci in suo secreto cubiculo imaginem fecit depingi beati Francisci, in qua pictor omittendo stigmata depingere, divinitus quod omissum fuerat de stigmatibus, est suppletum duabus vicibus [9].

Quartum ponit de Ioanne devoto beati Francisci apud Ilerdam Catalauniae, sero quodam gravissime vulnerato, qui se beato Francisco recommendans, apparente eidem patre sanctissimo et manibus stigmatizatis contrectando, illico sanum fecit et incolumen [10].

Quintum ponit de quodam canonico nomine Rogero (*d*) apud Potentiam Apuliae civitatem, qui cum non crederet beatum Franciscum stigmatizatum, statim in manu sub chirotheca fuit percussus. Et cum per triduum doloris aculeo esset stimulatus vehementer, incredulitate abiecta, invocando beatum Franciscum pristinae est redditus sanitati [11].

Stigmatizatum beatum Franciscum post mortem plures viderunt, videlicet frater Bonizus (*e*) de Bononia, qui fuit cum beato Francisco apud montem Fontis Polumbae, quando Regulam secundam fecit. Hisce (*f*) sanctissimus homo, beato Francisco apparente sibi in habitu aureo fulgentissimo, videre stigmata ipsius (*g*), patre ipso

(*a*) Edd. *eius*. — (*b*) As *V*; Al, Edd. *in XV parte*. — (*c*) Al om. *membris — stigmata* l. 24. — (*d*) As, Edd. *Rogerio*. — (*e*) Edd. *Bonicus*. — (*f*) As, Edd. om. *hic.*; *(secundam fecit s. homo)*. — (*g*) As, Edd. *beati Francisci*.

[1] *Leg. Mai.* c. 12 n. 11; *Tract. de mirac.* c. 12 n. 108. — [2] C. 13 n 6; *Tract. de mirac.* c. 3 n. 18. — [3] *Leg. Mai.* c. 13 n. 7. — [4] L. c. — [5] *Leg. Mai.* (c. XVI): De mirac. post mort. § I. — [6] Supra 403 l. 5 sqq. — [7] *Leg. Mai.* l. c. n. 2 — [8] L. c. n. 3. Cf. Th. de Celano, *Tract. de Mirac.* c. 2 n. 10. — [9] L. c. n. 4. *Mirac.* l. c. n. 8-9. — [10] L. c. n. 5. *Mirac.* l. c n. 10-13. — [11] L. c. 6. *Mirac.* n. 6-7.

ostendente, promeruit [1]. — Frater Ioannes de Alverna, vir sanctitatis eximiae, cum diu optasset patrem beatum Franciscum videre et eius stigmata contrectare, apparente sibi beato Francisco et contrectationem stigmatum eidem liberaliter concedente, stigmatum contactu tantam recepit consolationem, quod patre absentato, per octo dies nihil comedere potuit et omnia sibi foetere videbantur [2]. — Frater etiam laicus, de quo dictum est supra, beato Francisco reserante sibi de modo sacrorum stigmatum impressionis, ac per duos Angelos et demum per beatam Virginem, ac visione stigmatum certificatus, fratri Philippo Tusciae ministro supradicta omnia coram multis fratribus testibus Florentiae revelavit [3]. — Frater etiam ille vidit beati Francisci stigmata, cui voluntate divina beatus Franciscus verba quae Christus eidem beato Francisco dixerat ipsum stigmatizando, revelavit [4]. — Frater quidam conversus ad Christum per beatum Franciscum qui in saeculo famosus fuerat latro, post mortem beati Francisci raptus fuit in caelum, et vidit beatum Franciscum et stigmata, cuius stigmata erant sicut stellae quinque splendidissimae quae tanta luce fulgebant, quod videbantur totam caelestem patriam illustrare [5]. — Multis beatus Franciscus apparuit, qui omnes eum stigmatibus fulgentibus viderunt consignatum.

Et non solum praefatis miraculis et visionibus de stigmatibus beati Francisci est declaratum, sed multis aliis, de quibus ad praesens duo recitando, huic tractatui de stigmatibus sacris finem imponam. — Et primum est de quodam fratre praedicatore (*a*) et ordinis Praedicatorum, qui odio summo (*b*) habens fratres Minores et consequenter beatum Franciscum in tantum, ut nullo modo posset imaginem beati Francisci cernere depictam et praecipue cum stigmatibus sacris. Hic frater cum de loco suo ad alium locum transmissus esset de familia, contigit ut in dicto loco Praedicatorum, ubi erat positus de familia, in refectorio ipsorum imago beati Francisci cum stigmatibus esset depicta: Quod ut vidit, tactus dolore cordis intrinsecus, cogitavit ut (*c*) tempore, quo fratres quiescerent, stigmata illa de immagine beati Francisci removeret omnino. Unde dum fratres dormirent, ipse accepta scala (*d*), fricando carbonem super (*e*) loca stigmatum ipsius imaginis, omnino contexit, et recessit. Dum sequenti die miser frater reverteretur (*f*) ad videndum, vidit stigmata pulchriora quam prius. Qui spiritu maligno inflammatus, cogitavit non carbone obtegere, sed stigmata penitus radere; quod impius et malus, fratribus dormientibus, effecit. Accepta enim scala rasit fortiter illa stigmata, et abiit. Die sequenti cum pergeret ad videndum, vidit illa stigmata quae raserat, multo pulchriora et recentiora quam prius. Similiter et fratres alii viderunt et mirabantur, ignorantes causam. Frater autem ipse invidia diaboli totus accensus, nec miraculo duplici ad reverentiam incitatus, determinavit totam illam figuram beati Francisci delere et sic excavare loca stigmatum, ut nihil apparere de ipsis stigmatibus posset. Cumque quod cogitaverat, dormientibus fratribus, perficere conaretur et iam imaginem (*g*) beati Francisci radisset usque ad vulnus laterale, cumque (*h*) in vulnere laterali gladium infixisset, ut ipsum destrue-

(*a*) Al *praedicante.* — (*b*) As *summe od. hab.:* Edd. *summe hab. fr. Min. in horrorem.* — (*c*) As *quod;* Edd. om., deinde *removere.* — (*d*) Al *scossa.* — (*e*) Al *super stigmata b. Francisci.* — (*f*) Al om. *miser frater;* tunc *rediret.* — (*g*) Al *stigmata.* — (*h*) As *cum;* Edd. *et.*

[1] AF IV, 263. — [2] *Fioretti,* consid. V delle s. stimate (ed. Passerini) 192-4. (AF IV, 256. l. 31). *Actus,* c. 57. — [3] Supra 389 l. 26 sqq.; 401 l. 31 sqq. AF III, 641-46. — [4] *Speculum Vitae* (Venet. 1504; Metis 1509) f 97v-99r.; AF III, 635-36; *Fioretti,* consid. V delle s. stimate, p. 189-192. Supra 397, l. 18 sqq. — [5] AF IV, 187; 505-9; 508 l. 43-6. *Actus,* c. 29.

ret, statim sanguis sic fortiter erupit, quod fratrem in faciem percussit et vestimenta eius madidavit; et ipse in terram cecidit quasi mortuus; nec sanguis exire destitit, immo totum locum circumcirca replevit, ut locus quidam sanguinis videretur. Cumque a somno fratres surrexissent et inde transiissent, viderunt sanguinem profluentem de vulnere laterali beati Francisci et fratrem sanguinolentum in terra semimortuum iacere. Cumque omnes fratres loci ad hoc convenissent et praedicta viderent, timore et moerore repleti, nescientes quid agerent, cognoscentes quid factum esset per fratrem ipsorum, et ignorantes quomodo possent sanguinem ipsum restringere (nam multa apponentes tam petiarum quam aliarum rerum, ipsum sanguinem nullo modo restringere valuerunt); inter se tandem consilium habentes, miserunt pro fratribus Minoribus, qui erant in terra illa, et seriem facti narrantes, ab eis super hoc consilium acceperunt. Quibus fratres Minores dixerunt: « Nos aliud remedium non videmus, nisi quod rogemus Deum et beatum Franciscum, ut fratri isti misericordiam exhibere dignetur. Et sic tam fratres Praedicatores quam Minores, se exspoliantes et disciplinantes, rogabant Deum et (*a*) beatum Franciscum, ut parcere fratri dignaretur. Facta vero oratione, sanguis cessavit, et frater surgens de terra coram omnibus peccatum proprium (*b*) detexit, et coram Deo et fratribus promisit, quod ubicumque imaginem beati Francisci inveniret, genuflecteret et de impressione sacrorum stigmatum in beato Francisco facta a Christo de cetero non dubitaret; sed et fratres Minores in debita reverentia et honore semper haberet et coleret. Quod et fecit. Nam frater ipse factus est beato Francisco devotissimus; ob cuius devotionem ad sacrum montem Alvernae accedens, in loco ubi beatus Franciscus stigmata suscepit, prostratus, tot lacrimas fudit, quod omnes fratres ad devotionem erga beatum Franciscum incitavit. Ubi pluribus diebus stetit, referens quod sibi acciderat. Et peractis ibidem pluribus diebus ac omnibus locis ubi beatus Franciscus steterat visitatis, ad proprium locum est reversus. Imaginem vero beati Francisci, quam frater ipse pro parte abraserat (*c*), vocantes fratres pictorem, ut ipsam repararet, invenerunt fratres (*d*) de mane complete reparatam et multo pulchriorem ac viridiorem, cum stigmatibus sacris, quam unquam ante fuisset; et exinde tam fratres quam saeculares, quibus publice per fratres tam Praedicatores quam Minores est praedicatum hoc miraculum, sanguinem cernentes in testimonium, sunt de stigmatibus beati Francisci firmiter certificati[1]. — Alius religiosus dum stigmata pedum beati Francisci carbone calceos depingendo obtexisset, divino iudicio fuit in castro, ad quod accedebat, ignominiose pertractatus.

Secundum miraculum de stigmatibus sacris (quod ego a pluribus audivi (*e*), qui hominem illum viderunt, de quo erit sermo, servientem in ecclesia beati Francisci et apud Assisium) est adeo patens, sicut beatum Franciscum de Assisio fuisse. In civitate Assisii quidam exstitit civis et mercator, qui amicitiam magnam contraxerat cum duobus in speciali, videlicet cum uno cive Perusino, qui Perusii stabat (*f*), et cum alio cive Fulginate, qui Fulginii morabatur. Iste civis Assisinas, sicut Deo placuit, effectus est totus leprosus et adeo quod cives eum de Assisio emiserunt. Qui dixit in corde suo: « Ex quo de Assisio a meis expellor, ibo ad amicum meum de Fulgineo et manebo

(*a*) As, Edd. om. ***Deum et***. — (*b*) As, Edd. ***suum***. — (*c*) Edd. ***everterat***. — (*d*) As, Edd. ***iidem fratres de m. reparatam et completam***; Al om. ***multo***. — (*e*) Al, As om. ***audivi***. — (*f*) As, Edd. om. ***stabat***.

[1] *Actus*, c. 40 pluribus auctum. Cf. *Fioretti* (ed. Passerini) 290-1. Cf. AFH III, 169.

apud eum ». Quo pergens, amicus dixit ei, quod paratus erat sibi de omnibus subvenire; attamen nolebat ipsum intra domum suam recipere, ne lepra familiam suam inficeret. Quod audiens, a Fulgineo recedens, perrexit Perusium. Et id quod dixerat amicus de Fulgineo, dixit et ille de Perusio, quod sibi provideret de expensis et aliis; nolebat tamen, quod domum suam intraret. Quae audiens, ut desperatus Assisium rediit tarda hora. Et cum ad pontem, qui sub est loco fratrum de Assisio pervenisset, vidit quemdam portantem fasciculum palearum ad civitatem Assisii. Cui et dixit: « Vis mihi vendere fasciculum istum cum fune »? Qui respondit: quod sic; et sibi pro certo pretio dans omnia, abinde recessit. Iste siquidem, abiectis paleis et fune retento, superveniente noctis crepusculo, territorium horti fratrum de Assisio, etsi cum difficultate intravit, et faciens de fune praedicto capistrum, ad arborem quamdam ascendendo, et funem (*a*) ad arborem fortiter ligando ac suo collo immisso, ut se suspenderet, tanquam desperatum (*b*) et derelictum ab omnibus, se proiecit. Quod cum fecisset, statim beatus Franciscus totus splendidus eidem apparuit, stigmata habens refulgentia ad instar solis, ac ipsum increpavit, quomodo ausus fuerat intrare territorium sui loci et velle contaminare ipsum sua morte turpissima. Et adiecit: « Quia ego singularem diligentiam habeo de isto loco, ut incontaminatus servetur, ideo descendi, ut te non permitterem sic mori in loco meo et te iuvarem pro praesenti ». Et tunc beatus Franciscus de patibulo deponens eum et capistrum dissolvens a collo, totum eum suis sacris manibus, stigmatibus consignatis tangendo, ab omni lepra, ac si nunquam fuisset passus, mundavit, et statim disparuit. Mane autem superveniente, vir ille videns se ab infernali morte liberatum et a lepra, gratias egit Deo et (*c*) beato Francisco, et exiens territorium horti, intrans civitatem ecclesiam sancti (*d*) Francisci intravit, ubi cunctis suis civibus, qui eum prius leprosum agnoverant, narrans beati Francisci miraculum, ut dictum est, gratias egit Deo et ipsi beato Francisco. Et ibidem remanens cum fratribus ab ipsis nunquam recessit, singularem curam gerens de pertinentibus ad servitium dictae ecclesiae beati Francisci. Et credo, quod parum ante pestem maiorem [1] de hac vita decesserit.

Praefatis igitur apparet de stigmatizatione beati Francisci, patris nostri, propter quam praesens opus tam laboriosum, divina gratia auxiliante, peregi hucusque, et Christo concedente meritis beati Francisci, quod sequitur breve explebo.

Patet ergo quod: « Novus homo beatus Franciscus novo et stupendo miraculo claruit, cum singulari privilegio, retroactis saeculis non concesso (*e*), insignitus apparuit [2], sacris videlicet stigmatibus decoratus, et configuratus in *corpore mortis huius* [3] corpori Crucifixi. De quo quidquid humana lingua dicitur, minus est a laude condigna. Totum enim viri Dei studium tam publicum quam privatum circa crucem Domini versabatur [4] ». Unde mysterium crucis magnum et mirum, in quo charismata gratiarum et merita virtutum et *thesauri sapientiae et scientiae* [5] tam alta profunditate velantur (*f*), ut a mundi *sapientibus et prudentibus* [6] sit occultum, tam plene fuit huic Christi pauperculo revelatum, ut omnis vita ipsius nonnisi crucis vestigia

(*a*) As, Edd. *fune ligato fort. ad arb.* — (*b*) Edd. add. *et proiectum.* — (*c*) As, Edd. om. *Deo et.* — (*d*) As, Edd. *beati Fr. ingreditur.* — (*e*) Al *tam excelse.* — (*f*) Edd. *vallantur.*

[1] Id est ante pestilentiam an. 1347-53; Cf. *Chron. 24 gen.* 544 sq. Chronica Fr. Nic. Glassberger: AF II, 184 sq. — [2] Cf. AFH III, 394 sqq. — [3] Rom. 7, 24. — [4] *Leg. Mai.* (XVI): *De mirac.* I n. 1. — [5] Col. 2, 3. — [6] Cf. Luc. 10, 21: Matth. 11, 25.

sequeretur, nonnisi (*a*) crucis signaculum corde haberet, nonnisi crucis dulcedinem saperet, nonnisi crucis gloriam praedicaret. « Et ut crucis signaculo cordi eius a principio suae conversionis impresso, corpus consignaret exterius, in ipsa se cruce recludens, habitum poenitentiae sumpsit crucis imaginem praeferentem; quatenus sicut mens eius intus Dominum crucifixum induerat, sic et corpus eius indueret arma crucis, et in quo signo Deus potestates aereas debellarat, in eodem suus exercitus Domino militaret. Sic et a principio temporis quo Crucifixo militare coeperat, diversa circa eum crucis praefulsere mysteria, sicut vitae ipsius consideranti decursum innotescit; qualiter apparitione crucis Dominicae septiformis [1] tam cogitatu quam affectu et actu totus fuit in Crucifixi effigiem per ipsius ecstaticum transformatus amorem. Digne igitur summi Regis clementia suis amatoribus ultra omnem aestimationem hominum condescendens, suae crucis vexillum ipsius corpori deferendum impressit, ut qui mirando fuerat crucis amore praeventus, mirando etiam fieret crucis honore mirificus ». Haec dominus frater Bonaventura in principio narrationis Miraculorum beati Francisci exclamat luculentissime [2]. Idem venerabilis pater dominus frater Bonaventura in fine partis XIII *Legendae Maioris* ad beatum Franciscum; cuius exclamationis materiam, quia patet ibidem [3], ob brevitatem ad praesens hic non insero.

Ex praemissis tanquam ex fine, ad quem videlicet ex stigmatizatione gloriosi patris nostri Francisci totus ducursus exaratus in conformitatibus praecedentibus, apparet quomodo (*b*) similitudines iam dictae fuerunt quaedam praeviae dispositiones ad hanc ultimam, videlicet, ut beatus Franciscus in Christum transformaretur mente et corpore. Et apparet quod in principio dictum est huius operis, quod Dominus Iesus Christus sicut voluit beatum patrem nostrum Franciscum in ultimo, id est in crucifixione, habere similem, sic et in actibus vitae, ut XXXI (*c*) conformitates declarant, placuit eum habere conformem, cui sit omni gloria et honor. Amen. — Apparet igitur ex dictis expositio secundae partis huius III conformitatis III libri, scilicet: *Franciscus consignatur.*

FRUCTUS ET CONFORMITAS QUARTA ET IN ORDINE TRIGESIMA SECUNDA: Iesus Vita Deficiens. — Franciscus Evocatur.

Expositio primae partis, videlicet: **Iesus vita deficiens.**

Amorem et dilectionem etsi Dominus noster Iesus Christus ad homines, ut superiora declarant in libris I et II, ostenderit multipliciter, praecipue tamen ostendit, iuxta suum dictum, Ioan. 15, 13: *Maiorem,* inquit, *charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis,* quando animam suam, scilicet vitam suam, in morte dedit pro nobis in crucis ligno moriendo [4]. Cuius morte a peccati morte erepti, ad vitam gratiae reducti sumus. De qua morte cum omni reverentia loquendo, quia id pro expositione prima pars huius IV

(*a*) As, Edd. om. *nonnisi cr. sign. corde haberet.* — (*b*) Al *quod non omnes.* — (*c*) Al *ut per 31 conformitates placuit;* As *ut 32* (sic et Edd.) *conformitate pl.*

[1] *Leg. Mai.* c. 13 n. 10. — [2] *Leg. Mai.* (XVI) *Mirac.* I n. 1. — [3] C. 13 n. 10. — [4] Cf. Matth. 26-7; Marc. 14-5; Luc. 22-3; Ioan. 18-9.

conformitatis exigit et requirit, dicens: *Iesus vita deficiens,* scilicet per mortem, quam pro nobis sustinuit, de ipsa Domini Iesu Christi morte loqui volendo, tria sunt videnda: primum est de eius acerbitate, secundum de idoneitate et congruitate, tertium de eius utilitate.

1. Circa primum est sciendum, quod Christi mors fuit dolorosissima; et magnitudinem doloris Christus expressit ad Patrem clamando, ut patet Matth. 27, 46: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Et Psal. [1]: Consolantem me *non inveni.* Unde Christi passio fuit acerbissima, primo ipsi Christo, et secundo suae matri. — Quod fuerit Christo acerbissima, etsi in secundo videndo patebit, attamen acerbitatis magnitudinem ostendunt plura.

Et primum est si consideretur, quis est qui patitur. Et occurrit tibi, quod Deus est, etsi in forma et natura humana. Quod fuerit Deus in passione multa id ostenderunt, scilicet prostratio Iudaeorum solo verbo accedentium ad ipsum capiendum, Ioan. 18, 4 sqq.; Petri intuitio et intuitione immutatio (*a*), Luc. 22, 61; latroni paradisi promissio, Luc. 23, 41; solis obscuratio [2]; sanctorum resuscitatio, et sic de aliis. Quare sine peccato, ex quo enim Deus esset, pati non debebat.

Secundum si consideretur, qualis est qui patitur. Et quia Christus fuit innocentissimus nullum offendendo, mitissimus in conversando, misericordissimus in indulgendo, amantissimus pro aliis se morti tradendo, liberalissimus beneficia conferendo, veracissimus in docendo, benignissimus in compatiendo, nobilissimus genere, dulcissimus famine et sanctissimus opere; quare pati non debebat.

Tertium est si consideretur, quantus est qui patitur. Nam quoad localitatem immensus, quoad potestatem excelsus, quoad dignitatem sublimis, quia *magnus super omnes deos* [3], quoad pulchritudinem speciosissimus, quoad fortitudinem validissimus et omnia vincens, quoad claritatem lucidissimus omnia videns, quoad felicitatem perfectus et summum bonum, quoad perpetuitatem aeternus, quia nec principium aliquando (*b*) habuit, nec finem habebit.

Quartum si consideretur, quali forma patitur. Et hic vide, quia nullum peccatum aut vitium (*c*), sed omnes virtutes habuit, quia *Dominus* est *virtutum* [4]. In ipso apparuit virtus humilitatis se humiliando usque ad mortem vilissimam, paupertatis nudus moriendo, charitatis se pro peccatoribus tradendo, pietatis pro crucifixoribus exorando, patientiae omnia supportando, poenitentiae corpus macerando, austeritatis se felle et aceto potando (*d*) et myrrha cibando, modestiae in loquendo, vigilantiae in orando, obedientiae Patris iussa perficiendo, prudentiae Patri animam commendando, perseverantiae in perficiendo.

Quintum est si consideretur, quanta sunt quae patitur. Et hic occurrit primo eius vilificatio, vilem enim eum reddere Iudaei conati sunt: — Primo in vita, dicentes quod erat homo vorax et amicus publicanorum [5]. — Secundo in miraculis, dicentes: *In Belzebub eiicit daemonia,* Lucae 11, 15. — Tertio in fama, Ioan. 11, 47: *Totus mundus vadit post eum. Quid facimus?* [6] et: *Hic operator est* [7]. — Quarto despiciendo, Ioan. 8 [8]: *Nonne fabri filius?* — Quinto insidiando doctrinae, Matth. 22, 15: *Consilium fecerunt, ut caperent eum in sermone.* — Sexto persequendo corporaliter; nam lapidare eum voluerunt, Ioan. 10, 31. — Septimo ei non credendo, Ioan. 8, 13: *Testimonium tuum non est verum.* — Octavo eum blasphemando: *Daemonium habes et Samaritanus es tu,* Ioan. 8. 48. — Nono illudendo ei in passione dicentes [9]: *Prophetiza nobis, Christe, quis est, qui te percussit.* — Decimo deridendo [10]: *Vah, qui destruis templum Dei* etc. — Undecimo incusando Pilato [11]: *Si non esset hic malefactor* etc. — Duodecimo morte vilissima (*e*), scilicet crucis, affligendo.

(*a*) Al *intritio et contritionis immissio* (As *imitatio*). — (*b*) As, Edd. om. *aliquando.* — (*c*) Edd. om. *aut vitium.* — (*d*) As, Edd. om. *potando.* — (*e*) Edd. *turpissima.*

[1] Ps. 68, 21. — [2] Luc. 23, 45; Matth. 27, 52. — [3] Ps. 94, 3. — [4] Ps. 23, 10. — [5] Matth. 11, 19. — [6] Ioan. 12, 19. — [7] Ioan. 9, 24. — [8] Est Matth. 13, 55; cf. Ioan. 6, 42. — [9] Matth. 26, 68. — [10] Matth. 27, 40. — [11] Ioan. 18, 30.

Secundo occurrit conviciorum et iniuriarum illatio. Recepit Christus iniurias: primo quia sic proditus et traditus; secundo in captione, quia ut latro capitur; tertio in ligatione quia *ligaverunt eum* [1] etc.; quarto in maxillae percussione; quinto in faciei velatione; sexto sputis faciei in deturpatione; septimo in traditione et positione in manibus Pilati; octavo in iudicatione sine causa ad mortem; nono in flagellatione; decimo in crucifixione; undecimo in denudatione; duodecimo in lanceatione.

Occurrit tertio ludificatio. Ludibria expertus est: primo in domo Annae facie fuit velatus, dixerunt [2]: *Prophetiza* etc.; secundo in deductione ut malefactor ad Pilatum; tertio in missione ad Herodem et despectione Iesu ab eo; quarto in coronatione, adoratione, purpurae induitione per milites Pilati; quinto in Barabbae dimissione, qui erat latro; sexto in flagellatione, quia Pilatus voluit eum tanquam fatuum corripere; septimo in condemnatione ad crucem ut latro; octavo in latronum cum ipso crucifixione et associatione; nono in exspoliatione, nudatione et vestimentorum divisione; decimo in latronis et aliorum exprobratione, undecimo in tituli appositione et derisione (*a*); duodecimo in aceti propinatione, quia ei aliud (*b*) dare non permiserunt.

Occurrit quarto suppliciorum diversorum afflictio, quoad singula eius corporis membra. Primo in capite corona spinarum et punctione (*c*); secundo in oculis velatione, in visu lacrimatione, in auditu improperatione, in olfatu sputorum abominatione, in gustu fellis et aceti potatione, in collo ligatione, in spatulis et humeris crucis baiulatione et (*d*) portatione, in brachiis extensione, in renibus verberum perpessione, in pectore lateris apertione, in manibus clavorum perforatione, in tibiis et pedibus nervorum attractione ex clavorum infixione. Sic ex quatuor praefatis apparet quanta sunt illa, quae Christus est passus.

Ex multis etiam aliis quantitas patet poenarum. Primum est si consideretur poenarum multiplicitas, quia non unam poenam, sed multiplices est passus. Secundum est poenarum diuturnitas, quia per tempus durarunt. Tertium ipsarum poenarum acerbitas. Quartum est corporis patientis nobilitas, quia delicatus erat Christus. Quintum est ipsorum membrorum patientium sensibilitas, quia in omnibus membris. Sextum est inferentium crudelitas; *Canes* a propheta in Psalmo [3] vocantur. Septimum iudicantium iniquitas. Octavum tormentorum et opprobriorum diversitas, ut dictum est. Nonum dierum, in quibus passus est, solemnitas, ut dicetur. Decimum populorum (*e*), coram quibus passus est, varietas et multiplicitas, ut dicetur, videlicet quando Iudaei convenerant propter diem festum legis praecepto. Undecimum loci, in quo crucifixus est, vilitas. Duodecimum vilis latronum societas.

Sextum si consideretur tempus quo patitur. Hora matutinali capitur et ligatur, ad domum Annae ducitur et Caiphae, et negatur a discipulo. Interrogatur, illuditur, et post multa convicia (*f*) a scribis et sacerdotibus ad mortem condemnatur. Hora prima ad Pilatum ducitur, ad Herodem mittitur, deridetur et spernitur; ad Pilatum remittitur et pessime a militibus pertractatur. Hora tertia a Pilato Christus ad mortem condemnatur, multis conviciis saturatur, crux humeris imponitur, et cum ignominia ad crucifigendum ducitur. Hora sexta ad locum Calvariae perductus denudatur, crucifigitur, extenditur et omnia ossa dinumerantur, crux sublevatur, deluditur et subsanatur. Hora nona aceto potatur felle mixto, et Christus morte terminatur. Hora quasi vespertina in cruce exsistens mortuus, lancea latus eius dextrum aperitur et vulneratur. Hora completorii de cruce deponitur et tumulatur.

Septimum si consideretur a quibus patitur: quia ab omnibus. A discipulo proditur, ab Apostolis derelinquitur, a ministris templi capitur, a Petro non agnoscitur sed negatur, a Iudaeis illuditur, a pontificibus occiditur, a servis flagellatur, ab Herode despicitur, a turba

(*a*) Al *descriptione.* — (*b*) As, Edd. om. *aliud.* — (*c*) As *puncturas;* Edd. *puncturae.* — (*d*) As, Edd. om. *baiulatione et.* — (*e*) As, Edd. *populi c. quo.* — (*f*) As, Edd. om. *convicia — sacerdotibus.*

[1] Ioan. 18, 12. — [2] Matth. 26, 68. — [3] Ps. 21, 17.

mori poscitur, a Pilato iudicatur, a militibus percutitur, nudatur, coronatur et crucifigitur, a latrone blasphematur, a transeuntibus subsannatur et a milite lanceatur.

Octavum si consideretur propter quid patitur. Nihil enim invenitur in causa, ut pati deberet. Non beneficia exhibita in incarnatione, conversatione, praedicatione, languidorum suscitatione. Non vita omni sanctitate perfectissima, non doctrina verissima et divinissima, non conversatio mitissima, et sic de aliis. Et quia nulla affuit causa, hoc attento, passio et mors eius fuit dolorosissima.

Nonum si consideretur pro quibus patitur; quia pro nobis: *Dedit* enim *semetipsum,* ut dicit Apostolus [1], *pro nobis, ut nos redimeret;* et quia pro nobis peccatoribus ingratissimis et sceleratissimis patitur. Unde clamat Christus: O homo, vide, quae pro te patior; non est dolor, sicut quo crucior. Ad te clamo, qui pro te morior. Vide poenas, quibus afficior; vide clavos, quibus confodior. Cum sit dolor tantus exterior, interius est planctus gravior, cum te ingratum experior.

Decimum si consideretur qualis et quantus est dolor quem patitur; quia maximus super omnes alios dolores possibiles, ut dicetur: unde merito clamat dicens illud Thren. 1, 12: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus?* Certe non. Praefatis ergo decem diligenter inspectis et discussis, patet quod mors fuit Christi acerbissima.

Fuit etiam Christi mors beatae Mariae acerbissima et dolorosissima ex multis considerationibus.

Primo considerando Filii sui venditionem. Motivum: quia effusione unguenti super caput eius [2]. A quo: quia a Iuda discipulo. Pretium, scilicet tam vile: 30 denariis. Quibus venditur: quia scilicet Iudaeis, hostibus Filii sui.

Secundo considerando captionem. Proditorie: quia osculo. Nequiter: quia cum lanceis et lanternis et fustibus, ut ad latronem. Maligne: quia iniecerunt manus in eum et ipsum ligaverunt.

Tertio considerando eius ab omnibus desertionem. Discipuli enim omnes eum reliquerunt. Et cum multis hominibus beneficia praestiterit, neminem invenit ad se iuvandum.

Quarto considerando sui filii deductionem: primo ad domum Annae, secundo Caiphae, tertio Pilati, quarto Herodis, quinto Pilati iterato, et quae in eis sunt eidem illata considerando.

Quinto considerando verberum percussionem. Fuit flagellatus in domo Caiphae, Pilatique. Et, ut beata Maria sancto Bernardo revelavit, legionem verberum est passus, quae ad sex millia sexcenta sexaginta sex verbera ascendunt, absque pugnis et aliis conviciis.

Sexto considerando Christi coronationem; illa (*a*) enim corona spinea, quae totum caput Christi aperuit, sanguine faciem et capillos madidavit tam capitis quam barbae.

Septimo considerando Filii ad mortem tam acerbam et tam vilem condemnationem, commota sunt omnia interiora eius.

Octavo videndo Iesu ad mortem deductionem (*b*), fune ad collum ligato duci, humeris lassis crucem baiulare, non habentem speciem neque decorem [3]: anima eius amaritudine respersa (*c*) est.

Nono considerando denudationem et crucifixionem, videndo eum nudatum, clavis confossum et sanguinem per quatuor partes corporis perforatas diffundi; et *irremediabilibus lacrimis,* Tob. 10, 4, plorabat.

Decimo considerando Filii sui a cunctis vilipensionem. Iudaei, latro et alii vilipendebant eum, et nullus erat qui eidem affectum pietatis impenderet et compassionis. Sic tantam ignominiam Filii pensando, in ea maximus dolor causabatur.

(*a*) As, Edd. ***illam enim*** (Edd. ***eius***) ***coronam tam spineam.*** — (*b*) As ***considerandum est Iesum ad mortem deductionem fune.*** Edd. ***vid. Iesum;*** om. ***deductionem.*** — (*c*) As ***aspersa;*** Edd. ***repleta.***

[1] Tit. 2, 14. — [2] Ioan. 12, 3 sqq.; Matth. 26, 6 sqq. etc. — [3] Cf. Is. 53, 2.

Undecimo considerando Ioannis pro Filio suo traditionem. Licet enim Ioannes bonus esset et sanctus, nulla tamen fuit comparatio inter ipsum et Christum suum Filium.

Duodecimo et ultimo videndo Iesu mortem et terminationem. Quando vidit eum cum tanto clamoris dolore exspirasse, quasi mortua et ipsa fuit. Praefatis igitur in beata Maria dolor vehemens causabatur: quare Christi mors ei acerbissima fuit. Et sic patet succincte primum videndum de mortis Christi acerbitate.

2. Restat videre nunc de secundo, scilicet de **mortis Christi idoneitate et congruitate**. Quia enim aliquis posset dicere: Cur Dominus voluit mortem sic crudelem et dolorosam portare et sustinere? in hoc secundo oportet plura videre de ipsa Domini morte, quae possibilibus respondent obiectionibus.

Unde sciendum est, quod mors Domini sic facta, fuit primo debite perpetrata. Licet enim alius modus esset Deo possibilis hominem liberandi quam per passionem Filii sui, ut dixit Augustinus [1] et Magister III Dist. 20 [2]; sed iste fuit congruus:

Primo quia Deo Patri acceptissimus. Quando enim facit homo quod est ad Dei honorem, Deo summe placet. Et ad Dei honorem est, quod Deo reddatur honor suus et satisfiat sibi de illatis iniuriis. Sed cum per nihil aliud nisi per mortem Christi honor poterat Deo exhiberi et satisfieri de iniuria per hominem Deo illata; quare Christus moriendo, mors sua fuit Deo acceptissima, ut dicetur.

Secundo fuit congruentissimus ad nostrum morbum curandum. Homo enim voluit Deo similari per scientiae sublimitatem, ligni gustavit suavitatem et divini praecepti transgressus est limitem et regularitatem. Et quia curatio habet fieri per contrarium, ideo modus passionis Christi fuit congruentissimus, quia per humiliationem et abiectionem, dolorum perpessionem et divinae voluntatis impletionem, dicente Apostolo, Phil. 2, 8: *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem.*

Tertio efficacissimus ad trahendum hominem ad sui dilectionem. Melius a Deo trahi non poterat, quam quod Deus pro eo incarnatus mori pro ipso redimendo cum tot poenis dignaretur. Hugo *De arrha sponsae* [3] ait: Ut ostenderet tibi quantum te diligeret, nonnisi moriendo te a morte liberavit, ut non tantum pietatis impenderet beneficium, verum etiam charitatis monstraret affectum, dicente Apostolo, Rom. 5, 8 sq.: *Commendat Deus charitatem suam in nobis, quia cum* inimici *essemus eius, Christus pro nobis mortuus est.*

Quarto virtuosissimus. Hoc enim modo dedit nobis omnium virtutum exemplum: humilitatis, patientiae, obedientiae, poenitentiae etc., ut dictum est in prima parte huius expositionis [4]; et ideo dicit Petrus, I Petr. 2, 21: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius.*

Quinto ad vincendum diabolum prudentissimus. Voluit enim comprehendere in astutia sua eum, ac ipsum vincere non potentia sed iustitia. Ut enim dixit Magister III Dist. 20 [5]: Ipse sua procuratione occidendo Christum innocentem, nocentem hominem iure amisit et a suis manibus est ereptus (*a*); *Prudentia* enim *eius* cepit *superbum,* Iob 26, 12.

Sexto fuit nos erudiens, ut a peccato caveremus, pro cuius expiatione Christus mori voluit, I Cor. 6, 20: *Empti enim estis pretio magno* etc.

Septimo pro nobis satisfactorius, ut dicetur.

Octavo fuit misericordiae et iustitiae conveniens. Nam morte Christi satisfactum est Deo pro peccato, et sic iustitiae; quia homo liberatus, sic et misericordiae. Sic ergo Domini mors, ut dictum est, fuit debite perpetrata.

(*a*) Al, As *acceptus.*

---

[1] *De Trin.* l. XIII, c. 10 n. 13 (P. L. 42, 1024). — [2] L. c. c. 1. — [3] *De arrha animae,* c. med. (P. L. 176, 962). — [4] Supra, l. 13. — [5] L. c. c. 4.

Secundo Domini mors (a) pro satisfactione fuit rite ordinata. Ut enim dictum est conformitate II libri I in parte prima [1], Deus etsi posset de potentia absoluta peccatum impunitum remittere, non tamen de potentia ordinata, quia pro peccato primi parentis erat necessarium ut Deo satisfieret. Nec aliqua creatura, ut dictum est, poterat propter ibidem allegata. Oportebat ergo, quod talis satisfaciens esset Deus et homo. Deus, ut redderet aequivalens ad offensam Deo illatam; homo, quia homo erat ille qui Deo satisfacere tenebatur, quia persona offendens. Christus ergo morte sua satisfecit pro nobis.

Et pro huius evidentia est sciendum succincte: Primo quid est satisfactio. Et respondetur, quod est redditio, ut dicit Anselmus I *Cur Deus homo* [2], aequivalentis alias indebiti. Ubi vide, quod aliquid requiritur ex parte satisfacientis, aliquid ex parte satisfactionis et aliquid ex parte illius pro quo satisfit. Ex parte satisfacientis requiritur: primo quod sit amicus utriusque. Patet, quia ipse est quaedam (b) mediatio et reconciliatio. Secundo requiritur, quod sit ad satisfaciendum sufficiens; quia, hoc (c) non dato, non diceretur satisfaciens. Tertio quod non sit alias, in eo quod satisfacit illi cui satisfacit, obligatus, quia tunc non pro alio sed pro seipso satisfaceret. — Ex parte satisfactionis requiritur: primo quod sit voluntaria, aliter non esset satisfactio, sed satispassio secundo quod sit aequivalens: patet, quia hoc dicit nomen *satis;* tertio quod sit alias indebita: patet, quia non esset satisfactio, sed redditio simplex. — Ex parte illius pro quo satisfit requiritur, quod satisfaciens pro eo agat taliter, quod amplius non offendat, et quod restituatur ad statum pristinum, ut primo erat, et amicitiam.

Secundo videndum est de merito Christi quantum est. Et respondetur quod est infinitum. Et pro huius evidentia est sciendum, primo quod in actu meritorio est duplex bonitas: intrinseca, quae consurgit ex bonitate actus eliciti debito modo, ex circumstantiis, scilicet gratiae et aliorum ad esse meriti concurrentium. Alia bonitas dicitur extrinseca, quae penes acceptantem (d) consistit, quae non est aliud, nisi ordinatio legis divinae, qua Deus ordinavit talem actum acceptare et debito praemio praemiare. Nam ad actum meritorium, ut plurimum, ista duplex bonitas concurrit. Prima enim sine secunda esse non potest, sed secunda sine prima esse potest, sicut patet de merito Christi nondum exhibito in actu, a Deo ab aeterno acceptato, de quo dicitur in Apoc. [3]: *Dignus est Agnus qui occisus est* ab origine mundi etc. Et de ista loquitur Scotus III Dist. 19, quaest. 2 [4], ubi ostendit, quod passio Christi praevisa et nondum exhibita, valuit patribus qui Christi passionem praecesserunt.

Secundo sciendum, quod loquendo de bonitate intrinseca actus meritorii ad actum meritorium, non solum gratia creata causat bonitatem sive effective sive circumstantionaliter in actu meritorio, sed etiam gratia increata. Ratio, quia gratia increata omni modo, sive effective sive ut circumstantia, potest concurrere ad actus gratificationem: sic gratia creata; immo doctores plures ponunt, quod nisi in actu meritorio concursus gratiae increatae poneretur, nullus talis actus posset esse de condigno meritorius vitae aeternae, etsi de congruo. Insuper ad meritum valet dignitas personae, quae causat actum, dicente Bonaventura III dist. 13. quaest. 2 [5] quod meritum pensatur secundum dignitatem personae; Scotus III, dist. 19, quaest. 3 [6], dicit quod ratione suppositi meritum Christi fuit maius quam peccatum (e) primi hominis et quam aliud non fuisset. Hoc idem patet per regulam Aristotelis I *Metaphysicorum* [7], quod actiones sunt suppositorum. Actus enim et generationes sunt

(a) As, Edd. om. *Domini mors.* — (b) Edd. *quidam mediator et reconciliator.* — (c) As, *dato quod non dic.;* Edd. *aliter non d.* — (d) As *acceptationem;* Edd. *acceptionem.* — (e) As, Edd. om. *peccatum primi hominis et quam;* tunc As *alias*, Edd. *alius.*

[1] AF IV, 62 sqq. — [2] *Cur Deus homo,* l. I, c. 11 sqq. (P. L. 158, 376 sqq.). — [3] Apoc. 5, 12. — [4] *Com. in 4 ll. Sent.* l. III. dist. 19 n. 9 sqq. — [5] *Com. in 4 ll. Sent.* l. III, dist. 13, q. 2, conclusio n. 3. — [6] L. c. l. III dist. 19, q. 2, concl. n. 14. — [7] *Metaph.* l. I, c. 1. Revera inde extracta est, neque eam Aristoteles habet; cf. Pseudo-Bedae, *Sententiae Philosoph. ex Arist. coll.* P. L. 90, 967.

circa singularia. Et quia regula est Aristotelis III *Ethicorum* [1], quod circumstantiae concurrentes ad actum, ipsum reddunt sibi conformem quoad acceptionem et deacceptionem, utpote, quoad bonitatem et malitiam; modo in proposito cum in Domino Iesu Christo fuerit gratia creata, quia *plenus gratia et veritate* [2]: et increata, *quia in eo habitat omnis plenitudo Divinitatis*, Col. 2, 9; insuper in Domino Iesu, etsi sint duae unitae naturae, humana et divina, est tamen una persona et non plures, et unum suppositum; et cum talis persona et suppositum sit Deus; quare est infinita: ad propositum: meritum Christi loquendo de bonitate intrinseca est infinitum, utpote a persona et supposito eliciente infinito, et gratia infinita et finita; quae sive concurrant effective, sive per modum circumstantiae, quia faciunt ad meritum, sequitur propositum. Ex quo sequitur, quod talis actus bonitate extrinseca est infinitum meritum. Patet, quia infinite a Deo acceptatur: aliter Deus non ageret conformiter rectae rationi. Et si dicatur: Actus est finitus; quomodo meritum est infinitum? respondetur, quod etsi in actu meritorio consistat meritum, ipse tamen actus non est meritum; sicut actus non est circumstantia, seu id quod efficit ipsum. Et quod meritum Christi sit infinitum modo praedicto, hoc tenet Bonaventura III dist. 13, quaest. 2, ubi dicit [3]: Meritum pensatur ex dignitate personae; et persona infinita est, ergo etc. Hoc etiam tenet magister Petrus Aureoli in *Repetitione* (*a*) sua III dist. 13, quaest. 2 [4]. Alexander de Ales in III [5] et Thomas [6] concedunt, quod vita Christi est vita Dei et vita infinita: quare ergo de merito non conceditur, quod sit infinitum?

His praemissis videndum est, quomodo morte Christi satisfactum est. Ubi sciendum pro regula:

Primo quod creatura intellectualis (*b*) innocens, Deo tenetur in omnibus actionibus. Ratio, quia a Deo est, et quidquid habet, totum a Deo habet.

Secundo creatura intellectualis non peccans, Deo non tenetur in omnibus passionibus. Patet, quia Deus est iustus et non exigit poenam, culpa non commissa.

Tertio quod creatura intellectualis, quae primo erat innocens et postea peccans, tenetur Deo in omnibus tam passionibus quam actionibus. Prima pars patet ex secundo praemisso, scilicet quod tenetur, si peccat, in passionibus; secunda pars patet ex primo; quia tenetur in omnibus actionibus innocens, a fortiori peccans. Ad propositum: Christus etsi innocens, Deo in omnibus tenebatur actionibus: patet ex primo; sed non in passionibus, quia innocens. Modo Christus volens Deo pro nobis satisfacere per actiones, non potuit: patet, quia non esset alias indebite (*c*), immo debite, ut dictum est, et satisfactio est redditio, non solum aequivalentis, quod erat in actionibus Christi, ut dictum est, propter meritum infinitum, sed alias indebiti: quod non affuit in merito actionum Christi. Si ergo satisfacere pro nobis debebat, oportebat quod non daret quamcumque passionem, sed animam suam in mortem. Ratio, quia mors eius erat alias indebita Deo, quam Deus ab ipso non poterat exigere, ipso nolente. Fuit sufficiens etiam quoad obedientiam, quia *usque ad mortem* [7], et consequenter maior quam inobedientia aliqua posset esse in quocumque peccato; et quia includens maiorem dolorem quam esset possibilis delectatio in quibuscumque peccatis: patet: quia Deus rem diligit ut est diligibilis. Modo vita Christi erat vita Dei, ut dicit Alexander in III part. I, quaest. 17 (*d*) [8], et per consequens summe diligenda et magis diligenda quam omne aliud a Deo. Et cum delectatio causetur ex praesentia rei dilectae et sic magis delectabatur Christus in vita sua, quam (*e*) aliqua creatura posset delectari

(*a*) Edd. *repertione*. — (*b*) Al *creatura creata vel innoc.* — (*c*) Edd. *indebiti... debiti*. — (*d*) Al *quaest. 157;* As *quaest. 167;* Edd. *qu. XV*. — (*e*) Al add. *in*.

[1] *Ethic. Nicom.* l. III, tract. 1, c. 5. — [2] Cf. Ioan. 1, 14. — [3] L. c. concl. (*Opera*, III, 279 b). — [4] Videtur esse eius *Com. in 4 ll. Sent.* — [5] *Summa Theologiae*, l. III, part. I, q. 17, membr. IV, art. 2: *Quid Christus meruerit nobis*, § 2. — [6] *Com. in 4 ll. Sent.* l. III, q. 18, art. 6. — [7] Phil. 2, 8. — [8] *Summa Theologiae*, l. III, part. I. q. 17, membr. 4.

in aliquo: patet, quia magis diligebat eam et sic intensius et fortius movebatur et ordinate in rem dilectam quam homo inordinate moveatur in quacumque delectatione peccati. Et tunc ultra, cum ablatio delectabilis sit causa poenalis, ablatio vitae Christi fuit Christo ita poenalis, sicut eius praesentia delectabilis; et per consequens magis tristabilis quam aliqua delectatio cuiuscumque alterius rei esset delectabilis. Actiones, ut dictum est, sunt suppositorum; quare vita Christi erat vita Dei, ut dicit Alexander loco praeallegato [1], et per consequens infinita, et meritum Christi fuit infinitum: quare mors sua Deo oblata fuit munus infinitum Ut enim dicit Alexander loco praeallegato: In satisfactione non solum pensatur quantum solvitur, sed a quanto et ex quanto. Si quantum, maior est vita Christi quam aliqua vita creaturae, ut dictum est; et per consequens datio talis vitae fuit poenalis maxime Christo, quia maximum poenale est separatio animae a corpore. Si consideretur a quanto, fuit satisfactio per mortem Christi, quia ab ipso Dei Filio, qui est verus Deus, invenitur poenae super omnem aestimationem satisfactum fuisse. Unde Rom. 8, 32: *Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non nobis omnia donavit,* id est condonavit et remisit? Si vero consideretur ex quanto, id est ex quanta charitate mortem subierit, quia fuit charitas immensa, invenietur super omnem aestimationem satisfactum. Haec Alexander. Quo apparet, quod modus iste fuit Deo Patri acceptissimus, ut dictum est in prima ratione praecedentis puncti (*a*) [2]. Et sic patet secundum, scilicet quod passio et mors Christi fuit rite pro satisfactione ordinata.

Tertio omnis culpa ea remota et abdicata est. Nam Christus sua morte meruit cuicumque eam recipienti primam gratiam, ut dicit Scotus III dist. 18, quaest. 2 [3]. Insuper cum sacramentis culpa deleatur et gratia detur, et sacramenta habuerunt efficaciam ut a causa meritoria a passione Christi; quare iustificatio (*b*) et gratiae collatio a passione, ut a causa meritoria, processerunt. *Lavit* enim *nos a peccatis nostris in sanguine suo,* Apoc. 1, 5. *Sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis,* Hebr. 9, 14. — Sed sciendum, quod in deletione culpae gratia, quam Christus passione sua meruit nobis, delet culpam formaliter, quia expellit suum contrarium pro statu isto; sacramenta, quae efficaciam habent a passione Christi, delent culpam ministerialiter; passio Christi meritorie, quia meruit nobis gratiam et omne id quo culpa deletur. Sed Christus, ut Deus, et eius voluntas delet culpam causaliter, Is. 43, 25: *Ego sum, qui deleo iniquitates propter me.* Dicit tamen Magister III, Dist. XIX, cap. 3 [4]: Etsi a culpa simus Christi passione liberati, non tamen ex toto debet intelligi, id est ut simus effecti impeccabiles; quia hoc solum erit in vita futura.

Verum, ut anima habeat hoc donum passionis Christi, videlicet culpae amotionis, oportet ut quatuor habeat: — Primum dilectionem et charitatem. Considerando enim tam gratuitum dilectionis donum (*c*), passione monstratum, accendimur ad amandum Deum, iuxta illud Rom. 5, 8: *Commendat Deus charitatem suam in nobis, quoniam cum essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est:* et sic incendimur ad amandum amore charitatis, quae *operit multitudinem peccatorum* [5]. Secundum est habere (*d*) fidem. Nam fides formata Domini passione valet ad culpae deletionem, Rom. 3, 22 et 25: *Iustitia per fidem Christi, quem Deus proposuit propitiatorem per fidem in sanguine,* id est per fidem passionis. — Tertium est habere (*e*) Christi imitationem in agendo. — Quartum habere conformitatem in patiendo; sic enim ei incorporamur.

Quarto est passione et morte Christi omnis reatus et poena annullata. Passio Christi est sufficiens pro infinitis hominibus ad satisfaciendum. Et cum culpae triplex sit

(*a*) Edd. *praecedenti,* om. *puncti.* — (*b*) Al *institutio.* As, om. *quare — meritoria proc.* — (*c*) As, Edd. *modum.* — (*d*) Edd. om. *est habere.* — (*e*) Edd. *oportet.*

[1] Supra 421, l. 17 sq. — [2] Supra 420, l. 21 sqq. — [3] L. III, dist. 19 n. 8. — [4] L. c. (ad sensum). — [5] I Petr. 4, 8.

genus, scilicet originalis, mortalis et venialis, et pro his alia poena infligitur morienti, quia pro originali carentia perpetuae visionis divinae, pro mortali poena sensus et carentia aeternalis, pro veniali poena purgatorii; et alia viventi, quia pro originali poena mortis et aliae poenae infliguntur, quae in nobis sunt ex peccato primi parentis: pro mortali aliqua poena temporalis (*a*) et satisfactoria vel iudicialis; pro veniali aliqua poena medicinalis; ad propositum dicit Magister III, dist. 19, c. 4 [1]: Christus portavit peccata nostra in ligno, id est poenas peccatorum, et reatum et poenam pro originali morienti totaliter dimisit: patet in parvulis baptizatis et in adultis baptizatis, quibus omnis poena dimittitur, et si moritur taliter baptizatus, statim evolat ad coelum. Delevit Christus poenam, quae debetur mortali quoad reatum aeternum, quia poenam aeternam commutavit in temporalem. Nec temporalis poena quam imponit Ecclesia sufficeret alicui (*b*), nisi Christi poena cooperaretur, quam pro nobis solvit. Poenam pro veniali removit passionis suae signo ac memoria et aliis modis; poenas vero, quae debentur viventi pro originali, Christus non solvit. De morte liberabit nos in futuro, quando omnes resurgemus nunquam amplius morituri. Ab aliis vero poenis non absolvit nos, nisi quoad reatum, nec dimittit eas, nisi fiat speciali gratia, quia medicinales sunt. Tamen per gratiam in multis exterminantur, ut patet de fomite. Sic ergo patet, quomodo passio liberat a poena.

Quinto passione Christi diaboli potestas est prostrata et humana natura liberata. Ut dicit Magister III, Dist. 19 [2], diabolus, permittente divina iustitia, ex peccato ante passionem Christi habebat potestatem super homines in triplici gradu. — Primus erat impugnare per tentationem. Et ista Christi passione est valde diminuta; nam passio meruit nobis gratiam et alia, per quae a diaboli tentatione praeservamur, ne superet aliquem nisi volentem. Sic (*c*) ergo crucis fide et passionis diabolus expugnatur. Unde dicit Apostolus Eph. 6, 16: *In omnibus sumentes scutum fidei* etc. Similiter invocatione Christi nominis: *In nomine meo daemonia eiicient* etc. [3]. — Secundus gradus erat, sibi consentientem retinere et immergere in peccatum; per culpae reiterationem et continuationem (*d*) deducebat de peccato in peccatum, ut quasi impossibile esset resurgere. In isto secundo gradu passione Christi homo a diabolo liberatur per sacramenta, quae a passione habent efficaciam; licet homo cadat in culpam, habet sacramentum poenitentiae, per quod potest semper resurgere. — Tertius gradus erat detinere per poenae inflictionem quoad locum; quia quantumcumque esset iustus, ad limbum descendebat (*e*), et diabolus eum deducebat. Passio Christi, quia fuit satisfactoria pro peccato, quoad fideles hanc potestatem totaliter evacuavit; nam Christus de limbo patrum et purgatorio omnes, ipso descendente ad inferos, post mortem suam extraxit. Ad limbum patrum nullus nunc descendit, quia satisfactum est Deo de reatu et obligatione culpae originalis; et hoc fuit, ut Magister dicit [4], quando Christus se obtulit sacrificium in cruce pro nobis. Ad infernum diabolus non ducit, nisi voluntarie (*f*) quis se tradat in suas manus. Nullus vadit ad infernum, nisi in culpa mortali moriens (*g*), vel ad limbum, nisi in originali decedens. Sic ergo apparet, quomodo a potestate diaboli liberati sumus Christi morte et passione.

Sexto passione Christi redemptio est nostra facta et celebrata. Nam in passione *dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret,* dicit Apostolus, Tit. 2, 14; et Apoc. 5, 9: *Redemisti nos in sanguine tuo.* Sed quomodo nos redemit? Sciendum est quod, ut dicit Alexander de Ales III part. I, quaest. 18 (*h*) [5] loquens de necessitate passionis quantum ad inferiorem causam finalem: « Redimere est rem suam iusto pretio recuperare »; et sic Christus nos redi-

(*a*) Al *curialis.* — (*b*) As, Edd. *aliquando.* — (*c*) Al *Signo enim crucis et fide.* — (*d*) Edd. om. *et continuationem.* — (*e*) Edd. *destinabatur.* — (*f*) Edd. *voluntate.* — (*g*) As, Edd. *decedens.* — (*h*) Codd., Edd. om. *18.*

[1] L. c. (ad sensum). — [2] L. c. c. 1. — [3] Marc. 16, 17. — [4] L. c. — [5] *Summa Theol.* l. III, q. 18, membr. 4, art. 2.

mit, quia cum servi essemus, soluto pretio, id est semetipso, nos recuperavit (*a*). Vel secundum alium doctorem: Redimere est, soluto pretio, recompensatio; et sic nos redemit. Sed a quo nos redemit? Respondet Apostolus [1]: *Ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi.* Sed numquid diabolo aliquid recompensavit? Certe non. Quia diabolus nihil iustum habebat in homine. Sed ista (*b*) recompensatio est facta respectu Dei, cui Christus satisfecit de offensa, quam homo intulerat, ut Deus nobis recompensaret vitam aeternam. Et licet Pater miserit Filium, solus tamen Filius dicitur Redemptor, quia immediate solvit pretium, ut dicit Thomas III part., quaest. 48, art. 5 [2]. Nec pretium solvendum erat illi, scilicet diabolo, quia iniuste nos detinebat, illi, sed scilicet Deo, cuius iustitia tenebatur. Christus ergo morte sua factus est nobis *iustitia, sanctificatio et redemptio,* I Cor. 1, 30.

Septimo est passione Christi facta reconciliatio et pax ordinata. *Mediator Dei et hominum fecit utraque unum* [3], id est in unam personam univit naturam divinam et humanam, et per consequens Deum pacificavit homini et e converso. Sed quomodo reconciliavit nos? Respondit Apostolus Rom. 5, 10: *Reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius.* Ipsa fuit satisfactoria (*c*) pro peccatis nostris et totius mundi. Istud dicit Apostolus Eph. 2, 14 sqq.: *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum;* et sequitur (*d*) reconcilians *per crucem* etc. Et quia ipse solus reconciliavit, ipse solus est *mediator Dei et hominum, homo* Deus, *Iesus Christus* etc.

Octavo Christi morte et passione ianua caeli est aperta et reserata. Ut dicit Scotus III, dist. 19 (*e*), quaest. 2 [4]: Ad apertionem ianuae nullus (*f*) potuit cooperari Christo, sed ipse solus passione meruit apertionem ianuae caeli. Unde dicitur Apoc. 5, 3: quod *nemo in caelo* inventus est, *neque in terra, neque subtus terram,* qui posset *aperire librum,* id est caelum; sed *leo de tribu Iuda,* id est Christus qui aperuit, quia passione sua Deo Patri satisfecit, et sic ianuam aperuit. Non licebat nobis homicidis repatriare, donec sacerdos magnus Christus (*g*) moreretur, ut habetur in figura (*h*) Levitici [5].

Nono passione Christi est gratia largiter diffusa et destinata. Nam cum meruit nobis primam gratiam et gratiam aliam, quam meremur, passione sua: patet propositum, ut dicit Scotus III, dist. 19, quaest. 2 [6]: Christus cum sit caput Ecclesiae, quare (*i*) gratiam largiter diffundit in membra.

Decimo fama Christi, quoad nomen, super omnia passione sua est exaltata. Apostolus, Philip. 2, 9: *Deus* passione sua *exaltavit eum,* id est, secundum Magistrum III, dist. 18 [7] exaltationem ostendit; et *dedit illi nomen,* id est se dedisse manifestavit.

Undecimo passione Christi omnia sunt terminata. Omnia quoad dicta prophetarum et figuras in sacro Eloquio sunt terminata; ideo Christus in cruce dicit: *Consummatum est* [8]; ut ostensum est in libro I conformitate I [9].

Duodecimo passione Christi sunt nobis a Deo multa beneficia collata.

3. Et istud erat tertium videndum principaliter (*k*) de mortis Christi utilitate.

Utilitas ergo mortis Christi ostenditur ex beneficiis ipsa morte nobis collatis. Ipsa enim sumus: — Primo ad vitam revocati, I Cor. 15, 22: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur,* et [10]: *Cum essemus mortui peccato,* Christus *convivificavit nos.*

Secundo a peccato separati, I Petri 3, 18: *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est;* et sequitur: *Ut nos offerret Deo mortificatos quidem carne, vivificatos autem spiritu.*

Tertio in opere iustificati; Rom. 5, 8 sq.: *Cum* enim *peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est;* Tit. 3, 7: *Iustificati* enim *gratia ipsius.*

(*a*) As, Edd. *redemit.* — (*b*) As *iusta;* Edd. om. — (*c*) As, Edd. *satisfactio.* — (*d*) Edd. *et semper.* — (*e*) Codd. et Edd. *Dist. 18* (et infra). — (*f*) Al om. *potuit — ianuae.* — (*g*) Al postea add. *non.* — (*h*) Edd. add. *in libro.* — (*i*) Edd. *ideo.* — (*k*) As, Edd. om. *principaliter.*

[1] Hebr. 9, 14. — [2] L. c. — [3] I Tim. 2, 5; Eph. 2, 14. — [4] L. III, d. 19 n. 8. — [5] Lev. 16, 7 sqq. — [6] L. c. — [7] L. III, d. 18, c. 3. — [8] Ioan. 19, 30. — [9] AF IV, 23-32. — [10] Eph. 2, 5.

Quarto a debito quietati, Col. 2, 13 sq.: *Donans* nobis *omnia delicta,* delevit *quod erat adversus nos chirographum* etc.

Quinto a diabolo contutati, ut eum non timere debeamus, Hebr. 2, 14: *Ut per mortem destrueret, quod habebat imperium.* Passione Christi nominata, diabolus statim fugit: *Apprehendit* Christus *diabolum, qui et sathanas, et ligavit eum,* Apoc. 20, 3.

Sexto robore fortificati, Rom. 5, 6: *Cum essemus infirmi, Christus pro impiis mortuus est.*

Septimo ab hostium manibus liberati. Patet de sanctis patribus a limbo extractis: *In sanguine testamenti* sui eduxit *vinctos* etc., Zach. 9, 11.

Octavo debite informati, ut virtuose agamus, quia omnes virtutes et scientiae morte Christi ostensae sunt, ut dictum est conformitate praecedenti [1].

Nono honorati et exaltati, Apoc. 5, 9 sqq.: *Redemisti nos in sanguine tuo, et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotium* etc.

Decimo ad pugnandum spiritualiter excitati, I Petr. 4, 1: *Christo passo in carne,* vos *eadem cogitatione armamini.*

Undecimo ad diligendum inflammati, Eph. 5, 2: *Ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos et tradidit* etc.

Duodecimo ordines Angelorum quoad ruinam de nobis reparati sunt, Col. 1, 20: Proposuit in Christo reparare, *quae in caelis* etc.

Tertio decimo a mentium vulneribus sumus sanati. Samaritano a Christo infusum est vulneribus oleum misericordiae et vinum iustificationis et satisfactionis [2]. Unde a peccato sanati (*a*) sumus. Augustinus: Quemcumque momorderit astutia sathanae, intueatur Christum in ligno pendentem, et sanabitur.

Quarto decimo ducatu ad vitam, illuminati et directi in baculo crucis et mortis Christi; cum Iacob oportet nos transire Iordanem istum [3], id est per vitam istam transire.

Quinto decimo contra omnia mundi amara obdulcorati. Nam si passionis lignum in aquis ponatur, *aquae Marath* [4], id est passionis memoria, obdulcescunt.

Sexto decimo crucis umbra obumbrati, Thren. 4, 20: *In umbra tua vivemus;* Cant. 2, 3: *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi.*

Decimo septimo illustrati: quia tenebrae peccatorum amotae et gratia data: *Eratis enim aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino* etc. [5].

Decimo octavo in patria firma spe locati. Aperuit enim ianuam et *per proprium sanguinem introivit in sancta, aeterna redemptione inventa* [6]; et sequitur (*b*): *Ut repromissionem accipiant* etc. Patet igitur praedictis de utilitate mortis Christi et passionis. Ex quibus omnibus patet de mortis Christi efficacia, acerbitate et utilitate. Et per consequens apparet declarata prima pars huius conformitatis quartae, dicens: **Iesus vita deficiens.** Ad laudem Christi. Amen.

Secunda pars quarti fructus et conformitatis tertii libri, et trigesimae secundae in ordine, videlicet:

Franciscus evocatur.

Expositio.

Parte prima huius quartae conformitatis declarata, restat consequenter declarare partem secundam, videlicet: *Franciscus evocatur,* scilicet per mortem corporalem.

(*a*) Al *servati.* — (*b*) Edd. *semper.*

[1] Supra 364 sqq. — [2] Cf. Luc. 10, 33 sqq. — [3] Cf. Gen. 32, 10. — [4] Exod. 15, 23. — [5] Eph. 5, 8. — [6] Hebr. 9, 12 sqq.

Circa cuius expositionis evidentiam est videndum primo: qua infirmitate mortuus est beatus Franciscus. — Ubi sciendum, quod etsi propter poenitentiam arctissimam, quam beatus Franciscus exercuit, semper pateretur infirmitatem splenis et stomachi et oculorum, et aggravabatur aliquando talibus, ut mori videretur: aliquando enim evomuit propter infirmitatem stomachi per totam noctem sanguinem in tantum, ut fratres crederent eum moriturum, ut dictum est conformitate praecedenti huius III libri, in secunda parte conformitatis [1]; aliquando infirmitate oculorum tam fortiter fuit vexatus, quod bene per quinquaginta dies stetit in Sancto Damiano cum tanto oculorum dolore et murium (*a*) vexatione, quod neque quiescere potuit, nec lumen aliquod videre. Unde Domini agnoscens ipse beatus Franciscus flagellum, Dominum deprecatus est, ut maioribus poenarum aculeis urgeretur. Verum quia patientissime se habuit, vocem Christi audiendo de caelo, de thesauro vitae aeternae obtinendo declaratus fuit et investitus ac subarrhatus [2]. Incurrit infirmitatem aliam, praeter iam dictas, videlicet hydropisim [3]. Et hac infirmatus fuit in loco de Bagnara (*b*) supra civitatem Nucerii; et specialiter tunc ipsam infirmitatem incurrit in pedibus, ipsorum intumefactione; propter quod cives Assisinates audientes ipsum ibidem infirmari, solemnes nuntios milites ad reducendum eum Assisium transmiserunt. Cum quibus rediens spiritu prophetico claruit et sanctae paupertatis ac divini amoris efficaciam ostendit. Ad villam [4] enim cum venissent Satrianum (*c*) nomine et hora esset comedendi, pro pecunia panem nec aliquid comestibile invenire potuerunt; sed mandato beati Francisci Dei amore panem petentes, statim habuerunt omnia abundanter, ut beatus Franciscus praedixit. Et demum Assisium pervenientes, non permiserunt eum ad locum Sanctae Mariae ire (*d*), sed ad palatium episcopi Assisinatis eum deduxerunt et ibidem eum locaverunt, custodientes ab extra palatium ipsius episcopi armatis hominibus, ut si eum mori contingeret, fratres eum alio non portarent, sed Assisii sepeliretur, ne tanto thesauro privarentur [5]. In hoc palatio residens beatus Franciscus spiritu prophetico in pluribus se ostendit irradiatum. Vidit enim in spiritu totam tentationem fratris Rizerii, ministri Marchiae, et eidem reseravit, et eum signando ab omni tentatione immunem illico reddidit [6]. — Beatae Clarae infirmanti et cupienti videre beatum Franciscum ante mortem suam, ipse beatus Franciscus misit dicendo, quod pro tunc eum non poterat videre, sed alio tempore videret eum et (*e*) de eius visione summe gauderet. Et sic est factum, quia, beato Francisco mortuo, corpus eius fratres dum ducerent Assisium, beatae Clarae et suis ostenderunt sororibus, ut dictum est conformitate praecedenti, ad videndum [7]. — Cuidam fratri dicenti sibi quasi ludendo: « Quantum venderes tu Domino omnes tuos saccos? Multi baldachini et panni de serico ponentur supra corpusculum tuum, quod modo indutum est sacco » (tunc (*f*) beatus Franciscus habebat infulam coopertam de sacco et indumentum etiam de sacco) et respondens beatus Franciscus cum magno fervore et laetitia spiritus: « Tu verum dicis, quoniam ita erit

(*a*) As om. Edd. *nimia*. — (*b*) Al *Bargre;* Edd. *Bagneriae*. — (*c*) As, Edd. *Sutrianum*. — (*d*) Al *adire*. — (*e*) Al *cum*. — (*f*) Al om. *tunc — coop. de sacco*.

[1] Supra 378 l. 1 sqq. — [2] *Specul. Perf.* Sabatier, c. 100. *Actus*, c. 21. Cf. AF IV, 162 l. 17 sqq. II Cel. II, 161 (III, 138) 213. Supra 378 l. 1 sqq.; 389 l. 12-3. — [3] *Spec. Perf. cit.* c. 22. — [4] *Leg. Mai.* c. 7 n. 10. — [5] L. c. *Specul. Perf.* Sabatier, c. 121. *Actus*, c. 18 n. 2. — [6] *Actus*, c. 37 n. 6 sqq. Supra 173, l. 23-6. AF IV, 284-5. — [7] Supra 180 l. 13 sqq. 410 l. 22 sqq. *Spec.* Lemmens, c. 18; Sabatier, c. 108.

pro gloria et laude Domini mei [1] ». Et dum in dicto palatio esset, « coepit infirmitatibus variis tam graviter laborare, ut vix in eo membrum remaneret absque ingenti passionis dolore, sed cum duris corporis angeretur doloribus, illas suas angustias non poenarum censebat nomine, sed sororum. Cum autem semel gravius solito dolorum urgeretur aculeis, quidam frater simplex dixit ad eum: « Frater (*a*), ora Deum; ut mitius tecum agat; manum enim suam super te gravare videtur ». Quo audito, vir sanctus cum eiulato exclamans, ait: « Nisi nossem in te simplicem puritatem, tuum ex nunc abhorrerem consortium, qui ausus fueris contra (*b*) me divina iudicia reprehensibilia iudicare ». Et licet totus esset attritus gravis prolixitate languoris, proiiciens se in terram, ossa debilia duro casu collisit. Et deosculans humum: « Gratias, inquit, tibi ago, Domine Deus, de omnibus doloribus meis, teque, mi Domine, rogo, ut centuplum, si tibi placuerit, addas; quia hoc erit mihi acceptissimum, ut affligens me dolore, non parcas, cum tuae sanctae voluntatis adimpletio sit mihi consolatio superplena [2] ». — Verum cum infirmitate gravissima detineretur, nec posset comedere, et a fratribus rogaretur ut aliquid sumeret, et ipse diceret quod non habebat voluntatem comedendi, sed si haberet de pisce, qui vocatur squalus, forsitan comederet; quo (*c*) dicto, statim affuit divina providentia. Ecce quidam homo missus a fratre Gerardo, ministro Reate, et portavit canistrum, in quo erant tres magni squali et gambari, de quibus ipse libenter comedebat (*d*) [3]. Quod factum in admiratione plurima exstitit sociorum, divinam providentiam circa ipsum attendentes.

In hoc palatio, cum aliquando ob spiritus recreationem laudes fratris solis quas fecerat, per socios cantari faceret, considerans hoc frater Elias, dixit ad eum: « Carissime frater, de omni laetitia, quam pro te et sociis tuis in tua infirmitate ostendis, sum valde consolatus et aedificatus; sed licet homines huius civitatis te venerentur pro sancto, tamen quia credunt firmiter propter hanc infirmitatem tuam incurabilem te in proximo moriturum, audientes huiusmodi laudes cantari die noctuque, possunt dicere intra se: « Quomodo hic tantam laetitiam ostendit, qui est prope mortem »? Dixit ad eum beatus Franciscus: « Recordaris cum apud Fulgineum visionem vidisti et dixisti mihi, quod quidam dixerat tibi quod vivere non debebam nisi duobus annis. Antequam tu illam visionem videres, per gratiam Dei, qui omne bonum cordi (*e*) suggerit et ponit in ore suorum fidelium, saepe (*f*) die et nocte considerabam finem meum; sed ab illa hora, qua visionem vidisti, fui magis sollicitus considerare diem mortis ». Et statim ait cum magno fervore: « Dimitte me, frater, gaudere in Domino et in laudibus eius et infirmitatibus meis, quoniam gratia Spiritus sancti cooperante, ita sum unitus et coniunctus (*g*) cum Deo meo, quod per misericordiam suam bene possum in ipso Altissimo iucundari [4] ». — In diebus illis visitavit eum in dicto palatio quidam medicus de Aretio, valde familiaris ipsi beato Francisco, nomine Bonus Ioannes; et interrogavit eum beatus Franciscus: « Quid tibi videtur de infirmitate hac mea hydropisis (*h*) »? Et ait illi medicus: « Bene tibi erit per gratiam Dei ». Iterum dixit ei beatus Franciscus: « Dic mihi veritatem (*i*):

(*a*) Al *Pater.* — (*b*) Al *circa.* — (*c*) Edd. *hoc.* — (*d*) As, Edd. *vescebatur.* — (*e*) Al *corpori;* As, Edd. om. — (*f*) Edd. *semper.* — (*g*) Edd. om. *et coniunctus;* As *convictus.* — (*h*) Edd. om. *hyoropisis.* — (*i*) Edd. om. *veritatem.*

[1] *Spec. Perf.* cit. c. 109; Lemmens, c. 8. Supra 179 l. 40 sqq. — [2] *Leg. Mai.* c. 14 n. 2. — [3] *Spec.* Sabatier, c. 111. — [4] *Spec.* Lemmens, c. 4; Sabatier, c. 121. De visione fr. Eliae, v. I Cel. II, c. 8 n. 109.

quid tibi videtur? Non timere, quoniam per gratiam Dei non sum corculus, ut timeam mortem. Nam cooperante gratia Spiritus sancti, ita sum unitus cum Domino meo, quod de morte et de vita aequaliter sum contentus ». Tunc dixit ei medicus: « Manifeste, pater, secundum physicam nostram infirmitas tua est incurabilis. Et credo, quod in fine mensis septembris, aut quarto nonas octobris morieris ». Tunc beatus Franciscus iacens in lecto cum maxima devotione et reverentia expandit manus ad Dominum et cum magna laetitia mentis (*a*) et corporis dixit: « Bene veniat soror mea mors [1] »! Sic ergo patet, qua infirmitate beatus Franciscus ad corporis mortem devenit.

2. Secundo videndum est de loco, in quo beatus Franciscus mortuus est. Ubi sciendum, quod beatus Franciscus videns se ad mortem propinquare, ad Sanctam Mariam de Portiuncula se deferri poposcit, ut ubi acceperat spiritum gratiae, ibi redderet spiritum vitae. Et quia propter infirmitatem ambulare non poterat, ad dictum locum a sociis se fecit deportare. Cumque [2] ad locum de Sancta Maria cum magna comitiva deduceretur per fratres et ad hospitale pervenisset, quod est in via, petiit beatus Franciscus si adhuc ibi esset, quia ipse caligantibus oculis, non senectute sed lacrimis, plene videre non poterat. Cumque scivisset se in dicto loco esse, fecit se versus Assisium facie volvi, et in terra positus illam multis benedictionibus benedixit dicens: « Benedicta tu a Domino, quia per te multae animae salvabuntur, et in te multi servi Altissimi habitabunt et de te multi (*b*) eligentur ad regnum aeternum ». Et his dictis ad Sanctam Mariam se fecit deferri. Et ibi (*c*) perveniens, in infirmaria fuit locatus. — Sic ergo patet de loco, in quo elegit mori, videlicet in loco Sanctae Mariae, ut ubi inceperat, ibi terminaret.

Et quia hunc locum dicebat ipse beatus Franciscus virginem Mariam plus amare quam aliquem locum citra mare [3], ideo beatus Franciscus Virgini se conformando, prae aliis locis mundi amavit ipsum, et in fine, ut dicetur [4], recommendavit eum fratribus. In hoc voluit mori amicus Virginis. Et in signum dilectionis, ut dicunt fratres antiqui, a quibus audivi, beatus Franciscus voluit, quod eius cor a corpore separaretur et ibidem poneretur. Et dicitur quod (*d*) cor eius est in altari capellae, ubi beatus Franciscus mortuus est [5]. De singularitate huius loci dictum est conformitate XVI et ultima II libri [6].

Hic locus debet esse cuilibet fratri Minori vero acceptissimus, considerando primo affectum beatae Mariae ad ipsum locum prae aliis mundi locis; secundo amorem beati Francisci ad ipsum, quia in ipso incipere voluit et terminare; tertio propter

(*a*) Edd. *cordis.* — (*b*) Edd. *iusti.* — (*c*) As *illic;* Edd. *illuc.* — (*d*) Al om. *quod;* ideo subinde *esse* corr. ex *est.*

[1] *Spec.* Sabatier, c. 122, Lemmens, c. 5. II Cel. II, 163 (III, 139) 217. — [2] Hinc potius iuxta *A ctus,* c. 18 n. 10-13. Cf. et *Spec.* Lem. c. 9; Sabat. c. 124. Supra 181 l. 9 sqq. — [3] Cf. *Spec.* Sabat. c. 55, 83 etc. Supra, 324 sqq. II Cel. I, 12 n. 18. *Leg. 3 soc.* c. 13 n. 56. — [4] Cf. infra l. 34 sqq. — [5] Cf. *La Tradizione francescana ed i luoghi ove furono nascosti il corpo ed il cuore del Serafico Padre S. Francesco di Assisi.* Roma 1901, praesertim p. 457 sqq. Nonnisi contradicendi libido quosdam adegit, ut hic interpolationes in textu Pisani suspicarentur; cf. AF IV, 205; infra Conform. XXXIV part. II; cf. op. cit. 441 sqq. Faloci, ap. *Miscell. Fr.*, VI (1901) 137 sqq.; sed et contextui haec egregie consonant (cf. ibid. X, 126). Codices omnes locos istos habent, *La Tradizione,* 457 sqq. Cf. AF IV, XIV sqq.; XXIX sq. — [6] Supra, 323-32.

recommendationem beati Francisci factam fratribus de ipso loco in morte sua[1]; quarto propter cor beati Francisci in signum dilectionis ad locum ibidem positum; quinto propter remissionem peccatorum, quae annuatim in dicto loco habetur; sexto propter dona gratiarum, quae ibidem ob reverentiam Christi manentes continue recipiunt (*a*). Sic ergo patet de loco.

Tertio videndum est *quid egerit* beatus Franciscus *ante mortem suam*, id est spiritus emissionem. Pro cuius evidentia est sciendum, quod beatus Franciscus plura fecit.

Et primum est, quia sui obitum in proximo futurum, sicut a Christo acceperat, fratribus praedixit[2]. Dominae etiam Iacobae de Septemsoliis praedixit de die et hora sui transitus, ut dicetur[3]; dictaeque dominae Iacobae, Romae dum esset, per Angelum revelata est eidem mors beati Francisci[4]. Fratri Eliae, dum esset Fulginei cum beato Francisco, apparente quodam sene sibi, mortem affuturam beati Francisci immediate post duos annos nuntiavit (*b*). Et hoc ipse frater Elias beato Francisco, ut patet ex supradictis[5], revelavit.

Secundum quod egit est, quod inductione sociorum beatus Franciscus dominae Iacobae praefatae, vocato fratre scriptore, voluit scribere. Et cum iam incepisset scribere quod cito Assisium veniret, si eum invenire vellet vivum, quia si post talem diem accederet, vivum eum non reperiret; et quod portaret talem pannum pro tunica funerali et ceram pro sepultura, ac de cibariis, quae ipsa beato Francisco faciebat, dum esset Romae infirmus. Et dum haec scriberentur, beato Francisco fuit divinitus revelatum, quomodo domina Iacoba veniebat et omnia secum deferebat, prout ipse scribebat (*c*). Et statim beatus Franciscus dixit scriptori, ut non scriberet, quia non oportebat. Et dum per modicum staret, domina Iacoba cum duobus filiis senatoribus et magna comitiva advenit, portans omnia de quibus beatus Franciscus scribebat; de quo fratres fuerunt valde mirati. Et quia locum Sanctae Mariae de Angelis nulla mulier intrabat, beatus Franciscus dispensando cum dicta domina Iacoba, fratres eam ad ipsum perduxerunt beati Francisci mandato. Quae statim ad pedes stigmatibus consignatos altera velut Magdalena, rigando lacrimis prae devotione, magnam consolationem percepit. Beatus autem Franciscus de visione dictae dominae laetatus est, quia eam virtuosissimam et sanctissimam reppererat. Vocabat enim eam beatus Franciscus non dominam Iacobam, sed fratrem Iacobum, propter probitatem suam et sanctitatem. Portavit pannum cinerei coloris pro tunica et pro feretro ceram in magna abundantia, quae suffecit pluribus diebus, pro reverentia ipsius, et cibaria quae beatus Franciscos optaverat; et ut alia Martha diligenter beato Francisco servivit. Praedicta domina interrogata a fratribus, quomodo sic venisset et omnia de quibus beatus Franciscus scribebat, sic portasset, respondit: quod Angelus Domini ei oranti Romae (*d*), et de morte beati Francisci sibi dixit, et quae beatus Franciscus volebat, omnia indicavit. Et quia dicta domina credendo beatum Franciscum longiori tempore supervicturum, volebat societatem emittere, beatus Franci-

(*a*) As, Edd. *percipiunt*. — (*b*) Codd. om. *nuntiavit*. — (*c*) Edd. *describebat*. — (*d*) As om. *ei*; Edd. om. *Romae*.

[1] Cf. 325 sqq. 329 l. 30 sqq. 430 l. 28 sq. — [2] *Leg. mai.* c. 14 n. 2. *Actus*, c. 18 n. 6-7, 14. [3] P. 430, l. 1. — [4] Infra l. 37 sqq. — [5] P. 427, l. 25 sqq.

seus prohibuit dicens, quod sabbato de sero moreretur, et ipsa post mortem cum comitiva sua posset ad urbem reddire; quod et factus est [1].

Tertium quod egit beatus Franciscus fuit comestio cum fratribus; fecit enim panem apportari et in frusta dividi et unicuique partem unam dedit, ad instar coenae Christi, ut dictum est conformitate I istius III libri [2].

Quartum quod fecit beatus Franciscus, fuit benedictio fratris Bernardi de Quintavalle primogeniti sui (*a*). Unde circa mortem astantibus fratribus coram pauperum Patriarcha et ibi lacrimantibus de eius morte, dixit beatus Franciscus: « Et ubi est frater Bernardus primogenitus meus? Veni, dilecte mi, ut *benedicat tibi anima mea* priusquam *moriar* [3]. Sed frater Bernardus secrete dixit fratri Eliae, qui erat Ordinis vicarius, ut se poneret ad dexteram ipsius, ut eum benediceret. Cum autem frater Elias ad dexteram beati Francisci se posuisset, dixit beatus Franciscus caligantibus oculis: « Istud non est caput primogeniti mei fratris Bernardi ». Tunc frater Bernardus ad sinistram eius accedens, beatus Franciscus cancellatis manibus, commutando manus, sinistram ponit super caput fratris Eliae et dexteram super caput fratris Bernardi. Et dixit fratri Bernardo: « Benedicat te Pater Domini nostri Iesu Christi in omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo, sicut primus electus es in ordine isto ad dandum exemplum evangelicum, ad imitandum Christum in evangelica paupertate; quia non solum tua liberaliter obtulisti et pro Christi amore etiam integre dispersisti, sed etiam temetipsum in odorem suavitatis et sacrificium obtulisti. Benedictus ergo a Domino Iesu Christo sis, et a me pauperculo servo eius, benedictionibus sempiternis, ingrediens et regrediens [4], vigilans et dormiens, vivens et moriens. *Qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur, et qui maledixerit tibi* [5], non erit immunis. Esto dominus fratrum tuorum et tuo imperio cuncti subiaceant, et quoscumque volueris recipere, ad istum ordinem recepti sint, et quoscumque emittere, emittantur ». Haec est benedictio quam beatus Franciscus fratri Bernardo, ipso moriente, dedit (*b*) et benedixit [6].

Quintum quod egit, est recommendatio loci Sanctae Mariae de Portiuncula generali ministro et fratribus, ut dictum et conformitate ultima II libri [7].

Sextum quod egit beatus Franciscus, fuit sui totalis denudatio. Nam morte imminente se totum etiam sine femoralibus denudavit et se in terram proiecit [8]. Hoc fecit, ut nudus hora tali cum nudo diabolo luctaretur [9], et ut paupertati fidem servaret usque ad mortem ac Christo esset conformis, qui nudus pro nobis pendens, nudus etiam mori voluit; insuper, ut expeditus ab omnibus liber transiret ad Christum, vitaeque suae principium, quo (*c*) pro Christo coram episcopo nudus reman-

(*a*) Edd. breviter *de qua dictum est parte sec. conf. VIII cap. de fr. Bernardo et alibi. Quintum.* — (*b*) As om. *et benedixit.* — (*c*) Edd. *quando.*

[1] *Actus,* c. 18 n. 14-18; *Fioretti,* consid. IV sulle s. stimate, ed. Passerini, p. 182-5. Cf. *Spec.* Lemmens, c. 11; Sabat. c. 112. *Tract. de mirac.* c. 6 n. 37-8. B. de Bessa, *De laudibus,* AF III, 332. P. Sabatier, *Examen critique des récits concernant la visite de Jacqueline de Settesoli à S. François,* Paris 1910; (*Opuscules,* II); cf. AFH III, 596-7. — [2] Supra 355 l. 29 sqq. II Cel. II, 163 (III, 139) 217. — [3] Gen. 27, 4. — [4] Deut. 28, 6. — [5] Gen. 27, 29. — [6] *Actus,* c. 5 n. 8-16. AF IV, 185 l. 14-35; *Chron. 24 gen.,* AF III, 42 -l. 13 sqq. *Spec.* Lemmens, c. 17; Sabat. 107. Cf. I Cel. II, c. 7 n. 108 Supra 181 l. 26 sqq. — [7] Supra 329 l. 30 sqq. — [8] *Leg. Mai.* c. 14 n. 3. — [9] L. c. Cf. S. Gregorii, *II homil. in Evang.* hom. 32 n. 2 (P. L. 76, 1233).

serat [1], fini vitae corresponderet, ut nudus ex mundo caelum adiret. Qui cum sic se denudasset, fratribus dixit:

Primo: « Quod meum est feci; quod vestrum est, Christus edoceat [2] ». Et lacrimantibus omnibus, guardianus quem suum beatus Franciscus dicebat, tunicam habitualem accipiens cum chorda et femoralibus, concedens eidem mandavit, ut eam acciperet; quod et fecit [3]. Sed dato, quod sic nudus esset, fratres etsi stigmata cernerent clare manuum et pedum, de vulnere laterali non sic comprehendere valuerunt, quia ipsum manu obtexit [4].

Secundo praecepit fratribus, quod ipso mortuo eum stare sic nudum permitterent super humum per tantum spatium, quod unius milliarii tractum quis suaviter posset perficere, ut vivens Christo viventi et moriens morienti et mortuus mortuo esset similis et conformis [5].

Septimum quod egit beatus Franciscus, est fratrum allocutio, de qua dictum est conformitate II huius III libri [6]. Nam exhortatus est eos: primo ad Dei amorem; secundo de fide servanda ad Romanam Ecclesiam; tertio de patientia habenda et custodia paupertatis; quarto, quod sanctum Evangelium omnibus anteponerent institutis; quinto de perseverantia tenenda in inceptis et in persecutionibus mundo futuris; sexto de sua morte eos est consolatus [7]; et ultimo suum testamentum, quod legitur [8], fecit, de quo dictum est conformitate II huius III libri [9].

Octavum quod beatus Franciscus egit, est fratrum generaliter benedictio. Nam omnibus fratribus, qui erant in loco congregatis et « circumsedentibus coram ipso, beatus Franciscus extendit super eos manus in modum crucis, brachiis cancellatis, et omnibus fratribus tam praesentibus quam absentibus in Crucifixi virtute et nomine benedixit, dicens eis: « Valete, filii omnes, in timore Domini et permanete in eo semper. Ego vero ad Deum propero, cuius gratiae vos omnes commendo [10] ».

Nonum quod egit beatus Franciscus, est sermonis Christi in coena secundum Ioannem (*a*) perlectio: fecit enim sibi legi Evangelium secundum Ioannem a XIII capitulo usque ad XVIII, ut vocem Domini Iesu ibidem loquentis ipse crucifixus audiret [11]. Sic ergo patet quid beatus Franciscus peregit ante suam mortem.

Sed morte instante beati Francisci, aves, quae alaudae appellantur, quas prae aliis beatus Franciscus diligebat (dicebat enim ipse beatus Franciscus, quod haec avis repraesentabat bonum religiosum dicens [12]: « Soror alauda habet caputium, sicut religiosi, et est avis humilis, vadit libenter per viam (*b*) ad inveniendum sibi aliqua grana, et (*c*) si inveniret ea in stercore, extrahit et comedit; volando laudat Deum valde suaviter, sicut (*d*) boni religiosi despicientes terrena, quorum *conversatio* semper *est in caelis* [13] et intentio semper ad laudem Dei; eius vestitus (*e*) scilicet pennae assimilatur terrae et dat exemplum religiosis, ut non delicata et colorata vestimenta habeant, sed vilia pretio et colore [14], sicut terra vilior est aliis

(*a*) Edd. om. ***secundum Ioannem***. — (*b*) Al ***terram***. — (*c*) As, Edd. ***etiam***. — (*d*) Edd. ***sic***. — (*e*) As, Edd. ***vestimentum***.

[1] *Leg. Mai.* c. 2 n. 4; c. 14 n. 4. — [2] L. c. c. 14 n. 3. — [3] L. c. n. 4. — [4] L. c. n. 3. — [5] L. c. n. 4. — [6] Supra 359 sq. — [7] Iuxta *Leg. Mai.* c. 14 n. 5. — [8] I. e. coram fratribus. *Opuscula S. P. Fr.* 77-82. — [9] Supra 359-61. — [10] *Leg. Mai.* c. 14 n. 5. — [11] Cf. *Leg. Min.* VII, lect. 5. I Cel. II, c. 8 n. 110. Cf. II Cel. II, 163, (III, 139) 217. — [12] *Leg. Mai.* c. 14 n. 6; *Spec.* Lemmens, c. 19; Sabat. c. 113. — [13] Cf. Phil. 3, 20. — [14] Regula II, c. 2; *Opuscula S. Fr.*, 53.

clementis »; et quia haec beatus Franciscus considerabat in ipsis, libenter eas videbat [1]); hora igitur praefata post vesperas, licet ipse aves sint inimicae tenebrarum et « lucis amicae, ipsa hora in magna multitudine venerunt et in transitu beati Francisci, cum insolita quadam iubilatione rotantes (*a*), gloriae sancti, qui eas ad laudem Domini solitus erat invitare, tam iucundum quam evidens testimonium perhibebant [2] ».

Quarto et ultimo videndum est, quomodo beatus Franciscus mortuus est. Ubi sciendum, quod omnibus praefatis et aliis rite in (*b*) eum perfectis, beatus Franciscus hora sui transitus, « ut [3] potuit, in huius Psalmi vocem erupit dicens: *Voce mea a Dominum clamavi, voce mea ad Deum deprecatus sum. Effundo in conspectu eius orationem meam* etc. Et cum pervenisset ad illud: *Me exspectant iusti, donec retribuas mihi,* anima eius a corpore egressa « in aeternae claritatis abyssum absorpta est [4] ». « Transiit autem venerabilis pater Franciscus ex huius mundi naufragio ad Dominum 1226, IV nonas octobris, sabbato de sero » a sua conversione anno 20, et ab impressione sacrorum stigmatum elapso bienno; et « sepultus die Dominico [5] ».

Praefatis igitur diligenter inspectis, patet quaedam concordia et similitudo mortis beati Francisci ad mortem Christi.

Et primo Christus cruci confixus (*c*) est mortuus; beatus Franciscus conclavatus Crucifixo stigmatibus sacris erat: prius enim Christus fuit crucifixus, et sic mortuus; sic beatus Franciscus prius stigmatizatus fuit insigniis Crucifixi, et postea obiit.

Secundo Christus nudus mori voluit; sic et beatus Franciscus quantum in eo fuit.

Tertio Christus orando mortuus est; sic et beatus Franciscus.

Quarto Christus exoneratus ab omnibus a mundo egredi voluit; beatus Franciscus ab omnibus expropriatus mori voluit et de hoc mundo transire.

Quinto Christus a mundo per mortem exiens, anima eius quantum ad portionem inferiorem fuit perfectissime glorificata; beati Francisci anima a corpore separata gloria aeterna, ut dicetur [6], fuit laureata.

Sexto post mortem Christus iacuit nudus in cruce et in terra, scilicet depositus de cruce; beatus Franciscus super humum iacuit mortuus et nudus per spatium unius milliarii itinerationis (*d*) [7].

Septimo Christus in sua morte matrem est consolatus, Ioannem de ipsa alloquendo; beatus Franciscus dominam Iacobam et fratres de sua morte verbis est consolatoriis allocutus, demulcendo [8].

Octavo Christus morte et cicatricibus (*e*) in corpore est verus homo et mortuus comprobatus; sic beatus Franciscus in morte et post mortem contactus, ipsum vere Christo confixum sacris stigmatibus est authenticatum.

Nono Christus in morte signis multos ad contritionem perduxit [9]; beatus Franciscus in morte multos (*f*) ad Christi devotionem et suam deduxit [10].

(*a*) As, Edd. om. *rotantes*. — (*b*) Ed. II et III *per*. — (*c*) Edd. *crucifixus*. — (*d*) As, Edd. *incessionis*. — (*e*) Edd. *cicatricum*. — (*f*) As, Edd. *miris*. As *nono* etc. et *decimo* etc. *transposuit*.

[1] *Spec.* citt. — [2] *Leg. Mai.* c. 14 n. 6. — [3] L. c. n. 5. Ps. 141, 2 sqq. — [4] L. c. n. 6; n. 3; *Leg. Min.* VII, lect. 5. — [5] *Leg. Mai.* c. 15 n. 6. — [6] Infra Conform. XXXV part. II. — [7] *Leg. Mai.* c. 14 n. 4. Supra 431, l. 9 sqq. — [8] Supra 431 l. 13 sqq. — [9] Matth. 27, 54 seqq. — [10] *Leg. Mai.* c. 15 n. 4.

Decimo Christus in morte victoriosus limbum patrum intravit [1]; beatus Franciscus caelum, vexillo crucis sublevato (*a*), in sua anima gloriosus ingressus est [2].

Multae aliae sunt conformitates mortis beati Francisci ad mortem Domini Iesu, de quibus erit in sequentibus sermo. Sic ergo praedictis apparet conformitatis IV quoad secundam partem expositio, scilicet: *Franciscus evocatur.*

FRUCTUS ET CONFORMITAS QUINTA ET IN ORDINE TRIGESIMA TERTIA: Iesu Genus Eripitur. — Franciscus Constipatur.

Expositio primae partis, videlicet: Iesu genus eripitur.

Mortis triumphator, generis humani redemptor, Dominus Iesus Christus, postquam pro nostra redemptione et salute in cruce mori complacuit, eius anima a corpore separata, sed nullatenus a Divinitate, ac perfecte beata tam in portione superiori quam inferiori, ut victor mortis et diaboli, vallatus multitudine Angelorum, limbum sanctorum patrum exspoliandum adiit; ibique mortis suae efficaciam primitus ostendit, a manibus diaboli omnes iustos ab origine mundi usque tunc mortuos liberando et eripiendo. Et quia multa in praefatis verbis continentur, tam pro expositione ipsorum quam huius conformitatis primae partis, videlicet: *Iesu genus eripitur,* erunt hic aliqua inquirenda et videnda. Quibus visis, patebit primae partis propositae declaratio.

Primum videndum et declarandum est: Cum articulus nostrae fidei dicat, quod Christus descendit ad inferos, quaerendum est, quid hic intelligitur nomine inferorum. Respondetur, quod etsi in sacro Eloquio infernus multipliciter accipiatur, tamen pro praesenti Paulus Apostolus, Eph. 4, 9, declarat dicens: quod Christus *primum descendit ad inferiores partes terrae; Glossa* [3], id est inferos. Ergo videtur, quod nomine inferorum inferiores partes terrae designentur. Sed quod infernus sit principaliter in partibus inferioribus terrae, patet ex Scriptura, quae per descensum iter ostendit ad infernum, dicente Psalmo 54, 16: *Descendant ad infernum viventes.* Similiter: *Descendam ad filium meum* Ioseph *in infernum,* Gen. 37, 35. Similiter Num. 16, 32 sq. habetur, quod Chore et Abiron *descenderunt cum tabernaculis suis* etc. *in infernum.* Sic ergo videtur, quod quia infernus inferior nobis est, per descensum et non per ascensum designatur; hoc idem exprimit vocabulum sive inferorum sive inferni. Sic ergo secundum Apostolum per *inferiores partes terrae* infernus describitur. Sed sciendum, quod in inferioribus partibus ante Christi descensum erant quatuor loca: Primus in quo carentia est gloriae et gratiae et praesentia poenae sensibilis; et iste vocatur infernus damnatorum, et est infimus et sub omnibus. — Secundus est, in quo est carentia gloriae et gratiae et poena sensibilis; et iste dicitur limbus puerorum, qui sine circumcisione in veteri Testamento, vel sine baptismo in novo, decedunt et cum culpa originali; et est supra infernum et primum locum. — Tertius locus est, in quo est carentia gloriae, non tamen gratiae et cum praesentia poenae sensibilis; et iste dicitur locus purgatorii, et est (*b*) superior ad limbum; sufficit quod sit in hoc superior, scilicet spe aliquando de visione divina. Locus etiam purgatorii alius a praedicto animabus aliquando assignatur, de quo ad praesens non est sermo. — Quartus locus supra istos est, in quo erat carentia poenae sensibilis et gloriae, non tamen gratiae; et iste dicitur limbus patrum. Ad istum lo-

(*a*) As. Edd. *subvecto.* — (*b*) As, Edd. *sive sit.*

[1] Cf. Eph. 4, 9. — [2] *Leg. Mai.* c. 14 n. 6. — [3] Ordin. ap. Lyranum in h. loc.

cum ducebantur sancti patres et illi qui de purgatorio, peracta poenitentia, exibant ante Christi mortem, quia nondum aperta erat paradisi ianua, quia Christi passio nondum erat exhibita. Ex his patet, quid nomine inferni intelligitur, de quo loquitur articulus fidei.

Secundum dubium discutiendum est: An anima Christi unita Deitati ad limbum descendere debuit post separationem a corpore. Respondetur, quod sic; primo ut Scriptura verificaretur, Zach. 9, 11: *Tu* autem *in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua;* Oseae 13, 14: *O mors, ero mors tua, morsus tuus ero, inferne;* Eccli. 24, 45: *Penetrabo omnes inferiores partes terrae* etc. De hoc dixerat Iacob moriens, Gen. 49, 18: *Salutare tuum exspectabo, Domine.* Descendere decebat, prius, ut diabolo victo, quos tenebat sanctos patres ab eius manibus eriperet: de hoc loquitur Apostolus, Col. 2, 15: *Exspolians principatus et potestates traduxit confidenter;* secundo, ut Luciferum ligaret, prout in figura habetur Apoc. 20, 1 sqq.; tertio, ut in regione illa degentes illuminaret iuxta vaticinium Is. 9, 2: *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam* etc., et Zachariae, Lucae 1, 79: *Illuminare his qui in tenebris sedent* etc.; quarto ut eis gaudium infunderet sui conspectione tam diu desiderati ab eis; *Abraham* videndo *diem gavisus est,* Ioan. 8, 56; quanto magis videndo eius praesentiam. Alias causas assignant doctores, sed ad praesens sufficiant praefatae.

Tertium (*a*) inquirendum est: cum quibus Christus ad inferos descendit? Et licet de hoc non habeatur claritas, tamen debet credi, quod cum multitudine Angelorum descendit. Si enim in deserto, habita victoria de tentatione diaboli, *Angeli accesserunt et ministrabant ei* [1]; a fortiori, diabolo superato et victo in cruce. Insuper cum ipse sit rex Angelorum, cum domino subditi iverunt.

Quartum (*a*) inquirendum: quid egit Dominus Iesus ad limbum descendendo? Respondetur, quod anima Christi perfectissime beata, Deitati unita et Angelorum multitudine vallata, descendit ad inferos, id est sanctorum patrum limbum. Et quia maligni spiritus praesentiendo talem Salvatoris descensum portas clauserant, ne ad ipsos exspoliandos et cruciandos accederet, sancti Angeli praecesserunt clamantes illud Psalm. 23, 7: *Attollite portas principes* etc. Et statim (*b*) maligni spiritus adunati responderunt: *Quis est iste Rex gloriae* [2]*?* Et sancti Angeli responderunt dicentes: *Dominus fortis et potens in praelio,* scilicet vobiscum inito; quare: *Attollite portas, principes, vestras* etc. Et tunc maligni spiritus cum tremore interrogabant secundo (*c*): *Quis est iste Rex gloriae?* Et sancti Angeli (*d*) responderunt: *Dominus virtutum ipse,* scilicet qui est praesens, ipse *est Rex gloriae,* id est est omnis virtutis et potentiae superator. Sed quid secutum est (*e*)? Certe statim verus Samson portas accepit, et confregit vectes [3], et statim locus inferni patens fuit. Ad cuius introitum omnes tenebrae protinus sunt effugatae; et sic caliginem inferni suae Deitatis radio clarifice illustravit. Et quia luce adveniente tenebrae diffugiunt, maligni spiritus a limbo discedentes in inferno inferiori se omnes recluserunt. O quantus fuit tunc luctus et clamor in inferno inferiori inter ipsos daemones virtute Christi fugatos et prostratos, miserae animae in eorum positae potestate perceperunt, quae prae ira et superbia ipsorum ab eis pro tunc sunt acrius cruciatae!

Claustris et portis patefactis inferni, quid egit Christus circa sanctos in limbo exsistentes et alios in purgatorio pro tunc morantes? Certe multa beneficia eis contulit. — Et primum, quia omnes depulit tenebras eos illuminando, animae suae glorificatae et suae Deitatis luce illuminavit, ut praedixerat Is. 9, 2: *Habitantibus in regione umbrae mortis, lux orta est eis.* — Secundum ipsos beatificavit. Nam eis suam Deitatem ostendit, cuius visione omnes facti sunt beati; et sic viderunt animam Christi Deitati unitam ineffabili unione. —

(*a*) Edd. add. *dubium.* — (*b*) Al om. *Et statim — vestras* (*Et tunc*). — (*c*) Edd. add. *dicentes.* — (*d*) Al, As om. *et s. Angeli.* — (*e*) Al *sequitur.*

[1] Matth. 4, 11. — [2] Ps. 23, 8 sqq. — [3] Iud. 16, 3.

Tertium omnem dolorem et tristitiam ab eis effugavit, quae eis inerant ratione loci, visionis daemonum et tentationis; et hoc suae Deitatis ostensione, qua gaudio summo sunt repleti. — Quartum hostes daemones ab eis effugando, Luciferum captivavit. Quo viso, iuxta Psal. [1]: *Laetabitur iustus, cum viderit vindictam* etc. iucundati sunt. — Quintum ipsorum exsilium a patria caelesti per tantum tempus terminavit, et hoc suae Deitatis demonstratione et in brevi ad coelum cum ipso ascensione.

Sextum limbum sanctorum patrum perpetuo clausit et obseravit; ad ipsum enim locum non est amplius fidelium descensus, et sic ipsum totaliter evacuavit. — Septimum de humani generis facta redemptione per ipsum et reconciliatione declaravit, ac quae passus est et quanta, reseravit. — Octavum caelum amodo esse apertum per eum, qui habet *clavem David* [2] et haereditatem restitutam, demonstravit. — Nonum potestatem diaboli quoad deductionem iustorum ad limbum totaliter dissipavit; nam nullum potest illuc deducere, nisi ad purgatorium. — Decimum aliquos sanctorum ipsorum patrum ad perfectam resurrectionem deputavit. Et sic patet, quid egit Christus eis.

Sed quid Christo ipsi sancti patres egerunt in limbo degentes? Certe repleti sunt gaudio et laetitia: primo ipsum venerabiliter susceperunt; secundo adoraverunt ut Deum; tertio hymnum novum omnes generaliter et quilibet particulariter, scilicet Adam, Eva, Noe, Abraham et sic de aliis, decantaverunt eidem confitentes: *Quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius* [3]. Et quia de hoc dictum est in opere *De vita beatae Mariae,* fructu LIII vide ibi [4], quae hic dimitto ob brevitatem ad praesens. Sed dum Christus Deus noster cum sanctis sic staret in iubilo, latronis anima crurifragio (*a*) a corpore exuta, a sanctis Angelis suscepta, Christo protinus est praesentata; quae statim, visa Deitate Iesu, glorificata est, et quod Christus promiserat [5] implevit, scilicet quod hodie esset cum ipso in paradiso. Vere fuit in paradiso, Deitate Christi inspecta, qua et statim glorificata est.

Quintum dubium videndum et inquirendum est: ad quae loca Christus descendit? Respondeo, quod Christus non descendit in infernum inferiorem, quia ipsi sunt omni gratia privati, quia nullum abinde extraxit; verum est quod descendit ad ligandum diabolum et Luciferum, ut habetur Apoc. 20, 2. Nec ad limbum puerorum, cum culpa originali decedentium, quia cum ab omni gratia sint separati, meritum passionis Christi, se ad eos non extendit; quare nullum a dicto loco liberavit. Descendit ergo ad purgatorium, quia illi erant in gratia, et suae passionis efficacia remittendo poenam omnem abinde traxit et liberavit et duxit eos secum ad quartum locum scilicet limbum patrum: qui ob obscuritatem loci, utpote in centro terrae, limbus, id est obscurus est vocatus; qui etiam dictus est *sinus Abrahae* [6], quia ibi Abraham cum aliis erat. Et quia isti in gratia erant et culpa carebant, omnes abinde sunt extracti per Christum, hora scilicet resurrectionis, ut dicetur [7]. Ex iam dictis patet, quomodo intelligitur illud Petri, Act. 2, 24, quia Christus *solutis doloribus inferni,* id est purgatorii, resurrexit. Idem illud Psal. [8]: *Eruisti animam meam ex inferno inferiori,* potest intelligi, quia peccatis suis illuc descendisset, nisi gratia Dei praeservatus fuisset; vel potest dici, quod quilibet praedictorum locorum dicitur *infernus inferior,* quia omnia loca praedicta sunt in inferioribus partibus; puta in centro terrae.

Sextum dubium inquirendum: cur Christo personaliter talia loca adire complacuit? Respondetur, quod hoc fecit, ut summam dilectionem ad ipsos ostenderet. Insuper decebat, ut qui pretium solvit ad redimendum, redemptos acciperet et ad se traheret et deduceret.

Septimum (*b*) inquirendum: quanto tempore in limbo fuerit? Respondetur, quod tanto tempore Christus stetit in limbo quanto tempore corpus eius iacuit in sepulchro. Etsi in-

(*a*) Al *crurifractione.* — (*b*) Edd. add. *dubium.*

[1] Ps. 57, 11. — [2] Apoc. 3, 7. — [3] Ps. 105, 1. — [4] Libri IV fruct. XVII; (in ordine LIII) Ed. Venet. 1596, p. 657-63. — [5] Luc. 23, 43. — [6] Luc. 16, 22. — [7] Infra 436 l. 1; 445 l. 33 sqq. — [8] Ps. 85, 13.

veniatur, quod Christus statim sanctos patres liberavit, debet intelligi: non a loco recedendo et educendo pro tunc, sed pro tunc (*a*) eos beatificando et sua gloria illuminando.

Praefatis ergo succincte visis et in opere *De beatae vita Mariae* diffuse tactis loco iam dicto [1], patet expositio primae partis istius V conformitatis videlicet: **Iesu genus**, scilicet, humanum, **eripitur** tam a diaboli manibus quam ab omni dolore et loco **inferni**, ut superiora determinant (*b*).

Secunda pars quinti fructus et conformitatis tertii libri, et trigesimae tertiae in ordine, videlicet:

Franciscus constipatur.

Expositio.

Franciscus constipatur, dicit secunda pars huius V conformitatis, id est vallatur animabus purgatorii, inde in sua morte, suo merito et divina clementia concedente, extractis. Ubi sciendum, quod anima beati Francisci a corpore separata per mortem, ut Christo esset conformis post mortem, sicut fuerat in vita, ad purgatorium accessit, ac abinde multis animabus extractis, earum vallatus caterva caelum adiit. Unde sicut anima Christi a corpore separata descendit ad purgatorium et patrum limbum ac animas inde extraxit, sic et concessit beato Francisco, ut ad purgatorium vadens animas ab inde extraheret et secum ad vitam beatam duceret.

Hoc utique fuit ostensum cuidam sancto fratri, prout recitat frater Thomas in sua *Legenda* [2]; cui (*c*) hora beati Francisci transitus in oratione suspenso beatus Franciscus, purpurea indutus dalmatica cum innumera eum sequentium turba, tanquam princeps maximus mirabiliter gloriosus apparuit. Qui tandem ad amoenissima loca perveniens, palatium mirae magnitudinis et singularium deliciarum plenum introivit.

Hoc ipsum reseratum fuit cuidam baroni moranti in Alpibus iuxta Eugubium a daemone (*d*) per os cuiusdam mulieris daemoniacae hoc modo, prout dictus baro, qui erat de III Ordine et receptus a beato Francisco, duobus fratribus euntibus Romam ab ipso ad hospitium receptis, declaravit, dicens: « Ego ad Ordinem III a beato Francisco sum receptus (*e*) et indutus ab ipso habitu III Ordinis. Et ad hospitium meum ipse beatus Franciscus saepe divertit, ac ipsum in iumento meo (*f*) saepe per haec montana deduxi quo voluit, quando debilis erat. Cum enim beatus Franciscus ad has nostras (*g*) partes primo pervenisset, essetque incognitus ac insolita praedicaret, parum de eo curabatur. Ego vero in eo deprehendens signa sanctitatis, convocatis de districtu et dominio (*h*) meo hominibus, coepi eum commendare et ut eum libenter audirent hortari. Populus autem, recepto gustu praedicationis illius ac eius cognita sanctitate, coeperunt eum venerari et praedicationem eius avide (*i*) frequentare, quasi mihi dicerent: « *Iam non propter tuam loquelam* [3], sed mirabili eius doctrina ipsum audimus ». Ex hoc beatus Franciscus factus est mihi familiaris et ob devotionem, quando potuit, ad me declinavit. Ipse etiam dedit mihi potestatem recipiendi ad Ordinem quos volebam, et plures iam recepi. Et tandem ab eo, ad quem

(*a*) As, Edd. om. *pro tunc*. — (*b*) As, Edd. *declarant*. — (*c*) As, Edd. *quo fratre*. — (*d*) Al *ac deinde*. — (*e*) Edd. *susceptus*. — (*f*) Al *in territorio nostro*. — (*g*) Edd. *meas;* tunc Al. om. *primo*. — (*h*) Al om. *et dominio*. — (*i*) Al *aliunde*.

[1] Supra 435, n. 4. — [2] II Cel. II, 165 (III, 141) 219. — [3] Ioan. 4, 42.

semper optaveram, scilicet hunc statum receptus sum. Illo autem tempore fuit quaedam femina apud me, quae ab acuto daemone erat obsessa, sicut multis disputationibus, quas cum ipsa habere solitus sum, fui expertus. Licet enim in studio Bononiensi satis profecerim, ut scire potestis, tamen me acutior erat. Et quando mihi (*a*) aliquando aliquid concluderet, insultabat mihi, dicens: « Ubi est scientia tua, quam Bononiae didicisti »? Cum autem, aliquo (*b*) tempore transacto, beatus Franciscus mortuus esset in Assisio, daemon qui feminam praedictam tenebat, aberat, et ipsa femina biduum requievit. Statim autem, ut rediit, fremens et furens miseram feminam plus per solito vexavit. Vocatus autem ego adveni et quare sic faceret et ubi fuerat (*c*) requisivi. Et ipse respondit: « Ego fui, ubi ille mendicus (*d*) mortuus est, scilicet Franciscus, amicus et pater tuus ». Et ego: « Heu, estne mortuus pater meus? Quid ibi egistis »? Et daemon respondit: « Plurimi adveneramus, sed in eo nihil de nostro invenimus, nec accedere (*e*) ad eum poteramus prae multitudine Angelorum sanctorum (*f*). Et quia tu illi familiaris fuisti, iussus sum aliqua secreta tibi pandere de ipso et de Ordine suo, quorum plurima tu ipse videbis ». Et ego dixi: « Narra quod vis; ego autem credam quantum mihi placuerit ». Et ille (*g*) respondit: « Malo te non credere, sed hac vice mihi mentiri non licet. Iam abundabat iniquitas, et propter hoc provocata divinitas videbatur velle mundum incendere plagis multiplicibus (*h*) et terminum mundi maturare. Unde rogavit Patrem Filius, ut adhuc sibi plures deputaret, qui suae crucis baiuli numerum salvandorum augerent. Et tunc dedit ei Pater Franciscum cum Ordine suo, qui licet sit adhuc parvulus, tu tamen (*i*) videbis ipsum vehementer multiplicatum et omnibus praevalentem; qui scilicet nobis singulariter infestus, plures de nostris manibus eruens, pessimos peccatores ad salutem perducet. Nec a tempore Apostolorum sustinuimus ab aliquibus tale damnum. Nos autem ipsis, prout poterimus, resistemus et eis adversa procurabimus. Multa autem contra ipsum constituemus (*k*); hoc est autem nobis revelatum, quod eos impedire non poterimus usque ad annos Antichristi. Tunc autem redibit (*l*) nobis potestas, et omnia subvertemus. Videns autem Christus Franciscum sibi datum pro signifero tanti Ordinis, ipsi suorum vulnerum stigmata impressit et clavos in manibus et pedibus et in latere dextro vulnus, sicut iam patet in corpore suo et plurimi iam viderunt (*m*), sed tu certissime scis ». Et iterum intulit: « Scisne, quis erat Franciscus? Corporaliter ipsum quidem noveras, sed mentem non (*n*) nosti. Egregio regi servierat, et solus ad eum venire non debuit ad gloriam. Ideo datae sunt ei animae de purgatorio plures quam mille, quas suis meritis liberavit; unde nos confusi sumus ». Et addidit: « Videns mater Iesu datum sibi Franciscum cum suo Ordine, petiit a Patre sibi numerum virginum agmentatarum (*o*). Et tunc data est ei beata Clara cum Ordine suo, qui etiam valde dilatabitur. Et hoc ipse videbis similiter ». Et conclusit dictus baro: « Haec daemon mihi narravit, iam sunt viginti anni elapsi, quod haec dixit mihi et quod beatus Franciscus obiit [1] ». Patet ergo

(*a*) Al *me;* subinde Al, Edd. om. *aliquid.* — (*b*) Al *aliquanto.* — (*c*) Edd. *fuerit.* — (*d*) Al *modicus.* — (*e*) As *appropinquare;* Edd. *appropriare;* Al om. *ad eum.* — (*f*) Edd. om. *sanctorum.* — (*g*) As, Edd. *daemon.* — (*h*) As, Edd. *multiplicatis.* — (*i*) Edd. om. *tamen.* — (*k*) As, Edd. *constituimus;* Edd. *sed hoc.* — (*l*) Al *redditur.* — (*m*) Edd. *sicut tu cert. scies.* — (*n*) Al *inerte nosti.* — (*o*) As, Edd. *augumentari.*

[1] Cod. MS. Coll. S. Antonii, f. 51 r sq. « Dominus Landulfus de Massa S. Petri ». *Fioretti*, consid. V delle s. stimmate, ed. Passerini, 196-8. Supra 408 l. 15 sqq.; 224 l. 23; 384 l. 19 sqq.; (ubi hic fons allegandus potius erat). Cf. AF IV, 73 l. 1-2; 81 l. 33 sqq.; 350 l. 15 sqq.

testimonio daemonis, quod beatus Franciscus de purgatorio multas (*a*) animas traxit post mortem suis meritis, atque ad vitam aeternam cum ipsis ascendendo perduxit.

Idipsum de extractione animarum de purgatorio in die defunctionis suae, et annuatim die praefata, quod extrahat animas omnium qui fuerunt de tribus Ordinibus a beato Francisco institutis, Christus postquam dedit sibi stigmata dixit, ut superius conformitate III huius III libri est dictum [1]. — Sic ergo patet declarata conformitas V quoad primam partem et secundam, et (*b*) quomodo intelligitur ex iam dictis apparet evidenter.

FRUCTUS ET CONFORMITAS SEXTA ET IN ORDINE TRIGESIMA QUARTA: Iesu Corpus Intruditur. — Franciscus Tumulatur.

Expositio primae partis, videlicet: **Iesu corpus intruditur.**

Misericordiae virtus cum Deo summe placeat, ipso dicente per Oseam prophetam 6, 6: *Misericordiam volo et non sacrificium,* ac multis exemplis Scripturae hoc probat et verbis ipsamque speciali modo generi exhibuit humano tam incarnatione quam mortis susceptione; hanc utique ab aliis circa ipsum exhiberi voluit et percepit (*c*). Et sic principaliter et modo ineffabili a sua percepit (*d*) matre Maria, teste Bernardo, et omnia opera misericordiae ab ea suscipiendo, accepit etiam hanc et ab aliis in victu et aliis. Sed in speciali, ipso mortuo, ipsam in sua complacuit habere sepultura. Cum enim depositus et amotus a cruce fuisset a Ioseph et a Nicodemo et aliis personis devotis, involutus *sindone munda* [2], et unguentis delibutus, ut pauper in sepulchro non suo sed alieno est collatus, ut hanc pietatis partem, quae extollit Tobiam [3], praecipue in se percipiendo alii hoc exhibentes et commendarentur et praemiarentur. Et quia haec sepultura Christi qualiter fuerit facta, praesens haec prima pars dicens: *Iesu corpus intruditur,* petit declarari, ideo pro ipsius evidentia et manifestatione, sub quibusdam dubiis videndum est de quaesito.

1. Primum dubium. Corpus Christi an decuerit sepeliri; cum corpus illud esset nobilissimum, utpote Deitati unitum, videtur quod non in terram sed super coelos collocari decebat. — Respondetur quod decens fuit, primo quia factum est, ut praedixerat Matth. 26, 6 sqq. loquens de Magdalena eum ungente in Bethania, subdit: *Mittens haec unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.* — Secundo ut patribus sepultis in hoc, sicut et in aliis, similaretur. — Tertio, ut veritas suae mortis veraciter demonstraretur: Non (*e*) enim aliquis in sepulchro ponitur, nisi quando iam de veritate mortis constat. Pilatus antequam licentiam dare voluit ut sepeliretur, scivit a centurione diligenter si mortuus esset [4]. — Quarto, ut de sepulchro postmodum resurgendo aliis, qui sunt in sepulchro, spem daret de resurrectione, secundum illud Ioan. 5, 25: Omnes, qui in monumentis sunt, *audient vocem Filii Dei, et qui audierint vivent.* — Quinto, ut nostram consepelitionem peccatis ostenderet, iuxta dictum Apostoli Rom. 6, 4.

Secundum dubium. Cur more Iudaeorum voluit sepeliri, ut habetur Ioan. 19, 40? — Respondetur primo (*f*), quod ideo sindone involutus est et etiam inunctus, quia talia fieri

---

(*a*) Al om. *multas — de purgatorio.* — (*b*) As om. *et quomodo* etc.; Al om. *evidenter.* — (*c*) Al *praecepit.* — (*d*) Al *procedat.* — (*e*) Al om. *non enim — sepeliretur.* — (*f*) Al, As om. *primo.*

---

[1] Supra 397, l. 24 sqq. — [2] Matth. 27, 59. — [3] Tob. 1, 20; 12, 12. — [5] Marc. 15, 45.

non possunt nisi corporis contrectatione; quare tali contactu vere probatum fuit Christum mortuum exstitisse. — Secundo, voluit sic sepeliri, ut pietas et misericordia ac liberalitas sepelientium commendaretur. Hanc tangit Augustinus, I *De Civitate Dei* [1]. — Tertio, quia mos Iudaeorum in sepeliendo pro tunc melior reputabatur, utpote a sanctis patribus traditus et eis ostensus. — Quarto ut quales essent sepelientes declararetur, quia *sindone munda,* id est mente puri, et aromatibus, id est virtutum odoribus respersi.

Tertium dubium. In quo sepulchro voluit Dominus Iesus sepeliri? Et respondet Evangelium, quod in sepulchro *novo* [2]. In novo voluit Dominus sepeliri, ut dicit Ambrosius in *Libro de virginitate* [3], quia si in sepulchro veteri corpus Iesu esset locatum et resurrexisset non ipse sed alius diceretur a Iudaeis resurrexisse. Similiter hoc egit, ne post resurrectionem suam, aliis corporibus remanentibus, ipse remansisse crederetur. Hanc tangit Hieronymus [4]. Hoc etiam factum est propter corporis Christi reverentiam; quia sicut Christus elegit virginis uterum, in quo nec ante nec post alius fuit, sic et in tumulo, in quo nullus positus fuerat, voluit sepeliri. Hanc tangit Glossa interlinearis [5]. Et non solum sepulchrum fuit novum, sed *in petra excisum* [6]; et hoc debite factum est duplici de causa. — Prima et tangitur in *Glossa,* Matth. 27, 60 [7], ne si ex multis lapidibus esset aedificatum, suffossis lapidibus et fundamentis, ablatum fuisse diceretur. Et ideo propter dubitationem removendam, ne diceretur quod discipuli eum furati fuissent, ideo in sepulchro exciso in petra collocatur. Similiter si in terra fuisset, dixissent, secundum Augustinum, per defossionem terrae ipsum furatum. — Secunda causa, ut continens respondeat contento. Christus fuit *lapis excisus de monte* [8] paternae celsitudinis sine manibus, id est hominis operatione, ut habetur in figura Danielis 2, 34; quare in lapide exciso in petra collocatur.

Quartum dubium. Quare in alieno sepulchro: utpote Ioseph, Matth. 27, 60? Respondeo, primo propter paupertatem Christus natus est in domo aliena, utpote *in diversorio,* Lucae 2, 7; sic et conversatus, Matth. 8, 20: *Vulpes foveas habent et volucres caeli nidos; Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet;* sic et moriendo, ut pauper in alieno sepulchro ponitur. — Secundo cum a morte detineri non deberet, ut dicit Ambrosius in *Libro de virginitate* (*a*) [9], quare sepulchrum proprium habere noluit. — Tertio ut ostenderet, quod propria domus sua non est in terris sed in caelis, ut dicit ibidem Ambrosius. — Quarto, ut dicit Ambrosius ibidem, ut ostenderet quod non erat passus pro sua sed pro aliorum salute.

2. Quintum dubium. Cur potius est locatus in sepulchro iusti, scilicet Ioseph, qui *erat vir bonus et iustus,* ut dicit Evangelium [10], quam aliorum? — Respondetur, ut dicit Ambrosius in *Libro de virginitate* [11] et *Glossa* Lucae 22 [12], ut ostenderet, quod ipse Iesus moritur in corde peccatoris et resurgit in corde iusti et mente, et se potius habitare in corde iusti et quiescere quam peccatoris. — Secundo ad ostendendum, quod si in praesenti vita mali mixti sint bonis, post mortem mali per se et boni per se erunt et stabunt.

Sextum dubium. Quare est positus in sepulchro sito in horto, et non in loco alio solempniori? Respondetur ut ostenderet quod peccatum Adae horto deliciarum commissum, per Christum expiatum est, et homines liberatos esse a morte peccati. Item, ut fidelibus, ubi collocarentur post mortem, sive in ecclesia seu alibi, non curandi exemplum praeberet.

Septimum dubium. Cur Christi monumentum *magno lapide* [13] est clausum, ut dicit Evangelium, cum tamen in brevi abinde esset per resurrectionem progressurus? Respondit *Glossa,*

(*a*) Codd., Edd. *virginibus* (sic et infra).

[1] L. I, c. 13 (P. L. 41, 29). — [2] Matth. 27, 60. — [3] *De virginitate,* c. 3 (P. L. 16, 269 sq.) — [4] *Comm. in Matthaeum,* 27, 60 (P. L. 26, 215). — [5] Glossa interl. ap. Lyranum in Ioan. 19, 41. — [6] Matth. 27, 60; Marc. 14, 46. — [7] Glossa interl. ap. Lyranum, l. c. et Matth. 27, 60. — [8] Dan. 2, 34 (abscissus). — [9] L. c. — [10] Luc. 23, 50. — [11] L. c. — [12] Ibi non est. — [13] Matth. 27, 60; Marc. 15, 46.

Matth. 27, 60, super illud: *Advolvit lapidem* etc.[1]. « Ut sine auxilio multorum removeri non posset »; ac ne Iudaei dicerent discipulos corpus asportasse ad ipsum introitu et accessu. Similiter ut declararetur quod potentiae Christi, nec lapis nec aliqua creatura potest obsistere.

Octavum dubium. Cur Dominus voluit, ut eius sepulchrum sigillaretur[2]? Respondetur, quod hoc est divina voluntate factum: primo ne discipulis posset obiici quod aperto ostio corpus asportassent; quare sigillatur. — Secundo ut magis authentica esset resurrectio, sigillo et monumento clausis manentibus et intactis. — Tertio ut passione Christi de nostra salute chirographum Christum fecisse ostenderet et *reconciliatione;* charta fuit corpus, atramentum fuit sanguis effusus, calamus clavi; restabat sigilli impressione firmari, quod fuit in monumento. Et sic impletum est illud Ierem. 32, 10: *Scripsi in libro et signavi et adhibui testes* etc.

Nonum dubium. Cur monumentum cum custodibus fuit praemunitum? Respondetur, quod ratio litteralis est, ut discipuli arcerentur, ne eum possent furari, ut dicitur Matth. 27, 64. Et praefata omnia divina providentia sunt ordinata ad maiorem Christi resurrectionis authenticationem, et quod a nullo posset negari.

Sed nota quod Christi monumentum habuit duas conditiones: prima quoad colorem. Fuit enim coloris albi rubeo mixti[3]; et hac de causa ut ostenderetur, quod intus erat ille qui est *candidus* puritate et munditia, *rubicundus* charitate, Cantic. 5, 10. Secunda quoad dispositionem. Magister dicit in *Historica scholastica*[4], quod monumentum Christi habuit septem palmos in longitudine et tres in latitudine, ut ostenderetur quod quatuor mundi partes ad fidem Trinitatis debebant venire. Sed altitudo in tribus ostenditur, quia Christus, qui fuit in monumento, est ille qui *tribus digitis appendit orbem terrae,* Is. 40, 12. Sic ergo patet de conditionibus sepulchri Christi, quod sepulchrum, ut patet ex serie Evangeliorum, est valde venerandum; ipsum enim honoravit Christus sua requie non una hora sed pluribus, sancti Angeli apparitione intus et extra, Apostoli visitatione, Deus mira operatione, ut dicetur conformitate sequenti[5], Maria Filii sui in eo locatione, Magdalena lacrimarum irrigatione, daemones custodum prosternatione, et caelestis militia Angelorum et sanctorum patrum Christi associatione. Praefatis ergo apparet expositio primae partis huius conformitatis, videlicet: **Iesu corpus**, scilicet a matre et aliis fidelibus, **intruditur monumento**, scilicet pro sepultura. Et (*a*) sic est breviter prima pars declarata.

Secunda pars sexti fructus et conformitatis tertii libri, et trigesimae quartae in ordine, videlicet:

Franciscus tumulatur.

Expositio.

Viso in parte praecedenti de Domini Iesu a sua matre et aliis sepelitione, videndum est nunc, quomodo post mortem beatus Franciscus fuit ad instar Christi tumulatus et qualis est conformitas in hoc ipsius ad Dominum Iesum Christum.

1. Ubi sciendum est, quod ad sepulturam beati Francisci plura concurrerunt. Et primum fuit beati Francisci praecepti observatio. Mandaverat ipse sanctus moriens fratribus, ut post mortem Christo similaretur, quod dimitterent eum nudum stare

(*a*) As om. *et — declarata*.

[1] Marc. 15, 46; Glossa ord. in h. l. — [2] Luc. 23, 66. — [3] P. Comestor, *Hist. schol.* In Ev. 181 (P. L. 198, 1634). — [4] L. c. — [5] P. 444 sqq.

in terra per spatium itineris unius milliarii [1], quod fratres servaverunt. Sic enim stetit, ut in hoc etiam Christo conformis (*a*) reperiretur.

Secundum fuit ipsius beati Francisci induitio. Christus depositus de cruce lotus fuit myrrha et aloe conditus et nova sindone involutus [2]. Beatus Franciscus a fratribus lotus, tunica nova de panno quem, Angelo mandante et beato Francisco ipsum optante, domina Iacoba de Septemsoliis detulerat [3], facta, fuit indutus.

Tertium fuit, quod sicut, Christo deposito e cruce et reclinato in gremio suae matris, planctus magnus factus est et specialiter a Magdalena [4]; sic, beato Francisco migrante, socii et fratres pro subtractione (*b*) tam amabilis patris illacrimabantur et nihilominus gaudio non modico fruebantur (*c*), videntes illa signa dominica in eius corpore, quae tanto tempore celarat [5]. Sed specialiter ipsius beati Francisci filia velut altera Magdalena, domina Iacoba de Septemsoliis, quae cum duobus aderat filiis, orbata tanto patre in terris devotas lacrimas emittebat. Semper enim ipsa praesens fuit, et ceram et omnia pro sepultura copiosissime ministravit [6].

Quartum ad videndum Christum de cruce depositum undique discipuli et alii fideles convenerunt, etsi timore prius se absentassent. Sic, beato Francisco mortuo, totus populus Assisii confluxit ad stigmata videndum et corpus osculandum [7].

Quintum est, corporis quoad stigmata contrectatio. Sicut Christo mortuo manus, pedes et latus a matre, discipulis, Magdalena et aliis sunt omnia contrectata; sic beatus Franciscus fuit totus contrectatus quoad stigmata manuum, pedum et lateris a pluribus, qui postea de hoc testimonium reddiderunt. Et specialiter a domino Hieronymo milite, qui de hoc dum prius esset incredulus, efficacius ipsa stigmata prae aliis perscrutatus fuit [8].

2. Sed nota quod in corpore beati Francisci duo miracula apparuerunt post mortem. — Primum, quod cum tam natura quam infirmitate corpus beati Francisci ad nigredinem declinaret, candore nimio statim post mortem renituit, ut iam secundae stolae videretur pulcritudine decoratum [9]. — Secundum de tractabilitate membrorum ipsius, quae adeo facta sunt tractabilia, « ut conversa viderentur in teneritudinem (*d*) puerilem et signis innocentiae decorata [10] ». Et quia caro erat alba, clavi stigmatum nigri optime cernentibus apparebant in manibus et pedibus. Vulnus vero lateris rubra cicatrice obductum, rosa quaedam pulcherrima videbatur [11]. Quare videntibus erat ad stuporem tam insolita cernere, et proculdubio etiam ad gaudium, videntes in carne humana, scilicet in corpore beati Francisci renovata signacula (*e*) summi regis. Incitamentum erat ad sequendum Christum, cum cernerent Christi imitatorem perfectum, dono tanto ab ipso Domino praemiatum [12]. Erat etiam inductivum reverentiae et devotionis ad beatum Franciscum, intuentes eum sic a Christo dilectum et Christo sic conformem effectum; nihilominus ad robur erat fidei Christum cernentes in servo suo Francisco tam mira et insolita operatum fuisse.

(*a*) Edd. *similis seu conformis*. — (*b*) Al *prost(r)actione*. — (*c*) Al *ferebantur*. — (*d*) Al *carnem*. — (*e*) Al *stigmata*.

[1] *Leg. Mai.* c. 15 n. 4. Supra 431 l. 9 sqq. — [2] Ioan. 19, 39 sq; Matth. 27, 59. — [3] Supra 429, l. 10 sqq. — [4] P. Comestor, l. c. — [5] *Leg. Mai.* c. 15, n. 3. — [6] Cf. supra 429 l. 33 sqq. — [7] *Leg. Mai* c. 14 n. 4. — [8] *Leg. Mai* c. 15 n. 4. — [9] *Leg. Mai.* c. 15 n. 2; I Cel. II c. 9 n. 112. — [10] *Leg. Mai* c. 15 n. 3. I Cel. II c. 9 n. 113. — [11] *Leg. Mai.* c. 15 n. 2. — [12] L. c. n. 3.

Sextum est corporis beati Francisci ad locum sepulturae delatio. Dominus noster Iesus Christus etsi post depositionem (*a*) de cruce in gremio et brachiis beatae Mariae et aliorum stetisset et aromatibus conditum fuit, quia in loco crucifixionis non erat sepeliendus, sed alibi de prope; tamen beata Maria, Ioannes Evangelista, Magdalena, Ioseph, Nicodemus et alii corpus Iesu tollentes ad sepulchrum deduxerunt et in sepulchro novo, ubi nullus fuerat depositus, sepelierunt. Beatus Franciscus etsi sabbato de sero migraverit [1], non tamen statim eum sepelierunt. — Ratio quia, etsi (*b*) c o r beatus Franciscus d i m i s i t s e p e l i e n d u m in loco Sanctae Mariae de Portiuncula, ubi decessit, ad ostendendum amorem quem habebat ad locum praefatum, et sic factum fuit (*c*) (nam aperto corpore beati Francisci, c o r a c c i p i e n t e s e t i n t e r i o r a i n l o c o s a n c t a e M a r i a e s e p e l i e r u n t [2]); tamen quia beatus Franciscus Assisii se in Colle Inferni [3], id est ubi malefactores puniebantur, dimisit sepeliendum ex humilitate, in loco videlicet ubi nunc iacet, propter noctem corpus illuc statim deferre non valuerunt (*d*). Corpus [4] ergo fratres accipientes et feretrum panno portato a domina Iacoba de Septemsoliis adornantes, ac cereorum multiplicatis luminibus, per totam noctem Deum laudaverunt, non exsequias defunctorum sed excubias praeferentes Angelorum. De mane autem, populo congregato, corpus ipsius fratres tollentes cum hymnis et canticis et cum arborum ramis et cereis multis, a loco Sanctae Mariae Assisium perduxerunt. Sed cum ipsum Assisium ducerent, declinantes a recta via fratres aliquantulum et ad Sanctum Damianum pergentes, iuxta vaticinium beati Francisci, qui dixerat se (*e*) a beata Clara cum suis sororibus videndum [5], beatae Clarae et sororibus ostio a (*f*) crate amoto, corpus intus miserunt et osculandum ac contrectandum praefatis exhibuerunt. Ubi beata Clara et sorores indicibilem consolationem habuerunt, contrectando patrem et stigmata illa Christi (*g*) osculantes [6]. Et tunc beata Clara conata est clavum a manu removere, sed non potuit [7]. Et quia se orbatas videbant tanto patre (*h*) amarissimas lacrimas effundebant [8], ut delatio corporis beati Francisci in planctu ad sepulchrum similis esset Domino Iesu Christo. Perducto autem corpore Assisium, quia in dicto loco ubi se indicaverat sepeliendum, nulla erat habitatio, eius sacrum corpus in quadam capsa nova de lignis incluserunt, ac inde posito in ecclesia Sancti Georgii deposuerunt, ubi nunc est corpus beata Clarae et ipsius monasterium. In dicta ecclesia « puerulus ipse beatus Franciscus litteras didicit, ibi primitus praedicavit et demum primum locum quietis accepit [9] ». In dicto loco stetit bene quatuor annos, usquequo fuit translatum eius corpus ad locum ubi nunc iacet; qui locus fuit primo dictus Collis Inferni, nunc autem Collis Paradisi vocatur. In quo loco humilitate beatus Franciscus se dimisit sepeliendum.

Pro quo sciendum, quod posito corpore beati Francisci in ecclesia Sancti Georgii, fratres ad consules euntes qui Assisium gubernabant, petierunt locum ad humandum corpus (*i*) beati Francisci et ecclesiam et locum aedificandum; et ut Deo

---

(*a*) Edd. *postquam depositus;* subinde *stetit.* — (*b*) As *si.* — (*c*) As, Edd. *est.* — (*d*) Edd. *noluerunt.* — (*e*) Al, As *eum beatam Claram c. s. sor. videndum* (*vid.* om. Al). — (*f*) As om.; Al *et.* — (*g*) Al add. *contrectantes et.* — (*h*) Al, As *tempore.* — (*i*) Edd. om. *corpus* (tunc hab. *beatum Fr.*).

---

[1] L. c. n. 6. — [2] Supra 428, n. 27 sqq. — [3] *Chron. 24 gen.* AF III, 33 l. 30-1; 72, l. 20-3. Cf. *Bull. franc*, I 60. Bern de Bessa, c. 8, AF III, 688 l. 4. *Speculum vitae*, (Ven. 1504, Met. 1509) 167 r. — [4] *Leg. Mai.* c. 15 n. 5. — [5] Supra 426 l. 30 sqq. — [6] L. c. I Cel. II, c. 10 n. 116. — [7] Supra 410, n. 11; p. 372 l. 9-10. — [8] I Cel. II, c. 10. n. 116-7. — [9] *Leg. Mai.* c. 16 n. 5.

placuit (ut intentio beati Francisci perficeretur) nullus locus pulchrior, aptior et melior inventus est in tota civitate Assisii. loco iam dicto. Et sic locum praefatum cives tradentes fratribus [1], ibidem ecclesiam quae nunc est, fundaverunt et locum, et (*a*) ecclesia fundata et loco, translatum est corpus de ecclesia ipsa Sancti Georgii ad locum ubi nunc manet. Quae translatio facta est anno Domini 1230 [2], anno secundo post eius canonizationem; quae canonizatio facta est anno secundo, post eius mortem, scilicet 1228 XVII kalendas augusti [3]. Dicta translatio facta est tempore generalis capituli apud Assisium celebrati, ubi affuerunt ultra duo milia fratrum. Et fuit tunc tantus concursus populorum, quod civitas Assisii non potuit eos capere; unde fuit necesse, quod in campis starent extra civitatem [4]. Nunquam in translatione alicuius sancti tantus convenit populus, sicut in translatione beati Francisci.

3. Septimum est miraculorum operatio. Sicut Christus ante mortem, in morte et post mortem et specialiter in sepulchro fecit miracula, ut dicetur conformitate sequenti [5]; sic beatus Franciscus etsi multa ante fecerat in vita, statim etiam mortuus incepit maximis et multis coruscare signis et prodigiis, ut dicetur conformitate XI et XII huius III libri, quibus adhuc in dicto loco dominus Gregorius IX eum sanctorum catalogo ascripsit [6].

Octavum est sepulchri clausio. Sicut sepulchrum Christi fuit clausum et signatum *cum custodibus* [7], sic beati Francisci sepulchrum fuit clausum, ut nunquam deinceps alicui patuerit eius (*b*) corpus [8]. Et quando fuit translatum, simul eius corpus cum capsa ad locum fuit portatum et positum ubi nunc iacet [9].

Nonum quod sicut de corpore Christi posito in sepulchro nihil extra remansit, immo quod extra remanserat, scilicet sanguis, in puncto resurrectionis (*c*) positum fuit in corpore et sepulchro; sic de corpore beati Francisci, quod (*d*) taliter clausum exstitit, ut nihil de ipso penitus pro (*e*) reliquiis et veneratione reperiatur vel inveniatur, excepto corde, ut dicitur a corpore extracto [10] et in Sancta Maria sepulto et posito. Et sanguis, qui de beato Francisco reperitur, etsi (*f*) possibile est quod sit de corpore eius, tamen est de eius imaginibus, ad probandum eum vere stigmata habuisse, distillatus et effusus, sicut conformitate III huius libri III dictum est [11] de fratre Praedicatore, qui voluit stigmata radere, et sanguis emanavit.

(*a*) As, om.; Al *ubi ecclesia iam fundata est.* — (*b*) Edd. *eius corpus simul cum capsa fuit* (etiam As om. *ad locum*) *port. et pos. ubi n. iacet.* — (*c*) Edd. *in resurrectione.* — (*d*) As, Edd. om. (*taliter enim*). — (*e*) Al *de.* — (*f*) Al, As *et.*

[1] Instrumentum hoc edidit Azzoguidi, *S. Antonii Sermones in Psalmos,* Bononiae 1757, 54; Fea, *Descrizione ragionata della Basilica di S. Francesco d'Assisi,* Roma 1820, 25. Thode, *Franz von Assisi u. die Anfänge der Kunst der Renaissance,* Berlin 1884, 539; ed. II ibid. 1904, 609-10; versio gallica auct. G. Lefèvre, II (Paris 1909) 298-9. Lempp, *Frère Elie de Cortone,* Paris 1901, 170-1. — [2] *Leg. Mai.* c. 15 n. 8; Cf. Lempp, l. c. 83 sqq. — [3] *Leg. Mai.* c. 15 n. 7. — [4] Cf. Lempp, l. c. B. de Bessa, c. 8, AF III, 688 l. 5 sqq. *Leg. 3 soc.* c. 18 n. 71. Cf. *Specul. vitae,* f. 168 r. — [5] Infra 444 sqq. — [6] *Leg. Mai.* c. 15 n. 7. 1 Cel. III, 119 127. — [7] Matth. 27, 66. — [8] Cf. Nic. Papini, O. M. Conv., *Notizie sicure della morte, sepoltura, canonizzazione e traslazione di S. Francesco d' Assisi e del ritrovamento del di lui corpo,* Firenze 1822, in-8°, 247 pp, Ed. II: Fuligno 1824, in-8°, 340 pp. — [9] *Leg. Mai.* c. 15 n. 8. Bessa, l. c. — [10] Supra 428 l. 27 sqq; 442 l. 10 sqq. — [11] Supra 412, l. 17 sqq.

Decimum est corporis in primo loco permansio. Sicut Christus quadraginta horis, ut dicit Augustinus IV *De Trinitate* cap. 6[1], stetit mortuus et triginta sex in sepulchro, et postea inde resurrexit; sic beatus Franciscus stetit quadraginta mensibus et parum plus in primo loco translatus, ad ecclesiam in qua nunc iacet. Cuius lapidem primarium ipse Papa Gregorius IX manu propria posuit[2], dictamque « ecclesiam ab omni iurisdictione inferiori eximens, auctoritate Apostolica ipsam caput et matrem totius Ordinis fratrum Minorum instituit[3] », prout in *Legenda trium sociorum* in fine habetur[4]. Praemissis ergo apparet declaratio secundae partis, scilicet *Franciscus tumulatur;* patet etiam conformitas plurima tumulationis beati Francisci ad tumulationem Domini nostri Iesu Christi (*a*).

FRUCTUS ET CONFORMITAS SEPTIMA ET IN ORDINE TRIGESIMA QUINTA:

Iesus Decor Attenditur. — Franciscus Venustatur.

Expositio primae partis, videlicet: **Iesus decor attenditur.**

De Domino nostro et Salvatore quomodo fuerit gloriosus quoad corpus, et hoc in sua resurrectione a mortuis, et quibus apparuit gloriae stola decoratus, prout exigit prima pars huius VII conformitatis, locuturus, duo succincte erunt videnda, quia prolixe fructu LVII in libro *De vita Virginis Mariae* ante (*b*) tractavi[5]. Primum est de Christi resurrectione qualiter est perpetrata; secundo quomodo eius caro gloriosa a terrenis hominibus est visa et manifestata

1. Quantum ad evidentiam primi est sciendum, quod resurrectio Christi primo fuit decentissima; decentissimum enim fuit Christum resurgere a mortuis. Primo, ut Scriptura impleretur dicens, Psal. 15, 10: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem,* et (*c*) Ps. 29, 10: *Quae utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* Is. 11, 10: *Erit radix Iesse* etc.; sequitur: *Et erit sepulchrum eius gloriosum.* Os. 6, 3: *Die tertia suscitabit nos;* quia surrexit *suscitabit nos,* prout dicit Apostolus[6]; et Sophon. 3, 18: *Exspecta me in die resurrectionis meae; dicit Dominus.* Sacra Scriptura eum vocavit: *Deum, Patrem futuri saeculi,* Is. 9, 6; *Omnipotens,* Exod. 15, 3; *Dominum virtutum, regem gloriae, sacerdotem in aeternum*[7]; et sic de aliis, quae minime intelligi possent, ipso a mortuis non suscitato. Figurae multae sunt in sacro Eloquio dormitionis Christi per mortem et eius resurrectionis. Sicut est de somno Adam, Gen. 2, 21; de dormitione Iacob supponendo lapidem capiti suo etc., Gen. 29, 11 sqq, et de mane surrexit; de Samsone, qui *dormivit usque ad noctis medium,* Iudic. 16, 3; de Iona qui *tribus diebus* stetit *in ventre ceti,* postmodum exivit etc.[8]; et sic de aliis, quae pandunt primo Christi soporem per mortem et demum resurrectionem Christi ad vitam. — Secundo ut manifestaretur veritas. Christus promiserat se resurrecturum *die tertia,* Matth. in pluribus locis[9]; quare, quia *veritas* est, Ioan. 14, 6, decuit eum resurgere. — Tertio idipsum decebat divinam iustitiam. Christus voluntarie pro nostra redemptione assumpsit

(*a*) Edd. add. *Laus ipsi. Amen.* — (*b*) As, Edd. om. *ante.* — (*c*) Edd. om. *et Ps. 29, 10 — corruptionem.*

[1] L. c. (P. L. 42, 894). — [2] *Leg. 3 soc.* c. 18 n. 72. — [3] *Bull. franc.* I, 60-1 (bulla: *Is qui Ecclesiam*). — [4] L. c. — [5] Lib. V, fruct. II, ed. cit. 681. — [6] 1 Cor. 6, 14. — [7] Ps. 13, 10; 109, 4. — [8] Ioan. 4, 2 sqq. Matth. 12, 40. — [9] Matth. 16, 21; 17, 22; 20, 19.

mortem et fuit innocentia decoratus; quare corpus ab incineratione et putrefactione conservari debebat (*a*), quae est poena peccati. Insuper Christus suam quoad corpus glorificationem promeruit; quare divina iustitia eam sibi dare debuit. — Quarto erat decens propter nos. Primo ut resurgendo de nostra resurrectione, secundum Apostolum, spem certam daret [1]. Insuper beatitudo nostra corporalis, qua corpus nostrum erit beatificandum (*b*), non esset, quia in visione humanitatis Christi beatae quoad corpus est nostra corporea beatitudo. — Quinto Iudaeorum pravitas hoc exigebat, ut confunderetur; cuius oppositum fuisset, si Christus non resurrexit. — Sexto decebat Christum resurgere, ne impotens Christus argueretur, et per consequens non Deus, qui est omnipotens, non resurgendo, utique fuisset. Multae aliae sunt congruentiae, quas ad praesens omitto.

Sed hic sunt aliqua dubia, ex quo decebat resurgere Christum. — Quare non statim resurrexit, sed per tres dies tardavit? Respondetur primo, ut Scriptura, quae ponit *tres dies* [2], compleretur. — Secundo ut suum dictum, scilicet Christi, verificaretur; quia *post tres dies resurgam* [3]. — Tertio ut mors Christi verissime probaretur, quae tribus diebus velut testibus est certificata et probata. — Quarto ut vere hominem fuisse declararetur; quod tali dilatione est ostensum.

Secundum (*c*) dubium. Quomodo est verum, quod Christus diebus tribus stetit mortuus? Respondetur, quod si quaeratur de tribus diebus (*d*), tres dies accipiuntur, ut dicunt doctores, per figuram synecdochen, qua pars aliquando accipitur secundum grammaticos pro toto. Nam secundum Augustinum in nona hora diei Christus exspiravit, accipiendo nonam modo nostro; et XL [4] horis mortuus fuit. Quarum horarum V dantur diei veneris, qua decessit (quia ab hora qua decessit usque sero fuerunt V horae) postmodum per noctem sequentem et diem sabbati stetit: et sic XXIV horis et nocte sequenti usque ad nonam horam, qua surrexit: et sic, quia aequinoctium vernale erat, XI horis stetit: et quia V, XXIV et XI simul iuncta faciunt XL, et sic die una integra et partim de primo die et partim de tertia, quae potest pro toto accipere dicta figura synecdoche; et sic per doctores tres dies praedicti verificantur [5].

Tertium dubium. Quare non exspectavit cum aliis resurgere in fine mundi? Respondetur, quod hoc non fecit, primo propter sui corporis nobilitatem, Psal. 15, 10: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Secundo propter nostrae resurrectionis exemplaritatem. In aliquo resurrectio praecedere debebat, qui posset nos resuscitare; et ipse solus est, qui *notas* fecit nobis *vias vitae* [6]. Tertio propter fidei firmitatem; non fuisset Deus reputatus, sed purus homo, si sic distulisset.

Quartum dubium. Quo tempore resurrexit? Respondetur, quod si quaeratur de mense: secundum beatum Augustinum IV *De Trinitate* [7], fuit de mense martii, scilicet (*e*) VI kalendas aprilis, quae est 28 martii, in quo scilicet mense mundus a Deo creatus est, primus homo conditus, populus Israeliticus ab Aegypto et Pharaone liberatus, et tandem per Christum mundus redemptus est sua passione. — Si de die quaeratur, respondetur, quod die, qui nunc dominica appellatur, quia *prima sabbati,* Marc. 16, 7, qua die, secundum Magistrum II dist. 2 [8], Angeli conditi sunt a Deo et ab ipso lex data Moysi. — Si de hora, respondetur, quod doctores discrepant. Gregorius dicit post matutinum [9]; Augustinus IV *De Trinitate* cap. 6 [10], quod in aurora. Quos doctores Bonaventura III dist. 22 ad concordiam de-

---

(*a*) As, Edd. ***decebat***. — (*b*) Al ***benedicendum***. — (*c*) Ed. I et II ***tertium***. — (*d*) As, Edd. om. ***si quaer. de tr. diebus***. — (*e*) Edd. om. ***scilicet — martii***.

---

[1] I Cor. 6, 14. — [2] Matth. 12, 40; 27, 63; Marc. 8, 31 etc. — [3] Marc. 27, 63. — [4] *De Trinit.* l. IV, c. 6 (P. L. 42, 894). — [5] Cf. Pisanus, *De vita B. M. Virg.*, l. c. 681 sq. — [6] Ps. 15, 11. — [7] *De Trinit.* l. IV, c. 6 (P. L. 42, 894 sq.). — [8] *Sent.* l. II, part. II, c. 1. — [9] Homil. XXI in Evang. n. 7 (P. L. 76, 1173). — [10] *De Trinit.* l. IV, c. 6 (P. L. 42, 894 sq.).

ducit dicens [1], quod res dicitur fieri quando fit secundum veritatem, aut quando innotescit: Gregorius dicit quando fuit; Augustinus quando innotuit. Potest dici, quod Christus resurrexit non media nocte nec in mane, sed in medio tempore; quod (*a*) quidem medium potest accipere denominationem extremorum, scilicet (*b*) mediae noctis et aurorae. — Sed si quaeratur de tempore, quoad aetatem, respondet Apostolus, quod in aetate, quae erat perfecta, triginta trium annorum; quae aetas est perfecta, in qua et nos resurgemus, secundum Apostolum Eph. 4, 13.

Secundo fuit Christi resurrectio integerrima et sincerissima. Nam in passione Christi anima fuit separata a corpore et neutrum a Deitate. Sanguis etiam multus fuit a corpore separatus, sed in resurrectione sanguis fuit reunitus corpori et corpus animae et e converso: quare sicut Christus erat prius vivens integer, sic et resurrexit. — Et si quaeratur de sanguine, si aliquid remansit, quia in quibusdam ampullis pro reliquiis dicitur haberi, respondetur, quod sanguis (*c*) Christi, ut creditur, nihil remansit extra eius corpus post resurrectionem; qui vero reperitur, est sanguis quarumdam imaginum, sicut de imagine Christi in Berytho (*d*) a Iudaeis percussa [2].

Tertio fuit veracissima Christi resurrectio; quia eadem persona numero, quae passa est, et quae resurrexit. Ubi sciendum, quod Dominus Iesus probavit veritatem (*e*) sui corporis et naturae humanae multipliciter. — Primo per gustum, cum discipulis comedendo, Lucae 24, 40 sqq. et Ioan. 21, 12 sq. — Secundo per tactum se palpabilem discipulis praebendo, Lucae 24, 39 sq. et Ioan. 20, 27 sqq. — Tertio per visum, se visibilem eis exhibendo, Matth. 28, 19 sqq. Marc. 16, 12 sqq. — Quarto per auditum, se resurrexisse per Angelos praedicando (*f*), Lucae 24, 14 sqq. Ioan. 20, 41 sqq. Et quia hi sunt quatuor principales sensus, ideo potest dici, quod via sensus et experientiae praefata ostendit Christus et probavit.

Sed hic aliqua dubia occurrunt. Et primum dubium: Quomodo Christus vere comedit, cum in eius substantiam cibus non posset converti, utpote quia impassibilis? Respondetur, quod in sumptione cibi sunt quatuor, scilicet masticatio, traiectio cibi: et ista duo fuerunt in Christo; digestio vero et in comedentem pro parte conversio in eo non fuerunt. Quid fiebat de cibo? Respondet Augustinus libro VI *Quaestionum* [3], quod in spiritualem naturam, id est vaporem conversus est, sicut aqua resolvitur scilicet per solis calorem (*g*). Hanc solutionem ponit Alexander de Ales III, parte I, quaest. 22 (*h*) [4].

Secundum dubium: Quomodo corpus Christi fuit palpabile, cum esset impassibile (*i*)? Respondet Alexander in loco praeallegato [5], quod Christus et corpus beatum habet de sui natura quod palpetur, si (*k*) vult, et si non vult quod non palpetur; similiter ut videatur si vult, et si non vult ut non videatur. Aliter potest dici, quod naturaliter non est palpabile, sed bene supernaturaliter.

Tertium dubium: Quomodo corpus tale potest videri, cum sit improportionatum potentiae visivae? Respondetur, ut dictum est, quod in eius potestate est videri et non videri. Similiter (*l*) potest dici, quod claritas corporis gloriosi non est ex se diverberativa aciei visivae aut contristativa visus, sicut est virtus solaris. Sol enim splendet et calet ratione secundi non primi, virtutem visivam confundens (*m*) Non sic est de luce illa corporis gloriosi; non enim dissipat, sed magis est visus adunativa, confortativa et delectativa.

(*a*) As *quod quia;* Edd. *et quia.* — (*b*) As, Edd. *et sic.* — (*c*) Edd. *de sanguine.* — (*d*) Codd., Edd. *Baruto.* — (*e*) Al *suam resurrectionem multipliciter.* — (*f*) Al, As *praedicendo.* — (*g*) As, Edd. *radium.* — (*h*) Al, As, Ed. I, II, *quaest. 231;* Ed. III *230.* — (*i*) As, Edd. *incorruptibile.* — (*k*) Edd. om. *si — palpetur.* (*l*) As, Edd, *Aliter.* — (*m*) As, Edd. *confunditur.*

---

[1] *Sentent.* l. III, dist. 22, quaest. IV. — [2] Cf. Anastasius Biblioth. P. L. 129, 283-6; cf. P. G. 28, 813-20. Baronius, *Annales*, ad an. 787 n. 23-8. — [3] *Sex quaest. contra Paganos, epist. 102* (al. 49) quaest. I (P. L. 33, 372). — [4] *Summa Theol.*, l. III, quaest. 22, membr. 2, art. 3. — [5] L. c. art. 2.

Quartum dubium: Quia videtur, quod diabolus omnia praedicta possit exercere. Respondetur, quod si attendatur finis propter quem ista fiebant et sub (*a*) quibus circumstantiis, diabolus illa non posset facere.

Secundo Salvator probavit identitatem personae: Primo per visum et tactum, scilicet per cicatricum ostensionem, dicens, Lucae 24, 39: *Videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum; palpate et videte.* Et Ioan. 20, 20: *Ostendit eis manus et latus.* — Sed hic est dubium de cicatricum reservatione, quare Christus ipsas reservavit a mortuis resurgendo. Respondetur quod pluribus de causis: Prima ad ostendendum quod ille idem, qui crucifixus est, postea a mortuis resurrexit. Secunda ut ipsas ostendendo Patri, secundum Bernardum, placet ipsum contra peccatores. Tertia in signum sui triumphalis victoriosi certaminis, virtutis et meriti: sanctis enim ad gloriam erunt signa suarum passionum, ut dicit Augustinus XXII *De civitate Dei* cap. 20 [1] (*b*). Quarta est, ut Iudaei et alii videant tempore iudicii quem contempserunt. — Secundo probavit identitatem personae per sensus Scripturae apertionem, dando eis *sensum, ut intelligerent Scripturas,* ut habetur Lucae 24, 45 sqq. Sacra Scriptura prodit Christum resurgere debuisse idem numero, qui et passus, tam verbis quam figuris. — Tertio idem probavit per reductionem verborum ad memoriam, quae ante mortem prius eis dixerat de sua passione et resurrectione, ut habetur Lucae 24, 44. — Quarto probavit per panis fractionem, quia eumdem modum tenuit in pane frangendo post resurrectionem, ut ante passionem faciebat; quare quod idem numero esset et eadem persona resurgens cum moriente ostendit.

Tertio (*c*) probavit se, omni miseria deposita, in gloria resurrexisse, et hoc per dotes corporis; per subtilitatem: ad eos intrando ianuis clausis et de sepulchro clauso egrediendo. Sed advertendum, quod licet quatuor sint dotes corporis gloriosi, scilicet subtilitas, agilitas, claritas et impassibilitas, et (*d*) hanc corporis gloriosi subtilitatem ostendit, ut dictum est; agilitatem ostendit, quia statim evanescebat et ubi volebat statim aderat; impassibilitatem, quia sine laesione intrabat ad eos et exibat: licet ergo sic ostenderit dotes, tamen praecipue per subtilitatem. Ratio, quia ad ipsam aliae sequuntur et non e converso, ut patet discutienti. Sic ergo, praefatis patet quod eius resurrectio fuit veracissima.

Idipsum arguit multiplex apparitio Christi diversis exhibita post resurrectionem. Ipsa die resurrectionis quinque vicibus apparuit: primum Magdalenae, Ioan. 20, 14 sqq. et Marc. ult, 9; secundo aliis Mariis et eas salutavit, Matth. ult. 9 sq.; tertio Petro, Marc. 16, quarto duobus discipulis euntibus in Emmaus, Lucae 24, 13 sqq.; quinto discipulis, Thoma absente, Ioan. 20, 19 sqq. Apparuit etiam ipsa die primo beatae Mariae, ut dicetur. Aliis diebus apparuit primo discipulis et Thomae cum eis, Ioan. 20, 26 sqq; secundo discipulis piscantibus, Ioan. 21, 1 sqq.; tertio discipulis in monte Thabor, Matth. ult. 16; quarto recumbentibus undecim discipulis, Marc. 16, 14 sqq.; quinto in monte Oliveti, quando abiit in caelum, Act. 1, 2 sqq. et Luc. 24, 50 sqq. Apparuit etiam 500 fratribus simul, I Cor. 15, 6 (*e*). Probata est etiam resurrectio esse veracissima per Angelos. Ipsa die resurrectionis quatuor Angeli apparuerunt: unus extra sepulchrum, Matth. 28, 2 sqq.; alius intra sepulchrum, Matth. ult. 5; duo alii apparuerunt Magdalenae, unus ad caput sepulchri Christi, alius ad pedes [2], et isti eum dixerunt resurrexisse. Sic ergo testimonio praefatorum apparet, quod resurrectio Christi est veracissima.

Quarto resurrectio Christi fuit felicissima, quia omni miseria deposita et defectibus. Deposuit enim et dimisit resurgendo: primo mortalitatem et accepit immortalitatem; secundo obscuritatem corporis, induendo claritatem; tertio terrestritatem, capiendo subtilitatem; quarto ponderositatem, accipiendo agilitatem; quinto servitutem, sumendo super

(*a*) Edd. *super*. — (*b*) Codd. Edd. *22*. — (*c*) As *Quinto*. — (*d*) As, Edd. om. *et* — *gloriosi*. — (*e*) Codd., Edd. *Gal. 1*.

[1] De civit. Dei, l. XXII, c. 19 (al. 20) n. 3 (P. L. 41, 782). — [2] Ioan. 20, 12.

omnes potestatem; sexto infirmitatem et passibilitatem, possidendo impassibilitatem; septimo temporalitatem, transferendo se ad aeternitatem; octavo luctum, arripiendo perfectam iucunditatem; nono debilitatem, sumendo fortitudinem et vigorositatem: patuit (*a*) in prostratione daemonum et liberatione patrum; decimo tristitiam et miseriam, capiendo pacem et tranquillitatem; undecimo transiit ab instabilitate vitae prasentis ad securitatem; duodecimo ab humilitate ad super omnes imperiositatem. Sic ego patet quod resurrectio fuit felicissima.

Quinto resurrectio fuit vigorosissima, tam in extractione patrum a limbo, quam in se et sua virtute a mortuis suscitando.

Sexto resurrectio fuit stabilissima, quia resurrexit a mortuis, *et mors illi ultra non dominabitur* [1]; unde Christus dicitur *primogenitus mortuorum* [2], scilicet ante quem nullus resurrexit propria virtute, perenniter victurus.

Septimo resurrectio fuit mirabilissima et stupendissima. Nam miracula multa et magna Christi resurrectione sunt operata. — In sepulchro primum miraculum est *terraemotus magnus* [3]; qui, ut dicit Hieronymus ad Hedibiam [4] (*b*), non est factus more solito, sed ita magnus ut concuteret omnia et eversionem terrae minaretur. — Secundum miraculum, quod, sepulchro clauso et sigillato remanente, Christus abinde resurgendo exivit. Sed post per Angelum est apertum ad ostendendum Christum vere resurrexisse [5]. — Tertium miraculum fuit Angelorum in monumento apparitio, qui quatuor, ut dictum est [6], apparuerunt. — Quartum miraculum fuit custodum sepulchri prostratio, qui *facti sunt velut mortui,* Matth. 28, 4. Sed circa corpus Christi facta sunt miracula. — Primum corporis lacerati et vulnerati subita redintegratio. — Secundum ipsius corporis, ne in sepulchro per triduum corrumperetur, praeservatio. — Tertium miraculum perfecta corporis reorganizatio, si in aliquo ex contractione deorganizatum fuisset. — Quartum miraculum ut subito sit factum incorruptibile. — Quintum sanguinis a corpore emissi subita recollectio et in corpus, sepulchro clauso, reintromissio. — Sextum subita corporis animatio et vivificatio. — Septimum inclyta (*c*) corporis quoad quatuor dotes, scilicet subtilitatis, agilitatis, claritatis et impassibilitatis decoratio. — Octavum subita aeris illustratio, quae facta est in hora resurrectionis. — Nonum est subita a mortuis resurrectio et beatificatio corporis. Nam ante nullus resurrexit a mortuis, cuius corpus beatificaretur, nisi Christi. — Decimum miraculum est ipsius corporis tam grandis, ut dictum est [7], de sepulchro clauso egressio. — Undecimum aliorum Christi virtute a mortuis resurrectio, et vera secundum Ambrosium [8]. — Duodecimum miraculum sui corporis in diversis locis ostensio et apparitio, ut est dictum [9]. Praefatis ergo apparet de primo quod erat videndum, scilicet de Christi resurrectione, quomodo fuit et qualiter perpetrata.

2. Restat ergo videre de secundo, quibus fuit demonstrata. Quia dicitur in prima parte, quod *Iesus decor attenditur,* videndum est a quibus ipse visus est et quid in videntibus effecerit. Pro cuius evidentia sciendum, quod *decor,* id est Christus totus gloriosus a (*d*) mortuis resurgens, visus est a pluribus. Nam multis apparuit.

Et primo beatae Mariae. Licet enim Evangelistae de apparitione Christi facta beatae Mariae nullam fecerint mentionem, utpote quia solum de illis apparitionibus sunt locuti, quibus tam ratione testium quam ipsis apparitionibus fides probaretur, et quia testimonium maternum, ut plurimum, est suspectum propter affectum matris ad filium; attamen devo-

(*a*) Edd. om. *patuit — patrum.* — (*b*) Al, As *Ebynam;* Edd. *Albinam.* — (*c*) Edd. *indita corpori... subtilitatem* etc. — (*d*) Edd. om. *a mortuis resurgens.*

[1] Rom. 6, 9. — [2] Apoc. 1, 5. — [3] Matt. 28, 2. — [4] *Epist. 120,* c. 6 (P. L. 22, 990 sqq.). — [5] Cf. Matth. 28, 2 sqq.; Luc. 24, 1 sqq.; Ioan. 20, 1 sqq. — [6] P. 447, l. 38 sq. — [7] P. 447 l. 21 sq. — [8] Cf. *Expositio Ev. sec. Lucam,* l. X, n. 128 (P. L. 15, 1836). — [9] P. 447 l. 29 sqq.

tus Bernardus probat [1], quod beatae Mariae Iesus eius filius in resurrectione primo apparuit, utpote quia nulla fuit ea gratia visionis dignior; secundo quia nulla fuit exspectationis desiderio (*a*) ferventior; tertio nulla deprecandi (*b*) instantia vehementior; quarto apparenti intimior nulla fuit (*c*); quinto nulla in discurrendo quietior; sexto nulla ea innominatior. Evangelistae de ea mentionem non fecerunt causa, ut dictum est; insuper quia nullus dubitavit (*d*). Certe crediderunt, quod primo matri quam aliis apparere deberet; et sic apparuit.

Quo eidem apparente, indicibili gaudio est repleta propter multa. Primo videndo Filium omnis passibilitatis et doloris evasisse miseriam, quod suis optant filiis parentes. Secundo intuendo eum omni stola beatitudinis perfectum. Tertio quia Christus cum consortio sanctorum, quos a limbo extraxerat, apparuit matri, ut pie creditur; et ipsi Dei genitrici gratias peregerunt. Praefatos beata Maria cernendo patres suos antiquos iucundatos et beatificatos, summo gaudio fruebatur (*e*). Quarto virgo gaudebat amplexando Filium ad omnem modum suae laetificationis. Quinto considerando omnem nostram beatitudinem in Filio suo esse ordinatam, gaudebat et quoad animam in sua Deitate et quoad corpus in beatificata humanitate. Sexto audiendo a Filio et sanctis aliis, quid egerat apud inferos et quod diabolum ligaverat. Septimo gaudebat videndo gaudium sanctorum patrum et aliorum liberatorum a limbo et a manu diaboli. Octavo gaudio iucundabatur videndo Filium veridicum esse demonstratum; quia, ut dixerat, *tertia die* [2] resurrexit a mortuis. Nono quia cum resurrectio Christi nonnisi Dei virtute fieri posset et omnipotentia, sic ergo cernendo (*f*) Christum resuscitatum a mortuis, eum omnipotentem laetabatur (*g*) esse comprobatum. Decimo quia sciebat filium suum declaratum dominum et imperatorem cunctorum. Hac enim resurrectione data est ei *omnis potestas in caelo et terra* [3]. Undecimo, quia hac resurrectione in suam et aliorum ab ipso Primogenito mortuorum potenter ac decenter ordinatum est. Duodecimo ad laetandum beatam Mariam inducebat, videndo Filium triumphatorem tam de daemonibus, quos apud inferos superavit, quam de Iudaeis, qui ipsum crucifixerunt dicentes eum seductorem [4], qui veracissimus fuit; ut enim promiserat, a mortuis resurrexit. Iucundata est beata Maria sic Filium cernendo resuscitatum, perpetuo victurum, et sic in ipsa (*h*) dolor passionis conversus est in summam laetitiam et gaudium dominicae resurrectionis. — Et si quaeratur, qualis erat eius Filius post resurrectionem: certe respondetur, quod erat *speciosus prae filiis hominum* [5], quia sole fulgentior et pulchrior quocumque creato. Et per consequens est quidam splendor et *decor,* ut dicit ista prima pars istius conformitatis.

Secundo Dominus Iesus speciali modo apparuit Magdalenae, quae dominica passione amaricata fuit, et ipsum suum dilectum quaerendo lacrimose tandem eum vidit. Sed quomodo? Ut decor et splendor eidem Dominus est manifestatus dicens, Ioann. 20, 17: *Vade et dic fratribus meis: Ascendo ad Patrem meum.* Et consequenter Christus eidem ostensus est gloriosus.

Tertio apparuit sanctis Apostolis et aliis discipulis, quibus multa faciendo, qualiter ut quidam decor sic eis (*i*) ostensus apparebat. Christus sanctis Apostolis fecit in resurgendo plura. Primum quod eis fecit, est quod tripliciter dicendo: *Pax vobis* [6], triplicem pacem eis dedisse, quam fecerat (*k*), ostendit, scilicet inter Deum et hominem pro homine satisfaciendo, inter Angelos et homines, inter homines et homines, quia infideles ab ipso longuinqui ad pacem verae fidei per ipsos Apostolos erant deducendi. Dedit eis etiam tripli-

(*a*) As, Edd. om. *desiderio.* — (*b*) Al *praedicandi.* — (*c*) As, Edd. om. *nulla fuit.* — (*d*) Al *dubitare,* Edd. *dubitaret, sed certe.* — (*e*) As, Edd. *tenebatur.* — (*f*) Al, As *credendo.* — (*g*) Al *est;* As, om. *esse est;* Al, As om. *laetabatur.* — (*h*) Edd. *ipse* (om. *in*). — (*i*) Al om. *eis ostensus.* — (*k*) Edd. om. *quam fecerat.*

[1] Cf. *Meditationes vitae Christi,* c. 86 (inter *Opera* S. Bonav., ed, Paris, XII, 616 sq.). — [2] Marc. 10, 34. — [3] Matth. 28, 18. — [4] Matth. 27, 63. — [5] Ps. 44, 3. — [6] Luc. 24, 36; Ioan. 20, 21, 26.

cem pacem pectoris dando Spiritum Sanctum, et consequenter (a) temporis, quia gaudebant, dignos se habitos videntes, *pro nomine Domini Iesu contumeliam pati* Act. 5, 41, et aeternitatis, quia Spiritus Sanctus, Rom. [1], est *pignus* et arrha, in quo est perseverantia (b) redemptionis aeternae. — Secundo materiam gaudii eis infundit, Ioan. 20, 20: *Gavisi sunt discipuli, viso Domino.* Nec immerito; quem tot doloribus subiectum inspexerant, viderunt eum perfecta resurrectione gaudentem. — Tertio consternatos vigoravit dicens eis, Lucae ult. 36: *Pax vobis: Ego sum, nolite timere,* concedendo eis de se fiduciam contra omnes possibiles adversitates. — Quarto eos salutando, salutem etiam praeoptavit et praeparasse declaravit, Matth. 28, 9 dicens: *Avete,* et Ioan. 20, 17: *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum.* Quo sequitur ipsum Patrem habendo, eos cum ipso finaliter permansuros. — Quinto eis lumen indidit: *Aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas,* Luc. 24, 45, quod fuit praecipuum donum et singulare.

Sexto de sua sacra resurrectione eos certificavit dicens: *Videte manus meas* etc. (c) Luc. 24, 39; et Thomae dixit, Ioan. 20, 27: *Infer manum tuam* etc. — Septimo Spiritum Sanctum eis tribuit, dicens Ioan. 20, 22: *Accipite Spiritum Sanctum* etc., qui est Spiritus Paraclytus; et per consequens omnem consolationem ipso Spiritu tribuit. — Octavo familiariter cum ipsis se habuit: se ponendo in medio eorum, Ioan. 20, 19, et se ostendendo palpabilem, Lucae 24, 39; et cum ipsis comedendo, Luc. 24, 41 sqq. et Ioan. 21, 10 sqq. et Marc. 16, 14. — Nono se verum Deum esse declaravit, Matth. 28, 16 sq., Christus apparendo in Galilaea discipulis in monte; sequitur: viderunt *eum et adoraverunt.* — Decimo suam eis omnipotentiam pandidit dicens, Matth. 28, 18: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra* etc. — Undecimo viam perveniendi ad vitam aeternam eis declaravit, dicens Matth. 28, 10 et Marc. 16, 15 sqq.: *Baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti;* et sequitur: *Qui baptizatus fuerit, salvus erit.* — Duodecimo se semper eis adesse tam sacramentaliter quam protectione et auxilio reseravit dicens Matth. 28, 20: *Ecce, ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.* Et sic apparet, quod Dominus in sua resurrectione et post sanctos suos discipulos visitavit multipliciter, salutavit, assecuravit, exhilaravit, cum eis manducavit, se palpandum praebuit, de sua potentia declaravit, Spiritu Sancto afflavit, dimittendi peccata auctoritatem tribuit, et roboravit dicens: *Ecce vobiscum sum* etc.; daemones expellendi facultatem concessit, Scripturae intelligentiam indidit, de faciendo miracula virtutem donavit. Quibus omnibus, quod eis se ostendit et aliis fidelibus, esse vigorem, valorem, decorem et splendorem sua resurrectione animarum nostrarum patet. Ex quibus patet declaratum, quod erat secundo videndum, quomodo Christus illis quibus apparuit se ostendit esse decorem et splendorem et honorem totius humanae naturae. Et sic patet quomodo prima pars, scilicet: **Iesus decor attenditur**, est intelligenda. Ad laudem ipsius (d). Amen.

Secunda pars septimi fructus et conformitatis tertii libri, et trigesimae quintae in ordine, videlicet:

Franciscus venustatur.

Expositio.

Viso quomodo Dominus noster Iesus Christus post mortem suam apparuit beatae Mariae matri suae et discipulis atque aliis gloriosus, et consequenter ut quidam candor et decor, ut prima pars dicit huius conformitatis, restat nunc videre, quo-

(a) Edd. om. *et consequenter;* subinde om. *videntes.* — (b) As, Edd. *perseveranter.* — (c) Edd. om. *etc.* — *tuam etc.* — (d) Edd. *sui*; As, om. *ad laud. ips. Amen.*

[1] Est pot. Eph. 1, 14.

modo beatus Franciscus visus est post suam mortem; et secunda pars dicit, quod *Franciscus venustatur,* id est totus venustus et clarus est visus et declaratus. Et hoc intendit secunda pars istius conformitatis declarare. Quod enim beatus Franciscus sic fuerit visus post mortem clarus, splendidus et gloria corruscus, frater Bonaventura in XIV parte *Legendae Maioris* ostendit.

Primo quomodo anima eius est visa. Ut enim ait ipse Bonaventura [1], hora sui transitus « unus ex fratribus et discipulis eius » (aliqui dicunt quod fuit frater venerabilis Bernardus de Quintavalle, et alii dicunt quod fuit frater Iacobus, qui in loco iacet humatus sanctae Mariae de Angelis Assisii, sed de his non est cura) [2] vidit ergo dictus frater et discipulus beati Francisci « animam illam beatam sub specie stellae praefulgidae ac candida subvectam nubecula, super aquas multas in caelum recto tramite sursum ferri tanquam sublimis sanctitatis candore praenitidam et caelestis sapientiae simul et gratiae ubertate repletam, quibus vir sanctus promeruit locum introire lucis et pacis, ubi cum Deo sine fine quiescit ».

Secundo idipsum ostenditur per visionem, quam sex fratres viderunt sanctitate conspicui et sepulti in praefato loco Sanctae Mariae de Angelis; qui viderunt simul animam beati Francisci, sub specie solari caelum adire [3].

Tertio id ostendit apparitio facta episcopo Assisinati, qui ad montem Garganum devotionis causa perrexerat, cui hora sui transitus apparens beatus Franciscus totus praeclarus et laetus, eidem dixit se relinquere mundum et caelum adire [4].

Quarto « frater Augustinus minister Terrae Laboris, vir sanctus et iustus, cum in hora ultima positus et iam pridem (a) loquelam amisisset, audientibus qui astabant, subito clamavit et dixit: « Exspecta me, pater, exspecta, ecce iam venio tecum ». Quaerentibus fratribus et mirantibus multum, cui sic loqueretur, audacter respondit: « Nonne videtis patrem nostrum Franciscum qui vadit ad caelum »? Et statim sancta ipsius anima migrans a carne patrem sanctissimum est secuta [5] ». Sic ergo caelum beatus Franciscus adibat; quare cum iret vallatus agminibus sanctorum, ut dicetur conformitate sequenti [6], totus gloriae decore erat quoad animam venustatus et ornatus. Quis enim fidelium habere possit in dubium, quin statim animae beati Francisci divina claritas sit manifestata, quae ubique praesens est et a beatis quocumque pergerint, beatifice contuetur? Quare anima beati Francisci a corpore separata, ut dicit doctor frater Bonaventura [7], a visione illa beatifica in minimo non (b) est separata et retardata, a qua solus (c) paries corporis, dum viveret, disiungebat. Anima enim in corpore existens, cum esset tota in Deum tranformata, quare post egressum a corpore est gloria perfectissime quietata et totaliter illustrata gloria et ornata.

Sic ergo apparet, quod sicut anima Domini Iesu a corpore egressa est perfectissime glorificata in portione inferiori et quietata, sic et anima beati Francisci est ab ipso Christo glorificata; quod ostendit tam solaris claritas quam stellaris, sub cuius specie caelum adire est conspecta, ut dictum est. Sic ergo patet succincte declarata secunda pars, scilicet: *Franciscus venustatur.*

(a) Edd. *per diem.* — (b) As, Al om. *non.* — (c) Codd., Edd. om. *solus.*

---

[1] *Leg. Mai* c. 14 n. 6. — [2] AF IV, 204; Fr. Iacobus B. de Bessa, AF III, 668 l. 18 sq.; *Chron. 24 gen.* ibid. 226. *Catalog s. Fratr. Min.* 7. Cf. *Leg. Mai.* c. 14 n. 6 I Cel. II, c. 8 n. 110. — [3] AF IV, 204; *Catal. s. Fratr.* 7. — [4] *Leg. Mai.* c. 14 n. 6. — [5] L. c. — [6] P. 456-7. — [7] *Leg. Min.* VII. lect. 5.

FRUCTUS ET CONFORMITAS OCTAVA ET IN ORDINE TRIGESIMA SEXTA:
Iesus Ductor Suscipitur. — Franciscus Laureatur.

Expositio primae partis, videlicet: **Iesus ductor suscipitur.**

Ascensionis dominicae, quia de ipsa loquitur praesens particula prima huius conformitatis, volendo pro consolatione nostra tractare, materiam ipsam sub responsionibus ad quaedam dubia duxi praesentibus tractare succincte.

1. Et primum dubium est: Cum anima Christi ab instanti suae conceptionis quoad partem superiorem perfectissime fuerit glorificata, et in parte inferiori post mortem anima ipsa a corpore egressa, ac a mortiis resurgendo totus quoad corpus et animam fuerit perfectissime beatus; cur caelum adire voluit, cum sua beatitudo ex hoc non sit aucta? Respondetur quod caelum adire voluit pluribus de causis. — Prima, quia sic requirebat eius corporis natura. Naturaliter quodlibet corpus habet locum suum; et cum corpus Christi esset gloriosum et consequenter esset impassibile, quare infra sphaeram activorum et passivorum eius non erat locus: esset enim (*a*) subtilius omni elemento, quare super ipsa; esset agilissimum (*b*), quare super omnes caelos; esset clarissimum, quare in caelo empyreo, ut in proprio loco locari decebat. — Secunda causa, quia sic exigebat nostra factura. Caelum peccato fuerat (*c*) clausum, et per Christum, pretio soluto, est apertum: ad ipsum ascendere caelum decebat, ut per ipsius mortem nobis apertum monstraretur. — Tertia causa: locus enim beatificus, etsi ad beatitudinem essentialem non spectet, pertinet tamen ad accidentalem. Quare et corpori suo caelum pro beatitudine accidentali ut daret, adiit. — Sed Salvator ascensionis suae quatuor causas assignavit: Prima fuit ad locum Apostolis praeparandum, Ioan. 14, 3; secunda ad Deum pro nobis exorandum, Ioan. 16, 26: *Ego rogabo Patrem pro vobis;* tertia ad Spiritum Sanctum destinandum, Ioan. 16, 7: *Si enim non abiero, Paraclytus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum vobis;* quarta ad cum Patre permanendum et standum, Ioan. 14, 28: *Vado ad Patrem* etc.

Secundum dubium: Cur ascendere Salvator tantum distulit? Respondetur primo, ut suam resurrectionem comprobaret. Hanc tangit Lucas, Act. 1, 3. Secundo ad suae matris et aliorum consolationem; Glossa Act. 1, 3 [1]: Sicut XL horis fuit mortuus, sic et XL diebus est post suam resurrectionem conversatus, quia consolatio divina tristitiam excedit humanam. Nam pro hora dies, pro die mensis et pro mense annus datur. Alias causas assignat Leo Papa in *Sermone de Ascensione*, qui incipit: « Post beatam et gloriosam » etc. vide ibi [2]. — Sed hic est dubium: Ubi stetit istis XL diebus? Non potest dici: cum Apostolis, quia evanescebat *ab oculis eorum* [3]. Respondetur de certo, quod in Paradiso caelesti quoad locum non fuit. Sed ubi fuerit, doctores varie loquuntur. Aliqui dicunt quod fuit in Paradiso terrestri et deliciarum; licet enim non esset locus spirituum, erat tamen ibi dispensative ad tempus. Alii dicunt quod semper fuit inter Apostolos et fideles, licet ipsi non semper eum viderent. Teneatur quod placet.

Tertium dubium: Quid peregit Christus ante suam ascensionem? Respondetur quod plura. Et primum est apparitionis. Nam secundum Magistrum in *Historia scholastica* [4] bis

(*a*) Al, As om. *enim;* deinde *subtile;* Edd. om. *omni.* — (*b*) Codd., Edd. *agilimum;* Ed. III. om. *ipsa ess. ag. qu. super.* — (*c*) Al, As om. *fuerat.*

[1] Glossa ordin. ap. Lyranum. — [2] Sermo 73 (al. 71) (P. L. 54, 394-6). — [3] Luc. 24, 31 sqq.; cf. Marc. 16, 12 sqq.; Ioan. 20, 19 sqq. — [4] P. Comestor, *Hist. schol.* in Act. Ap. c. 1 (P. L. 198, 1645).

ipsa die apparuit: primo recumbentibus XI discipulis, ut dicit Marc. 16, 14 sqq., et fuit in monte Sion in coenaculo; secundo in monte Oliveti, quando benedixit eis et caelum ascendit, Lucae 24, 50 sqq. — Secundum fuit fortis increpationis, Marci 16, 14, et de qua dicitur ibidem, de cordis duritia, quia non credebant vere eum resurrexisse a mortuis. — Tertium fuit comestionis. Comedit cum eis, ut vere se resurrexisse probaret et dilectionem ad ipsos sic comedendo ostenderet. — Quartum fuit iniunctionis officii praedicationis, Marc. 16, 14 sqq.: *Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae* etc., id est omni homini cuiuscumque exsisteret nationis. — Quintum solemniter sacramenti baptismi (*a*) instituti promulgationis dicens, Matth. 28, 19: *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti;* et sic formam expressit, quam non expresserat (*b*) ante.

Sextum gratiae miraculorum concessionis, dicens [1]: *Signa autem eos qui crediderint, haec sequentur: In nomine meo daemonia eiicient* etc. — Septimum responsionis ad interrogata, an regnum Israel restitui deberet, Act. 1, 6 sq., respondit: *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta;* quare futura a nobis indagari non debent et inutiles quaestiones indagari non decet. — Octavum familiaris itinerationis et socialis. Post comestionem *eduxit eos foras,* Luc. 24, 50, scilicet a monte Sion et Ierusalem. Nec credendum est, quod ipsos dimiserit usque ad montem Oliveti. — Nonum dulcissimae allocutionis. Ubi sciendum quod in omnibus praefatis virgo Maria semper praesens fuit, licet de ipsa mentio non habeatur. Ratio quia Act. 1, 14 sqq., dicitur quod post Christi ascensionem omnes *reversi sunt* ad montem Sion cum Maria etc. Eundo ergo de suo discessu alloquebatur matrem et discipulos et de multis informavit. Si *nunquam sic locutus est homo* [2], quanto magis tunc dulcius loquebatur! — Decimum est stationis. Nam pervento ad montem Oliveti, non statim ab eis discessit, sed per spatium cum eis stetit; et tunc, ut dicit Luc. 24, 49, mandavit eis sedere *in civitate,* donec *virtute* induerentur *ex alto.* — Undecimum sponsionis missionis Spiritus Sancti super discipulos et promissionis, Act. 1, 5: *Baptizabimini Spiritu Sancto.* — Duodecimum singularis benedictionis, Lucae 24, 50: *Benedixit eis;* quae benedictio ut efficacissima apprehendit eos.

Quartum dubium est: Qualiter ascendere complacuit Domino nostro Iesu Christo? Respondetur, quod Dominus Iesus voluit ascendere: Primo magnifice quoad societatem: ipsi ut triumphatori et omnium imperatori, tota caelestis curia (*c*) obviam processit. Insuper duxit secum omnes, quos a captivitate limbi et purgatorii extraxerat, iuxta dictum Psalmi [3]: *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem.* — Secundo festive et hymnidice quoad laudum multiplicem suavitatem, Psalm. [4]: *Currus Dei decem milia laetantium;* omnes enim cives caelici hymnizando obviam eidem euntes praecedebant; sic et sancti tum ipso et post ipsum incedentes laudabant, de quibus laudibus quia dictum est in opere *De vita beatae Mariae* fructu LVIII [5], hic eas repetere omitto. *Ascendit* ergo *Deus* in iubilatione, ait Psalmus [6]. — Tertio ascendit caelum mirifice, quia omni deposita mortalitatis miseria et omnis beatitudinis stola assumpta quoad corpus; et sic gloriosus totus ascendit, et sic impletum est illud Psalmi [7]: *Confessionem induisti,* scilicet quoad animam, *et decorem: amictus lumine sicut vestimento,* quoad corpus. Tunc impletum est illud Is. 33, 17: *Videbunt regem in decore suo;* plus septies sole resplendebat. — Quarto ascendit publice. Nam *videntibus* Apostolis et aliis *elevatus est* [8]; et satis credendum est, quod illud Apostoli I Cor. 15, 6 tunc esset verificatum, videlicet quod Dominus Iesus apparuit *plusquam quingentis fratribus simul*; et sic de eius ascensione multi testes fuerunt. — Quinto ascendit gratifice; et

(*a*) Edd. om. *sacramenti baptismi.* — (*b*) As, Edd. *fecerat.* — (*c*) As, Edd. *patria.*

[1] Marc. 16, 17 sq. — [2] Ioan. 7, 46. — [3] Ps. 67, 19; textus est Eph. 4, 8. — [4] Ps. 67, 18. — [5] Lib. V fruct. III, ed. cit 689-94. — [6] Ps. 46, 5. — [7] Ps. 103, 1 sq. — [8] Act. 1, 9.

hoc quoad modum. Nam ascendit facie et oculis ad orientem (*a*) conversus, et in hoc impletum est illud Psalmi [1]: *Psallite Deo, qui ascendit super caelum caeli ad orientem;* quo exemplum coeperunt Christiani orandi versus orientem. — Sexto ascendit citivole. Licet enim usquequo a beata Virgine, Apostolis et aliis fidelibus Christus videri posset, plane Dominus ascenderit, attamen ab oculis eorum nube acceptus spatium illud usque ad caelum empyreum in brevi tempore adiit, iuxta illlud Psal. [2]: *Exsultavit ut gigas ad currendam viam* etc. — Sed hic est dubium: si talis motus fuerit subitus vel successivus. Respondetur, quod accipiendo *subito* pro motu instantaneo, subitus non fuit sed successivus, etsi multum velox. Secundum dubium: si talis motus debet dici naturalis vel violentus. Respondetur: si appelletur motus naturalis, qui sit causatus a corpore gravi vel levi, ut alia corpora talia habent, quia corpus Christi non erat grave nec leve, tali modo non potest dici quod fuerit motus naturalis; si vero dicatur naturalis quia a virtute propria movetur, sic potest dici motus naturalis.

Septimo ascendit vivifice, quia vigorose et virtute propria, et hoc virtute Deitatis humanitatem sibi unitam elevantis, Psal. [3]: *Exaltare, Domine, in virtute tua;* etsi dicatur Psalmus dicit: *Ascendit* [4], et Christus dicit Ioan. 20, 17: *Ascendo ad Patrem meum,* et Marcus ac Lucas dicunt, Marc. 16, 19 et Lucas Act. 1, 9: Quod *assumptus est.* Sed hic est dubium: quia dicitur quod *nubes suscepit eum.* Respondeo, quod non dicitur quod *nubes suscepit eum* [5] ferendo, sed *suscepit,* id est accepit *ab oculis eorum,* scilicet Apostolorum et aliorum, ut Christum amplius non viderent. Sed numquid ministerio Angelorum est subvectus? Respondetur, quod Angeli Christo venerunt obviam, non ad elevandum, sed ad obsequendum et venerandum. Et per hoc patet sic breviter ad quartum dubium. — Aliud dubium esset quaerendum scilicet: Ad quem locum ascendit? de quo sequenti conformitate dicetur [6].

2. Quintum dubium: An beata Maria et Apostoli gaudium de Christi ascensione habuerunt? Respondeo quod sic. Licet enim gravis esset absentia Domini Iesu, Magistri ipsorum et Salvatoris, habuerunt tamen materiam gaudendi ex multis. — Et primo ex comestione; quia Christus cum eis amicabiliter comedit, ut eis ingereret gaudium et credulitatem. — Secundo ex Christi allocutione. Non dubitandum, quod Dominus sicut abscessurus ab eis per mortem locutus est eis, ut patet in sermone edito Ioannis XIII usque ad XVIII, sic, cum essent melius dispositi, recessurus et iturus ad caelum, singulari allocutionis dulcedine eos recreavit. — Tertio de grata promissione tanti doni, scilicet Spiritus Sancti in brevi super ipsos missione. — Quarto de amplexu charitativo. Pie credendum est, quod matrem et discipulos ante suum abscessum est amplexatus; et sic inter brachia Christi stare non sine magno gaudio fuit. — Quinto de ascensu Christi videntes eum virtute propria ascendere. — Sexto de gloria et Christi claritate corporis; quae tunc prae solito fuit manifesta, secundum Augustinum *De civitate Dei* [7]. — Septimo de illa tam multiplici et nobili societate Angelorum et sanctorum. Unde sicut meritis sanctorum est concessum pluribus talia audire et videre, sic et credendum est esse factum tunc circa Mariam et discipulos, quia divina virtute perpenderunt. — Octavo de melodia facta Christo ascendente; etsi omnium amoenitatem excederet, divina tamen ipsam potuerunt virtute sentire. — Nono de illa eis data a Christo benedictione, quae proculdubio in continente (*b*) eos ut dispositos apprehendit. — Decimo de Angelorum ad ipsos adventu ad testificandum de Domini ascensione, dicentes: *Viri Galilaei, quid statis aspicientes in coelum?* etc., Act. 1. 11 — Undecimo de Christi et fidelium ingressu in caelum. Ianua tunc tanto tempore clausa aperta est, et

(*a*) Al *orientem versus vel conversus.* — (*b*) As *eos concitate;* Edd. *in civitate.*

[1] Ps. 77, 34. — [2] Ps. 18, 6. — [3] Ps. 20, 4. — [4] Ps. 46, 6. — [5] Act. 1, 9. — [6] P. 458 sqq. — [7] Cf. lib. XXII, c. 5 (P. L. 41, 756).

ipse cum ipsis intravit. — Duodecimo de festiva Christi a Patre et Spiritu Sancto susceptione et singulari Christi, ut dicetur [1], locatione.

Sic ergo ascensio Christi fuit ipsis gaudiosa et omnibus fidelibus esse debet, quia ea, ut dicetur conformitate sequenti, multa bona sunt nobis exhibita et specialiter haereditas ipsa vitae aeternae data. Et sic ergo patet succincte expositio primae partis, videlicet: **Iesus ductor,** scilicet omnium sanctorum et electorum, quos a limbo et purgatorio extraxerat, **suscipitur,** scilicet a Patre et Spiritu Sancto et caelesti curia; et (*a*) sic patet expositio primae partis.

Secunda pars octavi fructus et conformitatis tertii libri, et trigesimae sextae in ordine, videlicet:

Franciscus laureatur.

Expositio.

Qualiter beatus Franciscus caelum intraverit, haec secunda pars dicit: *Franciscus laureatur*, id est laureatus et victoriosus caelum gloriosus ingressus est, depromit. Et pro huius evidentia, quod beatus Franciscus triumphaliter et gloriose caelum adierit (*b*), est sciendum, quod praefata ostendit sanctitas beati Francisci; qua considerata patebit evidenter ipsum beatum Franciscum triumphaliter caelum intrasse. Salvator enim noster Dominus Iesus Christus ad comprobandum merita servorum suorum, ut dicit beatus Hieronymus in *Sermone de assumptione* [2], non solum personaliter ad ipsos accessit ante mortem, ut eius visione gaudiosa animae sine poena et dolore a corpore egrederentur, sed etiam ipsas animas benignissimus suscipere dignatus est; sicut de (*c*) praefatis patet de beato Marco Evangelista [3] et Ioanne Evangelista [4], et de aliis pluribus in aliis locis habetur. Ac etiam beatus papa Gregorius in libris *Dialogorum*, de pluribus recitat, ut de Tarsilla amita sua et aliis dicit [5]. Pie igitur quod egit Dominus erga alios, et circa beatum Franciscum egisse potest merito credi, videlicet, quod ei se praebuerit in morte videndum, qui in vita pluries se ostendit eidem, ac eius animam suscipiendo triumphaliter ad caelum sanctis inserendam agminibus perduxerit; et hoc amore considerato Christi ad ipsum, cui prae aliis sua sacra stigmata imprimendo ceteris sanctis reddidit celsiorem.

Si enim antiqui victoribus procedebant obviam tam Imperatores quam alii, ut patet de Romanis, qui omnes triumphanti obviabant, sicut patet de Philippo Imperatori primo, qui obviam Decio processit de Roma usque Veronam, ut *Legenda* dicit beati Laurentii [6]; de Diocletiano, qui per plura milliaria Maximiano, etsi devicto a Persis, obviavit; de populo israelitico victorioso David et Sauli cum tympanis et canticis praecedente, ut patet I Reg. 18, 6; quid pensandum est Dominum Iesum Christum beato Francisco victorioso de diabolo quem summa humilitate, de mundo quem perfecto contemptu, de carne quam austeritate nimia superavit et vicit, fecisse? Certe ipse Rex regum Christus modo ineffabili animam beati Francisci laureatam multiplici gloriae corona, ad perennem gloriam summa cum admiratione omnium triumphaliter deduxit, cum ipse suis militibus pro victoriae triumpho prae-

(*a*) As, Edd. om. *Et — partis.* — (*b*) Edd. *ascendit.* — (*c*) Edd. om *de praefatis.*

[1] P. 458 sqq. — [2] Inter eius opera non exsistit. — [3] *Leg. aurea*, c. 59 (al. 57) ed. cit. 267. — [4] L. c. c. 9. (p. 61) — [5] *Dialog.* l. IV, c. 16 (P. L. 77, 348). — [6] *Leg. aurea* c. 79 (112) (p. 489).

beat, *quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis* aliquando *ascendit* [1]. Quapropter Dominus Iesus volendo beati Francisci animam honore debito ad felicitatis praemium adducere, quid egit? Certe plura.

Et primum fuit, quod ipse omnium Redemptor et Salvator sua indicibili benignitate et dilectione obviam venit; in cuius occursu se eidem patefaciendo beatifice, ipsum, quia videre Christum in decore suae (*a*) gloriae semper optarat, recreavit indicibili gaudio et beatificavit.

Secundum fuit quod ipsa mater summi regis Christi, quae adire solet ad devotos abeuntes, ad sibi devotum beatum Franciscum, Filii sui signatum stigmatibus, proculdubio venisse obviam credendum est. Quem enim ipsa singulari modo in vita se diligere demonstravit, multoties se eidem sancto manifestando, in egressu animae et deductione ad caelum a fortiori se reseravit (*b*) eidem.

Tertium beato Francisco omnes ordines Angelorum ierunt obviam, utpote eis conformi, tam divinae voluntatis impletione quam eorum officia exercendo, prout declaratum est libro II conformitate XIII [2]. — Et quod sanctorum caelestium spirituum multitudo affuerit morti beati Francisci et consequenter eius animae in eundo ad caelum, daemon dixit cuidam baroni, de quo dictum est conformitate V istius III libri [3], cui nuntiando de morte beati Francisci inter cetera dixit, quod ipse daemon qui loquebatur, cum multitudine daemonum accedere voluerunt ad beatum Franciscum in morte, sed non potuerunt, nec appropinquare ad ipsum permissi (*c*) sunt propter multitudinem Angelorum, qui ad eius transitum ad deducendum eius animam ad caelum convenerant. Sed (*d*) praecipue de ordine seraphico affuerunt, quorum consortio erat beatus Franciscus adiungendus, ut conformitate sequenti dicetur.

Quartum fuit ille coetus Apostolicus factus beato Francisco obvius, quibus ipse beatus se iunxerat vitae ipsorum per omnia susceptione et perfectissimo ad Christum amore.

Quintum fuit, quod sancti martyres beato Francisco in occursum processerunt, utpote qui martyr fuerat desiderio ferventissimo [4], et demum plus quam martyr gestatione passionis Christi in corpore suo per biennium, cum summo ipsius beati Francisci corporis dolore [5].

Sextum sancti doctores adesse minime destiterunt, quem agnoscebant suis praedicationibus, vita et exemplo multos docuisse ad Christum prosequendum et maximum fructum fecisse animarum; sanctique confessores idipsum effecisse, scilicet ad animam deducendam beati Francisci processisse, utpote qui vitam pauperem et austeram ad instar peregerat eorumdem.

Septimum fuit, quod sanctae virgines obviaverunt eidem, quibus puritate corporis et animae est similatus, ut dictum est conformitate XIII libri II [6]. Aliique iusti idipsum egerunt, scilicet obviam progredientes beato Francisco, utpote comitantes regem Christum et matrem. Multique alii, quos beatus Franciscus transmiserat lingua, vita ex exemplo, facti sunt ei obviam (*e*); et specialiter sanctus frater Petrus Cathanii, secundus eius filius, qui ad regnum ante perrexerat et multis miraculis cla-

(*a*) As, Edd. *suo semper.* — (*b*) Edd. III *recreavit.* — (*c*) As, Edd. om. *permissi sunt* [i. e. eis non licuit]. — (*d*) Ed. III om. *sed — dicetur.* — (*e*) Al add. *Patri suo Francisco.*

[1] I Cor. 2, 9. — [2] Supra 290 l. 34 sqq. — [3] Supra 436-8. — [4] *Leg. Mai.* c. 9 n. 7 sqq. — [5] Supra 369 sqq. — [6] Supra 297.

ruerat, pergenti ad caelum factus est obviam patri suo beato Francisco cum pluribus aliis sanctis fratribus, qui iam a praesenti vita decesserant, cum indicibili gaudio et reverentia ipsum excipientes, sociarunt. Tali ergo sanctorum societate (*a*) Dominus Iesus beatum Franciscum voluit caelos adire. Et quod maius et devotius est, fecit ipsum, ut suum vexilliferum [1], cum vexillo crucis explicato in eius anima, stigmatibus in corpore relictis, caelum introire. Insuper, cum ipse *iustus iudex* et dat unicuique prout meruit [2] et intentionem et voluntatem potius aspicit quam opus, ubi opus subsequi specialiter non potest; hinc est, quod non solum modo praefato sed super coronam gloriae, triplicem aureolam ob martyrium, ob praedicationis officium, ob virginitatis privilegium et praeconium capiti beati Francisci imponendo: sic laureatum et coronatum ad gloriam omnium beatorum paradisum adire complacuit. O quale gaudium erat videre beati Francisci animam a summo Rege et eius sacra matre ad caelum cum sanctis omnibus deduci, ac post ipsum Franciscum animas a purgatorio extractas incedere [3], quae Francisci gloriae et meritis (*b*) applaudebant; et talium post se deductio ad gloriam erat beati Francisci! Considerata comitiva tam summi Regis quam eius matris, tam Apostolorum, martyrum, confessorum, virginum et caelestium spirituum, quam animarum a purgatorio extractarum; considerata eius coronatione tam aureae quam aureolae; considerato Christi vexillo a beato Francisco ad caelum portato signi triumphalis, scilicet Christi passionis, atque iubilatione, ac pensato quomodo beatus Franciscus fuit a Christo laureatus ut victor, coronatus ut sanctus, et signatus ut super omnes dilectus, patere potest quomodo ipse gloriose et triumphaliter caeli regnum est ingressus. Et non solum Dominus Iesus eum gloriose suscepit, sed Pater ipse caelestis, qui eum Filio pro passionis signifero dederat, ac Spiritus Sanctus, qui ipsum sanctificando in mundum direxerat, indicibili (*c*) beatificatione beatum Franciscum susceperunt.

Quibus apparet brevis expositio secundae partis huius conformitatis, videlicet *Franciscus laureatur*, id est laureatus et victoriosus caelum est gloriose ingressus, ad laudem sanctae Trinitatis. Amen. Sic ergo apparet, quod quemadmodum Dominus Iesus triumphaliter ingressus est caelum cum spiritibus caelestibus et sanctis omnibus, sic et beatum Franciscum triumphaliter duxit ad caelum cum sanctis hominibus (*d*) et Angelis ac a purgatorio extractis animabus: et sic apparet in hoc conformitas beati Francisci ad ipsum Dominum Iesum Christum.

FRUCTUS ET CONFORMITAS NONA ET IN ORDINE TRIGESIMA SEPTIMA:
Iesus Transcendens Angelos. — Franciscus Sublevatur.

Expositio primae partis, videlicet: **Iesus transcendens Angelos.**

Salvator generis humani, Dominus noster Iesus Christus, cum *Sanctus sanctorum* [4] sit, non solum quia sanctos facit, utpote Deus, ac ab ipso ut a capite omnis gratia est et donorum diffusio, quibus homo sanctus efficitur, sed etiam per supereminentiam *Sanctus* dicitur

(*a*) Al *sociorum sanctitate.* — (*b*) Edd. om. *meritis.* — (*c*) Al *duxerat invincibili.* — (*d*) Edd. *omnibus.*

[1] Supra 408, l. 19 sqq.; 437, l. 28 sq. — [2] II Tim. 4, 8. — [3] Supra 436-8. — [4] Dan. 9, 24.

sanctorum, omnium sanctorum merita superexcedens; hinc est quod cum nullus ad eius tam intensivum quam extensivum meritorium gradum queat attingere, ut ex dictis conformitatis IV huius III libri [1] apparet, locum in praemio et pro praemio ab aliis tenere debet et habere, prout haec prima pars IX conformitatis declarare intendit dicens, quod Dominus *Iesus*, sicut in merito, sic et in praemio est *transcendens*, quoad locum et statum, omnes Angelos, id est omnes caelestes et beatos spiritus. Quapropter pro huius evidentia si quaeratur ad quem locum Dominus ascendit et in quo gradu et loco permanet, Marcus evangelista 16, 19 dicit, quod *sedet a dextris Dei* in caelo. Et Lucas dicit, Act. 1, 11: quod *assumptus est in caelum*. Et pro evidentia (*a*) praedictorum videnda sunt aliqua.

1. Primo: quid intelligitur per caelum, cum dicitur quod *assumptus est in caelum?* Respondetur quod caelum in sacra Scriptura aliquando accipitur pro caelo materiali, et istud est multiplex, ut dicunt doctores, scilicet septem planetarum, firmamentum, cristallinum et empyreum. Et ad litteram de isto caelo materiali est illud Gen. 1, 1: *In principio creavit Deus caelum et terram*. Et isto modo caelum accipiendo Dominus Iesus *super omnes caelos ascendit;* nam de monte Oliveti, in quo multoties steterat ad orandum, Lucae 11, 1, in quo fuit captus, Matth. 26, 50, in quo Antichristum interficiet, Zach. 14, 4 sqq., et mundum iudicabit, omnes alios caelos transcendendo, scilicet septem planetarum caelum, firmamentum, cristallinum sive primum mobile, ad caelum empyreum ascendit. Ratio, quia caelum empyreum est locus beatorum, ut dictum est conformitate praecedenti [2], et solum competens beatitudini corporis eius pro loco naturali. Et quod sic effecerit, Psalmista, Psal. 8, 2, dicit: *Elevata est magnificentia tua super caelos*. — Aliquando accipitur caelum pro caelo rationali, scilicet pro homine. Nam, ut dicit Is. 66, 1, caelum est *sedes* Dei; et Salomon dicit, quod anima iusti sedes est sapientiae [3], et consequenter Dei; et sic homo iustus caelum vocatur. Et sic accipiendo caelum, Christus super omnes caelos rationales ascendit, id est ultra loca debita humanis spiritibus beatis; patet, quia omnes excedit merito et gratia. Unde Apostolus dicit Eph. 4, 10: *Qui descendit, ipse est qui ascendit super omnes caelos,* scilicet humanos spiritus et praemia eis debita. — Aliquando accipitur caelum pro caelo intellectuali, id est natura angelica, quae caelum dicitur, iuxta illud Iob. 37, 18: *Tu forsitan cum illo fabricatus es caelos,* id est Angelos etc. Et sic accipiendo caelum pro Angelis et beatis spiritibus angelicis, sic super *omnes caelos ascendit,* Psalm. [4]: *Ascendit super Cherubim et volavit* etc. — Aliquando accipitur caelum pro ipsa supersubstantiali divina essentia, de quo caelo est illud Luciferi dicentis Is. 14, 13 sq.: *Ascendam in caelum;* et sequitur: *Similis ero Altissimo*. Et illud Ps. 18, 7: *A summo caelo egressio eius* etc. Et isto modo accipiendo caelum, dicitur quod Dominus Iesus ascendit caelum, id est usque ad aequalitatem Dei, ut declarabitur. Nam Marc. 16, 19 dicitur quod Dominus Iesus *assumptus est in caelum, et sedet a dextris Dei;* et Hebr. 1, 3 dicit Apostolus: *Qui sedet ad dexteram maiestatis in excelsis*. Et sic patet quomodo intelligitur, quod Dominus ascendit caelum.

Secundum videndum est, quid intelligitur per hoc quod dicitur Marc. 16, 19, quod *sedet ad dexteram Dei,* et Apostolus, Hebr. 1, 3: *Ad dexteram* patris. Quid (*b*) intelligitur per dexteram Patris? Respondet Magister III dist. 22 [5] dicens: In *dexteris Dei,* id est in bonis potioribus Patris. Unde *Glossa* super dictum Apostoli Hebr. 1, 3 allegatum dicit: *Sedet ad dexteram maiestatis in excelsis,* id est, dicit *Glossa* [6]: « *In excelsis:* non in loco Deum concludit, sed ostendit Christum omnibus altiorem et omnibus eminentiorem ». Unde, ut patet ex *Glossa* [7] super illud Hebr. 2, 7 sq.: *Omnia subiecisti sub pedibus eius, constituisti eum super opera manuum tuarum,* id est super omnes potestate divina et dignitate, unde habet emi-

(*a*) Edd. *intelligentia*. — (*b*) As, Edd. om. *Quid — Patris*.

[1] Supra 415 sqq. — [2] Supra 454, l. 4 sqq. — [3] Cf. Prov. 16, 31. — [4] Ps. 17, 11. — [5] Cf. 459 l. 1-2. — [6] Glossa ord. ap. Lyranum in h. l. — [7] Glossa ord. ap. Lyran. in h. l.; cf. Ps. 8, 6 sq.

nentiam loci dominii et potestatis. Et *Glossa* [1] super illud Rom. 8, 34: *Qui est in dextera* Patris id est aequalis Patri vel in bonis potioribus Patri, et hoc dicit Leo papa in *Sermone de ascensione* [2]: « Humanitas Christi est in aeterni Patris recepta consessu ». Conveniens enim erat, ut illius gloriae sociaretur in throno, cuius et natura copulabatur in Filio. — Sed ulterius advertendum est, quod aliud est sedére *ad dexteram Patris,* et aliud esse *in dextera Patris.* Primum enim soli Christo secundum Apostolum, Hebr. 1, 3 sqq., competit, quia sedere *ad dexteram Patris,* secundum Alexandrum de Ales III parte quaest. 33 (*a*) [3], importat unionem vel aequalitatem et quamdam communicationem beatitudinis et communionem cum Patre, quae nulli alii a Christo convenit. Sed esse in dextera est esse in aeterna beatitudine, quae convenit sanctis aliis a Christo. Et pro iam dictorum evidentia est sciendum, quod, ut dicit Magister II dist. 9 [4], sancti et illi, qui decedunt cum merito proprio, ad aliquem novem ordinum Angelorum, prout eorum erunt merita, assumentur; quare sicut novem sunt ordines Angelorum, sic et novem erunt ordines beatorum hominum. Aliqui enim qui habebunt merita Seraphim, in dicto erunt ordine; et alii habentes merita Cherubim, ipsorum ordini inserentur et praemio; et sic de aliis. Quapropter pueri decedentes cum sacramento circumcisionis vel alio ad hoc requisito, scilicet contra peccatum originale, ut in veteri Testamento, vel cum solo sacramento baptismi et sine proprio merito, unum ordinem faciunt. Et novem sunt beatorum Angelorum et hominum: ecce iam decem. Verum quia beata Maria meritis est exaltata super choros Angelorum et inferior Christo, ipsa per respectum ad beatos, qui cum proprio merito decesserunt et Angelos, tenet decimum locum, et sic ipsa est mulier, quae invenit decimam drachmam [5], id est decimum statum in vita aeterna. Sed per respectum ad pueros, sic tenet undecimum. Humanitas Christi, et ipse Christus duodecimum gradum et statum tenet, quia supra omnia sidera, id est omnes beatos spiritus angelicos et humanos est exaltatus, ut dictum est, quia *a dextris* est *Dei* [6], quod solum sibi competit.

Et vide quomodo dictum ipsius Salvatoris in ipso est verificatum, scilicet: *Qui se humiliat, exaltabitur* [7]; ipse enim se humiliavit in descendendo et veniendo in mundum et stando multipliciter: Primo usque ad carnis assumptionem; secundo ad nostram mortalitatem et passionem; tertio scilicet ad nostram necessitatem, scilicet famem, sitim et sic de aliis; quarto ad nostram pauperiem et indigentiam; quinto ad nostram tentationem, quando se tentari a diabolo permisit; sexto ad anxietatem corporis et lassitudinem et laborem; septimo ad anxietatem animi, nam tempore passionis *coepit pavere et taedere* [8]; octavo usque ad crucem, et iste fuit descensus mirabilis et humiliatio; nono usque ad mortem; decimo usque ad carcerem infernalem, quando ad limbum descendit.

Sed quia Dominus sic descendit se humiliando, exaltatus est ascendendo in caelum: primo assumptam humanitatem super omnia elevando; secundo ad vitam perpetuam; tertio ad summam corporis et animae recreationem; quarto ad caeli opulentissimas divitias; quinto ad potestativam super omnes dominationem; sexto ad iucunditatem et consolationem; septimo ad perfectam pacem et quietem; octavo ad thronum paternae gloriae; nono ad perpetuam cum Patre mansionem et cohabitationem; decimo ad summam praesidentiam et super omnes exaltationem. Praefatis ergo apparet in quo loco Dominus Iesus est ab aeterno Patre collocatus, quia *a dextris Dei* est.

2. Verum quia homo posset dicere: Christus caelos ascendit, ut dicit prima pars praecedentis (*b*) conformitatis [9], et *sedet a dextris Dei,* ut (*c*) dicit prima pars istius conformitatis:

(*a*) Codd. Edd. *quaest. 252.* — (*b*) Edd. *praesentis.* — (*c*) Edd. om. *ut — conformitatis.*

[1] « Qui est ad dexteram Dei »; Glossa ord. in h. l. — [2] Sermo 73 (al. 71) De Ascens. l. I, c. 4 (P. L. 54, 396). — [3] *Summa Theol.* l. III, quaest. 33, membr. VI, art. 1. — [4] *Sent.* l. II, dist. 9, c. 6. — [5] Luc. 15, 8 sqq. — [6] Marc. 16, 19 — [7] Luc. 14, 11; 18, 14. — [8] Marc. 14, 33. — [9] Supra 452-55.

quid boni et utilitatis ex hoc humanum genus est consecutum? quare de hoc est videndum hic, et istud est tertium quod est videndum quid, scilicet, boni et utilitatis praefata ascensione Christi et collocatione sumus adepti. Et dicitur quod magna dona et beneficia.

Primum est humanae naturae exaltationis. Ipsam exaltavit in incarnatione eam induendo, et in resurrectione dotibus gloriosis eam adornando; sed ipsam valde exaltavit caelos ascendendo. Et quomodo? Certe super omnes elevando, quia inquit Apostolus [1]: *Supra omnes principatus et potestates et omne quod nominatur,* et super omnes caelos; et sibi est omnis potestas collata, ut cantat Ecclesia [2].

Secundum beneficium est venerationis. Tota enim caelestis curia Christum adoravit *viventem in saecula saeculorum* [3]. Angeli qui se in veteri Testamento adorari permittebant [4], in novo minime [5], ut patet de Ioanne, Apoc. 19, 10, ubi Glossa [6]: « In lege veteri non se prohibuit adorari; sed post ascensionem, videns super se exaltatum hominem, ab homine timuit adorari ».

Tertium beneficium est restitutionis haereditatis, quae per quinque milia annorum amissa, per Christum restituta est, dicente Psalmista [7]: *Tu es, qui restitues haereditatem meam mihi.*

Quartum beneficium est praemiationis. Sicut enim Deitas Christi praemium est animarum, sic et humanitas, sive corpus Christi gloriosum, est beatitudo corporis quoad obiectum institutum.

Quintum beneficium est collocationis sanctorum. Christus cum sanctis caelum ingrediens, secundum eorum merita aliquos in ordinibus Angelorum, alios in ordine Archangelorum, alios in ordine Virtutum, et sic de aliis, ipse super omnes ascendendo, collocavit.

Sextum est reparationis Angelorum, id est angelicae ruinae. Sicut enim de quolibet ordine consentiendo Lucifero multi corruerunt, sic Christus ascendendo in quolibet ordine de sanctis hominibus secundum eorum merita dimittendo, eorum ruinam reparare incepit. Et sic per ascensionem Christi homines Angelis sunt parificati.

Septimum beneficium est deiectionis, scilicet hostis humanalis (*a*). Ad litteram impletum est illud Psalmi [8]: *Dixit Dominus Domino meo,* Pater scilicet, Filio: *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.*

Octavum est beneficium supplicationis et nostrae defensionis Hebr. 7, 25: Intravit in ipsum caelum, ut appareat vultui Dei pro nobis; ut dicit Bernardus, ad placandum Patrem ei ostendit latus et vulnera.

Nonum beneficium est exauditionis. Caelum intravit, ut a Patre exaudiremur; et impletum est illud Christi, Ioan. 14, 13 sqq.: *In illo die in nomine meo petetis;* et sequitur [9]: *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

Decimum beneficium est largitatis. *Dedit enim dona hominibus* [10], scilicet Spiritus Sancti. *Si abiero,* dixit Iesus [11], *mittam vobis eum,* scilicet Spiritum Sanctum, cuius donatione alia dona tribuuntur et habentur.

Undecimum beneficium est erectionis. Erexit nos fide, ut securi simus, Ioan. 2, 1 sq.: *Advocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum,* et *ipse est propitiatio pro peccatis nostris* etc.; quare securitatem nobis tribuit.

Duodecimum beneficium est apertionis ianuae. *Vado parare vobis locum,* Ioan. 14, 2. Aperuit enim caelum, dicente Michaea, 2, 13: *Iter pandit ante illos;* ipse Leo Christus *aperuit librum,* id est caelum, *et solvit signacula eius,* Apoc. 5, 5.

Sic ergo praefatis apparet de utilitate ascensionis et sublimationis Christi; et per consequens patet declaratum, quomodo intelligitur prima pars huius conformitatis IX, scilicet **Iesus transcendens Angelos.**

(*a*) Edd. ***humani.***

[1] Eph. 1, 21. — [2] Praefatio in festo Ascensionis. — [3] Apoc. 4, 10, 24. — [4] Gen. 18, 2; 19, 1. — [5] Apoc. 22, 8 sq. — [6] Glossa ord. ap. Lyran. in h. l. — [7] Ps. 15, 5. — [8] Ps. 109, 1. — [9] Cf. Ioan. 16, 23, 26. — [10] Eph. 4, 8. — [11] Ioan. 16, 7.

Secunda pars noni fructus et conformitatis tertii libri, et trigesimae septimae in ordine, videlicet:

Franciscus sublimatur.

Expositio.

Dominus Iesus, cum sit *iudex* omnium *vivorum atque mortuorum* [1], *et unicuique* reddat *secundum opera sua* [2], quia peccatoribus infernum, iustis et sanctis dat vitam aeternam, ac in vita aeterna, ut ipse dicit Ioan. 14, 2, *mansiones multae* sint; ad quem locum beatum Franciscum sibi praedilectum (*a*) sublimare dignatus est pro eius perpetua mansione? Certe, ut pluribus patebit, beatus Franciscus etsi meritis fuerit similis Angelis, Archangelis et aliis ordinibus, attamen non in eis locum sibi deputavit Dominus Iesus Christus, sed (*b*) in supremo omnium ordinum, videlicet in ordine seraphico ipsum locare et sublimare dignatus est.

1. Ad hoc ponendum (*c*) sunt aliqua hic declarativa. Primum est quia cum, teste Magistro Sententiarum II dist. 2 [3] et scriptura Ezechielis 28, 14 (*d*), Lucifer de ordine fuit supremo, videlicet de seraphico, et cum beatus Franciscus in sede eius sit locatus, ut patet: Primo visione fratris Pacifici, de qua etsi sit dictum conformitate V libri II [4], tamen hic succincte est repetendum, prout praesenti materiae suffragatur. Cum enim beatus Franciscus in ecclesia sancti Petri de Bovario iuxta castrum Trevii vallis Spoletanae de mane oraret intra chorum, et frater Pacificus, pro tunc eius socius, in navi ecclesiae stans se orationi dedisset, cum orare coepisset, factus in ecstasi, raptus in caelum, vidit in ipso caelo multas pretiosas sedes. « Vidit [5] unam prae ceteris eminentiorem atque prae omnibus gloriosam, fulgentem et omni lapide pretioso ornatam, et admirans eius pulchritudinem, cum intra se cogitare coepisset cuius esset sedes illa, statimque audivit vocem dicentem sibi: « Haec sedes fuit Luciferi, et loco eius in ea sedebit humilis Franciscus ». Et quia hic sanctissimus vir fuit de veritate huius visionis certificatus, humilitate beati Francisci cognovit certitudinaliter, quod vere sedes illa ipsi beato Francisco erat reservata. Et cum dictum sit Luciferum de ordine fuisse primo et supremo, scilicet seraphico, hac visione beatus Franciscus in sede illa sublimatus in ordine seraphico (*e*) est locatus. — Secundo quod in sede Luciferi beatus Franciscus sit sublimatus et super sanctos, hoc patet attestatione daemonis, qui erat inquadam muliere, nomine Zantesae, apud Ravennam (*f*); de quo etsi dictum sit libro II conformitate II [6], tamen hic aliquid inseritur nostro conveniens proposito. Daemon in dicta muliere habitans, adiuratus per quemdam sacerdotem, nomine fratrem Iacobum, coram multis, ut veritatem de indulgentia Assisii panderet, qui (*g*) tandem de beato Francisco loquens sic inquit: « Ille stomachosus ita amicabiliter fuit coniunctus cum Crucifixo et transformatus in ipsum, quod Deus voluit per eum salvos facere Christianos ». Et cum dictus sacerdos increparet

(*a*) Edd. om. ***sibi praedilectum.*** — (*b*) Ed. III add. ***ut pie creditur.*** — (*c*) As ***probandum.*** — (*d*) Codd. ***Ezech.***; Edd. ***Ezech. 5.*** — (*e*) As, Edd. ***illo.*** — (*f*) As ***Faventiam.*** — (*g*) Edd. om. ***qui.***

[1] Act. 10, 42. — [2] Matth. 16, 17. — [3] Sent. II, dist. 2, quaest. 2. c. 2. Cf. S. Bonaventura, *Com. in II Sent. Opera*, II, 161 sq. — [4] Supra 138 l. 12 sqq. — [5] *Spec. Perf.* Sabatier, c. 60. — [6] Supra 43-8; 46 l. 15 sqq. *Bartholi*, c. 37.

eum, quare beatum Franciscum vocaret stomachosum, respondit daemon cum magno clamore: « Quia ipse fuit conceptus de semine virili et mulieris sicut ceteri hominum, et tamen humiliavit se in tantum, quod propter singularem assimilationem Crucifixi, quam in anima et corpore suo gessit, meruit plus quam omnes homines exaltari. Licet autem beatus Ioannes Baptista sit maior sanctus, qui sit in caelo et paradiso post matrem Crucifixi, tamen ille stomachosus cum fratribus suis vexillo explicato praecedit in caelo, post Apostolos, omnes sanctos. Ipse enim obtinuit illam sedem gloriosam Luciferi, principis nostri, et ideo non possumus ipsum non solum proprio nomine nominare, sed magis odimus eum quam omnes alios sanctos; immo cognoscentes (a) ipsum esse in dicta sede Luciferi sublimatum, plus cruciamur et affligimur ab illa gloria sua et sublimitate quam ab igne infernali ». Et plura dixit de beato Francisco, scilicet de stigmatibus; de quibus dictum est conformitate III huius III libri [1]. Quo dicto daemonis patet beatum Franciscum in sede sublimatum Luciferi, et quam sublimiter est exaltatus a Christo, quia post Apostolos super omnes alios sanctos.

Secundum ostendens beatum Franciscum sublimatum a Christo et locatum in ordine seraphico, est apparitio Christi, quando stigmata eidem impressit. Qui in specie Seraph eidem apparuit, non solum ad incendendum eum igne seraphico, sed etiam ad ostendendum eum post mortem in seraphico ordine sublimandum, prout dictum est conformitate III huius III libri [2].

Tertium hoc ostendens est similitudo beati Francisci ad ordinem ipsum seraphicum. Seraph enim, teste Dionysio,(b) [3] et beato Gregorio [4], incendium interpretatur. Et cum beatus Franciscus, teste IX parte *Legendae Maioris*,[5], « totus esset quidam carbo divini amoris flamma ignitus »; quare, cum simile iungatur simili, Eccli. 13, 19 sq., beatus Franciscus praefatis, ut incendio et amore conformis, est coniunctus.

Ad Christum Deum prae aliis sanctis habuit perfectissimum amorem et ferventissimum, prout dictum est libro II conformitate II [6]; quem amorem in praesenti vita ostendebat, primo omnium mundanorum derelictio, abiectio et abominatio; secundo fervor et amor ad animas Christi sanguine redemptas; tertio fervor martyrii; quarto ieiunia, quae continue faciebat; quinto passionis Christi meditatio, praedicatio et baiulatio (c); sexto poenarum et omnium opprobriorum pro Christo amplexus totaliter et desiderium; septimo dulcedo Christi nominis ex auditu; labia enim lingere videbatur prae dulcedine dicti nominis [7]; octavo stigmatizatio, quae vi amoris et solo (d) habet fieri. Quia ergo tam vehementi dilectione ad Christum in praesenti morebatur, proculdubio et nunc ampliori; quare in illo residet ordine, qui ardentiori amore movetur ad Christum, et per consequens in ordine seraphico.

Quod vero beatus Franciscus singulari propinquitate prae aliis iuxta Dominum Iesum Christum in vita beata sublimatus et collocatus sit, hoc ostensum est in parte secunda conformitate III huius III libri [8]. Franciscus enim cum

(a) As *cum cognoscimus*. — (b) Al, As *diabolo*. — (c) As, Edd. om. *praedicatio et baiulatio*. — (d) Al *zelo*.

[1] Supra 385-6, 401 l. 15 sqq., 408 l. 25 sqq. — [2] Supra 387 sqq. — [3] *De caelesti hier.* c. VII § 1 (P. G. 3, 266). — [4] *Hom. in Evang. XXIV*, n. 10 (P. L. 76, 1252). — [5] C. 9 n. 1. — [6] Supra 28 sqq. — [7] *Leg. Mai.* c. 10 n. 6. — [8] Supra 397, 400 l. 39 sqq., 401 l. 10 sqq.

sit vexillifer Domini Iesu Christi, quare et iuxta ipsum manet propinquissimus. Et sic esse patet ex iam dictis; quia ordo seraphicus prae aliis est Christo Deo propinquior et immediatior, in quo dictum est beatum Franciscum a Christo collocatum [1].

2. Patet etiam aliis exemplis et Christi revelatione facta de loco, ubi beatus Franciscus manet, quibusdam. Venetiis quidam erat nobilis homo qui devotione praecipua ad beatum Franciscum ferebatur, adeo ut eius festum coleret, cives quos poterat ad eius festivitatem celebrandam invitaret, et quae erant pro festi honore magnis expensis praepararet [2]. Et quia in dicta civitate consuetudo erat, quod in beati Francisci festo ter praedicaretur ad ipsius (*a*) sancti gloriam, videlicet post primas vesperas, de mane et in secundis vesperis, ac in primis vesperis praedicaret sanctus frater Gerardus de Mutina [3], qui multis miraculis postmodum claruit, adeo coepit beatum Franciscum suis verbis magnificare, ut videretur dicto civi devoto (*b*) beati Francisci et qui festum faciebat, et aliis, quod in vita beata praeter Christum et beatam Virginem nullus esset beato Francisco maior nec ei aliqua similitudine comparandus. Propter quod dictus nobilis de verbis dicti fratris turbatus et scandalizatus, utpote nimia laude et insolita, quia prae omnibus sanctis beatum videbatur commendare Franciscum; nobilis praedictus a praedicatione surgens ad domum est reversus; cives ab ipso ob festum invitati, et videntes eum surgere et causam ignorantes, crediderunt quod propter aliqua praeparanda pro festo sic surgeret et abiret, in praedicatione manentes. Dictus nobilis ad domum reversus, statim ut pervenit a somno arreptus, dormitioni se dedit. Statimque ut dormire incepit, raptus in visione in paradisum, Christum vidit, beatam Virginem et sanctos alios processionaliter incedentes et Christo reverentiam debitam ac matri exhibentes. Et cum oculis totam caelestem patriam inspexisset et beatum Franciscum minime videret aut aliquem suorum, coepit de hoc mirari vehementer, dicens infra se: « Frater Gerardus de beato Francisco praedicando ipsum super omnes extollebat, et ego nec ipsum nec aliquem video suorum ». Et cum inquireret a quodam de hoc, videlicet ubi esset beatus Franciscus et fratres sui, respondit ille: « Exspecta, et videbis ». Et tunc vidit, quod Christus elevavit brachium dexterum et de eius vulnere laterali vidit exire beatum Franciscum, cum vexillo crucis explicato et magno, quem maxima multitudo fratrum sequebatur. Et tunc dictum est illi, quoniam beatus Franciscus tota mente, corde et meditatione ac studio circa Christi crucem semper fuit dum viveret in mundo et a Christo fuit stigmatizatus; ideo in Christo et eius vulnere est beati Francisci locus. Quo dicto, dictus nobilis expergefactus a somno, statim venit ad locum praedicationis, et adhuc praedicatio non erat facta; qua completa, omnibus visionem praefatam enarrans, non multo post ad honorem beati Francisci aedificari fecit locum iuxta Venetias, qui hodie vocatur Sanctus Franciscus de Contrata [4], psumque locum de bonis suis donavit; et deinde omnibus pro Deo datis, uxore facta sorore sanctae Clarae, ipse factus est frater Minor.

(*a*) Al om. *ipsius* et *gloriam*. — (*b*) As, Edd. add. *ipsius*.

[1] Paulo supra. — [2] Idem factum narravit Pisanus AF IV, 263. — [3] De eo cf. l. c. et 523 l. 6 sqq. Salimbene, *Chronica*, p. 35, 36, 354, 401, 406, 412, ed. Holder-Egger, p. 73, 75 sqq., 96, 105 sq., 162, 595 Fr. Gerardus de Buccabadatis. — [4] Wadding, ad an. 1220 n. 4 « Locum... postea auxit sub nomine S. Francisci in deserto sive de contrada, vir devotus Iacobus Michael, relictis anno 1233 suis facultatibus ».

Consimili modo vidit quidam frater de provincia Marchiae beatum Franciscum stare in Christi vulnere. Cum enim dictus frater magno tempore Dominum Iesum Christum rogasset, ut sibi beatum Franciscum ostendere dignaretur, et dum quodam sero in nemore staret in oratione, vidit quemdam chorum venientem per nemus; et cum interrogasset quis esset ille chorus, dictum est sibi quod erat chorus confessorum, quem sanctus Augustinus deducebat et beatus Gregorius; et cum interrogasset si ibi esset beatus Franciscus, et illi dixissent quod non, dixit frater: « Ite in nomine Domini ». Venit (a) alius chorus qui erat martyrum, quem regebat beatus Stephanus, et cum peteret si ibi esset beatus Franciscus, et dixissent quod non, dixit frater: « Ite in nomine Domini ». Venit tertius chorus qui erat splendidior praecedentibus, scilicet Apostolorum, et cum frater petiisset si ibi esset beatus Franciscus, et dixissent quod non, frater ille: « Ite », inquit, « in nomine Domini ». Venit quartus chorus scilicet virginum praecedentibus pulchrior, quia ibi erat mater Domini, et frater cum dixisset: « Est ibi beatus Franciscus? » et illi dixissent quod non, dixit frater: « Ite in nomine Domini ». Ultimo venit chorus ceteris splendidior, in quo erat Christus et sancti Angeli, et cum appropinquassent ad fratrem, interrogavit frater: ibi si esset beatus Franciscus. Et tunc sanctus Michael subridens et vultu sereno dixit ad Dominum, qui praecedebat: « Domine, frater iste desiderat videre beatum Franciscum; si placet vestrae benignitati, ostendatis eum sibi ». Cui Dominus: « Placet mihi, quod videat eum ». Et levavit Dominus brachium dextrum; et cum elevasset, exivit beatus Franciscus de vulnere laterali Domini Iesu Christi. Cumque frater vidisset beatum Franciscum, gaudio repletus cucurrit ad ipsum. Cui beatus Franciscus dixit: « O captivelle [1], quid tu facis hic? Habes Dominum Deum tuum ». Quod frater advertens, posuit chordam in collo, et se proiecit ad pedes Domini Iesu.

Sic ergo iam dictis apparet quo in loco beatus Franciscus in vita beata est sublimatus, quod declarare intendebat secunda pars istius conformitatis dicens: Quod sicut Dominus Iesus super omnes spiritus caelestes et humanos est elevatus, sic beatus Franciscus super Angelos, Archangelos, Thronos, Dominationes, Virtutes, Potestates, Principatus et Cherubim est elevatus, et in ordine seraphico in sede Luciferi locatus et sublimatus. Quo concluditur, quod omnes inferiores ordines tam quoad angelicos spiritus quam humanos beatus Franciscus sublimatus, in ordine supremo, excessit gratia et meritis. Ex dictis declarata est secunda pars huius conformitatis, scilicet: *Franciscus sublimatur.*

FRUCTUS ET CONFORMITAS DECIMA ET IN ORDINE TRIGESIMA OCTAVA:
Iesus Mittens Apostolos. — Franciscus Vir Iuvatur.

Expositio primae partis, videlicet: **Iesus mittens Apostolos.**

Cum passio Domini nostri Iesu Christi sufficientissima fuerit pro totius humani generis salute, ut conformitas IV istius III libri ostendit [2], et quia passio exhibita est et consequenter nostra salus obtenta et facta ac habita, ipsaque declaranda erat hominibus et fideliter

(a) Al om. *Venit — Domini* (l. 10).

[1] *Captivus* = malus; cuius *captivellus* diminutivum est. — [2] Supra 445-50.

intimanda, ut quilibet salutis obtinendae modum audiendo ad salutem pervenire valeret; sicut Salvator noster post resurrectionem suis apparendo discipulis in Galilaea et in monte quo eis dixerat [1], sic et id ad Patrem ascendendo effecit, videlicet quod suis benedictis mandavit Apostolis, ut irent *in mundum universum* et praedicarent *Evangelium omni creaturae; et quicumque baptizatus fuerit salvus erit* [2]. Et formam eis praebuit baptizandi, scilicet: *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* [3]. Miserat suos discipulos primo ad praedicandum, ut dictum est conformitate XI libri I [4]. Sed secundo idipsum misit, ut dictum est [5]. Et quia primum ad gentem Israeliticam instruendam miserat, nunc autem in universum mundum; et ut quod eis iniunxerat efficacius adimplerent, cum singularibus donis et gratiis eos misit.

1. Nam eis dedit primo sacrae Scripturae intelligentiam; Lucae 24, 45 dicitur, quod *aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas.*

Secundo Spiritum Sanctum misit in eos, Act. 2, 1 sqq., et ipsos eo replevit, Ioan. 20, 22: *Accipite spiritum sanctum* etc. qui est *Spiritus Paraclitus* [6], id est consolatorius contra omnes possibiles mundi vexationes, quas sustinere debebant et tribulationes.

Tertio linguarum omnium notitiam et loquelam. Nam loquebantur *variis linguis Apostoli* [7], ut sic quilibet eorum praedicationem et doctrinam intelligere valerent et possent.

Quarto verborum efficaciam. Dixerat eis Luc. 21, 15: *Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri.*

Quinto signorum operationem, Marc. 16, 17 sq.: *In nomine meo daemonia eiicient, linguis loquentur novis* etc.; et sequitur: *Super aegros manus imponent, et bene habebunt.*

Sexto in petendis exauditionem, Ioan. 16, 23: *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

Septimo omnium donorum diffusionem, scilicet Spiritus sancti. Habuerunt enim donum sapientiae, scientiae, intellectus, consilii, fortitudinis, pietatis et timoris Domini, et quoad ipsorum usum.

Octavo peccatorum dimittendi auctoritatem tribuit dicens Ioan. 20, 23: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* etc.

Nono a peccatorum operatione vitationem. A peccatis eos praeservavit dicens, Ioan. 14, 16, quod Spiritus Sanctus maneret in eis in aeternum; et si sic, ergo a peccatis mortalibus praeservavit.

Decimo omnium appetibilium concessionem. Si enim appetebant scientiam, habebant, Ioan. 14, 26: *Spiritus Sanctus docebit vos omnia;* si potentiam: *Ubi Spiritus, ibi libertas,* dicit Apostolus [8]. Si honores, Psalm. [9]: *Nimis honorati sunt amici tui, Deus;* si famam et laudes, Act. 5, 13: *Magnificabat eos populus;* et Psal. [10]: *In omnen terram exivit sonus eorum* etc. Si divitias, Act. 3, 6: *Aurum et argentum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do,* dicit Petrus, et dedit sibi divitias suas, scilicet sanitatem perfectam. Si delicias, Act. 5, 41 dicitur quod *ibant* Apostoli *gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Si fortitudinem, fortitudo est unum de donis Spiritus Sancti. Si pulchritudinem, animae eorum factae sunt templum Spiritus Sancti. Si de hoste victoriam, Lucae 10, 19 dedit eis virtutem calcandi super omnia daemonia. Si sapientiam, sapientia est primum donum Spiritus Sancti, Is. 9, 6. Si gratiam, Rom. 5, 5: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Si purgationem a peccato, Spiritus Sanctus ignis est. Et sic de aliis quae Spiritus Sanctus, datus a Christo Apostolis, dedit eis.

Undecimo suam gubernationem et protectionem, Matth. 28, 20: *Ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.*

---

[1] Matth. 28, 10. — [2] Marc. 16, 15 sq. — [3] Matth. 28, 19. — [4] AF IV, 485. — [5] L. c. 486. — [6] Ioan. 14, 26. — [7] Act. 2, 4. — [8] II Cor. 3, 17. — [9] Ps. 138, 17. — [10] Ps. 18, 5.

Duodecimo in omni bono confirmationem. A Deo in gratia confirmati sunt, ut nec vita [1], nec mors, nec fames, nec sitis etc. *a charitate Dei, quae est in Christo Iesu,* potuit eos *separare*. Talibus igitur donis freti, a Christo missi sunt sancti Apostoli in universum mundum ad praedicandum veram salutem. Ipsi vero Christo Deo per omnia obedientes, ad omnes partes orbis iverunt, iuxta illud Psal. [2]: *In omnem terram exivit sonus eorum,* scilicet praedicationis, *et in fines orbis terrae verba eorum.* Iacobus maior Hispaniam, Iacobus minor Iudaeam, Philippus Syriam, Andreas Achaiam, Ioannes Evangelista Asiam inferiorem, Thomas Persiam, Mediam, Parthiam, Hyrcaniam et Indiam superiorem; Matthaeus Aethiopiam, Bartholomaeus Indiam inferiorem et Armeniam; Simon Aegyptum, Thaddaeus Mesopotamiam et Pontum; Petrus primo Antiochiam, deinde Romam, Italiam, Galliam et totam Germaniam; et sic ad distinctas partes euntes, viam salutis iuxta Domini mandatum docuerunt. Quem autem fructum fecerint, patet intuentibus ipsorum *Legendas* [3]. Nam maiorem partem mundi ad Christi fidem deduxerunt.

2. Sed (*a*) licet Dominus noster Iesus Christus generali mandato Apostolos ad omnes partes orbis direxerit, in speciali tamen post ascensionem suam ad civitatem Edessam ad regem Abagarum misit Dominus Iesus discipulum suum Thaddaeum, iuxta quod ipse Salvator, dum viveret, eidem spoponderat regi. Cum enim idem rex, prout *Ecclesiastica* tradit *historia,* epistolam destinaverit Domino nostro Iesu Christo sub sequenti tenore: « Abagarus Euphanae filius Iesu Salvatori beato, qui apparuit in locis Hierosolymorum, salutem. Auditum est mihi de te et (*b*) sanitatibus, quas facis, quod sine medicamentis aut herbis ista fiant per te, et quod verbo (*c*) facias caecos videre, claudos ambulare, leprosos mundari (*d*) et mortuos reviviscere. Quibus omnibus auditis de te (*e*), statui in animo meo unum esse ex duobus, aut quia tu sis Deus descendens de caelo, ut facias haec, aut filius Dei sis, qui haec facis. Propterea hoc scribens rogaverim te, ut digneris fatigari venire (*f*) usque ad me, et aegritudinem meam, qua diu laboro, curare. Nam et illud comperi, quod Iudaei murmurant adversum te et volunt insidiari tibi. Veni ad me, quia mihi est parva civitas sed honesta, quae utrisque sufficiet [4] » etc. — Iste rex Abagarus morbo quodam, irremediabili apud homines, laborabat. Ut ergo liberaretur a Christo, praedictam epistolam sibi transmisit. Dominus autem Iesus eidem respondit, sic scribens: « Beatus es qui credidisti in me, cum ipse non videris me. Scriptum est enim de me [5], quia (*g*) hi qui me non vident credent, et hi qui me vident non credent. De eo autem quod scripsisti ad me, ut veniam ad te, oportet me omnia hic complere propter quae missus sum [6]. Cum ergo assumptus fuero, aliquem de discipulis meis ad te mittam, ut curet te et vivificet » [7]. Post vero Domini ascensionem et Spiritus Sancti missionem ipse Dominus misit apostolum Thaddaeum ad civitatem Edessam ad regem Abagarum, qui ipsum regem a sua infirmitate curavit et baptizavit cum toto populo civitatis [8]. Et non solum apostolum Thaddaeum Dominus post suam ascensionem misit, sed et plures alios Apostolos ad personas diversas, sicut beatum Petrum ad Cornelium, ut habetur Act. 10 sqq., Thomam ad regem Gandophorum Indiae [9], Philippum diaco-

(*a*) Ed. III om. *Sed licet — ascensionem misit* (l. 37). — (*b*) Al *in*. — (*c*) Al *vere*. — (*d*) Edd. *mundare*. — (*e*) Al om. *de te*. — (*f*) As, Edd. om. *venire*. — (*g*) Al om. *quia — ad me*.

[1] Respicitur Rom. 8, 35 sq. — [2] Ps. 18, 5. — [3] Cf. v. gr. *Leg. aur.* c. 2, 45 etc. — [4] Hic vero explicit textus, ceterum sat diversus, epistolae apocryphae ap. Eusebium, *Hist. eccl.* l. I, c. 13 (P. L. 20, 122). Textus Pisani maxime concordat textui *Legendae aureae*, c. 149 (al. 154), ed cit. 706. Plures inveniuntur textus harum epistolarum de quibus cf. E. von Dobschütz, *Christusbilder* (Leipzig 1899) 150 sqq.; et eiusdem diss. ap. *Zeitschrift für wissensch. Theologie,* XLIII (Leipzig 1900) 422-86. — [5] Cf. Is. 6, 9 sqq.; Ioan. 20, 29. — [6] Cf. Ioan. 18, 9, 31. — [7] Cf. locis cit.; *Leg. aur.* 706. — [8] *Leg. aur.* 707. — [9] *Leg. aur.* c. 5.

num ad Eunuchum, Act. 8, 26 sqq., Paulum ad Sergium, Act. 13, 7 sqq. et sic de aliis, ut ostenderet quod tam in generali quam in particulari Dominus Iesus omnium salutem optabat et ad agnitionem veritatis pertingere, sicut ipse pro omnium salute in ara crucis se immolavit.

Et sic praefatis apparet succincte expositio primae partis huius conformitatis, videlicet: **Iesus mittens Apostolos.**

Secunda pars decimi fructus et conformitatis tertii libri, et trigesimae octavae in ordine, videlicet:

Francisco vir iuvatur.

Expositio.

Zelator animarum praecipuus beatus Franciscus pater noster, Christo conformis actibus et signis, ad instar Domini Iesu omnium optabat salutem et ante mortem ostendit, se et suos ad praedicandum tam fidelibus quam infidelibus dirigendo [1]; ac stigmatibus susceptis, quia incedere pedibus non poterat, circumvehi (*a*) se faciebat, ut ad viam salutis et pacis Christicolas suo verbo vocaret ac exemplo [2]. Idipsum post mortem egit pie inspirando suis fratribus, quod in vita ipse peregerat, videlicet, ut totis viribus ad salutem animarum intentos et sollicitos redderet et incitaret.

Cuius sacris inspirationibus devote fratres filii annuentes, per totum orbem more Apostolorum se diffundentes, non solum in partibus fidelium, sed infidelium maximum fecerunt fructum. Id sic esse astruunt praedicationes beati Antonii et aliorum, ac mors pretiosa fratrum martyrio decedentium, qui ultra centum (*b*) exstiterunt, ac coruscatio miraculorum per fratres, beati Francisci filios, de quibus dictum est conformitate VIII libri I huius operis [3], qui miraculis mundum in diversis eius partibus patratis ad Christum diligendum commoverunt. Fecerat beatus Franciscus in vita, ut etiam post mortem perpetuo fideles obtinerent salutem, hoc est sacram illam indulgentiam Sanctae Mariae de Portiuncula impetrando, cuius perceptione devota ab omni fideles purgantur delicto et peccati pravitate [4].

Sic ergo praefata exercendo etsi Christo etiam post mortem conformis reperiatur, attamen in speciali soldani Babyloniae post suam mortem procurando salutem, velut alterius Abagari regis, in hoc singulari modo Domino Iesu post mortem invenitur similis et conformis; quod qualiter exstiterit factum, est hic breviter intimandum. Beatus Franciscus enim ob salutem animarum et ut converteret infideles ad Christum, ter ad partes infidelium adire proposuit pro conversione ipsorum et pro palma consequenda martyrii. Licet ergo bis proposuerit ire, semper tamen fuit impeditus: scilicet, primo quando ibat ad Miramolinum versus Hispaniam fuit impeditus infirmitate [5]; secundo quando ibat versus Soldanum ventis in mari non secundis flantibus [6]; tertio tamen pergens cum XII fratribus ad partes Syriae, post multos labores, tribulationes et captivitates cum esset guerra inter Saracenos et Christianos,

(*a*) Al *circumferre venientibus.* — (*b*) Edd. *ultra LXXXV.*

[1] *Leg. Mai.* c. 4 n. 5 sqq. AF IV, 493 sqq. — [2] *Leg. Mai.* c. 14 n. 1 sqq. — [3] AF IV, 177-351. — [4] Supra 31-54. — [5] *Leg. Mai.* c. 8 n. 6. — [6] L. c. n. 5.

divino favente auxilio ad Soldanum perveniens [1], eidem « beatus Franciscus a Spiritu Sancto edoctus tam divinissime de fide catholica sancta praedicavit, quod per ignem hanc se approbare obtulit. Propter quod soldanus in ipso magnam devotionem concepit tam pro constantia fidei quam pro temporalium contemptu, quia nihil ab eo recipere voluit, cum esset pauperculus, quam etiam pro fervore martyrii. Et ex tunc eum libentissime audiebat et rogavit, ut ad ipsum frequenter accederet. Et insuper sibi concessit et sociis, quod quocumque vellent, libere irent et ubique per totum imperium suum libere praedicarent [2]. Et dedit eis quoddam signaculum, quo viso, a nemine laederentur. Habita igitur hac licentia liberali, sanctus Franciscus socios binos hinc inde transmisit in diversas partes paganorum. Demum [3] beatus Franciscus videns, quod fructum, quem desiderabat ibidem facere non poterat, Domino sibi revelante, disposuit, sociis recongregatis, ad partes fidelium remeare. Et rediens ad soldanum, suum propositum de reditu indicavit. Cui soldanus dixit: « Frater Francisce, ego libenter ad Christi fidem converterer, sed timeo modo hoc facere; quia isti Saraceni me et te cum sociis tuis, si sentirent, statim interficerent. Sed et cum tu adhuc multum possis proficere et ego quaedam magna negotia pro salute animae meae habeam expedire, nollem libenter (*a*) mortem tuam et meam inopinate inducere ita. Sed indica mihi modum quo salver, et ego sum paratus tibi in omnibus obedire ». Et sanctus Franciscus dixit ei: « Domine, ego quidem modo recedam a vobis, sed postquam ad partes (*b*) meas rediero, et ad caelum, Domino vocante, transiero, post mortem meam, secundum dispositionem divinam, mittam vobis duos de fratribus meis, a quibus baptismum recipietis et salvus (*c*) eritis, sicut mihi Dominus meus Iesus Christus revelavit. Vos autem interim ab omni negotio vos dissolvite, ut cum gratia Christi venerit, inveniat vos fide et devotione paratum. Cui soldanus assentiens gaudenter, fideliter obedivit. Sanctus vero Franciscus rediit ad partes fidelium. Et post aliquos annos praedictus soldanus infirmatus est et exspectans beati Francisci promissum, qui iam ad beatam vitam migraverat, posuit exploratores in portibus et portuum (*d*) exitibus, ut si quando duos fratres in sancti Francisci habitu apparerent, ipsos festinanter ad eum adducerent. In illo autem tempore apparuit beatus Franciscus duobus fratribus suis et praecepit illis, ut sine mora pergerent ad soldanum et salutem eius, sicut promiserat et praedixerat, sollicite procurarent. Quos ut vidit soldanus, gavisus est *gaudio magno valde* [4] dicens: « *Nunc scio vere quia misit Dominus* servos suos [5]; quia sicut promiserat sanctus Franciscus, ita mihi servavit sollicite, pro salute mea suos socios transmittendo ». Recipiensque a praedictis fratribus fidei documenta et sanctum baptismum, in ipsa infirmitate regeneratus in Domino, migravit ad gaudia sempiterna; et salva facta est anima eius meritis sancti patris Francisci, concedente (*e*) Domino nostro Iesu Chsisto. Et sic apparet, quod beato Francisco *vir,* scilicet soldanus, ad instar Christi suos fratres mittendo, *iuvatur,* quia salvatus est; et sic patet conformitas in hoc beati Francisci ad Dominum Iesum Christum.

(*a*) Edd. om. *libenter.* — (*b*) Edd. *ad fideles;* As *fidelium* (in marg.) *partes.* — (*c*) Sic Codd. et Edd. — (*d*) As, Edd. *in portis et portarum exitibus.* — (*e*) As, Edd. *operante.*

---

[1] *Actus,* c. 27 n. 3 sqq. — [2] L. c. n. 7; cf. Golubovich, *Biblioteca bio-bibl. della Terra Santa,* I (Quaracchi 1906) 60-4 — [3] *Actus,* c. 27 n. 15. — [4] Cf. Matth. 2, 10. — [5] Cf. Act. 12, 11.

Idipsum circa alium quemdam militem nomine Gerardum in castro Zachanto (*a*), quod est in vico iuxta Anagniam, morantem invenitur beatum Franciscum post mortem effecisse, eum ad salutis viam perducendo. Hic quidem miles oculorum (*b*) lumen perdiderat. Accidit autem, ut duo fratres Minores ab exteris (*c*) partibus venientes, ad domum ipsius hospitaturi diverterent. Suscepti igitur devote propter reverentiam beati Francisci a familia tota, et cum omni benignitate tractati, gratiasque agentes Deo (*d*) et hospiti, ad locum fratrum devenere vicinum. Nocte igitur quadam beatus Franciscus uni illorum fratrum in somnis apparuit dicens (*e*): « Surge, et festina cum socio ad domum hospitis vestri, qui Christum et me suscepit in vobis (*f*); volo enim ei beneficia impendere pietatis. Caecus quidem effectus est suis promerentibus culpis, quas poenitentiali non studuit confessione purgare ». Disparente quoque patre, frater festinus surrexit, ut mandatum cum socio celeriter adimpleret. Venientesque ad hospitis domum, alter cuncta quae viderat per ordinem enarravit eidem. Stupuit ille non modicum, et universa quae dicebantur vera (*h*) esse confirmans, compunctus et lacrimans, confessus est libens. Tandem correctione praemissa, interiorique homine totaliter renovato, exteriorem continuo recuperavit aspectum. Huius miraculi fama circumquaque diffusa, non solum ad reverentiam sancti, verum etiam ad confessionem humilem peccatorum et hospitalitatis gratiam plurimos incitavit [1] ».

Sic ergo iam dictis apparet istius secundae partis conformitatis X, scilicet *Francisco vir iuvatur*, expositio breviter et succincte.

FRUCTUS ET CONFORMITAS UNDECIMA ET IN ORDINE TRIGESIMA NONA:

Iesus Salvans Moestissimos. — Francisco Mors Fugatur.

Expositio primae partis, videlicet: **Iesus salvans moestissimos.**

Vitam cum se Christus asserat esse, viam et veritatem [2], nec solum sit vita animae sed etiam corporis; ratio, quia ab ipso Deo sicut fit causative sic etiam fieri dicitur quia ab ipso in esse tenetur conservative (ipsa enim rerum a Deo in esse conservatio quaedam conservatorum est factio, prout doctor dicit egregius Augustinus [3]); quia ergo *vita nostra est* Christus, ut dicit Apostolus [4], et quia *vita* dicitur de vita gratiae, quam proculdubio non a nobis sed a Christo habemus, qui est *plenus gratiae et veritatis,* de cuius *plenitudine omnes accepimus,* Ioan. 1, 14 sqq.; dicitur etiam vita aeterna, quae est in ipsius et Patris perfecta cognitione, Ioan. 17, 3; et hanc vitam ipse dat, ipso dicente Ioan. 10, 28: *Ego vitam aeternam do eis;* dicitur etiam vita de vita humana; et istam habemus ab ipso, qui est Deus, ut habebimus pro futuro, dicente Apostolo I Cor. 15, 22: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur:* Quia ergo sic est Dominus noster Iesus Christus vita ista triplex, sicut se esse vitam aeternam latroni crucifixo manifesta-

(*a*) Al om.; As *Zeumarto; iuxta Agnaniam* (Al *Anaginam*); Edd. *Cemunatò iuxta Anagn. mor.* — (*b*) Edd. *oculos;* Al *oc. visum summe.* — (*c*) Edd. *extremis.* — (*d*) Edd. om. *Deo et.* — (*e*) Edd. om. *dicens,* pro quo hab. *Surge, inquiens, festina.* — (*g*) Ed. II et III om. *vobis — quidem;* pergunt *infectus est suis.* — (*h*) Edd. om. *vera.*

[1] *Leg. Mai.* c. 16 (mirac.) § VII n. 6. Cf. Thom. de Celano, *Tract. mirac.* c. 14 n. 117. — [2] Ioan. 14, 6. — [3] Cf. *Soliloquium animae* inter opp. S. August. c. 6 (P. L. 40, 689). — [4] Col. 3, 4.

vit [1], quando eum ad paradisum deduxit et sic sanctis patribus quos in vitam aeternam perduxit; sic se ostendit vitam primo modo, scilicet gratiae esse, et hoc hominibus, quos a statu peccati ad vitam gratiae ipse perduxit, sicut patuit in veteri Testamento de multis, et specialiter patuit in novo, ut patet de Matthaeo primo telonario postmodum apostolo [2], de Magdalena [3], de Zachaeo [4] et de pluribus aliis, de quibus loquitur sanctum Evangelium. Quia ergo se ostenderat vitam gratiae primo, consequenter secundo modo (*a*) se voluit vitam corporum; hoc est in potestate ipsius esse mortificandi et vivificandi, mortuos ad vitam suscitando, prout placet suae benignissimae voluntati. Et hoc ostendit Salvator tres mortuos suscitando, de quibus loquitur Evangelium. Nam archisynagogi filiam suscitavit in domo, Matth. 9, 18 sqq.; filium viduae in porta civitatis Naim, Luc. 7, 11 sqq.; Lazarum quatriduanum in monumento, Ioan. 11, 17 sqq. Haec triplex suscitatio horum trium etsi suscitationem peccatoris spiritualem indicant, videlicet peccatoris mortui in cordis domo, in porta locutionis et sensuum, et demum in opere; attamen suscitatio praedictorum arguunt sufficienter in Domini Iesu potestate esse dare vitam mortuis, ut placet eidem. Nam sicut *in ore duorum vel trium stat omne verbum* [5], sic suscitatione praefatorum trium eum esse Dominum mortis et vitae arguitur evidenter. Innumeros alios Dominus suscitavit corporaliter ad probandum vitam aliam esse animae quam praesentem, prout asserit sancta Caecilia in sua *Legenda* [6]. Item Evangelista Matthaeus [7], et alii dicunt quod Dominus resurgendo multos alios resuscitavit; ac annuatim in die suae sacrae resurrectionis ad vitam perpetuam resuscitare sanctos pie credendum, doctor ostendit Ambrosius.

Non solum auctorem vitae autumat resuscitare mortuos immediate et per se, sed a fortiori hoc astruit resuscitare per alios, potestate eis tradita ab ipso Domino Iesu Christo. Quod quidem claret factum per sanctos Apostolos, eis a Christo tradita potestate. Petrus Apostolus suscitavit Tabitham in Ioppe [8], filium Theophili per multos annos defunctum [9], et sic de aliis; Paulus Apostolus iuvenem de alto collapsum et mortuum ad vitam revocat [10]; Ioannes Evangelista Drusianam, Stacteum et duos alios veneno necatos potenter suscitavit [11]; Thomas fratrem Gandophori regis defunctum revocavit ad vitam [12]; Philippus duos tribunos et filium pontificis mortuum ad vitalem auram (*b*) deduxit [13]; Matthaeus filium regis Aethiopiae suscitavit [14]; et sic de aliis Apostolis, qui multos mortuos tam in vita quam post resuscitarunt, non ipsorum virtute sed Domini Iesu Christi. Apparet idipsum factum in sanctis martyribus, sanctis confessoribus, scilicet patribus de Aegypto [15], Martino [16] et Benedicto [17], et sic de multis aliis, ut patet in *Legendis* ipsorum sanctorum. Hi siquidem et si qui alii huiusmodi sunt, omnes non virtute propria ad vitam revocarunt, sed Domini Iesu invocatione et potestate.

Vitam omnium esse Dominum nostrum Iesum Christum ostendit super omnia et pandit circa finale iudicium; prout testatur beatus Hieronymus, et Magister IV dist. 4 allegat [18], quod aliqui non morientur, ut ostendatur quod Dominus Iesus et corporaliter et spiritualiter nos vivificaverit. Ultimum tamen, scilicet resurrectio omnium, quando tam boni quam mali resuscitabuntur voce ipsius Christi Filii Dei, tunc apparebit potentia ipsius et quod auctor sit vitae cunctis innotescet. Sed mali solam vitam corporalem obtinebunt cum morte,

(*a*) As, Edd. *secundario*. — (*b*) Edd. *vitam*.

[1] Cf. Luc. 23, 43. — [2] Matth. 9, 9 sqq. — [3] Luc. 7, 36 sqq. — [4] Luc. 19, 2 sqq. — [5] Matth. 18, 16. — [6] *Leg. aurea* c. 169 (al. 164), p. 774. — [7] Matth. 27, 52 sqq. — [8] Act. 9, 36 sqq. — [9] Mombritius, *Sanctuarium*, I, 158-60. — [10] *Leg. aurea*, c. 90 (85) ed. cit. 381. — [11] *Leg. aurea*, c. 9. — [12] *Leg. aurea*, c. 5. — [13] *Leg. aurea*, c. 65 (62) p. 292. — [14] *Leg. aurea*, c. 140 (135) p. 623. — [15] *Vitae Patrum*, (P. L. 73-4), passim. — [16] *Leg. aurea*, c. 166 (al. 161) p. 143. — [17] *Dialog*, l. II c. 32 (P. L. 66, 192. — [18] *Sent.* l. IV, d. 43, c. 6: Hieron. *Ad Marcellam* ep. 59 (al. 148) n. 3 (P. L. 22, 583).

id est damnatione aeternali; boni vero et iusti ibunt cum ipso Domino tam vita corporali perpetua, quam aeternali perpetuae gloriae. Et non solum iam dictis de causis Dominum Iesum decebat mortuos suscitare, ut auctor vitae verae censeretur, sed idipsum, ut dicit sancta Caecilia in sua *Legenda* de Passionali [1], ut aliam vitam esse ista meliorem ostenderet, ac immortalitatem animae evidenter ostenderet et declararet, quae per reditum ad proprium corpus et omnium quae ante gessit in corpore recordationem, eamdem esse quae primo fuerat, comprobaretur. Ad propositum nostrum, cum mors sit ultimum terribilium et moestissima sit communiter omnibus hominibus, tam ratione amissionis omnium quae temporaliter diliguntur, quam separationis ipsius animae a corpore, quia nulla est maior et dolorosior poena; Dominus Iesus praeservando a mortis dolore, scilicet sibi intimos et devotos, quam resuscitando ad vitam, cum anima exuta a corpore eidem semper appetat reuniri, ipse Iesus est salvans moestissimos et desolatos ob mortem, ac consolator vere dicitur et probatur. Patet ergo succincte, quomodo intelligitur prima pars istius XI conformitatis, videlicet **Iesus salvans** et solans, id est consolans **moestissimos**.

Secunda pars undecimi fructus et conformitatis tertii libri, et trigesimae nonae in ordine, videlicet:

Francisco mors fugatur.

Expositio.

Dominus et Salvator noster a suis per mortem discipulis recessurus praesentia corporali, inter alia quae eis ad ipsorum consolationem dixit et aliorum fidelium, est id quod habetur Ioan. 14, 12: *Qui credit in me, opera quae ego facio et ipse faciet, et maora horum faciet, quia ego ad Patrem vado.* Quo verbo sequitur quod sancti viri qui fidem perfectam habuerunt corde credendo, ore praedicando ipsam et defendendo, et opere comprobando, quae Dominus Iesus fecit, et quoad resuscitationem mortuorum et aliorum operationem, et ipsi fecerunt. Etsi multi fuerunt tam in veteri Testamento haec peragentes et in novo, praecipue Dominus Iesus exercere complacuit meritis beati Patris nostri Francisci, prout haec secunda pars declarare intendit dicens, quod *Francisco,* id est meritis ipsius, *mors* per Dominum Iesum Christum *effugatur,* scilicet a multis fidelibus, per revocationem ipsorum ad vitam iterato corporalem. Et quod Dominus noster Iesus Christus benignissimus invocatione beati Francisci eiusque meritis multos ad vitam corporalem revocaverit hic sunt succincte de talibus exempla ponenda. Verum quaedam, quae Dominus frater Bonaventura in ultima parte *Maioris Legendae* [2] luculenter depromit, hic inseram cum aliis, quae repperi, sed breviter et succincte.

Franciscus enim beatus in partibus Teutoniae quemdam mortuum ad vitam revocavit [3]. Et de isto est bulla Domini Gregorii IX [4], quam misit capitulo generali, quando facta est translatio corporis beati Francisci apud Assisium [5].

In castro Montis Marani (*a*) prope Beneventum mulierem sibi devotam beatus Franciscus quae obierat, quodam peccato inconfessa, dum officium ageretur defuncto-

(*a*) Codd., Edd. *Merani.*

[1] Cf. *Leg. aurea,* c. 169 (al. 164) p. 774. — [2] *Leg. Mai.* XVI (mirac.) § II. — [3] L. c. n. 8. — [4] Bulla: « Mirificans misericordias », data 16 mai 1230; Sbaralea, *Bull. franc.* I, 64-5. Th. de Celano, *Tractatus de mirac. b. Francisci,* c. 7 n. 48. — [5] Supra 443, l. 1 sqq.

rum pro ea, coram omnibus resuscitavit in ecclesia, quae proprium advocans presbyterum (*a*) confesso crimine et absoluta, in Domino iterato feliciter obdormiendo vitam est ingressa civitatis aeternae [1].

In castro Pomarico (*b*) sito in Apuliae montanis, filiam cuiusdam mulieris sibi devotae defunctam, beato Francisco matri apparente (*c*) cum uno socio, et dicente ut ipsius nomen invocaret, mulier ipsa manifestando omnibus quod beatus Franciscus eidem dixerat, nomen ipsius beati Francisci invocando, dum manum filiae apprehendisset, a mortuis suscitatam a terra elevavit [2].

Apud Nuceriam cum plaustrum amore beati Francisci petitum a quodam viro nomine Petro a fratribus, et ille non solum non (*d*) accomodavit, sed in sancti Francisci iniuriam verba plura dixisset, statim primogenitus eius infirmatus, in brevi vita decessit. Quod cernens pater, de eo quod egerat contritus, dum devote beatum Franciscum precaretur, ut filium quem ei abstulerat redderet, puer statim surrexit et planctum patris prohibens, se eductum asseruit (*e*) per beatum Franciscum et reductum [3].

Romae (*f*) puerulus vix septennis, dimissus domi a matre ad ecclesiam eunte, ut matrem sequeretur se per fenestram proiiciendo exstinctus fuit; sed oratione fratris Raho (*g*) et socii cum patre dicti pueri ad beatum Franciscum facta, statim puer coepit oscitare, et apertis oculis et brachiis levatis, seipsum erexit et coram omnibus statim incolumis ambulavit [4].

Capuae quidam puer in Vulturno flumine submersus, cum corpus eius diu quaesitum sub aqua minime (*h*) posset inveniri, invocato beati Francisci nomine, statim corpus repertum eductum de aqua, cum omnes astantes pro resuscitatione beatum acclamarent Franciscum, ad vitam revocatus est. Qui se ad ecclesiam beati Francisci, sui liberatoris, duci fecit et ibi, ut decuit, Deo et beato Francisco gratias reddidit [5].

In civitate Suessa, in vico qui Ad Columnas dicitur, domus corruens filium cuiusdam mulieris occidit; quod mater sentiens, clamorosis vocibus beatum interpellabat pro suscitatione filii Franciscum; qui miserae matri compatiens resuscitatum et sanum restituit (*i*) [6].

Iuvenem quemdam Gerlandinum nomine, tempore vindemiarum sub torculari oppressum et mortuum, a Domino Iesu Christo pater ipsius per merita beati Francisci resuscitatum obtinuit [7]. Et de supradictis loquitur dominus frater Bonaventura in loco praeallegato pulchre et seriose.

In Alemania quidam baro cum filium a beato Francisco obtinuisset, diabolo apparente matri sedenti extra ostium cum filio in specie leprosi et dictae mulieri vim inferre volente, mulier concite surgendo, domum intrans sine (*k*) puero, ostium obseravit. Qui diabolus puerum accipiens, cum mater eidem nollet assentire, in frusta concidens, matre inspiciente, exstinctum et membris omnibus discerptum, ad ostium

---

(*a*) As, Edd. *patrinum.* — (*b*) Al *Parmaco;* As *Pomarto;* Edd. *Pomarco.* — (*c*) As, Edd. *beatus Fr. matri* (om. Edd.) *apparens.* — (*d*) Al, Edd. om. *non;* Edd. *accomodasset.* — (*e*) Al *assensit.* — (*f*) Edd. add. *cum;* ideo infra *exstinctus fuisset* (ut et As); As, Edd. om. *sed.* — (*g*) Al *Racho;* subinde As, Edd. om. *facta.* — (*h*) Edd. *nimia non.* — (*i*) Edd. add. *et concessit.* — (*k*) Al *cum.*

---

[1] *Leg. Mai.* mirac. § 2 n. 1. Th. de Celano, *Tractatus de miraculis b. Francisci, (Mirac.)* c. 7 n. 40. — [2] *Leg. Mai.* l. c. n. 2. *Mirac.* l. c. n. 46. — [3] *Leg. Mai.* n. 3. *Mirac.* n. 43. — [4] *Leg. Mai.* n. 4. *Mirac.* n. 42. — [5] *Leg. Mai.* n. 5. *Mirac.* n. 44. — [6] *Leg. Mai.* n. 6. *Mirac.* n. 45. — [7] *Leg. Mai.* n. 7. *Mirac.* n. 47. (in Sicilia).

dimisit et abscessit (*a*). Mater vero colligens membra pueri cum magna multitudine populi, ad ecclesiam beati Francisci pergens in altari locavit, magnis clamoribus beatum Franciscum, qui primo ei ipsum filium dederat, coepit rogare ut filium resuscitare dignaretur. Nec mora: membris reintegratis et adinvicem connexis, puer a mortuis resurrexit. Hoc miraculum depinctum est Bononiae, sed quod quidam homo hoc egerit, non diabolus, ibi (*b*) dicitur [1].

In civitate Brandenburgensi, in fluvio qui Balga dicitur, puer cadens et suffocatus, ad invocationem beati Francisci per parentes, eius meritis ad vitam incolumis est reductus.

In villa quae dicitur Darundel (*c*) [2], cum quidam filium diebus undecim sine baptismo (*d*) servasset, ut in sabbato sancto baptizaretur, coepit puer adeo graviter infirmari, quod ad extrema perductus est. Cuius mortem deplorans pater dolore affectus (*e*), et specialiter quia sine baptismo obierat, beatum Franciscum pie invocando, filius ad vitam rediens baptizatus fuit et sabbato in albis est defunctus.

Filius cuiusdam burgensis in civitate Hamburg, provinciae Saxoniae, in flumine dum post patrem transiret, submersus est. Pro cuius resuscitatione beatus Franciscus invocatus a patre, sanus surrexit et vivus.

In Altona (*f*) [3] civitate provinciae Saxoniae germanus (*g*) cuiusdam fratris Minoris miles (*h*), confessione incompleta decessit; quem beatus Franciscus primo ab inferno liberans, cuius erat devotus, demum vitae restituens, dum confessionem fecisset et ecclesiastica sacramenta percepisset, postmodum decessit.

In castro Tundern (*i*) [4] Ripensis dioecesis, mulier habens puellam, cum iuxta fluvium luderet cum aliis, cecidit in fluvium et submersa est; cuius corpus extractum mortuum est. Quod videns mater, votum vovit beato Francisco, quod si filiam suam resuscitaret, statuam de cera ad pondus puellae suae daret ecclesiae; et illico puella est resuscitata.

In provincia Ungariae in custodia Sirmiensi (*k*) [5] frater Minor, Alexander nomine, a tertia usque ad vesperas mortuus iacuit in feretro; sed inde coram guardiano, qui solus cum eo remanserat surgens a mortuis, *Agnus Dei* cantando, dixit se per beati Francisci merita a poenis maximis liberatum et usque ad completorium supervicturum; quod et sic factum est.

In comitatu Tolosano duo fuerunt fratres nobiles quorum unus factus est frater Minor et devotus, alius vero in saeculo remanens indevotus et malus; qui infirmitate gravatus ad mortem pervenit. Cuius frater Minor beatum Franciscum pro fratris carnalis resuscitatione invocando, et resuscitationem illico promeruit, et ad vitam reductus, factus frater Minor, una cum alio fratre fideliter Domino deservivit.

In civitate Parmae pater et mater dum filio parvo in vigilia beati Francisci ad comedendum carnes porcinas dedissent, non valens puer eas deglutire, sic gutturi inhaeserunt, quod ipsum suffocantes exstinctum reddiderunt a vita. Sed voto per pa-

(*a*) As, Edd. *dimittens discessit.* — (*b*) Al, As om. *ibi dicitur.* — (*c*) As, Edd. *Daruendel.* — (*d*) Edd. om. *sine baptismo.* — (*e*) Edd. add. *et ultra quam credi potest (et spec.).* — (*f*) Al *Anthania;* As *Anchania;* Edd. *Ania.* — (*g*) Al *germani.* — (*h*) Al *mulier.* — (*i*) Al *Tunder;* As, Edd. *Tunde.* — (*k*) Al, As *Syramensi;* Edd. *Firmensi.*

[1] Similis narratio in MS. Collegii S. Antonii, f. 50ra. — [2] Quomodo corrigendum sit, non apparet. — [3] Sic corrigendum esse coniicimus. — [4] I. e. Tondern, dioec. Ripens. (Ribe), in Dania. — [5] Erat VIII custodia provinciae Ungariae; cf. Eubel, *Provinciale Ordinis Fratr. Min. vetustissimum,* Ad Claras Aquas 1892, 34; AF IV, 554.

rentes ad beatum Franciscum emisso, coepit puer reviviscere, se movendo, et carnes reiicere; et ad incolumitatem pristinam sic est revocatus.

In Sancta Agatha, castro in Romandiola posito [1], puer quidam parvus a matre, ignorante patre, in lecto locatus, cum pater culcitram ignoranter desuper iacentem puerum proiecisset, ipse puer soffocatus est. Sed ab utroque parente voto emisso ad beatum Franciscum de eius visitando sepulcrum, puer ad sanitatem et vitam est reductus.

In castro N., Nemausiensis (*a*) dioecesis, mulier viro absente peperit filium, quem ob reverentiam beati Francisci, Franciscum vocavit; sed patre redeunte, cum aliud nomen filio imposuisset, puer ipse superveniente languore diem clausit extremum. Sed utroque parente vovente de nomine imposito conservando, ad vitam est mirabiliter revocatus.

In castro Alasano (*b*) Narbonensis dioecesis puer quidam per omnes mortuus iudicatus, per invocationem beati Francisci est resuscitatus.

In civitate (*c*) Carcassonae puer duorum annorum mortis expositus faucibus et datus, voto facto ad beatum Franciscum a matre, quod temporis in processu suaderet sibi introitum Ordinis Minorum, resuscitatum meritis beati Francisci recepit.

In eadem civitate Carcassonae alium puerum per omnes mortuum iudicatum, ab amicis beatus Franciscus invocatus ad vitam et incolumitatem reduxit [2].

In castro, quod Insula dicitur [3], Cavallicensis (*d*) dioecesis, quaedam mulier puerum foetidum et mortuum peperit; sed invocatione beati Francisci vitae est redditus. Qui temporis in processu in genitalibus fractus, iterata beati Francisci invocatione, cuius nomine erat praenotatus (*e*), sanitati perfecte est restitutus.

In castro de Orgonio, Avinionensis dioecesis [4], quoddam lignum cadens super latus unius pueri, ipsum protinus morti dedit; sed mater invocatione beati Francisci vivum et hilarem recepit.

In Arelatensi dioecesi, mulier quaedam filium peperit mortuum, nigrum et horribilem; quae beati Francisci petens auxilium, vovens ipsum Franciscum nominandum, deformitate remota subito revixit [5]. — In loco praefato puer de scala cadens altissima in pavimentum, subito exspiravit; quod eius avia cernens beati Francisci devota, invocando ipsum, puer vivus surrexit et sanus.

Dominus Arnaldus de Assenduno (*f*), dioecesis Sistaricensis, cum filium non haberet, votum beato Francisco emisit, quod si ei filium masculum daret, faceret eum fratrem Minorem; sed habito filio cum differret votum implere, quia alium filium non habebat, morte superveniente defunctus est. Qui votum iterans de filio ad beatum Franciscum faciendo fratrem Minorem filium, illico a mortuis resurrexit et eum fratrem Minorem fecit iuxta promissum [6].

Quidam nobilis de Marchia cum filium obtinuisset meritis beati Francisci et promississet, si daret, facere eum fratrem Minorem, cum esset ei ille filius (*g*) solus, differebat eum fratribus dare. Qui ter infirmatus ad mortem et a beato Fran-

(*a*) As om. *N.;* Edd. *Remansensis.* — (*b*) As *Aulanscio,* Edd. *Alanasao.* — (*c*) Edd. duas narrationes de Carcassona transponunt. — (*d*) Codd., Edd. *Cavilliocensis.* — (*e*) As *praevocatus.* — (*f*) Edd. *Ascenduno;* tunc *Cistercinensis* (Al *Sistriciensis;* As *Cisterciensis*). — (*g*) As, Edd. om. *Ille filius.*

[1] Videtur Sant' Agata Bolognese prope Bononiam. — [2] Cf. AFII IV, 540-1 l. 2. — [3] Videtur L'Isle-sur-la-Sorgue. — [4] Orgon super flum. Druentiam. Cf. 501 l. 31. — [5] Cf. AF IV, 539 l. 31-2. — [6] AF IV, 431 l. 30-5.

cisco liberatus, semper cum promissione, ut liberatus frater Minor fieret, parentibus differentibus eum vestire habitu Ordinis, superveniente infirmitate, obiit. Quod cernentes pater et mater ad locum fratrum filium mortuum deduxerunt, promittentes cum multis lacrimis, quod si beatus Franciscus eum ad vitam reduceret, illico eum fratribus darent. Qui statim vivus et sanus exsurgens, factus est frater Minor [1].

Quaedam domina in Romania unicum habens filium, trium scilicet annorum, qui infirmitate gravatus ad mortem devenit, eius subtractionem dolens orbata mater invocatione beati Francisci cum voto, quod eius ecclesiam iam inceptam perficeret, puer ad vitam est restitutus.

In Hispania, regno scilicet Castellae in civitate Astoricensi, anno Domini 1343, beatus Franciscus singulari modo quemdam Episcopum civitatis praefatae nomine Petrum, a mortuis modo subscripto resuscitavit. Dictus episcopus, licet esset peccator et carnalis, tamen beato Francisco erat magnus (*a*) devotus. Qui graviter infirmatus, de ipso quidam eius scutifer et domicellus huiusmodi habuit visionem. Nam videbat cuniculos nigros de terra ascendere et supradicti episcopi super cathedram sedentis indumenta conantes dilaniare. Sed quidam frater de Ordine Minorum post (*b*) cathedram exiens illa animalia effugavit, et dicto domicello dixit, ut Episcopum ad poenitentiam induceret et confessionem, quia haec animalia daemonia erant, super episcopum propter peccata sua potestatem habentia. Qui evigilans, hanc visionem dixit episcopo, de qua ipse trufatus est et turbatus dixit: « Non sum ita infirmus, quod me oporteat confiteri ». Inde ad tres dies domicellus iam dictus aliam habuit visionem; videlicet (*c*) quod duo canes magni et nigerrimi conabantur episcopum devorare, sed frater Minor post cathedram exiens illos effugavit et domicello dixit, quod episcopum ad confessionem induceret, nam brevi erat de ista infirmitate moriturus. Qui evigilans, episcopo visionem dixit; contra quem episcopus valde turbatus est, maxime quia dixit eum in brevi moriturum, nec confessus est. Item post tres dies alios domicellus supradictus habuit aliam visionem. Nam vidit ignem magnum, super quem erat caldaria magna plena pice bulliente et daemones episcopum capientes, conabantur ipsum mittere in caldariam; sed a fratre post cathedram stante sunt impediti. Et dixit, frater domicello: « Vade et dic episcopo, quod moriturus est de ista infirmitate, et ideo non differat confiteri peccata sua ». At ille dixit: « Dixi sibi, et ille non vult credere mihi; da mihi aliquod signum, ut credens confiteatur ». Cui frater: « Mitte digitum tuum in hac pice, et dic episcopo: Beatus Franciscus, cuius estis devotus, hoc mihi dixit, et in signum huiusmodi ecce digitum pice involutum et ex tali calore quasi desiccatum ». Domicellus omnia episcopo narravit. Territus autem episcopus ex signo et ex devotione beati Francisci, confessus est; et post dies paucos episcopus ipse exspiravit. Germani autem et nepotes episcopi mortem per tres dies occultantes, omnia bona eius asportaverunt; quarta autem die de mane, anno Domini 1343 de mense maii, portatum est corpus eius ad ecclesiam fratrum Minorum, et fratribus officium facientibus, de feretro surrexit episcopus; quem consanguinei videntes, scientes eum iam per tres dies fuisse mortuum, fugerunt. Ille vero clamans dixit: « Non fugiatis! Vere ego mortuus fui; sed modo mortuus non sum; sed dum mortuus fui et ante iudicem ductus, recepi

(*a*) Edd. *valde*. — (*b*) Edd. *de post*. — (*c*) Edd. *videbat*.

[1] AF IV, 431-2.

sententiam damnationis aeternae duabus de causis: Prima, quia in confessione peccati non dolui de concubina, quam tenui; secunda, quia quamvis eam tunc expulerim, non tamen eam dimittere proposui. Sed beatus Franciscus, quem semper dilexi, factus est mihi advocatus, et pro me tria allegavit: Primo devotionem praecipuam, quam semper in eum habui; secundo eleemosynas, quas semper fratribus feci; domus (*a*) enim mea et omnia quae habebam magis fratrum erant, quam eorum de curia; tertio fiduciam, quam habui semper non posse male mori meritis beati Francisci. Sicque Deum (*b*) adiens, ut ad corpus anima mea rediret etiam impetravit. Et habeo XX dierum spatium ad poenitentiam de peccatis meis agendam, post quos statim moriar ». Infra istud tempus omnia quae fuerant ablata, recuperavit; de omnibus bene disposuit et poenitentiam condignam fecit. Et quia infra istud spatium fuit festum beati Francisci, scilicet translationis, in ipso festo voluit celebrare et omnia quae sibi acciderant, populo (*c*) praedicavit. In qua praedicatione ita ferventer de beato Francisco locutus est, quod fratres Minores, qui in illis partibus erant in magno opprobrio, in magna devotione sunt habiti. Ipse tandem episcopus, plenus bonis operibus, die statuta migravit ad Dominum [1].

Multos alios gloriosus Dominus Iesus, ad ostendendum dilectionem et gloriam beati Francisci, est resuscitare dignatus meritis eius et invocatione. Sed de praefatis XXX, ut fideliter repperi, hic succincte ascripsi, ad laudem ipsius Domini nostri Iesu Christi, qui est vita viventium et salus omnium in se credentium. Sic ergo praefatis apparet declarata secunda pars huius XI conformitatis, videlicet: *Francisco mors fugatur.*

FRUCTUS ET CONFORMITAS DUODECIMA ET IN ORDINE QUADRAGESIMA:
Iesus Ditans Dignissimos. — Francisco Cuncta Dantur.

Expositio primae partis, videlicet: Iesus ditans dignissimos.

Ob primorum demerita parentum humanum genus non solum a paradisi gaudiis est expulsum, iustitia originali privatum, diabolo subiugatum, gratuitis spoliatum, in naturalibus vulneratum, sed morti addictum et cunctis est repletum miseriis, infirmitatibus et doloribus. Quod enim patiatur morbos, miserias et infirmitates etsi libri medicinales dicant in parte, etsi non ad plenum, experientia tamen teste ac Scriptura sacra, *homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletus multis miseriis* [2], immo infinitis, ut vix possit comprehendi quis sit sine infirmitate corporali vel mentali. Omnia condita, peccato faciente, in tempore tabescunt, deficiunt et senescunt, et nunquam *homo in eodem statu permanet* [3]. Quapropter consequitur evidenter, ut vanitate et varietate cum sit omnis creatura vallata et eisdem subiecta,

(*a*) Al *bona.* — (*b*) Al *Deus audiens;* infra *impetravit,* delens postea *t* in medio; om. *etiam.* — (*c*) Edd. om. *populo.*

[1] MS. Colleg. S. Antonii, f. 60 v-66 v. Post quam narrationem ibi sequitur: « Supradictum miraculum praedicavit Florentiae in S. Cruce fr. Franciscus de Supereta anno domini 1364 in festo s. Francisci; et frater Bartholomaeus Melanensis, lector Lucanus scripsit fr. Ludovico lectori Florentiae ». *Speculum Vitae B. Francisci,* Venet. 1504, Metis 1509, f. 229 r-30 r. « In regno Castellae provinciae quidam ep. ». Alia eiusdem narrationis forma habetur ibid. f. 172 v-173 v: « In Hispaniis, civitate quae dicitur Civitas Roderici ». — [2] Iob. 14, 1. — [3] Iob. 14, 2.

semper aliquid patiatur, quod est contra suum esse et permanentiam. [O quantis morbis subest homo!] (*a*). Nonne vides, quod aliqui patiuntur in capite hemicraniam (*b*), alii furorem, id est in cerebro commotionem, aliqui amentiam, id est capitis insaniam, alii stuporem id est mentis caecitatem, aliqui capitis vertiginem, alii capitis tremorem, alii morbum caducum, aliqui albuginem oculorum, alii caecitatem, alii fluxum oculorum (*c*); aliqui surditatem, alii lepram, aliqui paralysim, aliqui bulimiam (*d*) id est continuum comedendi appetitum, alii spasmum, alii sternutationem, alii cordiacam id est cordis tremorem, alii difficultatem aspirandi et respirandi, aliqui squinantiam, scilicet gutturis dolorem, alii phrenesim, alii linguae privationem, alii mentis caecitatem, alii dentium dolorem, alii oris foetorem, alii fluxum narium, alii scabiem, aliqui phthisim, alii syncopam, alii ephemeram febrem, alii hecticam, alii continuam, alii tertianam, alii quartanam, alii quotidianam; alii singultum, alii vigilias, alii vomitum, alii ventris torturam, alii hydropisim, alii dysenteriam, alii defectum luminis, alii ventositatem; alii ulcerantur (*e*), alii apostemantur, alii arthriticam, aliqui podagram; et sic de aliis innumeris infirmitatibus hominum. Has ergo et consimiles propter primorum parentum incurrimus inobedientiam. Ab his omnibus malis et morbis et poenis fuisset genus humanum praeservatum, non peccantibus ipsis primis parentibus, a quibus nullus homo originaliter trahens (*f*) ab eis vitam secundum rationem seminalem est vel fuit immunis; et si ab aliquo praefatorum, non tamen ab omnibus, nec virtute medicinae, nec auxilio quocumque creato. Ab his ergo malis in resumptione corporum electi liberabuntur, quando mors et omnis dolor divina virtute ab eis tolletur. Sed interim quo principaliter ab his incommodis sublevari valemus? Certe a nullo nisi a Deo et Domino Salvatore nostro Iesu Christo, *in cuius ditione cuncta sunt posita* [1] et suo imperio omnia parent et deserviunt. Hic siquidem est ille, teste Psalmo [2]: *Qui sanat omnes infirmitates tuas.* Sancti enim intercessive id operantur, sed Deus principaliter et auctoritative. Et ideo clamabat Ieremias ad Dominum dicens c. 17, 14: *Sana me, Domine, et sanabor, salvum me fac, et salvus ero; quoniam laus mea tu es.* Quod enim Salvator noster sit ille, qui a morbis nos curat et infirmitatibus, patet ex sancto Evangelio, in quo ostenditur quomodo ipse Salvator sanavit leprosos, paralyticos, caecos, claudos, daemoniacos, lunaticos, aridos, gibbosos et inclinatos, et omne genus infirmitatis curavit, prout dictum est conformitate I libri II huius operis [3]. Quapropter sanctus doctor Ambrosius, sciens Christum summum esse medicorum, utpote Deum verum, et omnia omnibus posse conferre, sic dicit [4]: « Omnia nobis Christus factus est. Si vulnus curare desideras, medicus est; si febribus aestuas, fons est; si gravaris iniquitate, iustitia est; si mortem times, vita est; si auxilio indiges, virtus est; si caelum desideras, via est; si tenebras effugere vis, lux est; si cibum quaeris, alimentum est: *Gustate* ergo *et videte, quam suavis est Dominus* [5] ». Haec Ambrosius. Et quod ipse omnes morbos pellat, tribulationes abdicet, impulsus daemonum mitiget, et quidquid est possibile adversi sua dextra comprimat, patere potest ex hoc, quia per eius nomen benedictum, si fuerit invocatum, praedicta omnia fiant (*g*), pellantur mala et bona donentur. Ratio, quia ipsum nomen est poenitentibus in refrigerium, aegrotantibus in remedium, pugnantibus in praesidium, patientibus in solatium, proficientibus in auxilium, deficientibus in sublevationem, confitentibus in honorem, praedicantibus in testimonium, memorantibus in suspirium, postulantibus in suffragium, experientibus in fructum, pervenientibus in praemium. Nonne ipse dixit suis discipulis quando eos misit in universum mundum, Marc. 16, 17 sq. *In nomine meo daemonia eiicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit;*

(*a*) Al, As om. *O quantis — homo.* — (*b*) Codd. Edd. *emigraneam. — homo.* — (*c*) Al, As *lacrimarum.* — (*d*) Codd., Edd. *bolisinum.* — (*e*) Edd. *ulcera;* tunc As, Edd. *apostema.* — (*f*) As, Edd. *traductus,* infra om. *vitam.* — (*g*) Edd. *fiunt, pelluntur.... donantur.*

[1] Esth. 13, 9. — [2] Ps. 102, 3. — [3] Supra 2-9. — [4] *De Virginitate* c. 16 (P. L. 16, 291). — [5] Ps. 33, 9.

super aegros manus imponent, et bene habebunt? Et Ioan. 16, 23 dixit Apostolis, in persona ipsorum et omnium fidelium: *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Sancti Apostoli ad Christum reversi, ut habetur Lucae 10, 17, dixerunt: *Domine, in nomine tuo daemonia subiiciuntur nobis.* Et beatus Petrus, erecto illo paralytico, et liberato, Act. 4, 10, dixit Iudaeis, quod non in virtute eorum, sed *in nomine Iesu* ille astabat *coram* eis *sanus.* Sic ergo sicut Dominus Iesus sua Deitate est omnis principium creaturae et origo, sic et omnis salutis humanae, et tam mentaliter quam corporaliter nostra vera salus. Ipse est ille *qui cum dives sit in misericordia, omnibus dat affluenter* [1], digne tamen eum et debite invocantibus. Si enim non debite peteretur, non daret, dicente Iacobo in Canonica sua [2]: *Petitis et non accipitis, eo quod male petatis;* fide, humilitate, corde mundo et perseveranter (*a*), ipse *dabit tibi petitiones cordis* [3]. Nam inquit ipse [4]: *Clamavit ad me, et ego exaudiam eum. Pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum* [5]. Et Psal. [6]: *Domine Deus, clamavi ad te et sanasti me.*

Quia ergo Dominus Iesus omnipotens est, omne bonum et summum esse, hinc est quod invocantibus, quidquid petunt quoad esse et bene esse et perfectum esse et aeternum esse, ipse *dat affluenter.* Et sic ipse est ille Iesus (*b*), qui est *ditans* (propterea id quod petitum est affluenter et abundanter largitur) (*c*) *dignissimos,* id est debite et digne petentes, prout dicit prima pars huius conformitatis; cui (*d*) ut actori, creatori omnium ac cunctorum largitori bonorum, sit omnis laus et gloria per infinita saecula. Amen. Ad ipsum ergo debet recurrere humana fragilitas in omnibus infirmitatibus, adversitatibus, tentationibus et tribulationibus. Ratio, quia ipse est lux, salus, virtus, gaudium, laetitia, ac liberans clamantes de angustiis et miseriis, replens gratia in praesenti et gloria in futuro. Amen.

Secunda pars duodecimi fructus et conformitatis tertii libri, et quadragesimae in ordine, videlicet:

Francisco cuncta dantur.

Expositio.

Ille inclytissimus et benignissimus Dominus noster Iesus Christus, sicut sanctorum omnium est operator et auctor, sic ipsorum est honor, decus et gloria ipsos magnificando. Et in praesenti, ut patet tam in sanctis veteris Testamenti: de Ioseph quem fecit dominum Pharaonis et Aegypti, Gen. 41, 41; de Moyse quem instituit Deum Pharaonis, Exod. 7, 1; de David, quem sublimavit ad regnum [7]; de Elia, quem signis fecit clarum et verbis, Eccl. 48, 1 sqq.; de Tobia, quem bonis et ubertate (*e*) replevit; et sic de aliis; quam novi Testamenti: patet de Petro, qui umbra sua sanabat infirmos [8]; de Apostolis, quibus ob reverentiam nullus *audebat se coniungere, sed magnificabat eos populus,* Act. 5, 13; de Antonio quem nominari fecit per totum mundum; de Hilarione [9], Benedicto [10], Martino [11], et sic de aliis, quos gratissimos et nominatissimos fecit in mundo; et in futuro, id est post hanc vitam in caelesti patria collocando, in mundo magnifice declaravit et sublimavit, et hoc signis innumeris ac prodigiis, ut patet in sanctis Apostolis, martyribus, doctoribus, confessoribus, virgi-

(*a*) Edd. add. *clamando.* — (*b*) As *qui est deitas propter;* Edd. *ipse ille cuius deitas propter.* — (*c*) Edd. *ditat.* — (*d*) Al om. *cui* — *infirmitatibus.* — (*e*) As *libertate;* Edd. *liberalitate.*

[1] Eph. 2, 4 et Iac. 1, 5. — [2] Iac. 4, 3. — [3] Ps. 36, 4. — [4] Ps. 90, 15. — [5] Ps. 33, 7. [6] Ps. 29, 3. — [7] II Reg. 5, 3 seqq. — [8] Act. 5, 9 seqq. — [9] S. Hieronymus, *Vita S. Hilarionis,* n. 3 sqq. (P. L. 23, 30 sqq.). — [10] S. Gregorius, *Dialog.* l. II, c. 5 (P. L. 77, 777) *Leg. aurea,* c. 49 (al 48) p. 204 sqq. — [11] *Leg. aurea,* c. 166 (al 161) p. 741 sqq.

nibus et aliis sanctis fidelibus; et specialissime in beato patre nostro Francisco, quem Dominus prae sanctis aliis (*a*) fecit clariorem et celsiorem, dum luce frueretur vitae praesentis, utpote sanctitate vitae divulgando verbo, signis miris, ac stigmatibus sacris, ut in praecedentibus conformitatibus evidenter est deductum [1]:

Sed etiam post mortem clarissimum mundo reddidit et acceptissimum. Invocatione ipsius beati Francisci a fidelibus cuncta dando, prout secunda pars dicit huius ultimae conformitatis, sancto *Francisco*, id est propter ipsum et eius supplicatione *cuncta dantur*, scilicet a Christo, fidelibus. — Decens enim est, ut Dominus post mortem suos sanctos mirificet et gloriosos reddat signis: — Primo quia ad sui est gloriam, cum sua virtute et gratia talia a sanctis fiant. — Secundo est ad authenticationem vitae talium; Ecclesia inde accipit argumentum canonizationis in terra, ex quo talem sanctificatum a Christo intelligitur in caelis. — Tertio est ad vitae talis sancti prosecutionem, ut nullus debeat haesitare (*b*) talem prosequi, quem Christus tanto honore dignum ducit. — Quarto ad incitationem populorum fidelium, ut quae sunt a Christo praecepta perficiant, cum peragentes quae sunt Christi, ab ipso sic in praesenti et post mortem honorentur. — Quinto est ad intelligendum gloriam sanctorum. Cum enim ipsi sint a nostris sensibus remotissimi, videndo quod Deus ipsos et eorum membra tantis honorat miraculis, argumentum sumimus, quod sine ulla comparatione in caelis praemiat eorum animas indicibilibus praemiis. — Sexto ad fidei confirmationem, non solum quod animae post mortem corporis (*c*) vivant, sed quod Christus verus est iudex, dans *unicuique iuxta opera sua* [2]. — Septimo valet ad diaboli, carnis et mundi detestationem; utpote quia spernentes et vicentes praefata tam alte sublimantur a Christo. — Octavo ad animandum fideles, ut patienter omnia mala portent, ex quo tale praemium praefatis datur a Domino. — Nono ad humanae naturae exaltationem. Quod Deus circa unumquemque hominem peragit in talibus, ad honorem est aliorum hominum et speciei humanae. — Decimo valet ad meritum viventium. Fideles enim sic sanctum mirificatum a Christo honorando, in praesenti et in futuro eorum meritis et precibus merentur protegi et iuvari.

Sic ergo, quia decens est Dominum honorare suos sanctos post mortem, Iesus Salvator multos honoravit; sed praecipue beatum Franciscum (*d*), cuncta dando eius invocatione facta a fidelibus populis; et quod sic effecerit, in subsequentibus est ostendendum, multis miraculorum exemplis. Et ut facilius videantur, ipsa per capitula distinguere cogitavi, ut clarius videantur et memoriae commendentur.

De mortuis resuscitatis.

Dominus enim Iesus precibus et meritis beati Francisci, patris nostri: Primo multos a morte resuscitavit, sicut dictum est conformitate praecedenti, parte secunda. Nam triginta mortuos eius meritis ad vitam revocavit [3].

De multis a mortis periculo praeservatis (*e*).

Secundo a mortis periculo praeservavit. In confinibus Urbis custodem (*f*) cuiusdam turris, lignorum compage resoluta (*g*), cadentem et dormientem beatus

(*a*) Edd. *omnibus*. — (*b*) Al *recuset*. — (*c*) Edd. add. *corporis*. — (*d*) Hinc usque ad p. 502 l. 16 omnia omisit Ed. III solas rubricas brevius referens. — (*e*) Hi tituli vel rubricae Codicum in Edd. omittuntur. — (*f*) Al om. *custodem*. — (*g*) Al in marg. add. *famulum*.

[1] Supra 10 sqq.; 369 sqq. — [2] Rom. 2, 6. — [3] Supra 471-76.

Franciscus eum tenendo, sine laesione aliqua usque ad terram perducendo (*a*) servavit, pro eo quod eodem sero vir nobilis, cuius erat castrum, in suo hospitio duos susceperat fratres Minores[1]. — In castro Pophis Campaniae sacerdotem volentem molendinum aptare, sed casu cadentem in aqua, et in ligno, quo molendinum volvitur intrusum, in mortis articulo constitutum se (*b*) invocando, beato Francisco apparente, per brachium arreptum liberavit[2]. — Quemdam in burgo Celani, qui in puteum ceciderat, invocatione beati Francisci in ipso casu, super aquam stando donec exinde (*c*) extraheretur, beatus Franciscus servavit[3]. — In ecclesia beati Francisci apud Assisium lapis maximus super mulierem cadens, meritis beati Francisci cuius astabat altari, nihil mali perpessa est, sed a dolore capitis quem prius diu habuerat, fuit liberata[4]. — Apud Cornetum cum ostium portae super quemdam puerum nomine Bartholomaeum cecidisset, invocatione beati Francisci facta a patre et ostio levato, puer inventus est sanus, qui mortuus credebatur[5]. — Apud Lentinum (*d*), lapis qui altari beati Francisci superimponi debebat, casu super unum de adiuvantibus cecidit; sed invocatione beati Francisci qui mortuus putabatur, et vitam integram habuit et lumen oculorum quod debile habuerat, limpidissimum recuperavit[6]. — Idipsum de alio consimili modo fuit apud Castrum Sancti Severini de Marchia Anconitana, qui a lapide imponendo super altare beati Francisci oppressus, ut credebatur mortuus, invocatione beati Francisci sanus, remoto lapide, prosiliit[7]. — Bartholomaeum Gaietanum, qui laborando pro constructione ecclesiae beati Francisci, trabe cadente in cervicem, et mortaliter ipsum percutiente, beato Francisco invocato, apparente et manum ducente per vulnera, sanum ad opus perficiendum remisit (*e*)[8]. — In Castro Sancti Geminiani puerum cuiusdam nobilis, qui fluxu ab oculis morti erat vicinus, supplicatione patris ad beatum Franciscum, sanatum et incolumen recepit[9]. — Quamdam puellam in Cathalonia[10] et aliam in Ancona[11], in ultimo spiritu constitutas, beatus Franciscus sanavit, a parentibus invocatus. — In castro Beleadri Arelatensis dioecesis quidam infantulus sic est infirmatus, ut a circumstantibus quasi exanimis iudicaretur. Cum pro eo beato Francisco esset supplicatum, subito oculos aperuit et pristinae sanitati est restitutus.

Bononiae (*f*) puer quidam dum nuces comederet, testa eius gutturi est transversaliter sic infixa, ut quasi spiritum miserabiliter exhalaret; qui a matre ad fratrum locum dum adductus esset, invocando beatum Franciscum puer testam subito evomuit et pristinae redditus est sanitati. — In Tarascone cum fratres[12] anguillas comedissent et residuum cum pulmento reposuissent, ut pauperibus darent ad portam, et quidam sacerdos cum brodium[13] praefatum hauriret, unum hamum parvum qui

(*a*) Al, As *perveniendo.* — (*b*) Edd. *invocato b. Francisco a parentibus, ipse sanctus per br.* — (*c*) As, Edd. om. *exinde.* — (*d*) As, Edd. *Tollentinum.* — (*e*) As., Edd. *emisit.* — (*f*) As *Romae.*

[1] *Leg. Mai.* c. 16 (miracula) § III n. 1. Thomas de Celano, *Tractatus de miraculis b. Francisci,* c. 8 n. 49. « Accidit in confinibus urbis Romae ». — [2] *Leg. Mai.* l. c. n. 2. *Mirac.* l. c. n. 50. — [3] *Leg. Mai.* n. 3. *Mirac.* n. 51. — [4] *Leg. Mai.* n. 4. — [5] *Leg. Mai.* n. 5. *Mirac.* n. 54. — [6] *Leg. Mai.* n. 6. *Mirac.* n. 57 (Lentinum). — [7] *Leg. Mai.* n. 7. *Mirac.* n. 58. — [8] *Leg. Mai.* n. 8. « Caietanus civis » *Mirac.* n. 59. Ubi tamen acciderit, non indicatur. — [9] *Leg. Mai.* n. 10. *Mirac.* n. 61. — [10] *Leg. Mai.* n. 11 « in villa nomine Thamarit ». — [11] L. c. *Mirac.* n. 52. (*Chron. 24 gen.* 199). — [12] Ibi erat conventus O. F. M. provinciae Provinciae; *Provinciale,* 37; AF IV, 539. — [13] L. e. ius anguillarum.

in ore unius erat anguillae traxit cum brodio, qui sic est eius gutturi (*a*) infixus, ut nec loqui posset, nec libere respirare. Qui corde beati Francisci auxilium implorans statim hamus foras prosiliit et sanus est effectus. — Quidam rusticus Ruxa (*b*) nomine de villa Altenburg (*c*), cum pro suis negotiis curritaret in curru, subito inter anteriorem partem (*d*) currus et equos cecidit, et adeo eius caput est confractum inter rotas et calces equorum, ut desperatus ab omnibus morti iam esset propinquus. Qui inductione duorum fratrum Minorum [1], voto emisso ad beatum Franciscum de ieiunando vigiliam (*e*) et festo solemnizando et officium festi frequentando devotius, statim beati Francisci meritis exstitit sanatus. — In civitate Upsalensi (*f*) regni Suecie quidam vir faciem habens et caput totum intumefactum, morbo qui erysipelas (*g*) vocatur, ut nec oculi nec nasus apparerent et ab omnibus morti propinquus iudicaretur, cum sibi ab astantibus suaderetur, ut votum emitteret de ieiunando vigiliam beati Francisci, et ipse corde hoc fecisset, sequenti mane omnis tumor abscessit et dolor; et nihil mali ulterius est perpessus ex dicto morbo. — In Castro Andriae quaedam mulier tam grave vulnus habens, quod totum latus sinistrum cum brachio per VII hebdomadas amiserat, et cum sanctos plures pro sua liberatione interpellasset, nec esset exaudita, ad beatum Franciscum versa votum emisit de nil comedendo in die suo. In somno ei apparens beatus Franciscus et nomine proprio vocans et quid pateretur interrogans, et cum illa dixisset se pati magnum malum, beatus Franciscus accipiens eius brachium, posuit super caput eius, et statim sana facta est. Et cum mulier sanata interrogaret eum, quis esset, respondit, quod erat beatus Franciscus invocatus ab ea. — In Tolentino quidam habens filiam nomine Franciscam, ob odium fratrum et beati Francisci cum nomen removisset a filia, statim infirmata est ad mortem. Sed ab uxore increpatus, nomine Francisci (*h*) filiae reposito, cum nomine simul et sanitatem recepit [2].

De liberatis ab haustu veneni.

Tertio veneno potatum eripuit (*i*). Sacerdos quidam nomine Matthaeus de Vico Albo, mortiferum venenum sibi propinatum a quodam cum bibisset, cum lingua beatum Franciscum invocare non posset, corde tamen eius patrocinium implorando, evomito veneno, liberatur [8].

De letaliter vulneratis.

Quarto letaliter vulneratos liberavit. — Nicolaus de Ceperano (*k*) ab hostibus vulneribus concisus, invocatione beati Francisci lotus a sanguine, mirifice est liberatus [3]. — Apud Ylerdam Ioannes quidam, loco alterius, plagis maximis, ut vix crederetur victurus in crastinum sauciatus, apparente sibi beato Francisco, quem in suum auxilium invocavit, et manibus sacris stigmatibus consignatis eum contingendo,

(*a*) Al *ori.* — (*b*) Edd. *Etuxa.* — (*c*) Al *Aldebures;* As *Aldeburch.;* Edd. *Alteburg.* — (*d*) Edd. *quia currus et equi ceciderunt.* — (*e*) Edd. *de vigilia ieiunanda* Al tunc *et de solem.* om. *festo.* — (*f*) Edd. *Hispalensi r. Su.* — (*g*) Al *erisipilla;* As *erispilla;* Edd. *crispila.* — (*h*) As, Edd. om. *Francisci.* — (*i*) Edd. *B. Franciscus veneno potatos eripuit;* similibus formulis etiam infra, ob titulos omissos, singula capitula in Edd. incipiunt. — (*k*) Codd. Edd. *Ciperano.*

[1] Ibi erat conventus O. F. M. prov. Saxoniae; *Provinciale,* 29; AF IV, 551. — [2] *Mirac.* c. 12 n. 104 (Matthaeus de Tolentino) *Chron. 24 gen.* 204 l. 13-22. MS. Coll. S. Antonii f. 53rb. — [3] *Leg. Mai.* mirac. § III n. 12. *Mirac.* c. 18 n. 187. — [4] *Leg. Mai.* l. c. n. 9. *Mirac.* c. 8. n. 56.

per totum pristinae sanitati restituit [1]. — In civitate Pisarum duo fratres carnales de Florentia cum haberent litigium ad invicem, venerunt ad gladium. Quod cernens soror, ne se occiderent, in eorum se posuit medio; a quibus graviter (*a*) est in ventre percussa. Quae, invocatione beati Francisci cum voto de visitando eius sepulcrum, sanitati est reddita. Quae votum perficiens, cum esset apud Assisium beatum Franciscum rogavit, ut sibi filium, cum esset sterilis, daret; quod et factum est [2].

De a naufragio liberatis.

Quinto a naufragio protexit. Quosdam nautas in mari Barulitano (*b*), et a maris periculo eripuit et ad portum Anconae miraculose perduxit [3]. — Peregrinum quemdam ab acutissima febre beatus Franciscus liberavit, et demum a naufragio cum multis, ipso apparente in navi, liberavit [4]. — Nautis de Ancona periclitantibus, invocatione beati Francisci lumen magnum in navi apparuit, et tranquillitas magna est subsecuta [5]. — Quidam nautae de Venetiis venerunt de Apulia, sed tempestate durante per magnam partem diei et per totam noctem, quae (*c*) adeo fuit valida quod duas naves sociorum, omnibus submersis absorbuit, videntes tantam tempestatem ac navem ipsorum fractam, ad invocationem recurrentes beati Francisci cum voto de visitando ipsius limina, statim quidam frater Minor apparuit, cum cereo accenso in manu in navi, qui totam navim illuminavit. Et cum distarent per L milliaria, vento suavi flante, ad terram cum omnibus mercibus et (*d*) mercantiis incolumes pervenerunt.

Frater Laurentius Masca (*e*) de Pisis dum iret ad Sardiniam custos, puer quidam de navi cecidit in mare; qui beatum Franciscum invocans, super aquas stetit donec barca pro ipso ivit [6]. — Vir quidam proiectus in mari (*f*) quadam fatuitate faciebat se trahi, ignorantibus sociis, per minimum funiculum navis. Sed vento flante vehementi, cum submergeretur, voto emisso ad beatum Franciscum de Ordinem intrando suum, a sociis cum difficultate extractus et liberatus, factus est frater Minor. — Duas puellas super littus maris ambulantes et in profundum maris cadentes, beatus Franciscus de profundo liberavit. Et uni quae vocabatur Francisca, sex vel septem annorum, quae erat principalior, propter quam beatus Franciscus liberavit eas, beatus Franciscus dedit alapam dicens: « Cave, ne de cetero huc venias vel accedas ». Hoc egit beatus Franciscus, quia fratres Minores sui in domo dictae puellae a parentibus eius fuerant illis diebus optime recepti.

De sub aquis mersis et a (g) beato Francisco liberatis.

Sexto submersos in aqua desuper natare fecit. — Fratrem Iacobum de Reate submersum in profundum fluvii, quem transire volebat, invocatione beati Francisci per fratres ab extra facta, ipse naviculam per manum tenendo, pervenit ad littus [7]

(*a*) As add. *gladio.* — (*b*) Al *Baralitano.* — (*c*) Al om. *quae;* As *et.* — (*d*) Al om. *mercibus et.* — (*e*) Al Masta. — (*f*) Al *in mari nomine* (lacuna) *quadam;* As, Edd. *proiectus* [= Proiectus ?] *nomine quadam fat.* (om. *in mari*). — (*g*) As om. *a b. Fr.*

[1] *Leg. Mai.* § I n. 5; *Chron. 24 gen.* 191, l. 7-13; 193 l. 30-33. *Fioretti,* (append.) ed. Passerini. 292-3. — [2] MS. Coll. S. Antonii, f. 52 r. — [3] *Leg. Mai.* mirac. § IV n. 1. *Mirac.* 1. 10 n. 81. — [4] *Leg. Mai.* n. 2. *Mirac.* n. 82. — [5] *Leg. Mai.* n. 5. *Mirac.* n. 85. — [6] MS. Coll. S. Antonii f. 59 v. « Anno MCCLXXV frater Laurentius Mascha, genere Pisanus in Sardiniam custos a fratribus mittebatur » etc. — [7] *Leg. Mai.* l. c. n. 3. *Mirac.* n. 83.

— Quidam frater, Bonaventura nomine, per quemdam lacum cum duobus fratribus navigans, fracta navicula, in laci profundum descendit; sed beatum Franciscum invocando, navicula aqua plena supernatavit, et cum eis, sancto Francisco ducente, pervenit ad portum [1]. — Quemdam fratrem de Esculo submersum in fluvio sua invocatione beatus Franciscus eripuit [2]. — Similiter in lacu Reatino in consimili casu viros et mulieres sui invocatione beatus Franciscus liberavit [3].

De liberatis a captivitate (a) et carceribus.

Septimo beatus Franciscus a carceribus potenter extraxit. — In Romania quemdam Graecum, per dominam suam beato Francisco recommendatum, a carcere et vinculis liberavit [4]. — In Massa Sancti Petri quidam miles quemdam posuit in carceribus, beatum Franciscum assidue in sui auxilium invocantem, vinculis compeditum, dicens: quod beatus Franciscus abinde eum minime posset removere. Apparente captivo beato Francisco, fracto carcere et compedibus, ad propria fecit redire [5]. — Albertum de Aretio ob debita, ab eo iniuste petita, in carceribus positum, cum in vigilia beati Francisci ieiunando beato Francisco se commendasset, vinculis omnibus solutis et fractis, carcereque aperto, liberum ad domum suam reduxit [6]. — Petrum de Alisia a domino papa episcopo Tiburtino commendatum, positum ab episcopo in vinculis et carceribus, cum se beato Francisco recommendasset, ipso beato Francisco eidem apparente, et carcerem aperuit, dissolvit vincula et sua virtute liberavit [7].

In civitate Slesvicensi (b) regni Daciae miles quidam nomine Ioannis ab inimicis sui captus, et saeve (c) eum occidere decernentibus, uxor eius hoc audiens, in ecclesia fratrum Minorum [8] ante imaginem beati Francisci exsistens cum lacrimis coepit rogare beatum Franciscum, ut suum maritum, qui per tres vel quatuor dietas distabat, ante octo dies sibi redderet. Mirum (d)! Vir eius, cum captores sui in eum saevire disponerent, die martis infra terminum octo dierum, ad uxorem liber est reversus; et cum cognovisset quod meritis beati Francisci esset liberatus, factus ipsius est devotus et Ordinis. Uxor vero eius semper vigiliam beati Francisci ieiunavit in pane et aqua, et missam faciens omni anno solemniter decantari ad ipsius beati Francisci honorem. — Quidam de Urbino, dum esset Arimini captus, cuidam caeco petenti eleemosynam amore beati Francisci cum dedisset denarium (e), statim sensit auxilium. Nam ut tetigit unius pedis compedem, pes exsilivit et alterius (f) ferro (g) sic evenit; et videntibus custodibus carcer sibi apertus fuit, et ipse liber inde exivit. — Alium nomine Locarinum de civitate Arimini, canonicum (h) plebis Sancti Pauli comitatus Arimini, eundo Bononiam, iuxta Imolam ad tria milliaria a gentibus Petri Pagani captus, in fundo cuiusdam turris in carcere est missus, in quo tanta erat humiditas, ut panni ipsius rumperentur. Hic cum exspectaret pecuniam pro

(a) As *capt. per multos modos.* — (b) Al *Sultecinensi;* As *Sultensiensi;* Edd. *Sultensincensi.* — (c) Al *severe;* om. *eum.* — (d) Al *miraculum.* — (e) Al *desideratum.* — (f) As *alteri.* — (g) As, Edd. *faciendo.* — (h) Al om. *canonicum — Arimini.*

[1] *Leg. Mai.* n. 4. *Mirac.* n. 86. — [2] *Leg. Mai.* n. 4. — [3] L. c. *Mirac.* n. 84. — [4] *Leg. Mai.* mirac. § V, n. 1. *Mirac.* c. 11 n. 88. — [5] *Leg. Mai.* n. 2. *Mirac.* n. 89. — [6] *Leg. Mai.* n. 3. *Mirac.* n. 91. — [7] *Leg. Mai.* n. 4. *Mirac.* n. 93; ubi « de Alifia » scribitur. A Gregorio IX episcopo Tiburtino traditus erat. — [8] Slesvici erat conventus FF. Min. Provinciae Daciae, *Provinciale,* 39; AF IV, 548.

sua redemptione, ad eius memoriam venit beatus Franciscus, cui devote se recommendavit et vovens pallium dare altari beati Francisci Bononiae, statim fuit arreptus de profundo turris et positus in vertice super murum; deinde de turri positus in terra iuxta turrim; et cum discessisset paululum, custodes cum canibus eum sequentes, ipso beatum Franciscum invocante, canes ad aliam partem euntes, ipse Bononiam liber venit et votum suum fideliter adimplevit, pallium dando altari beati Francisci, ut voverat. — In Hispania inter comitem quemdam et baronem unum (*a*) dissidium dum foret, ad duellum deventum est, in quo baro comitem vulneravit ad mortem. Operatione fratrum Minorum baro cum comite pacem habere voluit, unde ad terram comitis, prius data fide a comite, accessit; qui statim a comite contraveniente fidei baro captus, in vinculis est iniectus; quem ad mortem turpissimam reservabat. Quod baro perpendens, coepit beatum Franciscum invocare, ut eum eripere dignaretur, utpote quia pro fide quam habebat ad fratres, hoc pateretur. Beato Francisco eidem apparente, eductus a carcere in sua baronia est positus et locatus [1].

De liberatis a tormentis corporalibus.

Octavo beatus Franciscus a tormentis, ne nocerent aliquos (*b*), conservavit. — Guidalottus de Sancto Geminiano incusatus, quod quemdam veneno necaverat, invocando beatum Franciscum et suam innocentiam recommendando eidem, beato Francisco apparente ad equuleum pluries levatus, deinde facto atro igne et fumo sub eo, nec capillo laesus, deinde oleo ferventissimo superfusus, nihil mali patiendo, a beato Francisco est liberatus [2].

De daemoniacis liberatis.

Nono beatus Franciscus a daemonio submovit. — Petrus de Fulgineo a daemonibus per triennium distractus et angustiatus, contactu sepulcri beati Francisci ab ipsis mirifice est liberatus [3]. — Quaedam de Narnio habens daemonium, beati Francisci misericordia liberata est [4]. — Apud Assisium, praesente fratre Iohanne Teutonico, magistro ordinis Praedicatorum, et quodam clerico beato Francisco in omnibus detrahente, mulierem daemoniacam ductam ad suam tumbam a daemonio liberavit et clericum praedictum ab infidelitate. — In castro Bagni Cavalli (*c*) mulier quaedam a daemonio per quinquennium afflicta, nomine Ilborga, cum fecisset votum de intrando III Ordinem beati Francisci de consensu viri, ipsa audiente missam in ecclesia fratrum Minorum de Lugo [5], ad quam accesserat, dum Corpus Domini elevaretur, beati Francisci meritis a daemonio est liberata. Vomuit tunc multum de sanguine, tortiones habuit et gemitus satis graves. Haec post viri mortem facta est de sororibus sanctae Clarae.

De liberatis a periculo partus.

Decimo beatus Franciscus periclitantibus in partu facilitatem pariendi tribuit et concessit. — Comitissam de Sclavonia in partu periclitantem invocatione beati

(*a*) Edd. om. *unum*. — (*b*) Al *alicui*. — (*c*) Al *Bagnani Cavalli*.

[1] MS. Coll. S. Antonii f. 50va. — [2] *Leg. Mai.* mirac. § V n. 5. *Mirac.* c. 11 n. 94. — [3] *Leg. Mai.* mirac. § VIII n. 4. *Mirac.* c. 16 n. 150; I Cel. mirac. n. 137. — [4] *Leg. Mai.* l. c. *Mirac.* n. 151; I Cel. mirac. n. 138. — [5] Provinciae Bononiae; *Provinciale*, 55; AF IV, 524.

Francisci Christus eius meritis liberavit, filiumque peperit; et ob reverentiam ipsa comitissa beati Francisci unam ecclesiam aedificavit[1]. — In Romania mulierem nomine Beatricem, pluribus diebus foetum exstinctum portantem in utero, chorda beati Francisci posita super eam per fratres, foetum eiecit (*a*) et liberavit[2]. — In Viterbio mulieri non valenti parere, invocatione sui beatus Franciscus partum concessit optatum[3]. — In partibus Aretinis mulierem (*b*) per septem dies gignere non valentem, apparente beato Francisco sibi et dicente, ut diceret *Salve Regina*, cum ad illum versum venisset: « Illos tuos misericordes oculos ad nos converte » partum concessit sine difficultate[4]. — In Urbe Veteri quaedam iuvencula cum per triduum in partu laboraret et periclitaretur, rogatu viri cum frater Ludovicus de Tuscanella chordam beati Francisci portasset et super ventrem eius posuisset, statim ut frater ab ea recessit, cum facilitate duos filios masculos et incolumes peperit.

In civitate Verdensi quaedam mulier de honestioribus civitatis per triduum partus dolore periclitabatur. Ad quam cum fratres intrassent, et votum fecisset beato Francisco de colendo festum et vigiliam ieiunando, abscedentibus fratribus, statim peperit masculum. — Idem evenit cuidam mulieri de Marchia Brandenburgensi oppido Kyritio (*c*)[5], quae in partu angustiata vehementer, voto de festo colendo et vigiliam ieiunando emisso, peperit faciliter. — Aliam mulierem periclitantem in partu ad suggestionem guardiani Roskildensis (*d*)[6], qui eam audierat ad confessionem, de cereo dando voto facto, liberavit a dolore, et peperit cum salute. — Facilitatem partum beatus Franciscus invocatus a quadam, quae omnes sanctos (*e*) prius invocaverat, in dioecesi Misnensi (*f*), concessit post dolorum partus immanitatem. — In civitate Roskildensi (*g*) regni Daciae[7] mulierem (*h*) nomine Catharinam, quae per plures dies dolore partus laboraverat, devotam fratribus, in vigilia festi translationis beati Francisci, voto emisso de vocando puerum Franciscum, a tali dolore liberando, filium concessit. — In insula Bornholmia (*i*), Lundensis (*k*)[8] dioecesis, mulier cum per quatuor dies partus dolore laborasset, ad suggestionem fratris, qui in confessione eam audierat, de ieiunando in pane et aqua semper vigiliam, statim filium pariendo, ab omni fuit per beatum Franciscum dolore expedita.

De siti deficientibus.

Undecimo siti periclitantes beatus Franciscus iuvit. — Cuidam peregrino in navi infirmo, beatus Franciscus flasconem aquae implevit, qua potata, a febre fuit liberatus. — In Monte Arido (*l*) apud Castrum Gallianum (*m*) mulieri siti deficienti, fontem invocatione sui beatus Franciscus produxit in Monte (*n*); qui hodie in loco

(*a*) As, Edd. *eiciendo lib.* — (*b*) Edd. *mulieri... valenti.* — (*c*) Al *Kyr;* As *Ru;* Edd. *ziz.* — (*d*) Al *Roskindensis.* As *Rostrendensis;* Edd. *Rosrindensis.* — (*e*) As om. *sanctos gessit post.* — (*f*) Al *Misinensi.* — (*g*) Al *Riskindensi;* As *Ristrensi;* Edd. *Tisrindensi.* — (*h*) Al *mulieri... devota.* — (*i*) Al *Brandolini;* As *Brandolym;* Edd. *Brandholim.* — (*k*) Al *Lindoniensis;* As *Lyndomensis;* Edd. *Lindomensis.* — (*l*) As *In Castro Ar.* — (*m*) Al *apud Galiam;* As, Edd. *Castrum Galliani.* — (*n*) Al om. *in monte.*

[1] *Leg. Mai.* mir. § 6 n. 1. *Mirac.* c. 12 n. 95. — [2] *Leg. Mai.* l. c. n. 2. *Mirac.* n. 96. — [3] *Leg. Mai.* n. 4. *Mirac.* n. 98. — [4] *Leg. Mai.* n. 5. *Mirac.* n. 106. — [5] Kyritz; cf. *Provinciale,* 29; AF IV, 327, 552. — [6] Conventus provinciae Daciae; *Provinciale,* 39; AF IV, 548. — [7] Cf. nota 6. — [8] Sic corrigendum esse coniicimus. Custodia Lundensis provinciae Daniae, tres habebat conventus Fratrum. Cf. *Provinciale,* 39; AF IV, 548. In Anglia nomen Brandon saepius occurrit, sed non uti insulae in dioecesi v. gr. Londoniensi.

dicto perseverat [1]. — Idem (*a*) effecit in Monte Alvernae quando rusticus, cuius vehebatur asello, deficiebat siti; qui quidem fons in petra viva ibidem hodierna die potest intueri [2].

De caecis et visu orbatis liberatis.

Duodecimo caecis visum beatus Franciscus restituit. — In conventu de Neapoli fratri Roberto caeco per annos plures beatus Franciscus apparens et superfluis resecatis ab oculis, sibi lumen restituit [3]. — « Mulier quaedam, Sibylla nomine, caecitatem oculorum per plures annos perpessa ad sepulcrum beati Francisci caeca tristis adducitur; sed recuperato meritis beati Francisci pristino lumine, gaudens ad domum revertitur [4] ». — In Castro Vici Albi Soranae dioecesis puella quaedam a nativitate caeca Assisium deducta a matre, invocato beato Francisco, lumen quod numquam habuerat meruit invenire [5]. — « Caecus quidam de Spello coram S. Francisci sepulcro visum diu perditum reinvenit [6] ». — In civitate Aretii mulier quae per octo annos non videbat, in ecclesia beati Francisci dictae civitatis, invocatione beati Francisci visum etiam habuit [7]. — In civitate praefata « filius pauperis mulieris a beato Francisco, cui eum voverat mater, illuminatus est [8] ».

In Podio Bonizi (*b*) Florentinae dioecesis mulier caeca quoddam oratorium beati Francisci per revelationem visitans, cum coram altari iaceret, visum recipiens, sine ductore ad domum propriam est reversa [9]. — « Mulier quaedam de Camerino dextri oculi lumen privata ex toto, cum parentes eius pannum, quem beatus Franciscus tenuerat, super oculum posuissent, facto voto, lumen recuperavit amissum [10] ». — « Alia mulier de Camerino, facto similiter voto, a beato Francisco illuminata est [11] ». — « Caecus quidam de Assisio, per quinquennium perdito lumine oculorum, ad tactum (*c*) sepulcri beati Francisci exstitit liberatus [12] ». — Albertinus de Narnia amisso lumine oculorum et palpebris usque ad genas dependentibus, beato Francisco se vovens, illuminari meruit et sanari [13]. — Apud Thebas mulieri caecae ieiunanti vigiliam festi beati Francisci, dum Corpus Domini elevaretur in festo, oculos concessit ipse beatus Franciscus [14]. — In Castro Pophis (*d*) Campaniae oculum sinistrum puero beatus Franciscus restituit cum deberet abscidi [15]. — In Castro Campaniae sacerdoti oculo sinistro carenti ob trabis percussionem, beatus Franciscus sibi reddidit in vigilia sui festi [16]. — Viro de Monte Gargano casu cuiusdam ligni habenti oculum in duo divisum, ieiunaturum vigiliam sancti Francisci dum se vovit,

(*a*) As, Edd. om. *Idem — intueri.* — (*b*) Al *Podiobonzi;* Edd. *Podio Bonicii.* — (*c*) Al om. *ad tactum — amisso lumine.* — (*d*) As, Edd. *Pophi.*

[1] *Leg. Mai.* mir. § X n. 1; *Mirac.* c. 3 n. 16. — [2] *Leg. Mai.* c. 7 n. 12; cf. supra 12, l. 19-21. *Mirac.* n. 15. — [3] *Leg. Mai.* mir. § VII, n. 1. *Mirac.* c. 14 n. 116. — [4] Ex Bernardi de Bessa, *Liber de Laudibus B. Francisci,* ap. AF III, 690, c. IX § 2 n. 1; I Cel. III (mir.) (c. II) n. 136. Cf. et *Chron. 24 gen.* 205 sq. *Mirac.* c. 14 n. 130. — [5] Bessa, l. c. n. 2. *Mirac.* n. 131. — [6] Bessa, n. 3. *Mirac.* n. 135. I Cel. n. 136. — [7] Bessa, n. 4. *Mirac.* n. 132 « per septem annos ». — [8] Bessa, n. 5. *Mirac.* n. 133. — [9] Bessa n. 6. *Mirac.* n. 135. I Cel. n. 136. — [10] Bessa n. 7. *Mirac.* n. 136. I Cel. n. 136. — [11] Bessa n. 8. *Mirac.* n. 137 « de Eugubio ». I Cel. n. 136. — [12] Bessa n. 9. *Mirac.* n. 138. I Cel. n. 136. — [13] Bessa n. 10. *Mirac.* n. 139. I Cel. n. 136. — [14] *Mirac.* n. 118. *Leg. Mai.* mir. § VII n. 2. — [15] L. c. n. 119. *Leg. Mai.* n. 3. — [16] L. c. n. 120. *Leg. Mai.* n. 4.

reuniendo oculum ab orbitate et dolore curavit[1]. — Filium cuiusdam militis a nativitate caecum beatus Franciscus, restituendo lumen, eum illuminavit; et factus postea frater Minor, frater Illuminatus est vocatus[2]. — In Castro de Zachanto Campaniae, militi qui fratres Minores hospitio receperat, beatus Franciscus oculos restituit[3]. — In Castro Cellonis (*a*) in festo beati Francisci quaedam domina devota beati Francisci festum celebrabat, sed cum famula nollet colere, nocte sequenti oculi sunt inflati adeo, ut visu penitus perdito, horribilem aspectum intuentibus praeberet. Et sic fuit per octo dies, nihil videns. Tandem mente compuncta ad beatum Franciscum recurrit, promittens quod festum coleret et in ipso nihil ageret; et sic a beato Francisco sanitatem recuperavit et visum. Sed quodam alio festo beati Francisci, dum dicta famula similia ageret, similiter ut prius fuit percussa; sed voto de nihil peragendo emisso, a beato Francisco denuo fuit liberata. — Quaedam domina de Scarlino (*b*), devota beati Francisci et hospita generalis fratrum Minorum, cum casu fusellus (*c*) ligneus eius intrasset oculum, et nullo medicorum remedio potuit educi, unde oculus visu fuit privatus et humore; et hoc per plures menses. Sed superveniente solemnitate beati Francisci, desiderando quod beatus Franciscus eam liberaret et illuminaret, obdormivit. A somno surgens prurientem oculum manu fricans, praedictum fusellum extraxit, ac humore oculo reddito, perfecte in oculo fuit a beato Francisco sanata.

De surdis in (d) aure obturatis liberatis.

Decimo tertio surdos curavit et aures aperuit. — Bartholomaeus de castro Ceperani, per septennium privatus auditu, ipsum ad invocationem beati Francisci recepit[4]. — Frater Lucas de Burgo Sancti Sepulcri auris dexterae cum incurrisset infirmitatem gravissimam tinnitus et surditatis, ita quod nihil audiret, voto emisso ad beatum Franciscum de ieiunando eius vigiliam semper in pane et aqua, pomis exceptis, a beato Francisco exstitit mirifice liberatus. — In dioecesi Verdensi quamdam dominam nomine Margaritam in aure dextera et in capite graviter patientem, voto emisso de ieiunando vigiliam et colendo festum, statim ab omni dolore (*e*) auris et capitis liberavit.

De mutis et surdis liberatis.

Decimo quarto Franciscus mutis et surdis aurium et linguae beneficium indulsit. — In Castro Plebis cuidam exsistenti surdo et muto, invocatione beati Francisci facta per virum et uxorem qui eum tenebant, et linguam restituit et auditum[5].

De mutis loquelae (f) restitutis.

Decimo quinto beatus Franciscus mutis dedit loquelam. — In Castro Montorii cum quaedam omnes filios gigneret mutos, facto voto beato Francisco de eius visitando sepulcrum, deinde genuit filios loquentes. — Quidam puer mutus et paralyticus dum ad altare beati Francisci accessisset, fuit ab utraque infirmitate liberatus.

(*a*) As, Edd. *Tellonis.* — (*b*) Al *Scherlino.* — (*c*) Al *fustellus;* As *fulxellus.* — (*d*) As om. *in aure obt.* — (*e*) Al om. *auris et capitis.* — (*f*) Al *loquelam.*

[1] L. c. n. 122. *Leg. Mai.* n. 5. — [2] L. c. n. 123. *Leg. Mai.* n. 6. — [3] L. c. n. 117. *Leg. Mai.* n. 7. Supra 469, l. 1 sqq. — [4] Bessa, c. IX § 3, n. 7 (Ceperani). *Mirac.* c. 14 n. 143; *Chron. 24 Gen.* 206 (Arpini). — [5] *Leg. Mai.* mirac. § VIII n. 1. Bessa, n. 8. *Mirac.* n. 125.

— In Urbino quidam Henricus (*a*) de Foro Iulii propter iniuriam cuidam irrogatam, cum subito amisisset loquelam, et quasi mente alienatus ad locum fratrum Minorum de Urbino fecit se duci a sociis (*b*) ante altare beati Francisci, corde (*c*) vovens beato Francisco, quod si sibi restitueret loquelam, quod eum discalciatus visitaret. Cum faciendo corde generalem confessionem, veniendo ad nomen beati Francisci, ubi dicitur in confessione: *et beato Francisco,* sibi linguae officium est plenius restitutum. — In Castro Cantalicio (*d*) quidam nomine Raymundus cum infirmitate nimia iam per triduum loquelam amisisset et iam sui eum sperando moriturum (*e*) in crastinum, ceram pro sepultura emissent, nocte venit ad eum beatus Franciscus, dicens ei: « Surge ». Et cum ille diceret: « Non possum », sanctus Franciscus dixit: « Surge, quia es liberatus ». Statim surrexit sanus et ita recens, quod visum est ei quod balneum (*f*) exiret, et confessus est se illa hora beatum Franciscum vidisse.

« In Apuliae partibus quaedam mulier diu loquelam perdiderat et respirationis liberae facultatem. Cui nocte dormienti apparuit beata virgo Maria dicens: « Si vis fieri sana, perge ad ecclesiam sancti Francisci apud Venusium (*g*) et optatam ibi recipies sanitatem ». Ivit mulier ad dictam beati Francisci ecclesiam, ibique pleno corde petens suffragium, statim massa carnis evomita, cunctis cernentibus, est mirifice liberata [1] ». — « In oppido Nicosino sacerdos quidam mutus et insanus effectus, ad invocationem beati Francisci loquelae officium, ab insania liberatus, consequitur [2] ». — In episcopatu Aretino mulier per septennium muta, pro recuperatione linguae beatum Franciscum corde orabat (*h*), et ecce dormienti duos fratres assistentes monuerunt, ut se beato Francisco voveret; quibus obtemperans corde vovit, quia loqui non poterat. Et mox excitata, simul vigiliae redditur et loquelae [3]. — « Iuvenis quidam Villo (*i*) nomine nec ambulare potuit nec loqui, pro quo mater, facto voto, cerean imaginem ad Sancti sepulcrum cum magna reverentia portavit. Quae domum regrediens ambulantem recepit (*k*) filium et loquentem [4] ». — « Homo quidam episcopatus Perusini loquela omnino privatus, os semper ferens apertum horribiliter oscitabat, gutturque valde inflammatum habebat. Qui cum ad sepulcrum beati Francisci venisset, velletque ad illud attingere, sanguinem multum evomens, peroptime liberatus, coepit loqui et os claudere, et sicut erat necessarium, aperire [5] ». — « Mulier habens lapidem in gutture, sic prae nimio ardore linguae ariditatem incurrit; quae non valens loqui, multis medicamentis adhibitis, nullo modo adiuta, beato Francisco se corde devovit, et subito carne aperta, lapidem per guttur emisit [6] ».

De ruptis (*l*) *et fractis et herniosis liberatis.*

Decimo sexto a fractura in genitalibus beatus Franciscus liberavit: fratrem Iacobum de Yseo (*m*) [7], fratrem Bartholum (*n*) de Eugubio [8], fratrem Angelum de

(*a*) Al *haereticus.* — (*b*) Al om.; As *cum sociis.* — (*c*) As, Edd. *corde b. Francisco dicebat, quod.* — (*d*) Al *Canthalira;* As, Edd. *Cantaliza.* — (*e*) Al *mortuum;* Edd. *existimantes moriturum.* — (*f*) As, Edd. *de balneo.* — (*g*) Al, As *Remissinum.* Edd. *Remissium.* — (*h*) Al *Franc. rogabat.* — (*i*) Bessa, *Villa.* — (*k*) Al *recepit.* — (*l*) As, *De fractis liberatis.* — (*m*) Al *Hyseo;* As *Ysco;* Edd. *Hysco.* — (*n*) As *Bartholomaeum.*

[1] Bessa n. 1. *Chron. 24 Gen.* 205. *Mirac.* c. 14 n. 126. Venusii conventus erat provinciae Apuliae; *Provinciale,* 54; AF IV, 531. — [2] Bessa n. 2. *Mirac.* n. 145 *Chron. 24 Gen.* 207. — [3] Bessa n. 3. L. c. n. 127. — [4] Bessa n. 4; *Mirac.* n. 140. I Cel. n. 149. — [5] Bessa n. 5. *Mirac.* l. c. n. 141. I Cel. n. 149. — [6] Bessa n. 6 n. 142. — [7] L. c. 12 n. 109. *Leg. Mai.* mir. § VIII n. 2. — [8] *Leg. Mai.* l. c. ubi et alii enumerantur.

Tuderto, Nicolaum sacerdotem de Succaria (*a*) [1], Iohannem de Fora [2], quemdam de Pisis [3], alium de castro Cisternae (*b*) [4], Petrum de Sicilia [5], hominem quemdam de Spello [6], Ioannem Foranae dioecesis [7]. — Fratrem Iacobum de Castello qui cum ad Sanctam Mariam de Portiuncula accedens (*c*) de lignis cellae beati Francisci sua genitalia tetigisset cum devotione, statim ab omni ruptura (*d*) liberatus est. — Puerum quemdam de Rotta (*e*) ac fratrem Brochardum laicum de Yglavia (*f*) [8], civitate Moraviae, in suo festo beatus Franciscus a dolore et fractura liberavit. — Sic filium Iohannis domini (*g*) de Ottonellis (*h*) de Arce Accarini patientem herniam (*i*), a patre et matre facto voto beato Francisco de visitando ecclesiam, dando cereum unius librae et unum florenum, statim liberatus est.

De mente captis liberatis.

Decimo septimo mente captos ad prudentiam et sensum beatus Franciscus reduxit. — Mulier passa per quinquennium alienationem mentis et morbum caducum, apparente beato Francisco et ipsam signante, liberavit [9]. — Aliam puellam de Nursia a consimili passione eripuit [10]. — Filium cuiusdam militis et alios gravatos tali infirmitate beatus Franciscus invocatione sui curavit [11]. — In Castro Bellicadri (*k*) Arelatensis dioecesis, mulier sensus amissione quasi bestia vivebat et insana. Ab amicis beato Francisco recommendata sensum perfecte et integre recuperavit. — In provincia Saxoniae castro Mindeberg (*l*) [12] mulier, quadam medicina accepta, tota decoriata (*m*) est, leprosa effecta et insana. Quae ligata in quadam camera, cum frater Minor, eius confessor, ad eam accessisset et eam, ut ad beatum Franciscum recurreret induxisset, scilicet voto de ieiunando vigiliam eius festi; quod cum fecisset mente et corpore est liberata.

De contractis erectis.

Decimo octavo contractos beatus Franciscus erexit (*n*). — « Puella habens per annum collum monstruose plicatum et caput humero sic annexum, quod nonnisi ex obliquo respicere poterat, ad beati Francisci sepulcrum delata, dum caput sub arca ubi iacebat corpus tunc beati Francisci posuisset, confestim collum erexit, et sui mutatione subita stupefacta, coepit fugere et plorare. Apparebat enim in humero cui caput aplicatum fuerat quaedam fovea, propter situm quam infirmitas fecerat diuturna [13] ». — Nicolaus de Fulgineo crus habens contractum, nimio dolore gravatus in

(*a*) Leg. Mai. ***Sucano.*** Mirac. ***Cicano.*** — (*b*) Edd. ***Citernae.*** — (*c*) Al om. ***accedens.*** — (*d*) Al ***crepatura.*** — (*e*) As, Edd. ***Rota.*** — (*f*) Al ***Ungaria civ. Morav.:*** As ***Virglania;*** Edd. ***Virgaluia.*** — (*g*) Al om. ***domini.*** As om. ***de.*** — (*h*) As ***Octonelli de Arce Acarim;*** Edd. ***Ottoneli de Arce Acarmi.*** — (*i*) As ***eruniam;*** Edd. ***crinam.*** — (*k*) As ***Bellicardi;*** Edd. ***Bellizadri.*** — (*l*) Al ***Myndeberg;*** As ***Myndeberch;*** Edd. ***Mindeberg.*** — (*m*) Al om. ***tota decoriata.*** — (*n*) Al add. ***et ex sui mutatione.***

[1] Cf. *Mirac.* c. 13 n. 112. — [2] *Leg. Mai.* l. c. *Mirac.* n. 114. Bessa c. 9 § 5 n. 2. *Chron. 24 gen.* 205. (Soranae dioecesis). — [3] *Mirac.* c. 110. *Chron. 24 gen.* 204 sq. — [4] Cf. *Mirac.* n. 111. Bessa l. c. n. 1. — [5] L. c. n. 115. — [6] L. c. n. 113. — [7] L. c. n. 114. Repetitio videtur l. 1; cf. n. 2. (Sora pro Fora?) — [8] Iglau; ubi conventus erat custodiae Moraviae, prov. Bohemiae; *Provinciale,* 32; AF IV, 553. — [9] *Leg. Mai.* mirac. § VIII n. 3. *Mirac.* c. 16 n. 152. — [10] *Leg. Mai.* l. c. *Mirac.* n. 153. — [11] *Leg. Mai.* l. c. *Mirac.* n. 154. — [12] Forsan legendum Wittemberg, ubi erat conventus custodiae Magdeburgensis; *Provinciale,* 28; AF IV, 551. — [13] Bessa c. 9 § 1 n. 1. *Mirac.* c. 17 n. 160. I Cel. III, (mirac.) n. 127; et. pro seqq. *Chron. 24 gen.* 207 sq.

tantum quod ob clamorem vix vicinos dormire permitteret, perductus ad tumulùm beati Francisci, ubi cum noctu oraret, extenso crure, magno exhilaratus gaudio, sine baculo ad propria remeavit [1]. — « Puer unus crus habens contractum ita quod genu pectori et calcaneum natibus adhaerebat, ad sepulcrum beati Francisci portatus (*a*), plene subita sanitate convaluit [2] ». — Puella de Eugubio cum contractis manibus omnium membrorum officia per annum integrum amisisset, dum imagine portata de cera, ad tumulum per octo dies stetisset, una dierum usibus omnium membrorum est restituta [3]. — Puer alius de Montenigro ante fores ecclesiae beati Francisci de Assisio stans per plures dies, quia nec ire poterat nec sedere (a cingulo inferius erat membrorum omnium officio destitutus); introductus in ecclesiam, ad tactum sepulcri, apparente beato Francisco et ipsum erigente, sanus est factus [4]. — Quidam civis de Eugubio habens filium contractum ita quod tibiae natibus adhaerentes, erant penitus arefactae, cum ad beati Francisci ecclesiam eum detulisset, sanum et incolumem eum recepit [5]. — Puella de Marchia a diabolo vexata ac loquela et omni officio membrorum (*b*) corporis ab ipso privata, Assisium perducta in die Circumcisionis coram altari [sancti Francisci] (*c*), quoddam evomens, continuo surgens et altaŗe deosculans, fuit curata [6]. — Rigomagnus (*d*) de episcopatu Vulterrano « vix manibus per terram se trahere valens, a matre propria propter monstruositatem et turgiditatem relictus, devovens se beato Francisco, statim fuit liberatus [7] ». — « In eodem episcopatu mulieres duae cum sic essent contractae, ut se movere non possent nisi ab aliis portarentur, excoriatis manibus quibus se movere nitebantur, ex solo voto ad beatum Franciscum facto, sunt redditae sanitati [8] ».

« Iacobus de Podio Bonizi (*e*) cum adeo esset miserabiliter curvus et contractus, quod os eius genibus adhaereret, dum mater eum ad quoddam oratorium beati Francisci deduxisset, oratione facta pro eo ad Dominum et beatum Franciscum, domum illum sanum reduxit [9] ». — « In Vico Albo cuiusdam mulieris manus sicca meritis beati Francisci alteri similis est effecta [10] ». — In civitate Capuae (*f*) mulier vovit personaliter sepulcrum beati Francisci visitare, sed propter causam rei familiaris voti emissi oblita, dextri lateris subito usum perdidit; caput et brachium, contractis nervis, in aliquam partem volvere non valebat. Et cum continuo eiularet, duo fratres transeuntes ante domum eius, qui (*g*) rogatu sacerdotis ad eam intrantes, confessa de voti omissione, benedictione ab illis percepta, statim sana surrexit et suum votum implevit [11]. — Bartholomaeus de Narnio (*h*) sub umbra dormiens cuiusdam arboris, usum ex toto pedis et tibiae perdidit. Qui cum pauperrimus esset, pauperum amator beatus Franciscus, sibi in somnis apparens monuit, ut ad quemdam locum iret. Sed cum ille pertrahendo se illuc vellet ire et declinaret a tramite, audivit vocem dicentem sibi: « Pax tibi! Ego sum ille, cui te vovisti ». Et perducens illum ad locum, ut sibi videbatur, unam manum super pedem et aliam super tibiam ponens,

(*a*) Al *positus*. — (*b*) Al om. *membrorum*. — (*c*) In Al. lacuna duorum vocab. In As et Edd. nihil, nec lacuna. — (*d*) Mirac. *Riccomagnus*. — (*e*) Al om. *Bonizi*. — (*f*) As *Paduae*. — (*g*) Edd. om. *qui*. — (*h*) As, Edd. *Narnia*.

[1] Bessa l. c. n. 2 *Mirac.* n. 162. I Cel. n. 129. — [2] Bessa n. 3. *Mirac.* n. 163. I Cel. n. 130. — [3] *Mirac.* n. 165. I Cel. n. 132. Bessa c. 9 n. 4. — [4] *Mirac.* n. 166. I Cel. n. 133. Bessa n. 5. — [5] *Mirac.* n. 167. I Cel. n. 134. Bessa n. 6. — [6] L. c. c. 16 n. 153. Bessa n. 7. — [7] *Mirac.* c. 17 n. 168. Bessa n. 8. — [8] *Mirac.* n. 169. Bessa n. 9. — [9] *Mirac.* n. 170. Bessa n. 10. — [10] *Mirac.* n. 171. Bessa n. 11. — [11] *Mirac.* n. 172. Bessa n. 12.

eum reddidit sospitem (*a*), cum spatio sex annorum esset contractus [1]. — In comitatu Narniensi puer quadam enormi contractione tibiam retortam, ut per se nullo modo nisi suffragio baculorum ire posset, habuit; et hoc ab infantia. Qui ad beatum Franciscum recurrens, a dicta infirmitate est liberatus [2]. — In civitate Fani quidam contractus plenus ulceribus in tibiis, et tibiae natibus adhaerebant, quae tantum foetebant ut in nullo hospitali vellet ab aliquo recipi, invocando beati Francisci misericordiam, illico liberatum se vidit [3]. — In civitate Narnii (*b*) mulieri manum per octo annos habenti desiccatam, ut nihil posset operari, beatus Franciscus apparens et manum tangens reliquae manui adaequavit [4].

De (*c*) *leprosis et aliis contaminatis liberatis.*

Decimo nono beatus Franciscus leprosos et alios maculatos mundavit (*d*). — Bonumhominem nomine, de civitate Fani, leprosum et paralyticum in ecclesia sua apud Assisium beatus Franciscus munditiei (*e*) restituit [5]. — Actonem (*f*) de Sancto Severino apud sepulcrum suum beatus Franciscus a lepra mundavit [6]. — Uxorem domini Pandulfi (*g*) de Labro, dum sanies ab eius deflueret facie et carnem tangendo adureret velut ignis, ac a medicis iudicata leprosa, et tota ulcerata in facie, de visitando limina beati Francisci votum emisit, pro sui liberatione. Vix verba compleverat, fluxus restrictus est et lepra mundata (*h*) et crustulae siccae in facie remanserunt, sed die sequenti totaliter ceciderunt, et caro magis remansit munda quam primo in facie habuisset. — Quemdam civem Assisinatem leprosum effectum, qui se suspenderat ex desperatione in horto fratrum de Assisio, beatus Franciscus a suspendio et a lepra liberavit [7].

De conglomeratis et podagricis (*i*) *liberatis.*

Vigesimo beatus Franciscus conglomeratos et podagricos extendit. — Apud Scopletum (*k*) puerum quemdam totum conglomeratum, invocatione beati Francisci facta a patre ac matre, ac revelatione facta per beatum Franciscum, quod ipsum aqua putei frigida lavarent, dum sic fecissent, membris distentis ac debite reformatis, extensum reddidit atque sanum [8]. — Apud Montem Pessulanum puellam gravi infirmitate contractam in invocatione beati Francisci curatam pater ipsius, qui guttam seu podagram per septem menses patiebatur in pede, videns, beatum Franciscum invocando, de mane surrexit perfecte sanatus. — Quemdam puerum in (*l*) Mucello, qui sic contractus erat, ut potius manibus ambularet quam pedibus, beatus Franciscus a matre invocatus liberavit.

De male obloquentibus de (*m*) *beato Francisco punitis.*

Vigesimo primo beatus Franciscus male de se obloquentes (*n*) punivit. — Miles in Massa Sancti Petri de beato Francisco valde male obloquebatur, et de sanctitate

(*a*) As, Edd. ***sospitati***. — (*b*) As, Edd. ***Naniae***. — (*c*) Al ***De lepr. et al. foetibus***; As ***De liberatis a fluxu sanguinis per b. Fr.*** — (*d*) Al ***liberavit***. — (*e*) Edd. ***sanitati***. — (*f*) Al, Edd. ***Oltonem***; As ***Octonem***. — (*g*) Edd. ***Pamulfi de Labio*** (hoc et As). — (*h*) As, Edd. om. ***et lepra mundata***. — (*i*) As ***podagradis***. — (*k*) As, Edd. ***Spoletum***. — (*l*) As ***de***. — (*m*) As ***a***. — (*n*) Edd. ***loquentes***.

[1] *Mirac.* n. 173. I Cel. n. 135. Bessa n. 13. — [2] *Mirac.* n. 161. I Cel. n. 128. Bessa n. 14. — [3] *Mirac.* n. 164. I Cel. n. 131. Bessa n. 15. — [4] *Mirac.* c. 9 n. 80. Bessa n. 16. — [5] *Leg. Mai.* mir. § VIII n. 5. *Mirac.* c. 15 n. 147. I Cel. n. 146. — [6] *Leg. Mai.* l. c. *Mirac.* n. 146. I Cel. n. 146. — [7] Supra 413-4. — [8] *Mirac.* c. 17 n. 158. (« Apud Scopletum in Amiterno »).

eius nihil credebat, unde cum quadam die diceret: « Si Franciscus est sanctus, hodie gladio cadat corpus meum », quod (*a*) imprecatus fuerat, nepos suus ipso die eum occidendo perfecit [1]. — Iudex quidam, Alexander nomine, cum sancto Francisco detraheret, per sex (*b*) annos lingua fuit privatus. Contritus tandem, ei beatus Franciscus linguam restituit, quam ad eius laudem deinceps consecravit [2]. — Apud Notum, castrum Siciliae, quidam presbyter nomine Henricus miracula, quae a fratribus de beato Francisco dicebantur, vilificabat cum aliis clericis et deridebat; qui percussus a Deo subito loquelam per magnum spatium amisit. Sed temporis in processu (*c*) cum siti aestuaret et iuxta imaginem esset Christi, dixit: « Domine Iesu Christe, adiuva me ». Cui Christus respondit: « Quare tu et alii deridetis miraculis beati Francisci et detrahitis? Ego enim eum habeo sicut praedicant fratres; et hoc erit signum, quia eris ab infirmitate quam pateris liberatus ». Et sic factum est. Qui patre vocato, ad locum fratrum perrexit, et factus est fratrum et beati Francisci devotus.

De punitionibus factis non colentibus festum beati Francisci a Deo (*d*).

Vigesimo secundo non colentes festum beati Francisci a Deo sunt puniti. — In Pictavia, villa quae Caino (*e*) [3] dicitur, quidam rusticus contra iussionem proprii sacerdotis non servando beati Francisci festum, Deus eius audaciam punivit, faciendo digitos manus ad furcam inhaereri, sed poenitenti meritis beati Francisci restituit sanitatem [4]. — In civitate Cenomanensi mulierem mittentem manum ad colum in eius festo, obrigescentibus manibus, digiti coeperunt magnis ardoribus cruciari; sed beati Francisci invocatione facta per fratres, manus sanas recepit [5]. — In Campania Maiori mulier quaedam in villa Oleti (*f*), et alia atque tertia in castro Pilei (*g*), cum festum non celebrarent, sunt a Deo punitae; sed poenitentes liberatae [6]. — In civitate Theatina (*h*) quidam miles fieri fecit frenum, quod artifex fecit in festo beati Francisci; sed de nocte faber vocatus a voce quadam dicente: « Da mihi frenum », cum ille crederet, quod miles peteret frenum, surgens ad operatorium suum accessit, ibique invenit duos magnos viros, qui ipsum accipientes per prunas hinc inde verterunt dicentes: « Hoc tibi facimus, quia in festo beati Francisci operatus fuisti ». Et statim recesserunt semivivum relinquentes. Quod miraculum per totam illam civitatem exstitit divulgatum.

Civitas Lindaviensis (*i*) [7], cum parvipenderet celebrare festum beati Francisci, factum est die festo ipsius, cum omnes operarentur blada et vindemias et alia faciendo, circa horam tertiam (*k*) tam vehemens pluvia descendit, ut magnam partem civitatis destrueret, homines plurimos submergeret, hortos et molendina subverteret,

(*a*) As, Edd. ***unde quod.*** — (*b*) Al ***septem.*** — (*c*) Al ***impetu.*** — (*d*) As om. ***punit. factis*** et dein ***beati Fr. a Deo.*** — (*e*) As, Edd. ***Simo.*** — (*f*) As ***Villa olea;*** Edd. ***Villa Ollea.*** — (*g*) Al ***Paleae.*** — (*h*) Sic et As, sed alia manus corr. ***Rheatina;*** Edd. ***Theacina.*** — (*i*) Al, Edd. ***Sindoniensis;*** As ***Lindomensis.*** — (*k*) Al om. ***tertiam;*** Edd. om. ***circa h. tert***

[1] *Leg. Mai.* mir. § 9 n. 3. « miles de Burgo in provincia Massae ». *Mirac.* c. 13 n. 129. — [2] *Leg. Mai.* l. c. n. 4. *Mirac.* n. 128. — [3] *Caino* vel *Chinonium* nunc *Chinon;* sic corrigendum esse coniicimus. — [4] *Leg. Mai.* mir. § IX n. 1. — [5] L. c. n. 2. *Mirac.* c. 12 n. 100. — [6] *Leg. Mai.* l. c. n. 2. *Mirac.* n. 101; 102; 104. — [7] Sic legendum, coniicimus ob vindemias memoratas: « civitas Lindaviensis » i. e. Lindavia, Lindoa, ad lacum Potamicum (Bodamicum) seu Constantiensem.

et sic civitatem illam desolatam et afflictam relinqueret; quo (*a*) factum est, ut deinceps festum eius colatur et nil operis a quoquam peragatur ibidem. — In Aprutio in castro Guardiae miles nomine Simeon de Grele (*b*), non custodiens festum, fecit vindemiari, reprehensus a multis. Qui cum vinum in duas vegetes misisset antiquas et in unam novam coram multis convicineis, duae vegetes se erigebant in altum, etsi locatae essent in plano. Nova vero non per coniuncturas lignorum, sed per lignorum spissitudinem vinum emittebat (*c*). Et cum militi diceretur, quod hoc ideo erat, quia in festo beati Francisci fecerat vindemias fieri, ad se reversus, duobus fratribus Minoribus transeuntibus miles ait: « Si beatus Franciscus hoc malum mihi non fecerit, dabo vobis de vino cum indigeretis (*d*) ». Et clauso cellario abscessit; sed postea aperiente, invenit vegetes plenas (*e*) in loco suo sitas, et de vino nihil penitus effundentes. — In Barulo Apuliae ignis accensus est in nocte beati Francisci, quia laborabant; sed pulsatione campanae fratrum, ignis exstinctus; propter quod festum coluerunt, viso miraculo. Et cum anno revoluto quidam ivisset pro igne ad laborandum, et senex quidam ei diceret, quod festum beati Francisci esset, parvipendens coepit laborare, et statim domus eius igne est succensa. Vicini timentes, iverunt ad fratres, ut campanam pulsarent, quod et fecerunt, et statim ignis exstinctus est. Et ibi ex tunc (*f*) festum optime custoditur. — Sacerdos quidam cum nollet populo festum beati Francisci nuntiare celebrandum, cum sibi diceretur per clericum vel capellanum, sed respondisset cum aspernatione sanctum vilificando, statim loquelam perdidit et duobus annis non potuit aliud loqui nisi: « Francisce, Francisce ».

De (g) liberatis a fluxu sanguinis.

Vigesimo tertio fluxum sanguinis patientibus beatus Franciscus remedium attulit. — Mulieri quae passa fuerat per viginti tres annos fluxum sanguinis, invocatione beati Francisci sanitatem ipse concessit [1]. — Filium eius habentem brachium contractum beatus Franciscus ad sanitatem perduxit [2]. — Feminam de Sicilia per septennium fluxu sanguinis fatigatam beatus Franciscus invocatus sanavit [3]. — Quemdam fratrem Minorem de monte cadentem et fractam venam habentem pectoris, beatus Franciscus apparendo sibi restauravit.

De sub terrae voragine exsistentibus (h) liberatis.

Vigesimo quarto sub terrae voragine exsistentibus subvenit beatus Franciscus. — In conventu Potentiae, dum fratres Minores ad honorem beati Francisci vellent ecclesiam fabricare, et fovea fieret pro fundamento ecclesiae, et iam esset altitudinis unius cannae cum dimidia profunda, ibi ad fodiendum duo pauperes (*i*) erant, unus teutonicus et alius gallicus, a fratribus conducti. Terra adiacens cum illa quae erat in superficie cadens ipsos (*k*) submersit, et per duas horas et ultra sic sub terra fuerunt. Sed fratres beatum Franciscum invocantes, dum quidam foderent terram, quae ceciderat super eos, sani et incolumes sunt reperti.

(*a*) Al *quod*. — (*b*) Al potius *Giele*. — (*c*) Al *effluebat*. — (*d*) As, Edd. *indigeritis*. — (*e*) Edd. *planas*. — (*f*) Al om. *ex tunc*. — (*g*) As *De febricitantibus a b. Fr. liberatis*. — (*h*) As om. *exsistentibus*. — (*i*) Al om. *pauperes*. — (*k*) Edd. add. *oppressit et*.

[1] *Leg. Mai.* mir. § VIII n. 6. *Mirac.* c. 15 n. 148. — [2] Locis cit. — [3] *Leg. Mai.* l. c. *Mirac.* c. 15. n. 149.

De crurifragio liberatis (*a*).

Vigesimo quinto beatus Franciscus crurifragium patientes liberavit. — In urbe Romana Praxedem habentem ex casu pedem cum crure fractum, apparente sibi beato Francisco et eam elevante, sanitati pristinae restituit [1]. — Bovem cuiusdam, qui vocabatur Martinus, crus habentem (*b*) fractum, beatus Franciscus, cui cura (*c*) commissa fuit a dicto homine, sanum reddidit [2]. — In castro Chorae (*d*) Ostiensis dioecesis crus cuiusdam hominis ex toto perditum, ita quod nullo modo posset se movere, apparente beato Francisco et signum Thau imprimente, sanum fecit et validum [3].

De (*e*) *ab ore bestiarum liberatis.*

Vigesimo sexto ab ore bestiae scilicet lupi liberavit beatus Franciscus. — Apud Vigniole, dioecesis Pistoriensis, puer captus a lupo, voto facto ab avia, quod pedibus discalciatis beati Francisci limina visitaret, a lupo puer est dimissus intactus, etsi signa dentium lupi remanserint in attestationem miraculi.

De navicula ad invocationem beati Francisci (*f*) *se sola veniente.*

Vigesimo septimo beatus Franciscus fecit miracula in fluvio. — Navicula apud castrum de Foiano (*g*) Aretinae dioecesis, cum esset ex parte castri, et septem homines essent ex altera parte fluvii qui Chiana (*h*) dicitur, vellentque, quia sero erat, fluvium transire et ad castrum iam dictum redire, nec possent fluvium ipsum sine navicula transmeare, ac propter sero omnis possibilitas abesset et tarditatem diei, invocatione beati Francisci facta per omnes, navicula dissoluta est et per tantum spatium sola venit ad eos. Quam intrantes ad partem aliam, beato Francisco ducente, perduxit.

De (*i*) *deficientibus fame a beato Francisco liberatis.*

Vigesimo octavo beatus Franciscus fame deficientibus succurrit. — Frater quidam de Podio Bonizi (*k*), dum novitium quemdam de Senis ad ipsum castrum de Podio Bonizi duceret tempore nivium, dum esset inter Senas et Stagiam (*l*), dictus novitius deficiebat prae fame. Quod cernens socius beatum Franciscum coepit invocare, et sic invocando, dum se volveret, inter nives repperit panem albissimum et candidissimum et calidissimum, ac si tunc e clibano esset extractus. Quem accipiens, dicto novitio dedit, qui refocillatus est eo. Cum aliam partem panis frater in suo reposuisset sinu, ut fratribus ostenderet; repperit panem disparuisse.

De (*m*) *liberatis ab ignis combustione.*

Vigesimo nono beatus Franciscus liberavit ab ignis combustione. — Quaedam nobilis domina puerum, quem habebat in cuna, omni sero fideliter beato Francisco re-

(*a*) As add. *a b. Francisco.* — (*b*) Al *habens.* — (*c*) Al *crus commissum fuit.* — (*d*) Edd. *Chere.* — (*e*) Codd. om. *De.* — (*f*) As pergit *liberati.* — (*g*) As *Forano.* — (*h*) As, Edd. *Clava.* — (*i*) Al om. *De;* As om. *a b. Francisco.* — (*k*) Al *Bonzi;* sic infra. — (*l*) Edd. *Stagium.* — (*m*) As om. hanc rubr.

[1] *Leg. Mai.* mir. § VIII n. 7. *Mirac.* c. 17 n. 181. — [2] *Leg. Mai.* mir. § X n. 3. *Mirac.* c. 18 n. 183. — [3] *Leg. Mai.* l. c. n. 6. *Mirac.* c. 17 n. 159.

commendabat, cuius cuna, quia iuxta lucernam erat, cum esset combusta cum omnibus ex apprehensione ignis lucernae in ipsa, et puerum beato Francisco recommendatum repperit in medio ignis sanum et dormientem [1]. — In castro de Bagnacavallo quaedam mulier Bertha nomine, de tertio Ordine beati Francisci, fratrum necessitatibus dum esset occupata, incaute circa lectum candelam appensam (*a*) relinquens, cecidit et lectum cum omnibus aliis apprehendit ignis adeo, ut nulla esset spes de domo nec de aliis. Ipsa vero genuflexa dum beati Francisci auxilium invocasset, statim ignis exstinctus est, et omnia combusta restaurata, sic quod nec in lecto nec in aliis signum combusturae appareret. — In castro, quod dicitur Neuenburg (*b*) semel ignis accensus est, et quasi totum castrum cremavit. Ibi cum esset quidam vir Betto (*c*) nomine, qui cum uxore sua fratres Minores libenter et devote semper suscipiebant, et ipse videret ignem ad domum suam accedere, dixit beato Francisco: « Si vis, ut domus fratrum Minorum comburatur, fac ut tibi placet ». Recessit illico incendium, nec domum ipsam nec aliquid de pertinentibus dicto Betto (*c*) tetigit, non sine admiratione omnium. — Puerum cuiusdam pauperculae mulieris, quem mater semper beato Francisco recommendabat, domo ab igne succensa, beatus Franciscus in cuna positum illaesum servavit [2].

De ab (*d*) *alto cadentibus liberatis.*

Trigesimo ab alto cadentibus beatus Franciscus auxilio suo affuit. — Bononiae quidam puer nomine Lambertinus, filius cuiusdam domini Cassiani (*e*), ab altissimo cadens solario, dum caderet, a patruo suo beato Francisco commendatus, nullam penitus habuit laesionem, et postmodum ipse puer factus est frater Minor. — Pisis filius cuiusdam civis de alto solario in viam cadens publicam et totus conquassatus dum a patre votum de visitando sepulcrum beati Francisci fuisset emissum, statim pristinae est redditus sanitati.

De viribus (*f*) *datis carentibus in membris.*

Trigesimo primo beatus Franciscus vires apposuit carentibus. — Quaedam mulier per octo annos viribus destituta, ut nec operari nec per seipsam se ullo modo movere posset, omni auxilio destituta humano, tandem ad beatam Virginem et beatum Franciscum conversa, coepit supplicare pro sua salute et (*g*) sanitate. Nocte sequenti beatus Franciscus albis indutus apparens ei, et, ut videbatur, eam ad suam ecclesiam deducens, dum de phiala vini quam habebat in manu, duo cochlearia ad bibendum dedisset, excitata a somno, sana surrexit, ac si nunquam infirma fuisset. Haec mulier, beato Francisco faciente, dum ab ecclesia beati Francisci, cui magnas oblationes dederat, in curru rediret, et pluvia maxima descendisset, nec ipsam nec exsistentes cum ipsa in curru minima aquae gutta tetigit, cum tamen circumcirca omnia madefecisset. — Quidam de Castro Veteri prae doloribus a lecto surgere non poterat; voto emisso ad beatum Franciscum, quod suam ecclesiam visitaret, apparente sibi beato Francisco et dicente sibi in somnis, ut surgeret, a doloribus in vigilia exstitit liberatus. — Mulier quaedam, Elisabeth nomine, membrorum et totius

(*a*) Al *apprehensam.* — (*b*) Al *Neguabruch;* As, Edd. *Neguaburgh.* — (*c*) As, Edd. *Becto.* — (*d*) As, om. *ab,* et subinde add. *a b. Francisco.* — (*e*) As *Casani;* Edd. *Cazani.* — (*f*) As *vir. carentibus.* — (*g*) Al om. *salute et.*

[1] MS. Coll. S. Antonii f. 52 ra. — [2] L. c. 52 rb.

corporis virtute privata, ita ut non manibus, sed ore et dentibus suum traheret tegumentum si quando caderet, voto emisso de offerendo annuatim hostiam vivam, infra quinque dies perfectam rehabuit in membris sanitatem.

Otto, marchio Brandenburgensis, tam vehementem dolorem est passus in pedibus, quod non nisi in gestatorio vel vehiculo traheretur, ita quod ire non valens inutilis factus esset. Qui cum a medicis non posset curari, ad beatum Franciscum voto emisso, curatus est. — In dioecesi Carcassonensi (*a*), castro quod Barbaria [1] dicitur, quidam tribus vel quatuor diebus (*b*) sic viribus destitutus fuit, ut nec comedere nec loqui nec oculos aperire valeret; et cum vita a parentibus desperaretur, ab ipsis patrocinium beati Francisci invocatum, incolumis est parentibus restitutus. — Quidam frater in civitate Cortonae infirmus et debilis, dum diceretur sibi a guardiano, quod iret ad portandum ligna, et ipse non posset, dicendo antiphonam: *Sancte Francisce, propera, veni Pater* etc. [2], vigorem in corpore obtinuit et virtutem, ac obedientiam iniunctam perfecit [3].

De patientibus in oculis curatis.

Trigesimo secundo beatus Franciscus liberavit in oculis tribulatos. — In civitate Hamburgensi quidam civis monoculus, Gullielmus nomine, in oculo qui sibi supererat dolorem passus, utpote de loco suo egresso usque ad occupationem maxillae, a fratre quodam, suo confessore, inductus, ut votum faceret beato Francisco de candela offerenda in eius festo, quo (*c*) facto, oculus ad locum suum rediens, factus est statim sanus. — Quidam miles habens filiam quasi caecam, sed voto facto beato Francisco, ab ipso visum cum gaudio recuperavit feliciter.

De febricitantibus liberatis.

Trigesimo tertio febricitantibus beatus Franciscus suam opem impendidit (*d*). — In dioecesi Havelbergensi (*e*) oppido Kiritio (*f*) Everardus (*g*) quidam nomine, febre valde afflictus quartana, de ieiunando vigiliam et colendo festum votum ab eius uxore de suo consensu factum cum fuerit, mox a febribus est liberatus. Sed cum aliquid in festo ageret operis, febris eum subito arripuit; sed voto de festi custoditione iterato, subito est liberatus. — In terminis dicti burgi (*h*) [4] mulierem a febre quartana eripuit, voto de offerendo candelam ad sui corporis mensuram facto, si infra octo dies libera esset; quod evenit. — In dicta dioecesi, in villa quae Camelin [5] dicitur, matrona (*i*) nomine Mechtildis, hydropisi et quartana afflicta adeo, ut mortem exspectaret, testamento condito et confessione facta, frater qui eam audierat, dum eam induxisset de vigilia ieiunando, colendo festum et candela ad corporis mensuram deferenda votum facere beato Francisco, ab omnibus infirmitatibus, voto facto, est liberata.

(*a*) Al *Cartarsonensi*. — (*b*) Al *annis*. — (*c*) Edd. *hoc*. — (*d*) Edd. *impendit*. — (*e*) Al *Havesbergensi;* As *Havesburgensi;* Edd. *Havesbergensi*. — (*f*) Al, As *Kirii;* Edd. *Ririi*. — (*g*) As *Enyrdus;* Edd. *Evirdus*. — (*h*) Al *Dabrugi*. — (*i*) Edd. add. *nobilis;* deinde Codd., Edd. *Mechildis*.

[1] I. e. Bram (?) vel Chalabre (?). Cf. AF IV, 540 sq. Allusionem ad miracula in hac provincia peracta. — [2] Chevalier, *Repert. hymnol.* n. 18465, cf. n. 6544. Edita v. gr. ap. Felder, *Officia rhythmica,* 124. — [3] MS. Coll. S. Ant. f. 60 r. Miraculum accidit Fratri Iacobino de Cortona. — [4] Non aestimamus ex lectione Al licere hic coniectare legendum esse *Dramburg,* ubi conventus erat provinciae Saxoniae; *Provinciale,* 29; AF IV, 551. — [5] Videtur legendum *Cammin*.

Quidam (*a*) de Colibo Hellensis[1] dioecesis beato Francisco et beato Dominico devotus, apud Maioricas infirmitatem capitis, febris et dysenteriae incurrit, ut de eo medici desperarent. Sed apparente beato Francisco, cum multitudine fratrum Minorum et beato Dominico, quos ipse vigilans omnes agnovit; sed cum inductione beati Dominici beatus Franciscus eum signasset in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti (*b*), disparentibus sanctis, ab omnibus malis (*c*), quae patiebatur, est curatus. — Sacerdos quidam nomine Wernerus (*d*) de regno Sueciae, a quartana vexatus per annum, beato Francisco sibi apparente et dicente, ut votum faceret de ieiunando vigiliam et festum colendo, suadentibus fratribus quod hoc ageret, statim morbus eum (*e*) dimisit nec eum ulterius apprehendit.

De hydropicis et paralyticis curatis.

Trigesimo quarto hydropicos et paralyticos beatus Franciscus curavit. « In civitate Fani quidam hydropisis morbo detentus, per beatum Franciscum plene (*f*) meruit liberari[2] ». — « Mulier de Eugubio paralytica in lecto iacens, cum pro sui liberatione beati Francisci nomen tertio invocaret, restituta est sanitati[3] ». — « Puella de Arpino paralysis morbo membris dissolutis oppressa, ad ecclesiam beati Francisci prope Vicum Album positam, deportata, precibus ibi fusis et lacrimis, ab omni (*g*) fuit infirmitatis stimulo liberata »[4]. — Iuvenis in eodem castro, cum paralysi esset detentus, ita quod eius clauserat os, et oculos fecerat indirectos, portatus ad iam dictam ecclesiam a matre, beatus Franciscus exoratus, pristinae sanitati est redditus[5]. — « Petrus de Gaieta paralysi manu perdita, osque usque ad aurem retortum gerebat. Qui cum se consilio exponeret medicorum, visum pariter amisit et auditum. Tandem beato Francisco se devovens, ab omni morbo iam dicto exstitit liberatus[6] ».

In partibus Saxoniae in civitate Halberstadensi (*h*)[7], in maiori ecclesia, erat quidam canonicus beatae Euphemiae devotus, qui erat in omnibus membris paralyticus praeterquam in lingua, qui ab ipsa sancta inductus, ut fieret frater Minor, et a sua meritis beati Francisci liberaretur infirmitate; quod et fecit; et statim curatus est. Cuius exemplo et miraculo multi, mundo relicto, facti sunt fratres Minores. — Apud Ylerdam (*i*) quaedam mulier habebat brachium paralyticum, adeo ut totaliter dependeret; tandem post multa a beato Francisco est liberata. — In Cathalonia quaedam puella, habens a nativitate pedes contractos et ex toto facta paralytica, et cum a quodam fratre sibi persuaderetur, ut ad reverentiam beati Francisci quinque *Pater noster* diceret in die, semel dum diceret, iuvenis pulcherrimus apparens ei, et ipsam per manum apprehendens, ducendo hinc inde per cameram, et in pedibus et persona liberata permansit. — Apud Sanctam Mariam de Valle Viridi puer quidam trium annorum paralyticus de uno latere sic torquebatur, ut nec audire nec fari

(*a*) As ***Quaedam;*** tunc Edd. ***Yellensi dioecesi.*** — (*b*) As pergit ***statim eum liberavit.*** — (*c*) Edd. ***omni malo quod*** (Al ***quibus***). — (*d*) Al, Edd. ***Uberversus;*** As ***Ubernerus.*** — (*e*) Al om. ***eum dimisit.*** — (*f*) Al om. ***plene.*** — (*g*) Edd. ***omnibus*** f. ***infirmitatibus subito liberata.*** — (*h*) Al ***Haulestadensi;*** As ***Halverstat;*** Edd. ***Halvastach.*** — (*i*) As, Edd. ***Hylerdam.***

[1] Hic nec coniectare nobis licere censemus. — [2] Ex Bessa c. 9, § 4 n. 1. *Chron. 24 gen.* 202. *Mira* c. 9 n. 70: I. Cel. III, n. 141. — [3] Ex Bessa l. c. n. 2. Cf. *Chron.* l. c. *Mirac.* n. 71. I Cel. n. 142. — [4] Bessa n. 3. *Chron.* 201. *Mirac.* n. 72. — [5] Bessa n. 4. *Chron.* 202. *Mirac.* n. 73. — [6] Bessa n. 5. *Chron.* 203. *Mirac.* n. 75. — [7] *Provinciale*, 28; AF IV, 551.

nec videre poterat, beati Francisci auxilio a parentibus invocato primo, et demum ab avia, perfectissime a beato Francisco est sanatus.

De liberatis ab apostemate, fistulis, scrophulis et glandulis.

Trigesimo quinto beatus Franciscus apostemata, fistulas, scrophulas (*a*) et glandulas sanavit. — In Civitate Castellana mulier cum infirmitatem pateretur inter faciem et collum, quae glandula dicitur, quae ipsam in facie et collo quasi quoddam monstrum ostendebat, a socru infirmitate improperata, ad beatum Franciscum recurrens, de mane surrexit sana et nullum signum apparuit infirmitatis. — Quidam Bononiae scriptor, habens apostema in femore, cum nullum remedium inveniret, cum scriberet fratribus pro pretio Legendam beati Francisci et eius miracula legeret, facto voto de visitando limina beati Francisci, ipsi beato Francisco apparente, sic liberatus est, ut nullum signum appareret.

In civitate Castelli mulier habens morbum incurabilem in gutture scrophulas (*b*), quae vulgariter dicuntur scancolae (*c*), ad beatum Franciscum recurrens plenarie infra paucos dies liberata est. Sed parentes ingrati et ipsa nec miraculum prodere, nec gratias dignas Deo et beato Francisco retulerunt. Temporis in processu, cum esset nupta et iam triginta sex esset annorum, in manu et brachio per decem annos gravissimis infirmitatibus percussa, et demum cum quadraginta sex esset annorum, in eadem manu et brachio infirmitatem, quae carbunculus dicitur pateretur, et cum non posset nec die nec nocte quiescere, beatum Franciscum invocare coepit. Cui facta est vox: « Nunquam brachium istud seu manus liberabitur, donec miraculum alias factum tibi publicetur et scribatur ». Quae statim ad locum fratrum accedens, coram fratribus et aliis gratiam sibi factam a Deo meritis beati Francisci publicavit. Statim autem, ut accedere proposuit, tumefactio illa manus et brachii coepit abscedere et infirmitas illa annullari; et infra paucos dies fuit perfecte sanata. — Quidam Conradus nomine in civitate Bremensi casu graviter laeso in brachio, infistulatum est, sed iste tacita sua infirmitate ordinem fratrum Minorum intravit; qui audiens constitutionem [1] quod recipiendi ad Ordinem deberent esse corpore sani, timens ab ordine expelli (*d*) propter suam infirmitatem, ad beatum Franciscum habuit recursum, ut eum liberaret, ut posset in ordine, in gratiaque (*e*) permanere. Unde cum brachium respexisset ait: « Heu, miser, si propter te debeo de ordine expelli »! Et indignatus, ipsum premendo et stringendo fortiter, os parvum a vulnere eduxit, quo educto, statim locus ille est mirabiliter sanatus.

De sterilibus ad fecunditatem perductis.

Trigesimo sexto de (*f*) sterilibus quibus beatus Franciscus gratiam concipiendi obtinuit. — Mulier quaedam de Burgo qui Spandavia (*g*) dicitur, provinciae (*h*) Brandenburgensis, fratrum devota, cum filias pareret et non filium, beato Francisco vovit, quod si pareret masculum, vocaret Franciscum. A quo exaudita, votum voluit implere.

(*a*) Edd. *seresulis.* — (*b*) As, Edd. *scrupulas.* — (*c*) Edd. *stancole.* — (*d*) As *excludi;* Edd. *eiici.* Al *sua infirmitate,* om. *propter.* — (*e*) As, Edd. om. *in gratiaque.* — (*f*) Edd. om. *de* et *quibus.* — (*g*) Al *Spandoio;* Edd. *Spandeio.* — (*h*) Codd. Edd. *civitatis* (falso).

[1] Cf. *Constitutiones Narbonenses,* rubr. I; ap. S. Bonaventurae, *Opera Omnia,* VIII (1898) 451; ed. Fr. Ehrle ap. *Archiv f. Litt. u. Kirch.-Gesch.* VI, 89. Constitutiones Assis. 1316, cap. I, ed. Arm. Carlini, ap. *Arch. franc. hist.* IV, (1910) 277.

Sed pater eum Iohannem vocavit. Hic puer dum quatuor vel quinque esset annorum et luderet cum pueris, currus onustus et equi currum trahentes puerum conculcarunt. Mater videns filii periculum clamavit: « Sancte Francisce, commendo tibi filium meum ». Mira res! Curru transeunte super puerum, puer illaesus surrexit, et manum trahens per pectus, dixit matri: « Vide, mater, hic currus transivit ». Qui postea ordinem fratrum Minorum est ingressus. — In dioecesi Verdensi in oppido quod dicitur Hidebecher (*a*) [1] quidam nomine Daniel, fratrum Minorum amicus, cum haberet uxorem sterilem post multas medelas ad hoc factas, inductione cuiusdam fratris Minoris, sui confessoris nomine Nicolai, voto facto de ieiunando vigiliam et festum colendo, uxor masculum peperit.

De volentibus furari de ecclesia beati Francisci non permissis.

Trigesimo septimo beatus Franciscum non permittit de ecclesia sua furari volentes. — Quidam latro ad ecclesiam beati Francisci venit summo mane, ceram quae in testimonium signorum ante imaginem astabat beati Francisci furaturus. Sed statim stupore fuit percussus mirabili et amentia, ita ut sibi videretur, quod totus mundus volveretur; sed timens et sentiens Dei ultionem, prout potuit, beato Francisco promittens se talia de cetero non facturum et sibi obsequiosum esse, fuit totaliter liberatus.

Quomodo (b) non credentes beatum Franciscum esse sanctum Deus per miracula reduxit.

Trigesimo octavo non credentes beatum Franciscum sanctum Deus miraculo ad credendum invitavit. — Dominus Pastarupta (*c*) de Arpinis de Parma, nobilis miles, cum domino Ugone Rubeo, nepote domini papae Nicolai III, ad visitandum dominum papam cum pergeret, et essent prope Assisium, dixit dominus Ugo praedicto militi: « Vadamus Assisium et visitemus beatum Franciscum, qui multa signa fecit et miracula », et (*d*) ipse dominus Pastarupta diceret, quod non crederet eum sanctum, nisi una de avibus quae volabant, statim veniret super manum eius, statim hirundo quae volabat, posuit se super manum suam, et stetit per spatium et coepit cantare, quasi semper esset cum eo et ab ipso nutrita, et postea recessit. Quo viso, dictus miles summa cum devotione ad altare beati Francisci accessit, et omnibus miraculum enarravit, et factus est beati Francisci devotissimus et fratrum Minorum.

De suspensis liberatis.

Trigesimo nono suspensos a morte beatus Franciscus eripuit et liberavit. — Quidam nomine Niger cum fratribus Minoribus (*e*) stans, missus est ab eisdem ad Urbem Veterem pro eorum negotiis, sed captus a gentibus Guidarelli (*f*) Alexandri, ab eodem iussus est suspendi ad arborem. Qui votum emittens ad beatam Franciscum de serviendo gratis cunctis diebus vitae suae fratribus Minoribus, suspensus, chorda fracta, statim illaesus cecidit. Quod mirantes qui eum suspenderant, abire liberum permiserunt. — Quidam de Ubaldinis captus a Bononiensibus et suspensus ab eis, voto prius emisso ad beatum Franciscum, si eum liberaret de intrando Or-

(*a*) Al *Hidesbiker;* Edd. *Hydesbyker;* As *Hidesbicter.* — (*b*) As *De.* — (*c*) Al *Pasca Rupta;* sic et infra. — (*d*) Edd. *cum.* — (*e*) Al om. *Minoribus.* — (*f*) Al *Guardarelli.*

[1] Nomen verum non apparet.

dinem, qui suspensus per totam diem nihil sensit, sed (*a*) cum tumulandus esset in conventu fratrum Minorum et deductus esset ad locum, quasi a somno expergefactus petiit, quid fratres vellent agere. Et tunc de voto facto narrans fratribus, et quomodo nihil sensit de suspendio, statim factus est frater Minor.

De non valentibus uti manibus liberatis.

Quadragesimo beatus Franciscus liberavit manibus non valentes uti. — In civitate Placentiae quaedam puella septem annorum dum disceret filare, accepto fuso et colo, dum unum transiret rivulum filando, cecidit in fusum perforando manum (*b*); quod ab ipsa dum extraheretur, pars infra manum relicta est et carne cooperta. Quod cum a nullo medico aliqua medicina extrahi valeret, nisi manus iam per septem septimanas intumefacta a parte superiori scinderetur, pater ipsius timens periculum filiae et poenam, ad beatum Franciscum recurrit et ad hoc induxit fratres et sorores, ut beatum Franciscum rogarent. Et factum est, dum ligaturae manus a medico dissolverentur, statim pars fusi exiit, et foramen statim est clausum, unde exivit, ita (*c*) ut nullus perpendere posset ubi exivisset et puella manum extendit, acsi nihil aliquando (*d*) sensisset. — In burgo qui Sichama (*e*) dicitur, puer natus sine digitis, facto voto beato Francisco a matre, digiti statim excreverunt, ac mater in festo beati Francisci et filium obtulit et miraculum omnibus enarravit.

De miraculis diversarum specierum a beato Francisco factis.

Quadragesimo primo beatus Franciscus, variis modis a praefatis, miracula operatus est. — Apud Massam, civitatem Maritimae, mulier tempore vindemiarum volens fratribus vinum dare, totum putrefactum est in vegete, sed voto facto beato Francisco de semper dando, ad statum pristinum est reductum. — In dicta civitate mulier devota fratribus Minoribus de optimo vino unius vegetis dedit fratribus usque ad medietatem, sed viro volente vinum vendere, meritis beati Francisci cui se mulier ipsa (*f*) commendaverat, plenam vino vegetem invenit. — Apud Plumbinum mulier de sex (*g*) sextariis ciceram dedit fratribus unum, sed post, sex sextarii a viro sunt inventi ut prius, meritis beati Francisci. — In Capitulo generali celebrato Narbonae, rogantibus fratribus beatum Franciscum pro pluvia (steterat enim siccitas tribus mensibus), pluvia in magna descendit copia [1]. Sic etiam evenit in Capitulo primo Barchinonae (*h*) [2] celebrato. — Mulieris vegeticulum et vacuum de vino confectionato, quia ipsa dederat cuidam fratri patienti amore beati Francisci, invocatione sui beatus Franciscus vino replevit, quo vino frater et vir sunt liberati [3]. — Oleum in mari proiectum ob tempestatem a viro dictae mulieris beato Francisco commendatum, in littore beatus Franciscus servavit indemne [4].

Iuvenis quidam in Custodia Brundisii (*i*) infirmatus in pede, morbo qui vocatur « Noli me tangere », adeo ut de vita eius medici dubitarent, cumque parentes extra

(*a*) Al om. *sed — de suspendio* (l. 4). — (*b*) As, Edd. *manum ab ipsa dum extrah.* — (*c*) Al om. *ita — exivisset.* — (*d*) Al *ante.* — (*e*) As *Satania;* Edd. *Sitama.* — (*f*) As add. *iam.* — (*g*) Al om. *sex.* — (*h*) Al *Bartinoriae;* Edd. *Barcinonae.* — (*i*) Al, As *Brandisci.*

[1] Hoc accidisse in Capitulo totius Hispaniae a B. Ioh. Parente Soriae celebrato (1232) narrat *Chronicon XIV Gen. Min. Ord. fr. Min.*, AF III, 694 et inde *Chron. 24 Gen.* l. c. 210-11. — [2] Alia confusio; fuit an. 1313; cf. *Chron. 24 Gen.* 467 sq. — Idem narratur de B. Andrea Hispellensi; Wadding. ad an. 1264 n. 2. Cf. AF IV, 243. — [3] MS. Coll. S. Antonii f. 50 rb. — [4] Cod. cit. l. c.

cameram exsistentes audiret (*a*) super mortem suam plorantes, ad beatum Franciscum iuvenis conversus, votum emisit, si eum liberaret de intrando ordinem. Quo voto emisso, beatum vidit Franciscum pedem infirmum signantem signo crucis, et statim liberatus ad fratres pergens, factus est frater Minor. — Miles quidam nomine Petrus, camerarius duorum regum Sueciae, cum passionem cordiacam (*b*) pateretur, et a nullo medicorum sibi posset subveniri, ad beatum Franciscum cuius erat devotus accessit, rogans ut eum liberaret; sed cum dormitum ivisset, Christum vidit in visione et beatum Franciscum in habitu candidissimo stellis aureis in circuitu resplendentibus, et chorda (*c*) erat ex aureis filis fulgentibus habens nodos cristallinos. Qui beatus Franciscus cum phiala aurea ad latus Christi accessit, et cum eius sanguine implevisset, dedit dicto militi ad bibendum. Quod cum bibere renueret ex reverentia Crucifixi, tandem monitus a beato Francisco, bibit. Quo hausto, a somno surgens, se repperit bene stare de passione cordiaca, et temporis in processu est totaliter liberatus.

Devote sibi servientibus beatus Franciscus subvenit.

Quadragesimo secundo et ultimo, quomodo adhuc beatus Franciscus sibi devote servientibus subvenit. — In civitate Lucana, dovotione cuiusdam dominae, beatus Franciscus, dum viveret, filium baptizavit. Qui puer dum esset annorum quinque, hydropicus factus, venit ad mortem. Quod cernens mater pueri, eum beato Francisco recommendavit, qui eum baptizaverat, vovendo visitare ipsum beatum Franciscum; statim omni humore malo evomito, puer est sanitati restitutus. Qui iuvenis artem medicinae addiscens factus est medicus, libenter suam artem fratribus impendens. Sed infirmatus ipse ad mortem, coepit rogare beatum Franciscum, ut tempus ad poenitentiam indulgeret. Apparente sibi beato Francisco cum duobus fratribus, et dante sibi confectionem quamdam ad modum Eucharistiae ad manducandum, et de quodam liquore quem attulerat in ampulla ad bibendum dulcissimum (*d*), recessit. De mane infirmus referens praedicta fratribus, accepto Eucharistiae sacramento, statim coepit convalescere et pristinae est sanitati restitutus.

In castro de Novis dioecesis Avinionensis cum beatus Franciscus cum sociis rediens de Hispania, veniret ad Italiam, ad quamdam aquam profundam et frigidam devenit. Cui occurrit quidam iuvenis de dicto castro circa castrum Orgonii. Qui beato Francisco et socio compatiens, cum duos haberet equos oneratos pannis, depositis pannis, beatum Franciscum et socium transvadavit, et in castro Orgonii eis necessaria abundanter ministravit. Cui beatus Franciscus in recessu ait: « Retribuat tibi Deus, carissime, in retributione (*e*) iustorum ». Hic iuvenis eodem anno ad visitandum limina Apostolorum pergens, Deum rogavit, quod si eodem anno mori deberet, in hac peregrinatione decederet; quod et factum est. Cuius mortem parentes audientes, officium in Castro de Novis pro eius anima fieri ordinaverunt. Et cum esset missa iam solemnis celebrata, subito LX (*f*) fratres Minores apparuerunt, intrantes cantando dictum castrum, et ad ecclesiam perrexerunt bini et bini processionaliter ordinate, et missam pro defuncto, astante populo, decantarunt. Qua finita ad prandium ierunt, sed prandio finito, associati a populo et dimissi, nunquam amplius apparuerunt; et quod maius est, tantum de cibariis remanserat, quantum fuerat praeparatum, quod populus ad maximum miraculum putavit. Unde dicti castri ho-

(*a*) Al *audirent.* — (*b*) Sic Codd. et Edd. — (*c*) Edd. *cum chorda quae.* — (*d*) Al om. *dulcissimum.* — (*e*) As, Edd. add. *aeterna.* — (*f*) Chron. 24 Gen. *LXX.*

mines credunt beatum Franciscum cum illa societate miraculose venisse ad dictum iuvenem honorandum [1].

In castro de Oxola quidam Latomus (*a*), nomine Zambonus, cum alium hominem conduxisset ad abscindendum lapides pro constructione ecclesiae beati Francisci, hic cum in monte quemdam lapidem abscinderet qui erat ibi firmiter situatus, lapis ipse cum impetu cecidit et pedem eius sic conquassavit (*b*), quod statim calceus eius plenus sanguine fuit. Ipse vero accepto vulnere, beato Francisco in cuius erat obsequio, se recommendavit. Cum socius eius ivisset pro vehiculo ad eum deducendum et pallio cooperuisset eum, ille obdormivit; sed socio reverso cum vehiculo expergefactus (*c*) Zambonus, ita se repperit sanum ac si nihil mali unquam habuisset, et asseruit se nunquam sic suaviter obdormisse.

In castro Corvariae quemdam fratrem de Poenitentia, ministrum ipsorum, portantem ova fratribus, in transitu cuiusdam fluminis, qui praeter solitum excreverat, undique aquis obrutum et per spatium fluminis sic deductum, invocantem beatum Franciscum ad ripam illaesum cum calatho et ovis perduxit (*d*).

Multa et innumera alia miracula Deus meritis beati Francisci in diversis mundi partibus operatus est, sed praedicta sufficiant pro secundae partis istius ultimae conformitatis, scilicet: *Francisco cuncta* a Deo *dantur*, debite ipsum invocantibus, expositione et declaratione.

Ex dictis in praecedentibus libris videlicet in XL conformitatibus in (*e*) eisdem declaratis, apparet clare intuentibus Dominum nostrum Iesum Christum beatum patrem nostrum Franciscum sibi fecisse similem et conformem, non solum in actibus passionalibus, scilicet in passione per sacrorum stigmatum impressionem [2], sed etiam in actibus perfectionalibus (*f*), de quibus specialiter in II libro tractatur [3], et etiam in actibus personalibus, ut declaratum est; et per consequens patet deductum quod in principio huius operis pro compendiosa declaratione est assumptum [4], quod Dominus Iesus beatum Franciscum *fecit similem in gloria sanctorum* [5], id est sibi ipsi, qui est *gloria sanctorum.*

Huic operi finem debitum (*g*) imponendo tibi, Domine Iesu Christe, Redemptori (*h*) et Salvatori omnium, qui es *lux vera omnem hominem* (*i*) [6] illuminans, a quo quidquid boni, recti et iusti et veri esse potest, procedit et originatur, gratias quas possum refero et persolvo, qui mihi de te loqui, scribere et enarrare concessisti. Et per merita gloriosi patris nostri beati Francisci, de quo plura mihi tua benignitate loqui concedere dignatus es, etsi (*k*) ad eius sint gloriam, praecipue tamen sunt ad tui, qui eum talem et tantum, tu Solus fecisti. Meritis ergo et precibus huius almi confessoris tui beati Francisci, concede mihi, quae tibi promisi perficere, tua sancta vestigia prosequi et imitari, ab

(*a*) Edd. *quidam Latonius.* — (*b*) Al. *ipse impetu tetigit pedem eius et sic exquassavit.* — (*c*) Al om. *expergefactus.* — (*d*) Ed. III a p. 479 l. 30 usque huc omnia omisit; titulos solos breviter enuntians. — (*e*) Al *eiusdem,* om. *in.* — (*f*) Al *personalibus, ut decl. est;* As. *perfectionalibus* om. *de quib.* — *personalibus.* — (*g*) Al om. *debitum.* — (*h*) As *Redemptor et Salvator.* — (*i*) Al om. *hominem.* — (*k*) Al om. *si.*

[1] *Chron. 24 Gen.* 179 sq. MS. Coll. S. Ant. f. 63 v. — [2] Supra 370 sqq. — [3] Supra 1-332. — [4] AF IV, 3 sqq., 15 sqq. — [5] Eccli. 45, 2. AF IV, 3. — [6] Ioan. 1, 9.

omni tui offensione cavere, et post huius vitae cursum ad te videndum et perfruendum me perducere digneris, qui cum Patre (*a*) et Spiritu sancto vivis et regnas, Deus benedictus, per infinita saecula saeculorum. Amen (*b*).

Explicit pars tertia huius operis de vita (*c*) et conformitate beati Francisci ad vitam Domini nostri Iesu Christi, editi a Magistro Bartholomaeo de Pisis, Ordinis Minorum, anno Domini 1390 die XVIII mensis martii. Deo gratias.

Littera (d) directa generali ministro et capitulo generali pro approbatione istius (e) operis a magistro Bartholomaeo de Pisis [1].

Reverendis in Christo patribus, fratri (*f*) Henrico, generali ministro (*g*), ministris, ceterisque definitoribus capituli Generalis Ordinis fratrum Minorum apud sacrum conventum Assisii in proximo festo sacrae indulgentiae Sanctae Mariae de Portiuncula ibidem celebrandi, frater Bartholomaeus de Pisis, sacrae theologiae magister indignus, reverentiam debitam cum omni subiectione devota. Devotione, professione ac beneficiis perceptis, quibus obligor beato patri nostro Francisco, cupiens aliquid componere ad eius laudem, gloriam et honorem, Christo praedocente, qui ipsum patrem Franciscum sibi per omnia similem reddidit et conformem, opus quoddam, quod *De conformitate vitae beati Francisci ad vitam ipsius Domini nostri Iesu Christi* intitulatur compegi, cum arbore figurata, quae personaliter assistens iuxta papalia nostri ordinis instituta vestrae prudentiae tribuo corrigenda, lima vestrae sapientiae (*h*) examinanda ac approbanda, atque aliis intra nostrum ordinem et extra communicanda, humiliter exoro (*i*) a vobis mihi licentiam impertiri (*k*), deprecans instanter ipsum patrem Franciscum, cuius corpus in hoc sacro loco requiescit, ut vos (*l*) totum Ordinem Minorum ibi (*m*) praesentantes in agendis dirigat, et suis meritis (*n*) ad gaudia perducat aeterna (*o*). Amen. Datum (*p*) in loco praefato Assisii die prima mensis augusti 1399 (*q*).

Littera generalis Capituli responsiva (r), istud opus approbantis.

In Christo sibi carissimo fratri Bartholomaeo de Pisis, sacrae theologiae magistro, frater Henricus Ordinis fratrum Minorum generalis minister et servus, ceterique ministri ac definitores capituli generalis apud sacrum locum de Assisio die 2 augusti anno Domini 1399 (*s*) celebrati, salutem et pacem in Domino sempiternam. Opus,

(*a*) Edd. add. *tuo.* — (*b*) Sic expl. As; Ed. add. tantum. *Finis arboris et operis;* Ed. III tantum *Amen. Finis.* — (*c*) Al *vitae.* — (*d*) Edd. *Copia litterae* etc. Copia duarum epistolarum in ultimo fol. Al, scil. f. 187 ra-b, *forsan* ab alia manu, quam illa quae Codicem totum scripsit, addita est. — (*e*) Ed. I et III om. *istius*; Ed. I add. (*op.*) *praecedentis;* item Ed. II. et III *praesentis.* — (*f*) Ed. I, II *fratribus;* Ed. III om. — (*g*) Edd. add. *et aliis.* — (*h*) Al *scientiae,* sed postea corr. — (*i*) Al om. *exoro.* — (*k*) Al add. *et.* — (*l*) Edd. add. *et.* — (*m*) Edd. om. *ibi praes.* — (*n*) Edd. om. *suis meritis.* — (*o*) Al. om. *aeterna.* — (*p*) Edd. *Data.* — (*q*) Al *1389;* Edd. om. — (*r*) Ed. II et III add. *ad praescriptam litteram.* — (*s*) Al *1389.*

[1] De his litteris et capitulo gli cf. AF IV, XXIV, XII-III; et *Arch. fr. hist.* III, 1910, 703, 704.

quod favente (*a*) divina clementia, et intitulatur: *De conformitate vitae beati Francisci ad vitam Domini nostri Iesu Christi,* fecisti, inspici, discuti et examinari fecimus diligenter, cum arbore, quam nobis personaliter praesentasti, et nihil invenimus correptione dignum sed laude. De quo tuae regratiando prudentiae, praesentibus tibi licentiam faciendi depingi arborem ipsam, ac ipsum opus volentibus videre et transscribere (*b*), quod possis eis (*c*) communicare, liberaliter impartimur. In cuius rei testimonium praesentem litteram, in registro Ordinis positam, fecimus sigilli (*d*) generalatus officii impressione muniri. Datum (*e*) in dicto sacro loco anno, die et mense superius annotatis (*f*).

(*a*) Al *faciente.* — (*b*) Al potius *transcribereque;* om. *et* et *quod.* — (*c*) Al om. *eis.* — (*d*) Al, Edd. *sigillo.* — (*e*) Edd. *Data.* — (*f*) Al demum add. *Nota diligenter approbationem istius operis.* — Desunt epistolae in As.



ADDENDA ET CORRIGENDA.

I. — In tomo IV.

pag. 16 lin. 38. *Foederatur* pro *foeneratur*; cf. supra, p. 89, 100 sqq.

» 58 nota 1. Cf. modo *Analecta Franc.* (AF) V, 81 sq.; 249 lin. 27-36. De codice cf. modo P. Bonav. Kruitwagen, O.F.M., ap. *Archiv. Franc. Hist.*, (AFH) I, 324-329.

» 58 » 5. *Actus c. 20* pro *c. 29*.

» 74 » 1. (et 663) *fruct. XXXIII* pro *XXXVIII*; cf. scil. AF V, p. 436-438. — P. 80 nota 3. Potius alleganda fuit *Leg. min.* I, lect. 3; nota 4, *Cap. 4 n. 9* pro *n. 10*.

» 140 » 2. *cap. 25* pro *24*.

» 202 » 34. Interpungas: *qui nunc coruscat miraculis Perusii, retentus*.

» 235 » 24. *contra mores* pro *contra morbos*, uti As et Edd. habent.

» 251 » 12-13. Cf. *Catalogus ss. fratr.* 13. — P. 309 nota 6. *7 april. 1317* pro *19 aug. 1397*.

» 335 lin. 23. *idololatrae* pro *idolatrae*. — 341 nota 1 *pag. 238* pro *388*.

» 343 nota 1. *Leg. 3 soc.* c. 16 n. 67 pro *I Cel.* n. 100. — Nota 5 item *Leg. 3 soc.* c. 18 n. 72. — P. 348 n. 1 Robertus rex Neapolis *obiit 19 ian. 1343* pro *16 ian.*

» 350 » 1. Allegandum potius MS. Coll. S. Antonii f. 51r sqq. *Fioretti*, ed. Passerini, 196-8; [Vide AF V, 436-38]. Nota 2, allegandus erat potius Bern. de Bessa, AF III, 668 l. 9-11.

» 370 nota 1. Addas *Leg. 3 soc.* c. 8 n. 25; cf. n. 27; *Leg Mai.* c. 3 n. 1. — P. 371 nota 1, alleganda erat potius *Leg. Mai.* c. 3 n. 9.

» 433 » 3. Adde plures harum narrationum inveniri quoque ap. *Specul. Vitae B. Francisci*, Venetiis 1504, Metis 1509, praesertim fol. 217 sqq.

» 438 lin. 27-35. Haec narratio de praeposito Montis Vici legitur etiam ap. *Chron. 24 gen.*, AF III, 327 sq., et in MS. Coll. F. Ant. f. 50vb. — P. 439 nota 7 adde *Specul. Vitae*, f. 229 sq. — Vide AF V, 475 sq. *Fioretti*, ed. Passerini. p. 287-290.

» 444 » 1. adde *Speculum Vitae*, f. 218r-v; *Fioretti*, ed. Passerini, p. 286 sq.

» 474 » 3. *Cap. 12 n. 4* pro *n. 14*.

» 499 lin. 1. *frater enim corpus* pro *fratrum*, uti habent As, Edd. et fons cit.

» 507 » 28. *compatrem* pro *comparem*; item lin. 29 *infelix compater* pro *compar*. Sic As, et Edd., quorum lectio confirmatur l. 30, 32, 33: *commatrem tuam*.

» 521 nota 1. *Varignana* pro *Vergnana*; ibidem potius *Argelato* pro *Ronchi*, licet prope *Ronchi* hic conventus situs fuisset.

» 534 » 2. *Villafranca del Bierzo* pro *Villafranca*; n. 5 *Monte de Valderrago* pro *S. Maria de Angelis*. — P. 535 n. 4. *Jerez de la Frontera* pro *Jerez*; n. 5 *Talavera de la Reina* pro *Talavera*. — P. 536 n. 3. *Valladolid* pro *Vallodolid*; n. 7 *Villafranca de Conflent* pro *Villafranca*. — 537 n. 1 *Ejea de los Caballeros* pro *Ejea*.

» 537 » 6. *Samatan* pro *Séranne*; *Castelnaudary* pro *Castellaudary*.

» 538 » (*f*) In textum omnino assumendus est, ex Al, locus: « fecit. *De isto loco est magister Bertrandus*, factus cardinalis per dominum Gregorium XI ». Etenim Gregorius XI (1370-1378) Cardinalem revera creavit Bertrandum Atgerii (Latgerii) de Figiaco 30 maii 1371, (cf. AFH III, 307, 308), dum e contra Bertrandus de Turre, creatus Cardinalis a Iohanne XXII an. 1320, iam anno 1348 obierat. — Ibid. n. 2 *Valcabrère* pro *Valcabrère*; n. 4 *Millau* pro *Amilly*; n. 5 *Saint-Antonin* pro *Saint-Antoine-de-Salins*; n. 6 *Sainte-Foy* pro *S. Foy*.

» 539 » 1. *La Réole* pro *Réole*; *Rions* pro *Rioms*; n. 5 *Reillanne* pro *Raillane*; n. 6 *Monteux* pro *Montelier* et *L'Isle-sur-la-Sorgue* pro *L'Isle-Venaissin*. — P. 540 nota 1 *Marvéjols* pro *Saint-Jean-de-Marvéjols*. — P. 541 nota 5 *Montélimar* pro *Montelie*; n. 4 *Nyon (Neuss)* ad lacum Genevensem, pro *Iverdon*. — P. 542 nota 1 *Souvigny* pro *Seignelay*; ib. n. 2 legendum [cf. AF IV, 633] *Rupella*, locum de *Insula Olerum*, i. e. *Isle d'Oleron*. Conventus erat in oppido *(Le) Château-d'Oleron*. *Cognac* pro *Compreignaco*; *n.* 6 *Laudun* pro *Loudon*. — 545 nota 5 *Séez* pro *Faches*, latine *Sagium*.

» 546 lin. 16-19. De risu fratrum Oxonii, cf. Thomas de Eccleston, *De adventu fratrum Minorum in Angliam*, Coll. 5, ap. AF I, 227; ed. A. G. Little, Paris 1909, 32. *Chron. 24 gen.*, AF III, 364; *Speculum Vitae*, f. 219r. — Ibidem n. 3 *Bridgewater* pro *Bridgwater*. Ibid. n. 6 *Bridgenorth* pro *Broughton*; ibid. *Llanflaes* pro *Hamely*. Ibidem omittendus locus *Hereford*, iam recte sub custodia Bristolensi recensitus lin. 12 et nota 3.

» 547 » 2. *Monasteroris* pro *Maynooth*; ib. n. 2 *New Ross* pro *Ross*; n. 3 *Ardfert* pro *Ardagh*, tunc sequitur *Buttevant* [latine *Botonie*]; *Strudbally Leix* pro *Limerick*; n. 4 *Clare Galway* pro *Clare*; *Killeigh* pro *Killaloe*; *Ennis* pro *Clonard* [*latine Inisclaunrada*]; tunc sequitur *Cavan* [latine *Breffniae*]; n. 5 *Downpatrick* pro *Down* [latine *Dunensis*]. Pisanus omisit conventum *Athlone*, quanquam iam an. 1224 fundatus est. De eo cf. Wadding., *Annales*, ad ann. 1241 n. XXVIII (III, 62-3).

» 549 lin. 25 *et* pro *est*. — 550 nota 2 *Mulhausen* pro *Mühlhausen*. P. 552 nota 1 *Goldberg* pro *Golberg*; *Krossen* pro *Dranse*; *Zittau* pro *Mückau*; n. 2 *Neuenburg* pro *Neustadt*.

» 600 lin. 20. Oratio ad omnes horas canonicas habetur ap. S. Francisci *Opusculа*, p. 110.

II. — In hoo tomo V.

pag. 11 nota 4. *Leg. Mai. c. 9 n. 6* pro *n. 5.*

» 12 lin. 12. cf. AF IV, 510 lin. 27, et AF V, p. 14 lin. 12. Narratio legitur ap. MS. Coll. S. Antonii, f. 51va. — Ibidem nota 2, adde *Specul. Perf.* ed. Sabatier, pag. 22 nota 1. — P. 13 nota 2 adde MS. cit. fol. 50ra: « Praedicante b. Francisco prope Çarcianum[Sartianum] super locum fratrum, qui dicebatur Certena... » — Ibidem lin. 11-16, adde Bessa, *Liber de Laudibus B. Francisci,* ap. AF III, 678 lin. 26-33.

» 14 » 1. Habetur narratio in MS. cit. f. 63vab. — Ibidem nota 4, adde MS. cit., f. 51rv. — P. 15 nota 3 *Cap. 11 n. 11* pro *an. 11.* — Ibid. nota 7, *II Cel. II 87 (al. III, 64) 124* pro *II Cel. II, 78 (al. III, 64) 118.* Cf. supra pag. 174 nota 2.

» 16 » 2. AF IV, 476 refertur ad notam 3. Adde etiam AF IV, 515 lin. 36-7. In nota 3 *Tract. mir. c. 17 n. 178* pro *n. 179.*

» 18 » 1. Narratur in MS. Coll. S. Ant., f. 63vb., et ap. *Fioretti,* consid. IV delle s. stimmate, ed. Passerini, 176-177. — Ibidem nota 2, *Tract. Mir. c. 17 n. 179* pro *n. 178.* — Ibid. nota 3, adde *Tract. Mir. c. 17 n. 174;* et *Fioretti,* consid. IV delle s. stim., ed. Passerini, 174. Hic dicitur revera puer fuisse « comitatus Aretii » et « octo annos » fuisse hydropicum. — Ibidem nota 4, adde MS. Coll. S. Ant. f. 58a-b. Cf. supra p. 272 nota 9.

» 19 lin. 1-4. Narratur a Bern. de Bessa, AF III, 678 lin. 34-42. *Leggenda antica,* c. 42. Cf. supra 121 lin. 33-34; p. 180-181, 331 lin. 15-16. — P. 19 nota *f, Sed* pro *ed.*

» 20 nota 3. Cf. quoque AFH I, 410-411; ubi l. 17 *Placentiam,* corrigas in *Florentiam.*

» 21 lin. 13-16. Citari potuit pro philomela cum S. Francisco alternatim cantante, *Leggenda antica,* c. 61. — Ibidem l. 40 *divulgatur* pro *divvlgatur.*

» 56 nota 3. Legendum: supra, 15sqq. — P. 89 nota 5. Notam hanc post sextam reponas.

» 107-108 De fratre tusco conventum mutante legitur ap. *Specul. Vitae,* f. 231r-232r.

» 112 lin. 23-25. Est in *Leg. Mai.* c. 7 n. 3; II Cel. II, 49 (III, 25-6) n. 80-81. Cf. supra 277 lin. 6-7. — Ibid. nota 1, *lect.* pro *let.*

» 120 » 21-22. Cf. supra 255 lin. 29-32; *Spec. Perf.* Sabatier, c. 74.

» 133 » 6. *Benedicta sit anima et corpus tuum, et benedicta sint verba tua* pro *Benedicta sint verba tua.* — P. 139 nota 11, *61* pro *71.*

» 156 » 41. *somnium* (sic revera Al; As om.) pro *somnum* (sic Edd.). — Pag. 157 lin. 5. *operum* pro *opum.* — Lin. 35 *Balaam* pro *Baalam.* — P. 161 nota 5, *11* pro *9.*

» 161 nota 5. Allegandus erat potius Bernardus de Bessa, AF III, 668 l. 9-11. — Nota 8 delendum est: « in nota etc. », quia res narratur revera ap. *Leg. mai.* c. 3 n. 9 in ipso textu.

» 165 nota 4. Adde quoque « *Leg. Vetus* » ap. *Opusc. de critique historique,* ed. Sabatier, I, Paris 1903, 99-102. — P. 166 lin. 29-36 Visio ista in hac forma habetur in MS. Coll. S. Ant. f. 54rb. Cf. supra p. 177 nota 1, ubi *f. 54rb* pro *55r.*

» 171 nota 2. *II Cel. II, 8 (ul. II, 6)* adde *n. 37.* — Pag. 172 nota 4. *Leg. Mai. c. 11 n. 9* pro *c. 21.* — Pag. 173 nota 3, adde AF IV, 191 lin. 2-7.

» 180 lin. 28-34. Cf. supra 289 nota 6; AF IV, 59, 138, 233. — Pag. 181 lin. 3, adde *Actus,* c. 18 n. 10sqq.

» 212 nota 5. *Pedibus* pro *pedihus.* — Pag. 216 lin. 33 *crimen* pro *crimine.*

» 224 » 1. Cf. AF IV, 58, 98, 109, 437, 564; et supra 11, 408, pro cf. AF IV, 73, 81, 97 sq., 487. — Ibidem lin. 13, notes locum: *Et duae partes totius orbis virorum ac mulierum in propriis habitantes domibus huius ordinis, dignos poenitentiae agent fructus,* revera sic sonare in Codd. et Edd., dum in loco eodem ap. AF IV, 437 lin. 18-19 sonat: *domibus, de consilio huius ordinis.* Cf. et *Chron. 24 gen.,* AF III, 29 lin. 4-5: *quod tertia pars hominum ad statum poenitentiae per monita huius Ordinis convertetur.* Magis ergo cum AF IV, 437, concordat, et ap. AF V, 224 admittenda videtur omssio, scil. *de consilio.*

» 225 » 2. *AF IV, 163* pro *16.* — P. 250 nota 3, *AF IV 196* pro *186.*

» 260 lin. 15-22. Oratio haec est iam AF IV, 600; et *Opuscula S. Fr.,* 110. — Ibidem nota 1, adde item AF IV, 600. — Ibidem nota 2, *nota 2* pro *nota 6.* — Pag. 268 lin. 14 *fragmentorum* pro *fragmendorum.*

» 281 » 15. *S. Donnini* pro *S. Domini.* — P. 296 lin. 20. *hydropicus* pro *hydrophicus.* — P. 300 l. 25, *Moyses* pro *Moyse.* — P. 332 l. 10 *repletum* pro *rcpletum.*

» 384 nota 3. De Barone Landulfo III Ordinis. Notam sic mutes: Cod. Coll. S. Antonii, f. 51r. *Fioretti,* Consid. V delle s. stimate, ed. Passerini, 196-8. Vide 224 l. 23-4; p. 384 l. 19-25; 385 l. 30-6; 408 l. 15-21; p. 436-8; AF IV, 73-4; 81 l. 33-7. 350l. 14-7; 445 l. 25-33. — Item idem adnotandum p. 385 nota 5; itemque 437 nota 1.

» 398 » 1. Remittendum erat ad supra 168 lin. 21-25. — P. 415 l. 20 *decursus* pro *ducursus.* — P. 430 nota 1, AF III, *687* pro *332.*

» 427 nota 4. Addas *Actus,* c. 18 n. 6-8.

» 500 lin. 21. *Nolens fratribus dare* pro *volens. Nolens* habent Codd. et Edd.

» 502 » 3. Scribendum *latomus,* i. e. lapicida, pro *Latomus.*

INDEX GENERALIS

LIBER TERTIUS.

CONCORDANTIA EDITIONUM

NOTA. — Verbum *ad nostrae editionis* paginam *et* lineam, *ubi legitur, appositum, primum est quod integrum et non transpositum adsit in* folio *editionis indicatae ex adversa parte columnae inscripto; idemque in* linea *data saltem incipit. — Numerus cui adiuncta est litterula* (ª) *indicat lineam quae sub eo numero pertinet ad secundam partem fructus, in pagina ubi iam desiit pars prima, quae in vol. IV* Analectorum *numeratione caret.*

EDITIO I (Mediolani 1510) [1].

ANALECTA FRANCISCANA
Tomus IV.

1	1	In nomine	1r
2	40	*Domini*	1v
5	11	praesentem	2r
7	17	modo	2v
9	22	tum	3r
11	34	Est possibilis	3v
14	3	beati	4r
16	13	sive	4v
19	12	formata	5r
21	35	minorum	5v
24	25	*Dominus*	6r
26	8	*filium*	6v
27	45	*mirabilia*	7r
29	30	et occiso	7v
31	14	ostendit	8r
33	1	*Secunda*	8v
35	3	compassio	9r
37	16	dicentes	9v
39	36	Gen. 27	10r
42	7	*Habentem*	10v
44	13	contradicet	11r
46	33	inquam	11v
48	31	deceptores	12r
50	24	est censendus	12v
52	28	beato	13r
54	22	secuturi	13v
56	27	isto hodie	14r
58	35	beatus	14v
61	2	non attendens	15r
62	36	in remittendo	15v
64	29	de Daniele	16r
66	17	quare	16v
67	46	*et*	17r
70	9	et ab his	17v
72	16	papali	18r
74	26	operarios	18v
76	37	*et misit*	19r
79	7	exemplo	19v
81	13	Quarto	20r
83	22	homini	20v
85	18	de prophetis	21r
87	1	manibus	21v
88	30	decimooctavo	22r
90	18	quoad	22v
92	2	Mariae	23r
93	36	et restituendi	23v
95	1ª	*Secunda pars*	24r
97	14	multi	24v
99	2	in carcere	25r
100	25	QUARTUS	25v
102	2	*Dominus*	26r
103	19	*De Virginis*	26v
104	41	de ipsa	27r
106	16	ab omni	27v
107	35	iustitia	28r
109	26	Tertio	28v
111	32	praelatis	29r
113	26	Et tamen	29v
115	13	Salvatoris	30r
117	5	Dan. 13	30v
119	6	clamabimus	31r
120	39	patientiae	31v
122	37	ipse	32r
124	34	vituperari	32v
126	31	quaesivit	33r
128	11	omnia	33v
129	36	clamat	34r
131	12	vindicatio	34v
132	38	rex	35r
134	12	est occisus	35v
135	36	mutata	36r
137	13	hoc fine	36v
139	9	Omnes	37r
141	8	videre	37v
143	9	beatus	38r
145	10	perfectionis	38v
147	12	vocavi	39r
149	16	dicit	39v
151	14	accipiendo	40r
153	5	diaboli	40v
154	33	ego	41r
156	7ª	excepta	41v
158	28	incisus	42r
160	38	sub isto	42v
163	11	vos manus	43r
165	12	*mundus*	43v
167	8	contristatissimos	44r
168	43	de interrogatis	44v
170	36	videndo	45r
172	32	iniectus	45v
174	28	Syriam	46r
176	22	quorum	46v
178	28	fratres	47r
180	41	quidam	47v
183	4	loquendum	48r
185	5	Et tunc	48v
187	10	totus	49r
189	20	aëris	49v
191	21	usque	50r
193	25	stetit	50v
195	32	toto	51r
197	28	intrabat	51v
199	24	Rufine	52r
201	19	magnus	52v
203	25	sibi	53r
205	32	in festo	53v
207	35	peccatoris	54r
209	34	frequenter	54v
211	34	fidem	55r
213	34	ad tertium	55v
216	6	amicus	56r
218	13	essem	56v
220	12	tantum	57r
222	10	amittit	57v
224	14	quasi	58r
226	14	Quid	58v
228	14	Sicut	59r

[1] Cf. de ea ad huius voluminis *Praefationem*.

230	14	saecularis	59v
232	19	in hoc	60r
234	23	Nam	60v
236	40	et diligatur	61r
239	6	tam	61v
241	28	cum	62r
244	27	liberavit	62v
247	6	ad comedendum	63r
249	16	De fratre	63v
251	32	Hic	64r
254	12	LOCUS	64v
256	30	Moliani	65r
258	33	vehementia	65v
261	1	manus	66r
263	18	Hic	66v
265	34	dispositis	67r
268	5	cuiusdam	67v
270	10	propter	68r
272	28	beatum	68v
275	11	Marchia	69r
277	28	et cum	69v
279	35	quia	70r
282	7	miraculis	70v
288	13	languoribus [1]	71r
283	36	cernentes	71v
289	7	renuntiavit	72r
291	33	passionis et	72v
294	10	ut monacho	73r
296	23	quod non	73v
299	2	praesente	74r
301	5	a dolore	74v
304	13	et scientiae	75r
308	14	DE PROVINCIA	75v
311	28	Oculos	76r
313	31	votum	76v
316	3	subiecti	77r
318	20	summe	77v
320	19	tunc ille	78r
322	34	sale	78v
325	15	visus	79r
328	29	alium	79v
331	11	Quodam	80r
334	11	Demum	80v
337	6	alia	81r
339	18	fuit	81v
341	32	alius	82r
344	12	est frater	82v
346	25	exceptis	83r
349	5	suae	83v
351	10	in aliis	84r
353	24	Et quia	84v
355	38	sic infirma	85r
358	21	ut totis	85v
362	3	Ludovici	86r
364	21	subdendo	86v
366	29	sexta lex	87r
368	27	habeat	87v
370	27	illud	88r
372	28	quia scilicet	88v
374	42	stabat	89r
377	13	scripturas	89v
379	18	et discipulos	90r
381	27	*meis*	90v
383	33	tenentur	91r
385	41	et ita	91v
387	42	ipsorum	92r
390	7	fratres	92v
392	2	ut dicit	93r
394	9	incipit	93v
396	8	ut patebit	94r
398	10	habent	94v
400	20	ad usum	95r
402	31	usum	95v
404	35	modum	96r
407	5	et tempora	96v
409	13	vult	97r
411	25	possessiones	97v
413	37	speciosum	98r
416	5	numquid	98v
418	14	ab aliis	99r
420	23	prout	99v
422	31	est, sic	100r
425	2	religiositate	100v
427	6	tam contra	101r
429	16	beatum	101v
431	22	dicta	102r
433	19	vehementer	102v
435	19	et abiectus	103r
437	21	Opponet	103v
439	31	cum summa	104r
442	2	ad laudis	104v
444	9	In bono	105r
446	15	Sed quia	105v
448	16	corpus	106r
450	37	reverteretur	106v
453	3	post	107r
455	1	Everardum	107v
457	3	fratrum	108r
458	46	locutionis	108v
460	28	iustae	109r
462	14	quibus *est*	109v
464	4	Christus	110r
466	11	dicit	110v
468	18	Et circa	111r
470	21	Et quia non	111v
472	26	tali	112r
474	29	dicto	112v
476	40	omnes	113r
479	9	fructum	113v
481	18	eisdem	114r
483	22	praedicare	114v
485	23	conformitas	115r
487	25	promissa	115v
489	22	ut traherent	116r
491	16	stabit	116v
493	8	*omni*	117r
495	10	dixisset	117v
497	12	Sic ergo	118r
499	20	earum	118v
501	34	et totam	119r
504	7	coruscantes	119v
506	20	se coram	120r
508	20	similiter	120v
510	23	[et] frater	121r
513	5	Plorati	121v
515	21	ad Christi	122r
518	7	populum	122v
520	11	de Deo	123r
522	37	Ego	123v
524	35	suo verbo	124r
527	23	minister	124v
531	4	Campibassi	125r
534	24	laesionem	125v
537	29	et locum	126r
540	26	totam	126v
543	32	adiret	bis 126r
546	28	fuerunt	bis 126v
551	1	locis	127r
555	11	quibus	127v
558	29	*Erit*	[2] 129r
561	9	totam	129v
563	16	et informatoribus	130r
565	26	*et prudentibus*	130v
567	20	contrectabat	131r
569	9	cum ipso	131v
571	3	dicens	132r
573	1	homo	132v
575	3	mulierem	133r
577	2	opto	133v
578	48	*spiritu*	134r
581	7	eo quod	134v
583	20	suam	135r
585	29	deprompsit	135v
587	40	affectum	136r
590	16	praelati	136v
592	41	et noli	137r
595	24	generaliter	137v
598	6	Franciscus	138r
600	28	Salvator	138v
603	12	et vitam	139r
605	34	fulminandum	139v
608	5	venenosus	140r
610	14	sibi de	140v
612	30	suggerentibus	141r
615	4	et ab eo	141v
617	19	sanctissimae	142r
619	33	servum	142v
622	9	Creatore	143r
624	31	Cum	143v
627	8	in futuro	144r
629	30	si alii	144v

ANALECTA FRANCISCANA
Tomus V.

1	1	LIB. SECUNDUS	145r
3	11	quod pro	145v
5	20	omnis	146r
7	22	de manibus	146v
9	24	non solum	147r
11	36	a muliere	147v
14	11	usque ad	148r
16	30	ibat	148v
19	17	suffocatus	149r
22	1	FRUCTUS	149v
23	45	I ad Cor.	150r
25	45	auxilium	150v
27	44	ut filios	151r
30	5	ad poenitentiam	151v
32	24	ego	152r
34	35	et accessit	152v
37	9	pro indulgentia	153r
39	21	narravit	153v
42	1	Sexto	154r
44	22	de Pozali	154v
46	28	Ego	155r
48	28	veritas	155v
50	31	liberabor	156r
52	32	adesse	156v

[1] Cf. p. 282 not. (*c*). — [2] F. 128 in numeratione omissum est.

55	6	tot mundo	157r
57	17	animam	157v
59	19	est quod	158r
61	12	quomodo	158v
63	10	Matthaeus	159r
65	3	Christo	159v
66	38	tertio	160r
68	34	in Iacobo	160v
70	32	est propriae	161r
72	23	per devotionem	161v
74	19	Decimum	162r
76	24	ipsius	162v
78	38	presbytero	163r
81	14	de	163v
83	31	nisi	164r
86	15	VIII pars	164v
89	5	Scriptura	165r
91	2	*violentiam*	165v
93	5	est. De	166r
94	39	aut si	166v
96	40	discipulo	167r
98	37	perfecit	167v
100	28	largitus	168r
102	36	Septimum	168v
104	38	unde	169r
107	5	in signum	169v
109	21	ea manere	170r
111	37	quod professus	170v
114	14	iverat	171r
116	30	generalatus	171v
119	11	videndum	172r
122	2	ad edendum	172v
124	17	voluit	173r
126	29	ut convicia	173v
128	33	*spiritu*	174r
130	32	eos	174v
133	6	sit anima [1]	175r
135	21	hoc mirabile	175v
137	31	et se	176r
140	7	X libri	176v
143	5	minimus	177r
145	9	pluribus	177v
147	19	quam habet	178r
149	17	nec	178v
151	21	habitus	179r
153	26	*verba*	179v
155	22	*relinquetis*	180r
157	26	In deambulatione	180v
159	34	quodam	181r
162	14	hoc sciebat	181v
164	27	igne	182r
167	6	Romanae	182v
169	27	cum tribus	183r
172	8	in cor	183v
174	35	tumens	184r
177	23	sanctiorem	184v
180	5	Tu vero	185r
182	15	dicente	185v
184	9	Corozaim	186r
185	43	Decimo	186v
187	31	*posui*	187r
189	22	et anachoretarum	187v
191	27	quia	188r
193	38	loquelam	188v
196	27	erant	189r
199	1	FRUCTUS	189v
201	1	super	190r
203	1	occidit	190v
204	45	exercuit	191r
206	44	Lucae 10	191v
209	11	longius	192r
211	36	Dei *opera*	193v
214	2	homines	193r
216	7	dulcius	193v
218	14	Mach. 15	194r
220	23	non perficiatur	194v
223	4	ad domum	195r
225	18	in oratione	195v
227	36	utpote	196r
229	43	virgo Maria	196v
231	41	condescendendo	197r
234	17	apostoli	197v
236	25	dicere	198r
238	27	in nobis	198v
240	29	*Dimitte*	199r
242	30	iracundi	199v
244	29	est intentionis	200r
247	8	supernarum	200v
249	28	hospitaculo	201r
252	13	in Monte	201v
254	39	Ploravit	202r
258	13	virgines	202v
261	8	creature	203r
264	5	Alia	203v
266	7	*eiiciam*	204r
268	12	quinarius	204v
270	10	ad proficiendum	205r
271	41	nomine	205v
273	29	montem	206r
275	20	sensuum	206v
277	22	appellabat	207r
279	35	et in	207v
282	7	spectabilis	208r
284	4	Brutus de	208v
285	43	consedere	209r
287	42	beatitudinem	209v
290	27	et sancta	210r
293	9	debet	210v
296	3	suis	211r
298	30	Christus	211v
300	36	paganis	212r
303	4	suum in	212v
305	9	secundae	213r
308	5	Quinto	213v
310	37	reverentiae	214r
312	30	asinam	214v
314	16	*Secunda*	215r
316	15	dedi	215v
318	22	Francisci	216r
320	40	et zelum	216v
322	23	notabiliter	217r
324	27	ferventissimum	217v
327	16	quidam	218r
330	6	locus	218v
333	1	LIBER TERTIUS	219r
334	44	*sunt*	219v
336	41	ut homo	220r
338	38	hoc, ut	220v
340	39	perficere	221r
342	43	cum sit	221v
345	2	sed tamen	222r
347	8	quam	222v
349	7	quia	223r
351	2	sumit	223v
353	4	operatione	224r
355	15	Sanctae	224v
357	28	Secundo	225r
359	37	Secundo	225v
362	12	Christo	226r
364	17	orationes	226v
366	17	habere	227r
368	22	Salomon	227v
371	2	et extra	228r
373	29	ex quo	228v
376	6	contemni	229r
378	24	quia	229v
380	29	consignans	230r
383	28	quia ipse	230v
386	1	nomine	231r
388	9	ab ipso	231v
390	18	veraciter	232r
392	23	in conspectu	232v
394	32	potentiae	233r
397	11	Christo	233v
399	34	eius	234r
402	19	praefatus	234v
404	36	Alexander	235r
407	21	*Plaude*	235v
410	16	et osculati	236r
413	2	madidavit	236v
415	16	ad beatum	237r
417	25	Quartum	237v
419	32	huius	238r
422	4	poenalis	238v
424	8	Nec	239r
426	18	rediens	239v
428	34	incipere	240r
432	8	praefatis	240v
434	20	victoria	241r
436	15	descendit	241v
438	22	sepultura	242r
440	25	operatione	242v
442	33	quatuor	243r
445	12	compleretur	243v
447	22	sepulchro	244r
449	24	est	244v
451	38	quod ostendit	245r
454	7	Sed hic	245v
456	21	Angelorum	246r
458	42	Deum	246v
461	4	Dominus Iesus	247r
463	31	quoniam	247v
466	9	Bartholomaeus	248r
468	31	soldanum	248v
471	8	quae	249r
473	12	et specialiter	249v
475	19	propter	250r
477	17	trahens	250v
479	8	Decens	251r
481	15	quod totum	251v
483	31	petenti	252r
486	13	visum	252v
488	34	*De ruptis*	253r
491	29	Francisci	253v
494	19	ad castrum	254r
497	7	Wernerus	254v
499	16	volveretur	255r
501	21	factus	255v
503	18	assistens	256r

[1] Cf. supra *Addenda et corrigenda.*

EDITIO II (Mediolani 1513) [1].

ANALECTA FRANCISCANA
Tomus IV.

1	1	In nomine	1r
3	8	sed	1v
5	30	habebant	2r
8	9	suppressio	2v
10	25	quia hostibus	3r
13	13	recurvationem	3v
15	34	spiritus	4r
		[*figura arboris*]	4v
18	13	Dico	5r
21	6	digniori	5v
24	6	*benedicentur*	6r
26	9	*Deus*	6v
28	10	inquit	7r
30	5	Iud. 9	7v
31	48	in solio	8r
34	5	Eliseo	8v
36	30	Is., 20	9r
39	19	*Super*	9v
42	2	*aperuisset*	10r
44	14	spumae	10v
47	7	ita	11r
49	21	et aliis	11v
51	36	octavo	12r
54	8	die in	12v
56	24	beati	13r
59	12	fratres	13v
61	25	nullo	14r
63	30	reformaretur	14v
65	32	scilicet	15r
67	31	deitatis	15v
70	6	prae aliis	16r
72	27	in *tenebris*	16v
75	17	sigillum	17r
77	39	Isto	17v
80	10	aethere	18r
82	36	patrum	18v
85	8	sexto	19r
87	1	manibus	19v
88	40	Sed	20r
90	39	eam	20v
92	35	totis	21r
94	34	Daniel	21v
96	35	in sede	22r
99	1	Franciscus	22v
100	36	rebus	23r
102	31	*et Dominus*	23v
104	23	*est idolum*	24r
106	12	quia *cepit*	24v
108	1	omnia	25r
110	9	prosequi	25v
112	25	fratres	26r
114	23	in hoc	26v
116	18	partis	27r
118	28	terrarum	27v
120	35	et necessitatem	28r
123	9	suavia	28v
125	16	et subiectum	29r
127	20	despiciendo	29v
129	14	nostrum	30r
131	5	ob quam	30v
132	45	equis	31r
134	34	creatus	31v
136	26	veniret	32r
138	22	stans	32v
140	39	ipse	33r
143	10	Filios	33v
145	27	quae mihi	34r
148	9	et longitudine	34v
150	23	infra	35r
152	29	videlicet	35v
154	30	*vinum*	36r
156	14ª	a sic beatum	36v
159	10	fovet	37r
161	31	hoc revelante	37v
164	10	eum diabolus	38r
166	19	per quae	38v
168	21	in ordine	39r
170	22	ipse	39v
172	23	in eius	40r
174	26	sive Lystris	40v
176	30	evangelicam	41r
179	9	Franciscus	41v
181	30	Quis	42r
184	7	palatium	42v
186	26	ipsius	43r
189	9	cum multis	43v
191	24	Venite	44r
194	6	iniuncta	44v
196	19	et angelis	45r
198	31	quia	45v
201	1	praecipio	46r
203	21	haberet	46v
206	6	genera	47r
208	24	pedibus	47v
210	39	Iacoba	48r
213	17	secundum	48v
216	5	quare	49r
218	22	Si quis	49v
220	35	a Deo	50r
223	5	Vae homini	50v
225	20	reddit	51r
227	33	ut adiuvarent	51v
230	4	colloquium	52r
232	22	donorum	52v
235	5	tantum	53r
237	30	rotundos	53v
240	8	quomodo	54r
243	13	In Spello	54v
246	14	fuit valde	55r
248	36	dum de	55v
251	18	incedere	56r
254	12	LOCUS	56v
257	7	tenens	57r
259	22	homo	57v
262	11	sit humatus	58r
265	5	officiis	58v
267	25	sed confidens	59r
270	8	peragere	59v
272	38	qui se	60r
276	1	quibusdam	60v
278	26	de Castro	61r
281	14	aperti sunt	61v
287	38	recedere [2]	62r
283	29	perfectionem	62v
289	9	fulsit	63r
292	3	in eo	63v
294	25	deficit	64r
297	8	ad gloriam	64v
299	31	et bibisset [3]	65r
302	9	secatus	65v
307	4	sanguinolenti	66r
311	10	propter	66v
313	27	fratrum	67r
316	10	est ac	67v
318	40	filiis	68r
321	16	nec crus	68v
324	2	In Toleto	69r
328	1	In HILDESEM	69v
330	35	monachus	70r
334	8	nocte	70v
337	16	quod magnae	71r
340	4	Frater Nicolaus	71v
342	39	protector	72r
345	29	nec inter	73v
348	15	cuius	73r
350	38	scripturae	73v
353	24	Et quia	74r
356	10	adscribere	74v
359	11	alia	75r
363	10	a Deo	75v
365	31	homo	76r
367	45	*desolabitur*	76v
370	11	Et primo	77r
372	26	ubi	77v
375	13	gratiam	78r
378	2	*supra*	78v
380	18	elucidatio	79r
382	36	et futurorum	79v
385	20	quae in	80r
387	30	institutusque	80v
389	26	Franciscus	81r
391	24	Ubi	81v
393	27	observari	82r
395	40	iudicio	82v
398	4	non vacent	83r
400	1	Quartum	83v
402	23	est	84r
404	39	et eleemosina	84v
407	13	et custodibus	85r
409	22	necessaria	85v
411	41	est in	86r
414	24	Ratio	86v
416	18	Sed quia	87r
418	8	ministri	87v
420	15	fratribus	88r
422	11	Ubi	88v
424	9	et huiusmodi [4]	89r
426	13	magnifice	89v
428	35	ambulant	90r
431	12	clericus	90v
433	23	percussit	91r
435	37	de quibus	91v
438	9	Octavo	92r
440	37	aliquid	92v
443	12	Christi	93r
445	32	usque ad	93v

[1] De ea in *Praefatione*. — [2] Cf. p. 282 not. (*c*). — [3] Erronee 59. — [4] Erronee 99.

448	4	Mentiris	94r
450	38	quot animae	94v
453	12	et animam	95r
455	28	sicut	95v
457	40	*pauperibus*	96r
459	48	Quarto	96v
461	47	*coram hominibus*	97r
463	43	conformitate	97v
466	16	orationem	98r
468	36	personae accept.	98v
471	10	non permittitis	99r
473	26	Spoletanos	99v
476	4	enutritus	100r
478	27	audientium	100v
481	9	ideo	101r
483	25	Christum	101v
485	34	potestatem	102r
487	42	dicens	102v
490	4	*tunicas*	103r
492	12	quando	103v
494	18	clementia	104r
496	34	Sicque	104v
499	10	Dedit	105r
501	35	vocationem	105v
504	21	fuit	106r
507	3	quindecim	106v
509	16	ad nos	107r
512	15	a coquina	107v
515	5	de dicta	108r
518	7	populum	108v
520	27	atque gattum	109r
523	24	per spatium	109v
526	9	episcopus	110r
529	28	assumere	110v
534	7	Provincia	111r
537	25	Aquitaniae	111v
541	7	plura	112r
544	18	strangulatus	112v
548	10	loc. Lincopiae	113r
553	12	Provincia	113v
558	11	haereticos	114r
561	10	dominus	114v
563	35	transibit	115r
566	17	habentis	115v
568	27	Luc. 1	116r
570	37	cuilibet	116v
572	48	earum	117r
575	7	*et procidens*	117v
577	6	voluisse	118r
579	10	Matth. 5	118v
581	27	ut eroges	119r
584	5	largitur	119v
586	29	beatus	120r
589	6	me de	120v
591	30	uxorem	121r
594	26	scilicet	121v
597	23	introire	122r
600	15	quae per	122v
603	13	Franciscus	123r
606	3	eis	123v
608	30	Franciscus	124r
611	10	per alium	124v
613	36	Omnia	125r
616	13	lacrymis	125v
618	30	Dicebat	126r
621	7	*diabolus*	126v
623	24	neque ibi	127r
625	41	recipientes	127v
628	14	quanto	128r
631	4	exstintrix	128v

ANALECTA FRANCISCANA
Tomus V.

1	1	LIB. SECUNDUS	128vb
1	10	signis	129r[1]
4	4	pelagus	129v
6	16	*fructum*	130r
8	24	manentis	130v
10	29	impellerentur	131r
13	17	piscis	131v
16	3	erectus	132r
18	38	et miraculo	132v
21	35	*sunt*	133r
23	42	per hoc	133v
26	4	sequitur	134r
28	10	et Matth.	134v
30	26	exemplum	135r
33	12	sibi	135v
35	29	ligneum	136r
38	10	tibi hic	136v
40	25	modum	137r
43	21	huius	137v
45	35	et deberet	138r
48	4	et huic	138v
50	17	Si autem	139r
52	30	in medio	139v
55	15	et animatus	140r
57	35	corporis	140v
60	5	tribus	141r
62	14	videre	141v
64	20	quibus	142r
66	23	*ut sol*	142v
68	24	Daniel	143r
70	30	placeat	143v
72	32	velut	144r
74	34	datur	144v
77	7	et mente	145r
79	32	existentibus	145v
82	15	a somno	146r
85	2	quando	146v
88	2	ab eo	147r
90	22	Secundo	147v
92	33	*Radix*	148r
94	35	Haec	148v
97	3	rege	149r
99	15	diviti	149v
101	31	ipsi	150r
104	13	et longitudinem	150v
106	37	mihi	151r
109	25	Fratres	151v
112	16	pecuniam	152r
115	2	despectus	152v
117	32	eidem	153r
120	24	per amorem	153v
123	20	in fortitudine	154r
126	2	capi	154v
128	19	*posuit*	155r
130	26	eratque	155v
133	8	qui	156r
135	34	Sicut	156v
138	18	de mane	157r
141	26	Duo	157v
144	16	ad portam	158r
146	31	prima via	158v
148	41	de beatitudine	159r
151	7	Bonaventuram	159v
153	20	fuerunt	160r
155	30	*tibi*	160v
157	42	non quod	161r
160	23	et sic	161v
163	12	Nabuchodonosor	162r
165	34	in eis	162v
168	29	Christianis	163r
171	23	dixit	163v
174	19	dum esset	164r
177	19	Christus	164v
180	12	De quo	165r
182	29	Galat. 5	165v
184	39	Matth. 8	166r
186	41	salutis	166v
189	3	condecet	167r
191	17	Reate	167v
194	13	lecto	168r
197	11	communi	168v
199	26	nobiscum	169r
201	40	Beda	169v
204	7	et Marc.	170r
206	15	ut angelus	170v
208	26	peregerunt	171r
211	24	intimo	171v
214	3	sic; et	172r
216	22	*Iesus*	172v
218	33	haec	173r
221	19	infamarunt	173v
223	42	Hoc autem	174r
226	29	*Iesu*	174v
229	6	erat frater	175r
231	12	misericordiam	175v
233	35	figuratas	176r
236	9	de tempore	176v
238	20	tuam	177r
240	34	alteri	177v
242	45	in praefata	178r
245	18	ieiunii	178v
248	10	generandis	179r
251	3	ut dicetur	179v
254	3	intenderent	180r
257	25	I Regulae	180v
260	32	etiam	181r
263	42	vocatione	181v
266	5	steterant	182r
268	14	cophini	182v
270	17	iudicii	183r
272	19	*fiat*	183v
274	23	Ioannes	184r
276	33	mantellis	184v
279	20	fratribus	185r
282	4	Iesus	185v
284	6	*sui*	186r
286	12	eius	186v
288	24	beatus	187r
291	26	regis	187v
294	20	Appelli	188r
297	27	nivium	188v
300	4	*Nunc dimittis*	189r
302	15	fuerunt	189v
304	22	hoc idem	190r
306	26	apertum	190v

[1] Erronee 139.

310	22	est *rex*	191r	371	20	Domini	204r	438	16	ineffabili	217r
312	25	et mediocribus	191v	374	16	Christum	204v	440	24	sua requie	217v
314	23	*duplici*	192r	376	39	*habe*	205r	443	2	tota	218r
316	39	nam per	192v	379	22	loco	205v	445	29	propter	218v
320	4	ignem	193r	382	8	terrebat	206r	448	1	omnes	219r
321	47	*est*	193v	384	41	magis	206v	450	16	familiariter	219v
324	8	Sic apud	194r	387	22	vidit	207r	452	34	loquuntur	220r
327	6	ante	194v	389	36	est factum	207v	455	12	Qualiter	220v
330	6	locus	195r	392	9	splendidorum	208r	457	36	Salvator	221r
333	1	LIBER TERTIUS	195v	394	24	parte	208v	460	3	quod-magna	221v
335	2	subdit	196r	397	8	tot doloribus	209r	462	24	quare	222r
337	12	Respondeo	196v	399	38	meliorem	209v	465	7	Sed secundo	222v
339	16	Multa	197r	402	27	quietem	210r	467	22	dictum est	223r
241	29	declarato	197v	405	13	procederet	210v	470	5	de Zachaeo	223v
343	40	subiecto	198r	408	18	Francisci	211r	472	23	beatum	224r
346	2	localiter	198v	411	8	Praefatis	211v	475	11	singulari	224v
348	7	*omnes*	199r	413	41	cives	[1] 212r	477	27	patet	225r
350	7	quod devote	199v	416	22	et omnia	212v	480	1	aliqua	225v
352	11	manibus	200r	418	34	considerando	213r	482	32	*De sub aquis*	226r
354	20	sui corporis	200v	421	1	concurrentes	213v	485	33	apud Castrum	226v
356	37	totam	201r	423	9	Delevit	214r	489	7	festo	227r
359	10	mors	201v	425	19	Samaritano	214v	492	16	Vigesimo secundo	227v
361	36	Quia	202r	427	38	interrogavit	215r	495	14	dicto	228r
364	11	crucem	202v	431	17	quinto	215v	498	14	vulgariter	228v
366	17	In quinto	203r	433	40	poenae	216r	501	4	quidam	229r
368	30	exemplo	203v	436	1	sanctos	216v	503	26	*Littera*	229v

EDITIO III (Bononiae 1590)[2].

1	1	In nomine	1r	62	14	Respondetur	19v	115	23	eum Herodes	38r
2	21	et declarant	1v	63	24	Magister	20r	116	13[a]	probati	38v
4	6	summum	2r	64	42	electum	20v	118	18	Franciscus	39r
5	29	quam	2v	66	7	cum ultimo	21r	120	2	decet	39v
7	16	non transgressus	3r	67	22	Is. 19	21v	121	27	Fuit	40r
9	11	et quoad	3v	69	5	advenisse	22r	123	13	putavit	40v
10	39	et largiendo	4r	70	32	suam	22v	124	37	hac dimissa	41r
12	29	sanctorum	4v	72	20	praeclarus	23r	126	12	debet	41v
14	19	pater	5r	74	9	a Domino	23v	127	21	circa	42r
16	24	In tertio	5v	76	2	*surrexit*	24r	128	37	primum	42v
		[*figura arboris*]	6r	77	31	Friderici	24v	130	5	secundo	43r
18	13	Dico	6v	79	21	sanctum	25r	131	11	Hectoris	43v
20	1	verum	7r	81	11	saperet	25v	132	12	Agamemnon	44r
21	40	devotio	7v	83	1	cum enim	26r	133	22	Agathocles	44v
24	1	agnoscendo	8r	84	18	et antea	26v	134	28	Marcus	45r
25	11	in rore	8v	85	33	sexto	27r	135	32	filio	45v
26	39	secundo	9r	86	46	mitigata	27v	136	42	quibus superi	46r
28	10	Respondit	9v	88	10	in deitate	28r	138	8	et secundo	46v
29	32	Trigesimus nonus	10r	89	20	nono	28v	139	34	ac professionem	47r
31	5	Syri	10v	90	30	et excitatorum	29r	141	16	Tertio	47v
32	31	in Gedeone	11r	91	40	*illuminamur*	29v	142	41	Quo	48r
34	13	figurari	11v	93	10	quia deitas	30r	144	37	renovaverat	48v
36	9	Christum	12r	94	23	fratrem	30v	146	20	es apud	49r
38	5	sal	12v	95	17[a]	Christo	31r	148	8	altitudine	49v
40	3	Hunc	13r	97	24	debebat	31v	149	33	SEPTIMUS	50r
41	38	hominem	13v	99	11	stigmatizationis	32r	151	8	primo	50v
43	21	et credam	14r	100	34	fiat	32v	152	19	ad tentandum	51r
45	11	Sciendum	14v	102	7	*Transeamus*	33r	153	35	*supplicatio*	51v
47	7	perditio	15r	103	15	Huius	33v	155	6	a diabolo	52r
48	33	glossa	15v	104	26	temperantia	34r	156	8[a]	expetitus	52v
50	17	decebat	16r	105	36	eis	34v	158	11	Dum	53r
51	38	talia	16v	106	41	perfectionem	35r	159	37	saeculari	53v
53	22	*omnes*	17r	107	45	gaudium	35v	161	21	beatum F. lat.	54r
55	24	equi albi	17v	109	21	dulciter	36r	163	10	daemones	54v
57	31	Decimoquinto	18r	111	6	decessum	36v	164	34	tentationibus	55r
59	21	demum	18v	112	31	Trigesimonono	37r	166	14	duodecim	55v
60	40	homini	19r	114	7	scilicet	37v	167	28	*Superaedificati*	56r

[1] Erronee 112. — [2] Cf. eius descriptionem ad *Praefationem*.

168	40	diligentes	56v
170	6	Quarto	57r
171	16	secundo	57v
172	26	primo	58r
173	38	quarto	58v
175	4	Sextumdecimun	59r
176	21	et poenitentiam	59v
178	4	cum amico	60r
179	30	perpendens	60v
181	21	insolito	61r
186	7	posset [1] [*om.*]	61v
188	22	cum eum [*om.*]	62r
192	25	Quidam [*om.*]	62v
195	17	Et cum	63r
197	16	erat	63v
199	9	tenebrarum [*om.*]	64r
203	22	guardianum	64v
206	7	pauperi	65r
207	40	et voluntarium	65v
209	26	carnem	66r
211	15	tunc	66v
214	11	plus dixit	67r
215	38	agentem	67v
217	20	Interrogavit	68r
219	7	bona	68v
220	28	orationibus	69r
222	8	sine mensura	69v
223	33	si vicerit	70r
225	14	multum	70v
226	37	sexaginta	71r
228	16	ad virtutes	71v
229	39	vagando	72r
231	23	*De dictis*	72v
232	40	primo	73r
235	11	laicus	73v
237	1	*De triplici*	74r
238	23	unum	74v
240	1	notabilia	75r
241	33	In EUGUBIO	75v
243	31	frater Bern. [*om.*]	76r
247	18	daemoniacus	76v
250	18	sibi [*om.*]	77r
252	8	certum	77v
254	20	quoddam	78r
257	2	quod habebat [*om.*]	78v
262	2	qui	79r
264	15	pergens	79v
266	5	In dicta	80r
268	11	sua	80v
269	37	Quem	81r
271	28	Praedicatorum	81v
273	19	qui Paduam	82r
275	18	Hic, etsi	82v
278	22	Gratiani	83r
280	18	et divina	83v
287	35	fratris Iohannis [2]	84r
283	27	fratribus	84v
285	17	est prima	85r
290	2	debitum	85v
291	41	et per	86r
293	23	Aliam	86v
295	18	ut ad omnia	87r
297	5	membratim [*om.*]	87v
299	39	Hic sanctus	88r
301	19	prae aliis	88v
303	26	debitum	89r
306	16	Locus Viennae	89v
310	3	Hic siquidem	90r
311	36	frater	90v
313	21	quia fratres	91r
315	8	sed	91v
316	36	recitata	92r
319	32	unde	92v
322	26	Dominum	93r
324	17	Qui ob	93v
327	7	In KYRIS	94r
328	33	frater	94v
331	24	et scientia	95r
334	9	Mane	95v
336	16	in omni	96r
		[*variationes et additiones*] [3]	96v-100v
342	1	... Quibus [*add.*] [3]	100v
342	30	Tertio	101r
344	15	Frater	101v
345	24	Portuensis	102r
346	28	... Ad statum	102v
347	9	rex	103r
348	27	Si oculos	103v
350	11	Quartum	104r
351	34	Quia	104v
353	18	sibi	105r
355	2	acquiesceret	105v
356	26	navis	106r
358	25	fuerit	106v
360	28	viduarum	107r
363	14	de santo f. R.	107v
365	2	et ipsius	108r
366	19	*Qui vult*	108v
368	1	Decimo nono	109r
369	1ª	*Secunda pars*	109v
371	11	ante eius	110r
372	35	orante	110v
374	20	Et possint	111r
376	4	fecerat	111v
377	26	illo	112r
379	9	frater	112v
380	31	imponitur	113r
382	14	nomine	113v
384	6	Papa	114r
385	30	nostri	114v
387	8	papae	115r
388	30	potestatem	115v
390	10	In quinta	116r
391	24	Ubi	116v
393	10	Certe	117r
394	34	privilegio	117v
396	16	quia prae	118r
397	35	X parte	118v
399	12	tertio	119r
400	35	pecuniaria	119v
402	24	benefacere	120r
404	5	substitutus	120v
405	29	et haec	121r
407	14	et assensu	121v
408	39	non exstinguant	122r
410	17	Secundum	122v
413	28	cum sine	123v
415	6	fratres	124r
416	25	Dominus	124v
417	34	Hoc est	125r
419	15	nomine	125v
420	31	quarto	126r
422	11	Ubi	126v
423	24	ad praedicta	127r
425	6	Qui protector	127v
426	27	professae	128r
428	15	primo	128v
430	2	Euphemiae	129r
431	24	retrocedebat	129v
433	5	et cum ante	130r
434	27	amore	130v
436	7	et durabit	131r
438	24	permaneret	131v
440	14	factus	132r
441	25	primo	132v
442	40	trigesimo sexto	133r
444	18	denarios [*om.*]	133v
456	34	declarata	134r
458	11	gulositate	134v
459	21	Vigesimum pr.	135r
460	30	*prudentes*	135v
461	39	Nam poena	136r
462	47	*Dedit*	136v
464	17	ut docet	137r
466	2	Christi	137v
467	25	Domini	138r
469	11	confidens	138v
470	35	scire	139r
472	20	per ostium	139v
474	5	et expulit	140r
475	32	promiserunt	140v
477	16	elevans	141r
478	41	idem	141v
480	26	tempestatem	142r
482	12	erga	142v
484	21	quod suae	143r
485	41	secundo, quia	143v
487	12	terram	144r
488	31	Septimo	144v
490	2	Luc. 22	145r
491	18	Duodecimo	145v
492	31	*hic salvus*	146r
494	3	et nudis	146v
495	27	ipsorum	147r
497	8	ipsam	147v
498	34	ipsorum	148r
500	20	Ungaria	148v
502	8	tales animae	149r
504	1	frater Electus	149v
505	26	nudus [*om.*]	150r
509	14	animas	150v
510	34	locum Montis	151r
512	39	ordinis	151v
514	21	locum M. S. Mariae	152r
516	10	Custodia	152v
517	34	fuerunt	153r
519	21	nominentur	153v
521	13	capituli	154r
522	40	nullus	154v
524	17	peregit	155r
525	32	magistros	155v
527	31	Locum	156r
529	17	Custodia	156v
531	10	Locum Pasquitii	157r

[1] Notabiles textus omissiones in eo III editionis folio [*om.*] indicat. — [2] Cf. not. (*c*) p. 282. — [3] Cf. ***Praefationem***, ubi de hac editione loquitur.

533	6	Custodia	157v
535	2	locum Pacensem	158r
536	26	locum Vici	158v
538	18	locum Villae	159r
540	4	Custodia	159v
541	29	qui spiritu	160r
543	27	vi potuit	160v
545	9	Custodia	161r
546	27	loc. Helfordiae	161v
548	22	PROVINCIA	162r
550	18	loc. Tuyngensis	162v
552	10	locum Antiquae	163r
554	7	PROVINCIA	163v
556	6	frater	164r
558	2	locum Arestani	164v
559	40	a fratribus	165r
561	23	umbra	165v
563	8	ordinem	166r
565	5	cum Iacob	166v
566	20	Iesus	167r
567	31	Ioanne	167v
568	40	manifestativa	168r
570	7	*vobis*	168v
571	16	domum	169r
572	37	Vigesimo septimo	169v
574	12	Tertio	170r
575	27	dicens	170v
576	39	Christi	171r
578	8	locutione	171v
579	27	alia	172r
581	8	sui	172v
582	34	regulam	173r
584	13	pro dicta	173v
585'	34	et humilitatis	174r
587	22	Vigesimo sexto	174v
589	6	me de	175r
590	31	sub	175v
592	18	sic	176r
594	1	universo	176v
595	20	quam litteris	177r
597	8	*prospicere*	177v
598	36	nos	178r
600	30	es tu	178v
602	20	vocavit	179r
604	18	eis in	179v
606	9	universis	180r
607	39	qui	180v
609	23	omnes	181r
611	13	ad clericos	181v
613	1	Sic	182r
614	33	Scripturae	182v
616	26	mercedem	183r
618	17	mentem	183v
620	6	isti	184r
621	36	nos Deus	184v
623	26	filios	185r
625	17	quae	185v
627	4	Patris	186r
628	33	Sancta	186v
631	2	Domini	187r

ANALECTA FRANCISCANA
Tomus V.

1	1	LIBER SECUNDUS	187v
2	22	Ad primum	188r
3	36	*semper*	188v
5	11	lunam	189r
6	26	Octavum	189v
7	42	et dicendo	190r
9	13	magno	190v
10	33	visa	191r
12	23	medici	191v
14	10	garritu	192r
15	33	voluit	192v
17	24	ipsa	193r
19	18	et homo	193v
21	17	omnis	194r
23	37	ad se	194v
24	16	hominibus	195r
25	32	in discretione	195v
27	3	ad praedicandum	196r
28	20	Secundo	196v
29	36	sed aliis	197r
31	25	peccaminum	197v
33	15	naturalem	198r
34	42	fratres	198v
36	28	domino [*om.*]	199r
39	40	et asseruit	199v
41	28	habuit [*om.*]	200r
54	9	Dei gratia	200v
55	37	XVI. Nam	201r
57	24	non solum	201v
59	5	accipiendae	202r
60	27	ipsius	202v
62	4	Sextum	203r
63	23	Tertio	203v
64	37	Secundo	204r
66	6	Septimo	204v
67	11	Filius	205r
68	25	Decimo	205v
69	39	quam vilem	206r
71	3	dicens	206v
72	9	apparent	207r
73	18	Quartus	207v
74	27	Sic	208r
76	5	dat	208v
77	32	Quibus	209r
79	14	demonstrabatur	209v
81	2	quilibet	210r
82	32	Decimo nono	210v
84	17	quomodo	211r
86	11	officio	211v
88	7	Octavum	212r
89	33	Sed	212v
91	11	Gloria	213r
92	33	*homines*	213v
94	8	Facit	214r
95	26	tua	214v
97	1	De Fabio	215r
98	24	si dicatur	215v
100	1	*Secunda*	216r
101	28	ubi	216v
103	16	*Legendae*	217r
105	2	subtus	217v
106	29	ibi	218r
108	16	me ibi	218v
110	9	libro I	219r
112	2	ullus	219v
113	29	irent	220r
115	16	opera	220v
117	8	recessit	221r
118	36	esse	221v
120	29	videtur	222r
122	26	sequerentur	222v
124	10	*homo*	223r
125	34	potator	223v
127	13	valentem	224r
128	42	eius	224v
130	20	ei et	225r
132	11	curantes	225v
133	35	quippe	226r
135	27	cum tanto	226v
137	19	Romanae	227r
139	13	sicut patuit	227v
141	17	nec repugnes	228r
143	26	servivit	228v
145	12	si ipse	229r
146	36	fuit et	229v
148	9	requiritur	230r
149	27	habere	230r
151	3	quod animae	231r
152	21	ad quae	231v
153	42	Evangelio	232r
155	18	*hoc in*	232v
156	37	quindecim	233r
158	15	Modo	233v
159	34	in carcere	234r
161	25	Hoc esse	234v
163	13	corporalibus	235r
164	39	possunt	235v
166	27	ab hominibus	236r
168	18	in ordine	236v
170	12	beatum	237r
172	2	confugi	237v
174	1	et ibidem	238r
176	7	pro corona	238v
178	8	a Nuceria	239r
180	6	Septuagesimum	239v
181	35	fratris	240r
183	16	cum paupertate	240v
184	38	omnis	241r
186	10	dicit	241v
187	32	*et poculum*	242r
189	7	Ammon	242v
190	36	paupertatis	243r
192	27	forsitan	243v
194	33	post modicum	244r
196	31	pulveris	244v
198	21	quasi	245r
200	4	*contra me*	245v
201	25	declarat	246r
202	47	Nihil	246v
204	20	cum nulla	247r
205	39	*semen*	247v
207	15	dormitionem	248r
208	34	herbis	248v
210	27*	ipse nunquam	249r
212	18	praetermisso	249v
213	44	fide firma	250r
215	20	habet	250v
217	2	Haec	251r
218	23	sancta	251v
220	7	et castitate	252r
221	35	*Legendae* [*om.*]	252v
225	27	Undecimo	253r
227	12	voluit	253v
228	34	ergo	254r
230	5	sed tu	254v
231	22	quam	255r
233	5	traheret	255v
234	28	dubia	256r
236	10	est orandum	256v
237	28	nisi	557r
239	7	generaliter	257v

240	26	manibus	258r
242	1	ut statim	258v
243	20	proclamare	259r
245	3	Tertio	259v
246	34	Decimo	260r
248	25	prout ipse	260v
251	1	notitiam	261r
252	28	convertit	261v
254	23	non gyrovagis	262r
256	13	socium	262v
258	36	es sanctus [*om.*]	263r
262	16	et misericordia	263v
264	9	*nec habent*	264r
265	27	*supra*	264v
267	3	sua	265r
268	22	de panibus	265v
269	29	Sexto	266r
270	39	locum	266v
272	13	adiicit	267r
273	30	Secundùs	267v
275	3	Quinto	268r
276	22	Tertio	268v
278	15	capitulum	269r
279	41	vere	269v
281	31	Pluribus	270r
283	12	probitatem	270v
284	28	cap. 7	271r
285	44	rex barbarus	271v
287	13	Deus	272r
388	31	bonis	272v
290	25	dicit	273r
292	15	Perusinis	273v
294	5	Deo	274r
295	35	divinae	274v
297	31	et consequenter	275r
299	15	*est;* ecce	275v
300	32	quos	276r
302	9	Platonis	276v
303	30	dispersio	277r
305	7	iniuste	277v
306	19	*Secunda pars*	278r
309	26	aliorum	278v
311	5	*scholastica*	279r
312	25	exempla	279v
313	38	Quarto	280r
315	17	sed etiam	280v
317	7	et sociis	281r
319	20	praefatis	281v
320	43	*et qui*	282r
322	14	Tertia	282v
323	30	Et primo	283r
326	1	et pauperculam	283v
327	40	tantum	284r
330	1	qui serviunt	284v
331	33	Sic	285r
333	1	LIBER TERTIUS	285rb
333	10	quo suo	285v
335	13	naturae	286r
336	30	etsi	286v
338	4	Sacramentum	287r
339	20	his duobus	287v
340	34	Septimum	288r
342	8	circumscriptive	288v
343	23	Christi	289r
344	42	nostrum	289v
346	15	ergo	290r
347	32	se dando	290v
349	4	Valor	291r
350	20	pro coniunctione	291v
351	36	*suis ad*	292r
353	10	sumamus	292v
354	29	se coaptavit	293r
356	14	Aaron	293v
357	40	*quae ego*	294r
359	16	debilitate	294v
360	41	ministro	295r
362	21	doctoribus	295v
363	42	inferentibus	296r
365	10	sacramentis	296v
366	20	In septimo	297r
367	39	est crux	297v
369	18	Ad primam	298r
371	12	Secundo	298v
372	40	signa passionis	299r
374	30	Octavo	299v
376	30	Secundus	300r
377	31	est sibi	300v
379	18	Angelum	301r
381	8	Cum	301v
383	5	puer	302r
384	40	donum	302v
387	8	cum sociis	[1] 303r
388	27	In monte	303v
390	12	affuisset	304r
391	37	largitus	304v
393	18	Cum tanto	305r
395	5	ac lateris	305v
396	29	non amittenda	306r
398	22	ministerio	306v
400	11	facie	307r
402	2	lux aurea	307v
403	29	solemniter	308r
405	18	In qua	308v
407	10	*Caput*	309r
409	18	Tertio	309v
411	12	corpore	310r
413	6	iacere	310v
414	33	beatus	311r
416	19	opere	311v
417	28	Octavum	312r
419	1	traditionem	312v
420	22	primo	313r
421	43	sua, quam	313v
423	19	Magister	314r
424	39	*ita et*	314v
426	20	invenire	315r
428	11	se ad	315v
430	28	Mariae	316r
432	27	Quinto	316v
434	8	dixerat	317r
435	22	quae statim	317v
437	1	semper	318r
438	25	sepeliri	318v
440	4	Respondetur	319r
441	23	Sed nota	319v
443	14	Franciscus	320r
445	11	sed per	320v
446	33	similiter	321r
448	7	extractione	321v
449	22	dominum	322r
451	1	visus	322v
452	23	*enim*	323r
453	44	Quinto	323v
455	16	noster	324r
357	9	officium	324v
458	33	*caelo*	325r
460	5	eam adorn. [*om.*]	325v
464	34	FRUCTUS	326r
466	37	ad Cornelium	326v
468	30	fratribus	327r
470	15	*vel trium*	327v
471	38	ageretur	328r
473	32	et malus	328v
475	23	frater Minor	[2] 329r
477	7	id est	329v
478	22	*Secunda* [3] [*om.*]	330r
502	23	non solum	330v
503	6	*Littera*	[4] [3v]

[1] Erronee 203. — [2] Erronee 327. — [3] Cf. p. 479, not. (*d*). — [4] Cf. ad *Praefationem* de hac editione.

INDEX RERUM

AD TRES ORDINES NON SPECTANTIUM.



INDEX SPECIALIS

SEU

NOMINUM ET MATERIARUM

AD S. P. FRANCISCUM SPECTANTIUM.

Hic index tomum II speciali modo respicit, sed res de ipso S. Francisco narratas in tomo I et II colligit, aliasque ipsum, Socios eius primos, Ordinemque spectantes. Cf. Praefationem huius vol. p. VI-VII. Ubi res hoc in vol. (ideoque et hoc in indice) tactae, sed iam in vol. I relatae, in indice novo non exhauriuntur, ad columnam respectivam Indicis tomi I remittitur lector: = 641 a (b c). Legendae S. Francisci *et fontes historiae franciscanae enumerantur in praefatione, p. XXXVI-XLIV.* — In gen. *designat in loco citato agi in genere de re ibi indicata.*

A

B

C

D

E

F

G

H

I

L

M

N

O

P

Q

R

S

T

U

V

Y

Z



Analecta Franciscana

v. 5·(